This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

HX JVC9 Z

Digitized by Google

BP 431.1.2



ROBERT TROUP PAINE
TO
HARVARD COLLEGE.
A LEGACY
IN HIS NAME BEING APPLIED
IN PART TO AN ANNUAL INCREASE
OF THE LIBRARY

Received 9 April, 1879.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Robert Treat Paine
to Harvard College

NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCCXLVI

Bibl: publicata. Abbat:

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

Banth. *LIPSIÆ*, 1755

Proſtant apud JO. FRID. GLEDITSCHIUM & B. LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in WAESBERGIORUM & WETSTENII officinis.

Ex LITERIS LANGENHEMIANIS,

MDCCXLVI.

14911
#65-12

Digitized by Google

~~29.108~~
EP 4311.2

1879, April 9.
Paine bequest.

Digitized by Google

Lectori æquo & benevolo Salutem!

Ita nobis a longo inde tempore in more fuit poſitum, ut ſub anni cujusque initium tui, Lector, compellandi, tenerrimeque ſalutandi, nobis veniam peteremus, & hac impetrata, talem ante oculos tuos animi noſtri, tibi prorſus dediti, imaginem ſiſteremus, qualem tibi vel maxime probari, longo uſu, & certis amoris tui indiciis, cognovimus. Nam, cum, poſt Deos immortales, quorum nutu & auſpiciis, quicquid humanarum rerum eſt, ſervari & florere ſcimus, tibi inprimis, Lector, Muſæ noſtræ feliciſſimos ſucceſſus debeamus, nec aliunde certior, quam a favore tuo, capi nobis laborum noſtrorum fructus ſoleat, nihil magis convenire æquitati poteſt, quam ut de tanto noſtri ſtudio eas tibi, quæ a viris bonis proficiſci poſſunt, non habeamus tantum gratias, ſed publice privatimque agamus etiam. Antiqui igitur, & tibi, quod ſperamus, non ingrati, hujus moris noſtri memores, nunc etiam, in novi anni limine conſtituti, eum tibi honorem habemus, ut, quæ per transactum modo annum læta nobis & optata acciderunt, eorum partem maximam tibi acceptam uni referamus. Nam, quod Muſa noſtra, id unum agens, ut tibi utilis eſſe aliqua ex parte poſſit, te laborum ſuorum non ſpectatorem tantum curioſum, ſed facilem etiam benevolumque approbatorem habuit, id ipſum in felicitatis prorſus ſummæ, & qua major homini in literis verſanti exſpectari vix poteſt, loco reponimus. Nimirum nihil magis aut excitare ſcribendi alacritatem, aut excitatam confirmare & augere, poteſt, quam eorum, qui recte judicandi facultate pollent, ſecunda acclamatio, & in laudes noſtras amica ac perpetua conſenſio. Quod, ſatis per ſe magnum & illuſtre, bonum magisne nobis fortuna quædam, an noſtra merita, comparaverint, definire nobis hoc minus licet, quo & ex altera parte varior in his rebus fortuna eſt, & ex altera minora eſſe noſtra merita apparet. Nam, ſi ex dignitate ſua æſtimetur labor noſter, quis eſt, qui aut ingenii acu-

men ſummum, aut doctrinam excellentem, aut quæ alia in famæ non vulgaris ſcriptore collaudari ſolent, iis tribuat, qui per omnem vitam ſuam in enarrandis aliorum dictis factisque occupantur, &, ſi quid ſingulare & eximium in commune conferunt, ex aliena id penu, non ex ſua, expromunt? Nempe omne hoc ſcribendi genus, etſi labore & moleſtia non vacuum, tamen ita eſt comparatum, ut a mediocriter doctis, modo ſtudium induſtriamque huc afferant, & ſuum cuique jus tribuere didicerint, ſatis feliciter exerceri poſſit, neque adeo dignum, in quo deprimendo, & nugatoriis conviciis lacerando, ſuas invidia, malevolentia, obtrectatio, et quicquid talium malorum eſt, vires conſumant. Itaque, ſi recte rem cogitamus, unum hoc relinquitur, ut, qui ſtudiis noſtris favent, illam, ex hac noſtra opera ad literas redundantem, utilitatem ſpectent, quam qui neget inſignem & præclaram eſſe, næ is ita formatus a natura eſt, ut præ nimio amore ſui aliena omnia deſpiciat, &, quid ſalutare literis ac fructuoſum ſit, intelligere haud poſſit. Multum hic valent, et valere utique debent, ſapientum hominum ſuffragia, quos & olim inſtituti hujus, honeſtiſſimi, ut ipſi dicunt, & laudabilis, autores habuimus, & nunc, ne abſtrahi ab hiſce curis tædio laboris, in longiſſimas ætates, ſine ulla melioris vitæ ſpe, ſine ullo actorum ſtipendio, abeuntis, nos patiamur, hortatores fere quotidianos habemus. Horum igitur, cum ex animo, non literarum tantum, ſed noſtræ etiam inprimis famæ, valde ſtudioſo, proveniant, tantum omni tempore monitis conſiliisque tribuemus, ut nulla nobis major, quam quæ exſpectari poteſt tale munus, quale noſtrum eſt, gerentibus, voluptas ſit futura, &, ſi Deus nobis vires corporis & animi conſervet integras, ſi clementiſſimus AVGVSTVS, *quo, neſcimus, an ullum aut feliciorem, aut ſapientiorem, aut amore ſuorum digniorem, orbis terrarum tulerit, illa indulgere Muſis noſtris, quæ inde a tot annis bonus favensque indulſit, otia jucunda et honeſta pergat, ſi, quæ in rebus humanis mala ſolent et ſiniſtra evenire, eorum nihil præſentem ſortis noſtræ tranquillitatem perturbaverit, hanc, quam diu ſatis, &, ni fallimur, cum literarum commodo inſigni, ſuſtinemus, porro curarum omnium et nobiliſſimam ſimus, et dulciſſimam, habituri.*

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXLVI.

DEL MUSEO CAPITOLINO TOMO PRIMO, &c.

hoc eſt,

MUSEI CAPITOLINI TOMUS PRIMUS, complectens imagines Virorum illuſtrium.

Romæ, venditur in Chalcographia Cameræ Apoſtolicæ ad pedem marmoreum, 1741, fol. maj.

Conſtat Tabulis æneis 90.

Nihil vel ad laudem illuſtrius, vel ad æternitatis memoriam aptius, potuit excogitare *Clemens XII*, Pontifex M. quam omnia marmora antiqua in Capitolium, tanquam priſtinam & peculiarem ſedem, transferendo. Hac enim ratione providit, ne præſtantium operum reliquias, quas barbarorum rabies olim non everterat, vel fures conarentur auferre, vel imperiti harum rerum, & aliquanto magis, quam *L. Mummius* olim, rudes, homines ad alios quosque uſus accommodare, poſſent. Eſt ſane hoc Muſeum dignum Pontificis munere, dignumque Capitolio, in quo ſolo contemplando mirandoque hærere poſſunt hoſpites. Eo enim eſt ſplendore, ea varietate operum, ut ars certare videatur cum copia, ea magnificentia, ut intelligi poſſit, non tam ad urbis apparatum, quam ad nobiliſſimæ illius ampliſſimæque arcis ornamentum, eſſe factum. Ut autem illorum quoque ſtudia adjuvarentur, quibus non datum eſt adire Corinthum, Pontifex M. is, qui nunc faſces dominationis ſacræ tenet, pro ſummo

ſuo & laudabili in bonas literas amore curavit, ut non modo plura ſigna coacervarentur, ſed tabulis etiam radio ſcriptis promulgarentur. Quæ etſi omnes uno tempore ſimul in lucem prodire non poſſunt; conſtitutum tamen eſt, earum partes ſenſim paulatimque juris publici facere. *Volumen* hoc *primum*, cum aliis præſtantiſſimis Operibus, & multis numero, & dignitate egregiis, haud ita pridem, inſigni, & tanto Principe vere digna, Summi Pontificis munificentia, non exorata ante, ſed prorſus voluntaria, ad nos perveniſſe, grati prædicamus, exoſculantes ſacram illam manum, unde, ſicut ipſæ literæ decus & honorem, ſic harum etiam cultores ſui ſtudii capere & ſubſidia, & præmia, & ornamenta, ſolent. In hoc *Volumine* apparent tantum capita inſignium eruditione & rebus geſtis virorum, qui ſunt *Apulejus*, *Virgilius*, *Aſclepiades*, *Ariſtoteles*, *Agatho Poſidonius*, *Epicurus*, *Heraclitus*, *Socrates*, *Alcibiades*, *Carneades*, *Ariſtides*, *Hippocrates*, *Seneca*, *Plato*, *Junius Ruſticus*, *Theophraſtus*, *M. Aurelius Antoninus*, *Diogenes Cynicus*, *Thales*, *Theon Platonicus*, *Mago*, *Carthaginienſis*, *Pythagoras*, *Hieron*, Rex Siciliæ, *Ariſtophanes*, *Terentius*, *Pindarus*, *Perſius*, *Anacreon*, *Aratus*, *Heſiodus*, *Apollonius Tyaneus*, *Homerus*, *Cleopatra*, *Sappho*, *Ariſtomachus*, *Leodamas*, *Euripides*, Poeta tragicus, *Lyſias*, *Iſocrates*, *Herodotus*, *Thucydides*, *Pithodoris*, *Maſſiniſſa*, Rex Numidiæ, *Cicero*, *Ptolemæus*, Rex Ægypti, *Bacchus*, *Archimedes*, & *Zeno* Stoicus. Verecunde in his omnibus interpretandis verſati ſunt Editores, nulli temere imagini ſubſcribentes nomen & titulum, niſi ex aliis numorum, gemmarum, & marmorum, monumentis formas recognoſcerent. Neque diffitemur, rationem, ab illis inſtitutam, explicandi talia vetuſtatis λείψανα nobis mirabiliter placuiſſe. Non enim ingenti verborum ſtrepitu, ut ſolent minorum gentium interpretes, rem ancipiti ſenſu obſcuram & dubiam illuſtrarunt, ſed, breviter fontibus indicatis, e quibus haurire quemlibet oportet, id inprimis efficere ſtuduerunt, ut locum aliquem inſignem e libris veterum deligerent, cujus argumento ad nullum alium, quam eum virum, cui marmor aſſignarunt, pertinere videbatur. E multis exemplis tria tantum

expromere liceat. Ad veritatem *Socratici* vultus demonſtrandam rectiſſime *Ciceronis* locum *de Fato Cap. 2* adduxerunt, *Zopirus*, inquientis, *eum ſtupidum & bardum fecit, quod jugula concava non haberet.* *Platoni* opportune addiderunt verba *Senecæ Ep. 58: Illi nomen latitudo pectoris fecit.* Ad ſtatuam *Zenonis*, quae iconica ſimilaris eſt, eleganter ex *Platone* & *Diogene Laertio* probarunt, ſtaturam ejus valde proceram fuiſſe. In hoc uno fortaſſis judicio noſtro, quod, neſcimus, an rectum ſatis & ſobrium ſit, interpretes doctiſſimi nondum ſatisfecerunt, quod in hac egregia marmorum ſylloge ordinem temporum ſequi noluerunt. Verum, ut abſurdum foret, propter minutæ hujus rei curioſitatem librum ſplendidiſſimum macula quadam aſpergere, cùm in venuſtiſſimo illo corpore cetera omnia niteant, ita vehementer optamus, ut reliqua etiam *Volumina*, in quibus capita Auguſtorum Auguſtarumque, item anaglypha opera (*Baſſi rilievi*), aliaque miſcella, tradentur, non tantum ſub hujus Pontificis M. auſpiciis, qui jam ſummas rerum cum laude tenet, ſed urgente quoque & moderante opus illuſtri Marchione *Alexandro Capponio*, Palatii S. S. Apoſtolicæ Cuſtode majore, quamprimum luce publica donentur.

ANTONII LAMPRIDII DE SUPERSTITIONE vitanda, ſive Cenſura voti ſanguinarii, in honorem immaculatæ conceptionis Deiparæ emiſſi, a LAMINDO PRITANIO antea oppugnati, atque à CANDIDO PARTHENOTIMO, Theologo Siculo, incaſſum vindicati.

Mediolani & Venetiis, apud Simonem Occhi, 1740, 4.

Alph. 1 plag. 5½.

Acris de voto ſanguinario controverſia interceſſit *Lampridio* cum alio Romanæ Eccleſiæ Doctore. Compoſuerat *Lampridius* complures ante annos librum, *de ingeniorum moderatione in religionis negotio* inſcriptum, in quo candide profeſſus erat ſententiam, qua improbantur omnes ii, quotquot, pro

Digitized by Google

doctrina de immunitate S. Virginis a labe originali tuenda & propugnanda ſanguinem ſe daturos, ſpondent. Adverſarium hac in re nactus erat A. 1729 Theologum quendam Siculum, qui, ſub involucro nominis *Candidi Parthenotimi* latitans, librum divulgabat, ita inſcriptum: *Votum pro tuenda immaculata Deiparæ conceptione, ab oppugnationibus Lamindi Pritanii vindicatum.* Opponebatur ille Noſtro, qui tecto *Lamindi Pritanii* nomine antea inconſpicuus adverſario fuerat, quibus vero vocibus per anagramma *Antonium Lampridium* abſcondi, ipſe indicat. At *Lamindus* ſine neceſſitate videtur rationem expetere alterius nominis, cum cuique, Latinarum Græcarumque literarum gnaro, pateat, *Candidum Parthenotimum* exprimere verum ſincerumque honoris D. Virginis defenſorem. Sed hæc velut in tranſcurſu. Videamus jam, quid in Libro ipſo, *Capita XXVI* complexo, *Lampridius*, vel tectus antea *Lamindus*, egerit. *Capite I* excitantur Decreta de immaculata Deiparæ conceptione, a Pontificibus Romanis, *Sixto IV*, *Pio V*, *Paulo V*, *Gregorio XV*, inprimisque *Alexandro VII*, lata. Adjunguntur ea, quæ *Concilium Tridentinum* Seſſione V de eadem re promulgavit. Quibus latius expoſitis, ſtatus controverſiæ inter *Lamindum* & *Parthenotimum* his verbis ſubjicitur: *Utrum amplectenti ſententiam de immunitate Virginis ab originali peccato liceat vovere & jurare, ſe pro hujus ſententiæ patrocinio ſanguinem quoque & vitam, quoties occaſio ferat, daturum.* Ex quo apparebit, quæ ſit ratio voti ſanguinarii, quidque eo nomine exprimatur. Pontificum neminem quæſtionem hanc attigiſſe, Noſter ſubmonet, indeque cujuslibet arbitrio relinqui exiſtimat, utrum eam examinare velit. Ab iis tamen Decretis Pontificum diſceſſiſſe, ait, qui votum ſanguinarium defendant, ac, ſilentio Decretorum abuſi, addant ea, quæ nunquam in mentem Pontificum venerint. Præcipit igitur *Lampridius*, vel *Lamindus* noſter, *voce* ſaltem & *calamo* tuendum eſſe ſententiam de immunitate Deiparæ, ſed *Parthenotimus* addit, ipſo etiam *ſanguine*. Telum quoddam inopinatum ſubminiſtrari ſibi a *Parthenotimo*, Noſter judicat, quia refert ille, in iis Academiarum formulis, quæ fere

Digitized by Google

fere omnes *Latini* de conceptione exhibeat, non legi particulam *uſque ad* ſanguinem, illudque telum, ab adverſario non præviſum, in eundem vibrat. *Caput primum* excipit *ſecundum*, quo declaratur, votum ſanguinarium a *Parthenotimo* fruſtra propugnari pietatis nomine, cum vera pietas conjungenda ſit cum ceteris virtutibus, quod hoc in negotio fieri nequeat. Poſſe etiam, pergit, deficiendo, poſſe excedendo, peccari. Dari pietatem falſam, imprudentem, ſuperficiariam. Pietatis nomine venditari ſæpenumero id, quod verius dicatur error, temeritas, ſuperſtitio, fanaticiſmus, deliramentum. Quæ omnia pluribus ibi deducuntur. *Capite III* evincitur, vitam hominum habendam eſſe pro dono Dei pretioſiſſimo, & honori, famæ, aliis rebus, pretio anteferendam. Suppeditantur loca nonnulla Magiſtri Angelici, Divi *Thomæ*. Ex quibus ante diſputatis argumentatur Autor, obligari hominem omnimodo ad vitæ conſervationem, mortemque tum demum oppetendam eſſe, cum rationes id ſuadeant legitimæ, ac regulæ prudentiæ. Hic autem legitimam adeſſe cauſam, plane negat. Reſpondet ad exempla *Joannis* Baptiſtæ & aliorum, ad quæ provocatum ab adverſario fuerat. Producuntur quædam ex *Thoma Tamburino*, *Filliuccio*, *Bellarmino*, *Leſſio*, quæ inſerviunt ſententiæ *Parthenotimi* propellendæ. *Caput IV* indicat, vitam dandam ſolum pro bono majori, eodemque certo, peccari contra leges prudentiæ, ſi ſponte, nullaque urgente neceſſitate, mortem incurramus. Fit etiam mentio nonnullorum, qui mortis, minus prudenter oppetitæ, macula ſe contaminarint. *Capite V* demonſtratur, effuſionem ſanguinis pro tuenda immunitate Deiparæ non referendam eſſe ad leges ſanctiſſimas, nec ſpectare ad defendendam ſanctitatem *Marianam*. Ubique labefactat *Lampridius* ſententiam *Parthenotimi*, qui ad hæc capita ſe receperat. Diſtinguit etiam Noſter pietatem intrinſecam a pietate opinativa, &, cui generi præſens de conceptione immaculata Virginis doctrina ſit accenſenda, definit. *Capite VI* negatur, ſententiam de immunitate Deiparæ recte cohoneſtari titulo dogmatis fidei, ob eamque additur, propter illam mortem non eſſe obeundam. Cui tractationi inſerviunt

Digitized by Google

loca *Alphonſi de Caſtro* & *Gabrielis Vaſquezii*, quæ exhibentur. Relinquitur inde, opinionem duntaxat eſſe, pro qua nemo periculis mortique ſe objiciat. *Caput VII* exponit, *Parthenicorum* nimis bene pietatis prætextu ſuam tueri ſententiam, de qua ideo latius jam diſputat *Lampridius*, eamque definit per *habitualem diſpoſitionem animæ, qua promte mobilis eſt a Spiritu S. ad habendum filialem affectum ad Deum ut Patrem, eumque colendum & amandum ea ratione, qua ipſe vult a nobis coli & amari.* Quibus præfatis præmonitisque, pietati, dicit, convenientem eſſe ſententiam, de experte maculæ Deipara, contra vero adverſari ei alteram de morte, ob doctrinam illam obeunda. Opiniones pias, concludit, defendi poſſe, non morte obſignari. *Capite VIII* agitatur quæſtio, de certitudine dogmatis *Scotiſtici* de conceptione Virginis illibata. Negat *Lampridius*, certitudinem illam firmis atque idoneis fulciri poſſe rationibus, ideoque opinionibus accenſet, quæ ea de re diſputantur. Triplex ſubjicitur certitudinis ſpecies, certitudo fidei divinæ, alia fidei humanæ, denique certitudo, quæ dicitur perſuaſionis, ſive ſubjectiva. Et, hanc extremam ſententiæ *Scoti* convenire, opinatur. *Capite IX*, impingere, docet, omnes eos, qui ſententiæ *Scotiſticæ* certitudinem moralem, phyſicam, metaphyſicam, vindicare velint. Falli *Cardenam*, qui hanc eruere certitudinem velit ex inſtitutione Feſti Conceptionis, cujus objectum in Bulla *Alexandri VII* conſtituitur præſervatio Virginis ab omni macula. Quo de Feſto plura Noſter diſſerit, inprimis autem de ſubnata contentione per Decretum *Innocentii X*, qui vocari prohibuit Feſtum *immaculatæ* Conceptionis. Dicit de ignorantia vincibili *Lampridius*, & de errore eorum, qui certitudinem intrinſecam largiantur opinioni *Scotiſticæ*. A Patribus ita non doceri, probe monet, nullumque apud *Petavium*, de Conceptione Virginis diſſerentem, adduci teſtimonium, quod faveat; potius adverſari videri, quæ ibi ex Patribus ſubjiciantur. Eccleſiam Romanam ſententiam hanc ſolum agnoſcere pro probabili ac pia, poſtea ſubjungit, & loco cuidam *Caramuelis* innititur. *Capite X* indagatur, qui factum ſit, ut multi ſibi perſuaſerint, dubitan-

Digitized by Google

dubitandum plane non eſſe de veritate ſententiæ *Scotiſticæ*, cauſamque rei hujus derivandam, credit, a confictis quibusdam Hiſtoricis gentis Hiſpanæ. In his numerantur *Chronicon Flavii Dextri*, alia *Marci Maximi*, *Braulionis*, *Luitprandi*, *Juliani Toletani*, *Alberti Hiſpalenſis*, & *Heleca*. Artes has detexiſſe *Nicolaum Antonium* in Bibliotheca vetere Hiſpanica, ex loco quodam ejus oſtendit, pluraque alia in eandem rem diſſerit. *Capite XI* reſpondetur *Parthenotimo*, qui Baſileenſis Concilii autoritate munire ſe voluerat. Dixerat *Parthenotimus*, juſſu *Eugenii IV* actam eam rem in Concilio fuiſſe. At *Lamindus* docet, Baſileenſes illo tempore ab eodem *Eugenio* alieniſſimos fuiſſe. Idem ſcripſerat, autoritati Baſileenſium multum detuliſſe *Natalem Alexandrum*. Alia longe docet Noſter, ipſa *Natalis* confeſſione nixus. Sunt plura Antagoniſtæ aſſerta, quæ viriliter aggreditur *Lampridius*. Quando ille ad *Concilium Tridentinum* atque ad *Gerſonium* ſe recipit, habet *Lampridius*, quæ & hic regerat. Refert Noſter, pro certitudine ſententiæ *Scoti* allegari teſtimonia Patrum, ſed vim eorum frangit exemplo loci e libro contra hæreſes, *Auguſtino* vulgo adſcripto, in quo non *Mariæ* a parentibus immaculata conceptio, ſed Chriſti a *Maria*, ſtabilitur. Ita enim ille: *Sicut Chriſtus natus eſt ſolus inter mortuos liber; ſic Maria pudor ſibi ſolus integer*. Deſcendit ad Laminas Granatenſes, quæ, A. 1595 in Granatenſi Hiſpaniæ agro effoſſæ, literis Arabicis ſignatæ erant, *Deiparam*, *ſine labe conceptam*, repræſentantibus, ut vulgo perſuaſum erat. Varia de his erudite commemorat, ſed extremo loco ſubjicit, laminas illas, Romam delatas, *velut merces adulterinas*, & monumenta commentitia, juſſu Pontificis *Innocentii XI* proſcriptas fuiſſe, æternumque damnatas. *Capite XII* id agit *Lampridius*, ut, communem Theologorum ſententiam *Scotiſticæ* illi opinioni adverſari, evincat. Excitatur locus *Bonaventuræ*, de Deipara, a labe originali haudquaquam immuni. Ipſum *Scotum*, additur, circa A. 1305 *communem* pronuntiaſſe ſententiam illam, quæ illibatæ conceptioni *Marianæ* e diametro opponitur. Suffragantur *Alvarius Pelagius*, *Philippus Faber*, *Franciſcus Pitignanus*,

loca *Alphonſi de Caſtro* & *Gabrielis Vaſquezii*, quæ exhibentur. Relinquitur inde, opinionem duntaxat eſſe, pro qua nemo periculis mortique ſe objiciat. *Caput VII* exponit, *Parthenotimum* minus bene pietatis prætextu ſuam tueri ſententiam, de qua ideo latius jam diſputat *Lampridius*, eamque definit per *habitualem diſpoſitionem animæ, qua prompte mobilis eſt a Spiritu S. ad habendum filialem affectum ad Deum ut Patrem, eumque colendum & amandum ea ratione, qua ipſe vult a nobis coli & amari.* Quibus præfultis præmunitisque, pietati, dicit, convenientem eſſe ſententiam, de experte maculæ Deipara, contra vero adverſari ei alteram de morte, ob doctrinam illam obeunda. Opiniones pias, concludit, defendi poſſe, non morte obſignari. *Capite VIII* agitatur quæſtio, de certitudine dogmatis *Scotiſtici* de conceptione Virginis illibata. Negat *Lampridius*, certitudinem illam firmis atque idoneis fulciri poſſe rationibus, ideoque opinionibus accenſet, quæ ea de re diſputantur. Triplex ſubjicitur certitudinis ſpecies, certitudo fidei divinæ, alia fidei humanæ, denique certitudo, quæ dicitur perſuaſionis, ſive ſubjectiva. Et, hanc extremam ſententiæ *Scoti* convenire, opinatur. *Capite IX*, impingere, docet, omnes eos, qui ſententiæ *Scotiſticæ* certitudinem moralem, phyſicam, metaphyſicam, vindicare velint. Falli *Cardenam*, qui hanc eruere certitudinem velit ex inſtitutione Feſti Conceptionis, cujus objectum in Bulla *Alexandri VII* conſtituitur præſervatio Virginis ab omni macula. Quo de Feſto plura Noſter diſſerit, inprimis autem de ſubnata contentione per Decretum *Innocentii X*, qui vocari prohibuit Feſtum *immaculatæ* Conceptionis. Dicit de ignorantia vincibili *Lampridius*, & de errore eorum, qui certitudinem intrinſecam largiantur opinioni *Scotiſticæ*. A Patribus ita non doceri, probe monet, nullumque apud *Petavium*, de Conceptione Virginis diſſerentem, adduci teſtimonium, quod faveat; potius adverſari videri, quæ ibi ex Patribus ſubjiciantur. Eccleſiam Romanam ſententiam hanc ſolum agnoſcere pro probabili ac pia, poſtea ſubjungit, & loco cuidam *Caramuelis* innititur. *Capite X* indagatur, qui factum ſit, ut multi ſibi perſuaſerint, dubitan-

Digitized by Google

dubitandum plane non eſſe de veritate ſententiæ *Scotiſticæ*, cauſamque rei hujus derivandam, credit, a confictis quibusdam Hiſtoricis gentis Hiſpanæ. In his numerantur *Chronicon Flavii Dextri*, alia *Marci Maximi*, *Braulionis*, *Luitprandi*, *Juliani Toletani*, *Alberti Hiſpalenſis*, & *Heleca*. Artes has detexiſſe *Nicolaum Antonium* in Bibliotheca vetere Hiſpanica, ex loco quodam ejus oſtendit, pluraque alia in eandem rem diſſerit. *Capite XI* reſpondetur *Parthenotimo*, qui Baſileenſis Concilii autoritate munire ſe voluerat. Dixerat *Parthenotimus*, juſſu *Eugenii IV* actam eam rem in Concilio fuiſſe. At *Lamindus* docet, Baſileenſes illo tempore ab eodem *Eugenio* alieniſſimos fuiſſe. Idem ſcripſerat, autoritati Baſileenſium multum detuliſſe *Natalem Alexandrum*. Alia longe docet Noſter, ipſa *Natalis* confeſſione nixus. Sunt plura Antagoniſtæ aſſerta, quæ viriliter aggreditur *Lampridius*. Quando ille ad *Concilium Tridentinum* atque ad *Gerſonium* ſe recipit, habet *Lampridius*, quæ & hic regerat. Refert Noſter, pro certitudine ſententiæ *Scoti* allegari teſtimonia Patrum, ſed vim eorum frangit exemplo loci e libro contra hæreſes, *Auguſtino* vulgo adſcripto, in quo non *Mariæ* a parentibus immaculata conceptio, ſed Chriſti a *Maria*, ſtabilitur. Ita enim ille: *Sicut Chriſtus natus eſt ſolus inter mortuos liber; ſic Mariæ pudor ſolus eſt integer*. Deſcendit ad Laminas Granatenſes, quæ, A. 1595 in Granatenſi Hiſpaniæ agro effoſſæ, literis Arabicis ſignatæ erant, *Deiparam ſine labe conceptam* repræſentantibus, ut vulgo perſuaſum erat. Varia de his erudite commemorat, ſed extremo loco ſubjicit, laminas illas, Romam delatas, *velut merces adulterinas*, & monumenta commentitia, juſſu Pontificis *Innocentii XI* proſcriptas fuiſſe, æternumque damnatas. *Capite XII* id agit *Lampridius*, ut, communem Theologorum ſententiam *Scotiſticæ* illi opinioni adverſari, evincat. Excitatur locus *Bonaventuræ*, de Deipara, a labe originali haudquaquam immuni. Ipſum *Scotum*, additur, circa A. 1305 *communem* pronuntiaſſe ſententiam illam, quæ illibatæ conceptioni *Marianæ* e diametro opponitur. Suffragatur *Alvarius Pelagius*, *Philippus Faber*, *Franciſcus Pitignanus*,

gnanus,

Digitized by Google

gnanus, *Baptiſta Mantuanus*, Carmelita, *Suarez*, *Vaſquez*, Theologi Salmanticenſes, *Cordua*, *Salmero*, *Marſilius*, alii. Extremo concluſiones quædam examinantur *Gabr. Saavedra*, ſibi non ſatis conſtantes. *Capite XIII* oſtenditur, contra leges prudentiæ ſuſcipi votum ſanguinarium, eidemque non patrocinari pietatem opinativam. Non mori peccati in Deum expertem, qui, hoc adactus voto, mortem oppetat. Quid ſit pie credere aliquid, ibidem diſtinctius aperitur. *Capite XIV* honorem intrinſecum diſcernit *Lampridius* ab opinativo, ſanctitatemque intrinſecam ab opinativa ſanctitate. Ad priorem refert incomparabilem maternitatis Dei prærogativam, virginitatem perpetuam, immunitatem a peccato omni actuali, humilitatem, caritatem, virtutesque alias; ad poſteriorem vero eam, de qua hic ſermo eſt, ſanctitatem, quam ſigillo veritatis ac certitudinis carere dicit. Loquitur poſtea de cultu opinativo, de pia credulitate, piaque perſuaſione. *Capite XV* ex hac cauſa improbatur votum ſanguinarium, quod veritatibus, divina fide donatis, adjungat opiniones hominum, quod ſit injurium in ſedem Apoſtolicam, in Eccleſiam etiam univerſam, amplius, quod doctrinam Eccleſiæ Romanæ & prudentiam riſui hoſtium exponat, quod grave illius pondus non ſatis a viventibus expendatur, quod ſit votum officioſum tantum, ac potius irriſorium. *Capite XVI* progreditur Autor ad rationes alias, & inprimis fruſtra promitti urget voti ſanguinarii patronis coronam martyrii, quo fit, ut ejusmodi generis martyres omnes non martyres fidei dicat, ſed martyres opinionis. Quæ etiam antea ab Autore ſcripta erant, quod ſedes Apoſtolica votum hoc in *Theoph. Raynaudo* non probaverit, ſed affirmantem eum voti integritatem ſilere juſſerit, latius jam contra *Parthenotimum* diſputantur. *Capite XVII* ea evolvitur quæſtio, utrum vitæ jacturam facere liceat, ne ſententiam de *Mariana* ſanctitate damnemus, quidque eo in caſu agendum. Hic caſum diſtingui duplicem, Autor jubet, quorum alter eſt, eligere velle interitum, ut aſſeramus, veram certamque eſſe eam ſententiam; alter, vitæ ſuæ jacturam facere potius, quam damnare eandem ut falſam & impiam. Hisque

præfultis,

Digitized by Google

præfultis, diſtincte ad ipſam quæſtionem reſpondet. *Capite XVIII* leviora nonnulla attingit crimina *Lampridius*, quæ ſibi queritur a *Parthenotimo* impacta. Ac, ne fruſtra videatur adverſario viſiones tribuere & ſomnia, ipſius ex verbis omnia evincit *Capite XIX*. Votum ſanguinarium, *Lampridius* docet, & Romæ inſuetum eſſe, & aliis in locis. Relinqui inde, exiſtimat, fruſtra ſe tueri adverſarium conſuetudinis titulo: Hiſpanis receptum eſſe hoc votum, nondum comprobari, ait, teſtibus fide dignis. Apud Siculorum perpaucos idem concipi, ipſe *Parthenotimus* teſtis eſt. Romanam Eccleſiam noſſe hanc conſuetudinem, *Parthenotimus* ſcripſerat, ſed, ſapientiores negare, regerit Noſter. Agitata erat a *Parthenotimo* quæſtio, utrum particula *uſque ad* ſanguinem ſubintelligatur in votis omnibus de tuenda immunitate Virginis. Quamobrem & eandem *Lampridius* indagat. *Capite XX Thomiſtica* examinatur de conceptione *Mariæ* ſententia. Locus *Gerſonii*, a *Parthenotimo* excitatus, huic opponitur. Producitur quæſtio, ab adverſario propoſita: Utrum Chriſtus pro filio Dei *naturali* habendus, atque utrum negativam eligens ſententiam liber ab hæreſi pronuntiari poſſit. Dicit de ea erudite *Lampridius*, & hiſtoriam refert certaminum, ob eandem ſubortorum. *Capite XXI* amoliri a ſe Autor noſter ſtudet cavillatoris notam, a *Parthenotimo* ſibi inuſtam. Cum quandam infallibilitatis ſpeciem Antagoniſta vindicaſſet Inquiſitioni Hiſpanæ, utrum id jure fieri poſſit, nec ne, quærit Noſter. Diluuntur alia, a *Parthenotimo* objecta. *Capite XXII* liberat ſe *Lampridius* ab aliis maculis, quas ei *Parthenotimus* adſperſerat, videlicet a confuſione, a crimine traductorum Doctorum Catholicorum & Theologorum Scholaſticorum, ut alia dimittamus. *Caput XXIII* alia ſuppeditat. Videlicet accuſarat *Lampridium* Antagoniſta, quod Theologis, voti ſanguinarii fautoribus, contradixerit. Verum commendat Noſter autoritatem Theologorum, quorum tamen omnes ſine diſcrimine certos ad veritatem duces eſſe, recte negat. Urget propoſitiones varias, ab *Alexandro VII*, *Innocentio XI*, & *Alexandro VIII*, proſcriptas, quarum autores ipſi Theologi fuerint. Plura Theologorum placita ſperni a ſapientioribus,

Digitized by Google

gnanus, *Baptiſta Mantuanus*, Carmelita, *Suarez*, *Vaſquez*, Theologi Salmanticenſes, *Cordua*, *Salmero*, *Marſilius*, alii. Extremo concluſiones quædam examinantur *Gabr. Saavedræ*, ſibi non ſatis conſtantes. *Capite XIII* oſtenditur, contra leges prudentiæ ſuſcipi votum ſanguinarium, eidemque non patrocinari pietatem opinativam. Non mori peccati in Deum expertem, qui, hoc adactus voto, mortem oppetat. Quid ſit pie credere aliquid, ibidem diſtinctius aperitur. *Capite XIV* honorem intrinſecum diſcernit *Lampridius* ab opinativo, ſanctitatemque intrinſecam ab opinativa ſanctitate. Ad priorem refert incomparabilem maternitatis Dei prærogativam, virginitatem perpetuam, immunitatem a peccato omni actuali, humilitatem, caritatem, virtutesque alias; ad poſteriorem vero eam, de qua hic ſermo eſt, ſanctitatem, quam ſigillo veritatis ac certitudinis carere dicit. Loquitur poſtea de cultu opinativo, de pia credulitate, piaque perſuaſione. *Capite XV* ex hac cauſa improbatur votum ſanguinarium, quod veritatibus, divina fide donatis, adjungat opiniones hominum, quod ſit injurium in ſedem Apoſtolicam, in Eccleſiam etiam univerſam, amplius, quod doctrinam Eccleſiæ Romanæ & prudentiam riſui hoſtium exponat, quod grave illius pondus non ſatis a viventibus expendatur, quod ſit votum officioſum tantum, ac potius irriſorium. *Capite XVI* progreditur Autor ad rationes alias, & inprimis fruſtra promitti urget voti ſanguinarii patronis coronam martyrii, quo fit, ut ejusmodi generis martyres omnes non martyres fidei dicat, ſed martyres opinionis. Quæ etiam antea ab Autore ſcripta erant, quod ſedes Apoſtolica votum hoc in *Theoph. Raynaudo* non probaverit, ſed affirmantem eum voti integritatem ſilere juſſerit, latius jam contra *Parthenotimum* diſputantur. *Capite XVII* ea evolvitur quæſtio, utrum vitæ jacturam facere liceat, ne ſententiam de *Mariana* ſanctitate damnemus, quidque eo in caſu agendum. Hic caſum diſtingui duplicem, Autor jubet, quorum alter eſt, eligere velle interitum, ut aſſeramus, veram certamque eſſe eam ſententiam; alter, vitæ ſuæ jacturam facere potius, quam damnare eandem ut falſam & impiam. Hisque

præfultis,

præfultis, diſtincte ad ipſam quæſtionem reſpondet. *Capite XVIII* leviora nonnulla attingit crimina *Lampridius*, quæ ſibi queritur a *Parthenotimo* impacta. Ac, ne fruſtra videatur adverſario viſiones tribuere & ſomnia, ipſius ex verbis omnia evincit *Capite XIX*. Votum ſanguinarium, *Lampridius* docet, & Romæ inſuetum eſſe, & aliis in locis. Relinqui inde, exiſtimat, fruſtra ſe tueri adverſarium conſuetudinis titulo: Hiſpanis receptum eſſe hoc votum, nondum comprobari, ait, teſtibus fide dignis. Apud Siculorum perpaucos idem concipi, ipſe *Parthenotimus* teſtis eſt. Romanam Eccleſiam noſſe hanc conſuetudinem, *Parthenotimus* ſcripſerat, ſed, ſapientiores negare, regerit Noſter. Agitata erat a *Parthenotimo* quæſtio, utrum particula *uſque ad* ſanguinem ſubintelligatur in votis omnibus de tuenda immunitate Virginis. Quamobrem & eandem *Lampridius* indagat. *Capite XX Thomiſtica* examinatur de conceptione *Mariæ* ſententia. Locus *Gerſonii*, a *Parthenotimo* excitatus, huic opponitur. Producitur quæſtio, ab adverſario propoſita: Utrum Chriſtus pro filio Dei *naturali* habendus, atque utrum negativam eligens ſententiam liber ab hæreſi pronuntiari poſſit. Dicit de ea erudite *Lampridius*, & hiſtoriam refert certaminum, ob eandem ſubortorum. *Capite XXI* amoliri a ſe Autor noſter ſtudet cavillatoris notam, a *Parthenotimo* ſibi inuſtam. Cum quandam infallibilitatis ſpeciem Antagoniſta vindicaſſet Inquiſitioni Hiſpanæ, utrum id jure fieri poſſit, nec ne, quærit Noſter. Diluuntur alia, a *Parthenotimo* objecta. *Capite XXII* liberat ſe *Lampridius* ab aliis maculis, quas ei *Parthenotimus* adſperſerat, videlicet a confuſione, a crimine traductorum Doctorum Catholicorum & Theologorum Scholaſticorum, ut alia dimittamus. *Caput XXIII* alia ſuppeditat. Videlicet accuſarat *Lampridium* Antagoniſta, quod Theologis, voti ſanguinarii fautoribus, contradixerit. Verum commendat Noſter autoritatem Theologorum, quorum tamen omnes ſine diſcrimine certos ad veritatem duces eſſe, recte negat. Urget propoſitiones varias, ab *Alexandro VII*, *Innocentio XI*, & *Alexandro VIII*, proſcriptas, quarum autores ipſi Theologi fuerint. Plura Theologorum placita ſperni a ſapientioribus,

B

Digitized by Google

pientioribus, ſubnectit, ob eamque cauſam provocat ad *Heteroclita Raynaudi*, ac *Diptycha Mariana*. Abſtinendum eſſe præcipit ab amore factionis & novitatis. Peccari etiam poſſe in extollendis prærogativis Deiparæ. *Capite XXIV* multo labore id agit Autor, ut demonſtret, peccati originalis debitum agnoviſſe in *Maria* omnes veterum, uſque ad A. 1615, a quo tamen debito incurrendo per ſingularem Dei providentiam fuerit præſervata. Non omnes *debitum* negaſſe ei, ſcribit, qui peccati originalis expertem eam dixerint. A. 1615 primum auditam fuiſſe theſin, Deiparam minime contraxiſſe *debitum* peccati originalis. Huic tamen adverſari Patres, *Clementem Alexandrinum*, *Tertullianum*, *Origenem*, *Dionyſium Alexandrinum*, *Hilarium*, *Ambroſium*, *Chryſoſtomum*, alios, quorum nubem excitat, præterea & pleroſque Theologorum. *Capite XXV* plura eandem in ſententiam diſputantur. Refert Noſter, civitatem Cuſentinam in Calabria adductam fuiſſe ad votum, de ea *debiti* excluſione, ſanguine defendenda, ſuſcipiendum. *Capite XXVI* ratio redditur, cur hic liber *de Superſtitione vitanda* inſcriptus fuerit, quam a ſententia adverſarii non alienam eſſe, recte judicat. Exſtimulat in fine omnes, ut pro immaculata Virginis conceptione certent, a voto vero ſanguinario abſtineant, donec quæſtio a Sede Apoſtolica dirimatur.

FERDINANDI VALDESII EPISTOLÆ, SIVE Appendix ad librum ANTONII LAMPRIDII *de Superſtitione vitanda, ubi, Votum ſanguinarium recte oppugnatum, male propugnatum, oſtenditur.*

Mediolani & Venetiis, apud Simonem Occhi, 1743, 4.
Alph. 1 plag. 7.

Scriptus hic liber pro *Lamindo* eſt, ejusdemque cauſam agit, quam ipſe in præcedente libro docte copioſeque peroravit. Repræſentantur in eo Epiſtolæ numero XVII, quas *Valdeſius* Neapoli exaravit, deditque ad D. *Gregorium Azevedum*,

Digitized by Google

vedum. In Præfatione, quam præmiſit Autor, ſubmonet, temere, & contra mentem Theologorum veterum ipſiusque Eccleſiæ, poſtremis temporibus culpæ originalis debitum a Deipara fuiſſe excluſum. Se igitur demonſtraturum eſſe, pollicetur, *certitudinem* deeſſe ſententiæ *Scotiſticæ*, eamque ob cauſam minime ferendum Votum ſanguinarium, ex vana certitudinis, nullis fulcris inſidentis, perſuaſione conceptum. Voti hujus gravitatem ex eo relinqui, judicat, quod ipſam hominum vitam attingat, quodque vergat tum in dedecus religionis, quæ pro opinionum tutela mori vetet, tum in detrimentum reipublicæ, quod promoveatur per mortem, ſine cauſa legitima oppetitam. Inde porro conficit, Siculos temere & ſine ratione voto ſe ſanguinario obſtringere. Multa igitur, imo pleraque, cum argumento libri prioris convenire, *Valdeſius* ipſe in Præfatione indicat, nec fieri aliter potuit, cum eadem objecta a quibusdam fuerint, quæ jam adverſus alios evicta erant, & ſub examen vocata. Quamobrem non eſt, ut copioſiori ſingularum Epiſtolarum recenſioni inhæreamus, quas potius Lectorum noſtrorum cuique, hujus controverſiæ interius noſcendæ cupido, maximopere commendamus.

MEMOIRES DE L' ACADEMIE ROYALE DE Chirurgie.
id eſt,

COMMENTARII ACADEMIÆ REGIÆ, ad excolendam Chirurgiam inſtitutæ.

Tomus I.

Pariſiis, apud Carol. Oſmont, 1743, 4.
Alph. 4 plag. 11, cum Fig. æn. 20.

Diu jam eſt, quod hunc librum avide exſpectant omnes ii, qui, ſive quod Chirurgorum Pariſienſium plures, rerum ſuarum ſatis intelligentes, vere cognoverunt, ſive quod & in hac manu medendi arte nihil ingenioſe excogitatum eſſe opinantur & utile, quod non ab extraneis, præcipueque Gallo Francis, proficiſcatur, eſſe ipſum permagnum aliquem theſaurum

Digitized by Google

utiliſſimarum obſervationum futurum, acute providebant. Qui an vere is ſit, quo & horum ſpes ſatis expleri, & magna de Chirurgis Pariſienſibus opinio confirmari, queat, ex illis ſpeciminibus patebit, quæ ex hoc ipſo libro afferemus. Quod antequam faciamus, fatendum eſt utique, longas illas & per ſe parum laudabiles Chirurgorum Medicorumque Pariſienſium lites hanc tamen utilitatem habuiſſe, ut illi, Rege Chriſtianiſſimo probante, ante tredecim circiter annos, in ſocietatem aliquam coirent; nempe ad hoc, ut, collatis exquiſitæ curæ obſervationibus, partim Medicorum accuſationes de ſe demolirentur, partim & re ipſa probarent, ſe, vel ſine Medicorum imperio, cum laude poſſe, ægrotantiumque fructu, ſuam artem exercere. Cum cujus ſocietatis laboribus ſi & nunc tanta utilitas conjuncta non ſit, quanta per tot annorum intervallum fortaſſis exſpectari poſſet, ſpes tamen non vana eſt, fore, ut ipſi porro ſtudioſe magis excolantur, & poliantur. Etſi enim, quicunque, juramento præſtito, Chirurgiam Pariſiis exercent, huic, quam vocant, Academiæ adſcripti ſunt, quod quis fortaſſe poſſet parum ad promovenda hæc ſtudia utile exiſtimare, tamen & exteros magni nominis Chirurgos, atque etiam Medicos, in hanc ſuam ſocietatem adſciverunt, quod, ut ſperamus, indigenarum partim diligentiam provocabit, partim & nimiam audaciam coercebit ac reprimet. Qui vero ſint, præter Pariſienſes Chirurgos, huic Academiæ adſcripti, ex Catalogo, huic libro præfixo, diſci poteſt. Curavit autem hujus *primi Tomi* editionem, Regique ſuo dedicavit, & Præfationem ſatis longam addidit, primus ex Regis Chriſtianiſſimi Chirurgis, *de la Peyronie*. In eaque Præfatione expoſitum invenitur, quantum cum obſervationes, tum etiam phyſica experimenta, ad perficiendam artem chirurgicam valeant. Neque ſufficere, ut ſuis quisque obſervationibus experimentiſque utatur, ſed oportere etiam, ut, quæcunque recens inventa ab aliis & excogitata ſint, plane cognita habeat. Prætereaque Chirurgiam parum promoveri hoc, quod quis in exercenda arte manu recte utatur, niſi & ea præcepta teneat, quibus & morbi remediorumque cognitio continetur. Poſſe autem perfectionem

nem artis quam maxime a ſocietate aliqua exſpectari, quæ, quod ſinguli & obſervarint & fecerint, colligat, idque ſic, ut Pariſienſi Academiæ propoſitum ſit, ad plures antiquorum ſententias vel confirmandas, vel corrigendas, adhibeat, aut etiam ad novas inde veritates deducendas. Jam, ut ad Commentationes ipſas accedamus, quarum in univerſum *octo* & *viginti* ſunt, prima, eaque longiſſima, de humorum vitiis eſt. Autorem Chirurgum habet, nomine *Quesnay*, qui duobus libris, quos ante aliquot annos in lucem emiſit, aliquam ſibi famam peperit. Diviſa eſt hæc tractatio ſic, ut in prima parte de impuritate humorum, quæ ex admiſtione heterogenearum particularum naſcitur, in altera de ſpontanea humorum corruptione, agatur, in tertia de imperfecta eorum elaboratione per vaſorum vitium, in quarta denique de omnis generis acrimoniis, ex tribus jam allegatis cauſis ortis. Primam partem, vel ipſe Autor fatetur, nihil fere novi continere. Tamen ſatis multa utilia continet hoc, quod, quæcunque ſunt a recentioribus de natura actioneque impuritatis humorum propoſita, vana inutiliaque eſſe, oſtenditur. Eos autem tutiſſime agere, qui, ad veterum exemplum, in curandis malis, ex impuritate humorum ortis, ſolam experientiam ſequantur. Cumque veteres omnia, etiam in humoribus, ad calidum, frigidum, ſiccum, & humidum, retulerint, de frigido recte affirmatur, probabiliorem veterum ſententiam eſſe, qui, id in actione aliqua conſiſtere, opinati ſunt, quam recentiorum, qui, frigus oriri, ponunt, ſi calor, qui ex motu particularum oritur, auferatur. Spontaneæ humorum corruptiones, de quibus in altera parte exponitur, fermentatio & putrefactio ſunt, quarum tres eſſe effectus, dicitur, contagium, malignitatem, & infectionem. Contagium, quod a putrefactione provenit, hoc loco non morborum, ſed ea motus ſpontanei communicatio, eſt, qua ſimilis motus in alio corpore excitatur. Cum vero illius contagii exemplum in Variolis, ex pure varioloſo, in venas recepto, ortis, illius in fermentatione per fermenti tantillum, maſſæ cuidam admixtum, excitata eſſe, Cl. *Quesnay* poſuerit; dubitamus utique, an ipſa ſatis clare diſtincta ſint. Malignitas partes præcipue organicas afficit, eoque

vel febres malignas, inflammatorias, convulſionesque, excitat, vel vitale principium tam graviter impugnat, ut vel mors brevi ſequatur, prætterquam quod corruptionis aliqua ſigna in corpore appareant. Denique, quod infectio ex cujuscunque putridæ materiæ miſcela cum noſtris humoribus proficiſci dicitur, videtur nobis neque hæc a contagio & malignitate, neque hæc tria a corruptione, quæ ante heterogenearum particularum admiſtionem conſequi ponebatur, recte diſtincta eſſe, ne dicamus, per malignitatis effectus ſolidorum vitia cum illis fluidorum confuſa fuiſſe. Inde ad fermentationis effectus progreſſus, poſtquam, ex ea acidam, vinoſam, & rancidam, corruptionem provenire, poſuit, hanc & maxime noxiam, & plurium, quam vulgo putetur, morborum cauſam, eſſe, non ſine aliqua probabilitate, exiſtimat. Cauſas vero ſpontanearum corruptionum quatuor numerat, quietem, humidum, aera, & calorem, ad quarum præcipue tertiam illuſtrandam permultæ obſervationes afferuntur. Sed omnes humores corporis humani non uno modo corrumpuntur; alia vitia chyloſi & gelatinoſi ſucci, & pinguia; alia ſanguis & lympha, alia excrementitii ſucci, contrahunt, quorum Cl. *Quesnay* plura accurata exempla adduxit. Porro per vaſorum ſive debilitatem, ſive robur nimium, ſucci vel crudi manent, vel pervertuntur, vel in conſiſtentia vitiantur. Ex iisque corruptionibus, quia iſta præcipue in febribus accidit, plura, ad coctionem & abſceſſus, ex febribus ortos, pertinentia, neque tamen ſatis clara atque diſtincta, vel a ſolidorum tantum vitio provenientia, afferuntur. Neque ſibi facile perſuaderi Medici patientur, vel nullas, vel parum utiles, diluentes & attenuantes medicinas haberi, ſcirrhosque non ex inſpiſſatione ſuccorum provenire. Secunda Commentatio *Petiti*, Chirurgi, eſt, eaque obſervationes de tumoribus continet, ex felle, in veſica retento, ortis, neque raro pro abſceſſibus jecinoris habitis. Qui ut poſſint a veſiculæ tumoribus diſtingui, in prima parte ſigna utriusque mali accurate expoſita ſunt. In altera comparatio inſtituta eſt inter bilis urinæque per calculos retentionem. Cumque urina ſibi ex veſica, interdum per abſceſſum, viam faciat, idem

etiam

Digitized by Google

etiam cum bile fieri, Cl. *Petitus* per obſervationes aliquot probavit, in quibus caſibus, cum veſicula fellis, ſive cum peritonæo, ſive, ex altera parte, cum inteſtino colo, quaſi concreta fuerit, bilis evacuari potuit, præterquam quod in ventrem effunderetur. Poſt hæc duas novas curationes propoſuit, alteram punctionem, alteram lithotomiam veſicæ biliariæ, quæ utræque cum fieri non niſi tunc poſſint, ubi veſica peritonæo adhæret, etiam ſigna hujus adhæſionis non neglexit adjicere. Tertio loco de modioli uſu in caſibus dubiis ſic agitur, ut, quando in his vel adhiberi, vel non, debeat, ex permultis obſervationibus oſtendatur. Cl. *Quesnay*, qui Autor hujus Commentarii eſt, exſcindendum cranium in omni fractura depresſioneque oſſis eſſe, exiſtimat, niſi in magna fractura partes internæ ſic pateant, ut facile ſit, omnem effuſum ſanguinem evocare. Contra, ſi cranium integrum inveniatur, ſymptomata, quæ inde conſequantur, ſola efficere poſſe, ut ad modioli uſum confugiamus. *Horum ſymptomatum* graviſſimum fere hoc eſt, quod ſenſus perduntur. De eo Cl. *Petitus* primum obſervaſſe dicitur, ſi ſtatim ab ictu oriatur, commotionis cerebri effectum eſſe, ſi aliquo tempore poſt, ſanguinis effuſi. Quæ obſervatio ut perpetua non eſt, quin etiam exempla habeantur, ejus ſymptomatis ictum excipientis, in quibus ex vaſis ruptis ſanguis effuſus erat, commotionis contra nullum ſignum inveniebatur; ſic jam olim a *Berengario* factam eſſe, in ejus de cranii fractura libro legi poteſt. Si cerebrum commotum fuit, trepani nulli utilitas eſt, maxima vero, ſi ſanguis effuſus. Quia vero utrumque accidere poteſt, quo fit, ut graviſſima illa *ſymptomata tempore non diſtingui queant*; cum, trepani indicationem dubiam eſſe, apparet, tum ad alia quoque ſigna advertendum. Minus ambigere Chirurgo licet de modioli applicatione, ſi ſclopetarium vulnus, etſi leve, eſt. Tertia obſervationum claſſis, quas Cl. *Quesnay* adducit, ad fixos ſenſimque increſcentes cranii dolores pertinet, qui poſt ictus cranio illatos curatosque remanent. Ex illis hoc ſequitur, ſufficere, ſi dolor in exteriore calvæ parte percipiatur, oſſis exfoliationem procurare, ſi vero dolor in interna lamina reſideat, ad

trepanum

trepanum confugiendam eſſe. His omnibus ſingulare utiliſſimumque examen de Obſervationum uſu ſubjectum eſt. Quartum locum *Petiti*, filii, tentamen de ſanguinis profuſione obtinet, cujus etſi ſex partes eſſe debuerint, hic tamen non niſi prima legitur, quæ obſervationes continet, de ſanguine, in imum ventrem effuſo. Ex his Cl. *Petitus* primo loco indicavit, ſanguinem, in ventrem effuſum, utplurimum per aliquem hypogaſtrii tumorem ſui indicium facere, ceterum poſt mortem fere ſemper inventum eſſe, unicam ſedem occupare. Sequuntur deinde aliæ obſervationes, ex quibus, & poſſe cerebrum, ſine periculo, magno aliquo vulnere patere, Cl. *Quesnay* probat, &, quando modiolum oporteat repetitis vicibus applicari, exponit. Hoc primum colligit neceſſe eſſe tunc, quando in ſuturarum regionibus plaga inflicta eſt, quia, ſi ab utroque latere ſanguis effuſus, & nexus duræ matris, qui ſolet cum ſuturis arctiſſimus eſſe, ictu ſolutus non eſſet, cranio in uno tantum ſuturæ latere aperto, malum omne non tolleretur. Suturas enim ipſas exſcindere, veterum recentiorumque fere nullus permittit. Eſſe tamen caſus, in quibus commune hoc præceptum negligere oporteat, & cogi Medicum poſſe, ubi cranium ſuper ſinus ſubjectos depreſſum eſt, ut ſuturis ipſis non parcat, luculentis aliquot exemplis probatur. Æque neceſſarium eſt, duram matrem pluribus locis patefacere, quoties vel ſanguinis modus magnus late effuſus eſt, vel oſſis magna pars fracta, quod eo minus timendum eſt, quo certius per plures obſervationes eſſe Cl. *Quesnay* docet, etiam integra cranii oſſa fracta, & ſine noxa ablata, fuiſſe. Neque tamen ſemper oportet totum quaſi os modiolo exſcindere, ſed ſufficit, ſæpe eum locum, ex quo longinque ſive ſanguis, ſive pus, provenire percipitur, unico foramine patefacere, quod recentiores contraaperturam nominant. Tertio loco etiam caries repetitum trepani uſum poſtulat, cujus ſingulare admodum exemplum affertur, jam olim a Cel. *de la Peyronie* obſervatum. Coactus fuit totum frontis os cum plana ethmoidei parte auferre, quod ubi duorum circiter menſium ſpatio factum fuerat, novæ quædam carnes ſuccreſcebant, ſed nimis lente propter magnum modum

Digitized by Google

modum crudi rodentisque humoris effluentis, qui non niſi vulnerariis liquoribus balneisque cedebat, quo affectæ partes aliquoties de die abluebantur. In alio ſimili caſu idem Chirurgus lixivium ex cineribus geniſtæ ſimilibusque cum fructu ſuperhabuit. His omnibus quarto loco aliqua de modo ſubjecta ſunt, quo aperturæ, trepano factæ, clauduntur, & quomodo cicatrix nimis mollis vel bracherii ſpecie, vel lamina argentea impoſita, aliterque quaſi indurari poſſit. Sequens Commentatio de ingenti femoris tumore eſt, qui poſt unius anni acutiſſimum, ac repente ortum, dolorem natus, poſt mortem tribus quaſi capſis comprehendi, ſedemque ſuam in ſolo perioſtio habere, inveniebatur. Ut, cujus naturæ in tumore contenti ſucci eſſent, conſtaret, Autor obſervationis ipſos per varia experimenta tentavit, ex quibus omnibus & gelatinoſæ & lymphaticæ naturæ eſſe apparuerunt. Poſt quæ etiam cum reſolventibus medicinis experimenta inſtituit, ex quibus etſi hoc colligat, non potuiſſe tumorem, niſi ſale ammoniaco, reſolvi, tamen & hujus medicinæ poſtremo morbi tempore ullum uſum futurum fuiſſe, negat. Tandem etiam conjicit, in tumoribus, qui ex albis humoribus orti, neque tamen ſcirrhoſi, ſint, ac diu incorrupti maneant, probabiliter gelatinoſos ſuccos, contra, ſi ſcirrhoſi fiant, lymphaticos, abundare, hosque adeo in glandulis reſidere, in quibus utplurimum ſcirrhi naſcuntur, ac plus periculi habere, lymphaticarum, quam gelatinoſarum, congeſtionum reſolutionem tentare, ſi vetuſtas acceſſerit. Hanc Commentationem alia excipit, qua Cl. *Quesnay* ex obſervationibus variis aliquot modos proponit, quibus exfoliatio cranii, ut accelerari, *ſic etiam evitari, poſſit*; quorum ut illi inprimis *Belloſtii* methodus, interdum & raſorium, forfex & modiolus, ſunt, ita hi in rara leviſſimaque vulneris deligatione quam maxime conſiſtunt. Ad capitis morbos etiam ſequens *Petiti* Commentatio pertinet, quæ partim judicia de elevatoriis, hactenus uſitatis, continet, partim novi deſcriptionem. Hujus duæ partes ſunt, elevatorium ipſum, quod cum vecte comparatur, & fulcrum arcuatum. In ſummo hujus fulcri cochleam mobilem fieri curavit, per quam vectis ita firmaretur, ut, ſuper

fixo manente fulcro, varie inclinari poſſet. Debent vero fulcra diverſæ, cochleæ ejusdem, magnitudinis eſſe, hoc, ut omnibus idem vectis, illud, ut, ſi magnæ fracturæ ſunt, fulcrum locis a ſe multum diſtantibus æque tuto imponi queat. Ex quibus, an hoc inſtrumento omnes difficultates ſublatæ ſint, quibus tripes, vel etiam *Hildani* elevatorium, premi creditur, an potius novæ quædam conjunctæ ſint, facile erit intelligere. De cerebri vulneribus ſequens Cl. *Quesnay* tractatio eſt, qua & poſſe cerebrum varias plagas ferre oſtenditur, &, quæ medicinæ earum curationi conveniant, declaratur. Quas in hunc finem obſervationes affert, aliæ confirmant hoc, poſſe omnes cerebri partes, ſolo calloſo corpore excepto, vulnera pati, abſcedere, atque exſcindi, imo & cerebellum interdum ſedem morbi eſſe, præterquam quod vita pereat, ex aliis vero, magnum ſemper cum cerebri vulneribus periculum conjunctum eſſe, conſequitur, quamvis hoc ſæpius a pluribus aliis ægri conditionibus pendeat, quam a læſione ipſa. His obſervationibus aliæ ſubjectæ ſunt, de curatione herniarum, quæ cum gangræna conjunctæ ſunt. Chirurgus Regis Galliarum, *de la Peyronie*, ad quem autorem hæ obſervationes pertinent, ut non ſolum vita ægri ſervari, verum etiam plagæ firma cicatrix induci, poſſit, hæc neceſſaria eſſe poſuit: 1) Inteſtinum non debere longius corruptum eſſe, quam ut commode extrahi e ventre queat; 2) neque debere in ullo alio loco apertum eſſe, ex quo vel chylus, vel fæces, in ventrem effundantur; 3) inteſtini corrupti extrema cum ad annulum ab interna parte, tum ad ſe invicem, ita adduci ac firmari debere, ut inter ſe æque ac cum annulo concreſcant. Utrumque Cl. *de la Peyronie* obtinuit hoc, quod filum per complicatum meſenterium transmiſit, eoque inteſtinum adduxit. Porro 4) præcipit ægro & pauca & facile digerenda alimenta dare, etiam longo tempore poſt, quam cicatrix inducta eſt. Nam, qui ægri ſe, ipſo morbi tempore, diætæ non ſatis adſtrinxerunt, vel morte pœnam dederunt medicis, quorum conſilia neglexerunt, vel admodum ſero ac difficulter ſanati ſunt, qui vero poſt vulnus curatum, illi vel ruptionem cicatricis experti ſunt, vel a frequentibus colicis

Digitized by Google

colicis doloribus male affecti. Hæ obſervationes a deſcriptione tumoris ſcirrhoſi excipiuntur, quem ante aſperam arteriam, prope ſternum, in nobili quadam fœmina quadragenaria, *Petitus* vidit, atque curavit. Eum neque ſcirrhoſum, neque dolentem, per ſex annos habuit. Poſt tam longum tempus ſubito vox exſtincta fuit, ſed pro tempeſtatis diverſitate, & prout vel calido, vel frigido, potu utebatur, ad minimum ex parte rediit. Poſt plura circumforaneorum tentamina, tumor in fœtidum ulcus mutabatur, & cum febri lenta multa alia mala ægram fere ad mortem deduxerunt. Cum ipſa paulo ante febri quartana laboraſſet, quam *Petitus* pariter ac vocis exſtinctionem inter luis venereæ ſymptomata refert, cumque & gonorrhœa & cancroſis tumoribus affecta fuiſſet, *Petitus* Mercurii uſum adhibuit. Quo ſalivæ fluxu excitato, & illa mala profligata fuerunt, & ulcus purgatum. Hoc tamen tarde proceſſit, vel propter hoc, quod cartilaginis aſperæ arteriæ exfoliatio fieri debebat. Eaque facta, cum apertura perfecte occludi non poſſet, *Petitus* laminam ex linteo carpto, ſolutioni ceræ & ſpermatis ceti calidæ intincto, paravit, quæ, ſuper aperturam circa collum firmata, integrum vocis uſum fœminæ reddidit. Duodecima Commentatio, quia gravidarum hæmorrhagias uteri exponit, ad artem obſtetriciam pertinet. Vult autem ejus Autor, nomine *Puzos*, ſatius eſſe, digitis in uteri orificium immiſſis, ſenſim dolores excitare, quibus partus expelli queat, quam ipſum digitis prehenſis extrahere. Cui ſententiæ ſuæ quamvis pondus addere hoc voluit, quod ex gravidis, uteri hæmorrhagiam expertis, plures mori poſuit, quibus partus extractus, quam vi dolorum expulſus, ſit, tamen, quod hoc obſervationibus firmare neglexit, videtur ſuæ ſententiæ parum proſpexiſſe. Ut enim concedamus, quando levior hæmorrhagia & uteri orificium perparum apertum eſt, ſatius eſſe, dolores provocare, quam, manu quaſi intruſa, gravidæ vim inferre, experti potius ſcimus, ubi ſanguinis quaſi effuſio eſt, vires gravidæ, a quibus dolorum efficacia pendet, omni momento imminui, eſſeque a natura nullum, ab arte omne, auxilium exſpectandum. Adhæc cum omnis uteri extenſio a

partu pendeat, ſuper quo exeunte, etiam uterus ſe abſque mora contrahere obſervatur, quæ cauſa eſt, cur hoc minus cito fiat, partu extracto, quam vi dolorum expulſo? aut quis non videt, ſi, quaſi oculi ictu, omnis ſanguinis fluxus ſiſteretur, eſſe hoc ſine dubio hunc effectum habiturum, ut gravida, ſicut in omni vacuatione ſubito ſuppreſſa, graviſſime lædatur? Fortaſſis autem Cl. *Puzos* hic non omnem immaturi partus extractionem vituperat, ſed quæ ſine debita cautione, & cum nimis violenta orificii uteri extenſione, fit, in quo ipſi omnes adſtipulabuntur. In decima tertia Commentatione Cl. *Petitus* obſervationes de aliquot ſpeciebus ani, in pueris recens natis, occluſi, affert, præcipue de hac, qua ſphincter in extremo concretus, & nullum ani veſtigium eſt. Ex quibus cum Cl. *Petitus*, difficillimum eſſe, cognoverit, anum ita occluſum obfirmatumque cum ſcalpello feliciter aperire, tum maxime apertum ſervare, novam ad hunc finem acum triquetram excogitavit, ſuper qua in locum inteſtini aperti demiſſa, ſcalpellum immitti poſſit, & ſphincter tuto recludi. Pueri vero, quorum hac methodo ſectorum exempla afferuntur, omnes mortui ſunt. Poſt hanc tractationem alia ſequitur de abſceſſibus, circa anum ortis. In hoc *Fagetus*, natu major, oſtendere annititur, debere non abſceſſus tantum, verum etiam inteſtinum, aperiri; clarumque ex eo exemplo eſſe videtur, quod allegavit, poſſe omnem propemodum ſphincterem ſectione auferri, præterquam quod fæces, etſi fluidiſſimæ, præter voluntatem emittantur. Huic Obſervationi amplus *Huſteti* Commentarius de calculis, ad veſicam adhæreſcentibus, ſubjectus eſt. Quod cum non uno modo fiat; Cl. *Huſtetus* quamplurimas obſervationes attulit, ex quibus hæc patent: 1) in veſica interdum cellulas & vacuas, & 2) calculos continentes, reperiri; 3) calculos etiam per fungoſam ſubſtantiam veſicæ adhærere, aut aliter quaſi adglutinatos eſſe; 4) eosdem, etſi ſæpe in ſinu, qui poſt ligamentum transverſum ureterum eſt, cujus deſcriptio Cl. *Morgagno* debetur, hæreant, tamen non raro etiam in anteriore veſicæ parte, & in ipſo ureterum orificio, retineri; 5) poſſe etiam capſas ſine noxa aperiri, modo eam ſedem habeant, ad quam & digitus,

Digitized by Google

gitus, & ſuper eo ſcalpellum, tuto demitti poſſit; 6) ſi calculi non membrana velati, ſed tantum accreti, ſint, utile eſſe ad ſuppurationem excitandam, idoneas medicinas in apertam veſicam conjicere. Ut *Huſtetus* etiam autoritate medentium confirmaret, calculos interdum vere ad veſicam adhærere, plures veteres recentioresque Medicos Chirurgosque excitavit, qui de hoc morbi genere locuti ſunt. In quo tamen & hoc dolemus, nomina & libros eorum, maxime qui Latine ſcripſerunt, hic æque negligenter, ac in omnibus fere reliquis Commentariis hujus *Voluminis*, adductos fuiſſe, & plures etiam omiſſos. Potuiſſent enim & hi facile addi: *Petrus Francus de Herniis Cap. XXXI pag.* 117, *Th. Williſius de Urinis*, *Theoph. Bonetus* in *Sepulchreto Lib. III Sect. XXXII Obſervat. IV*, *Chr. Lud. Roſæ* Diſſert. *de Calculo Veſicæ*, Argent. 1713, *Denyſius* in *Obſ. de Calculo Cap. V*, Cl. *Vaterus* in Diſſ. *de Obſerv. rariſſ. calculorum in corpore generationem illuſtrantibus*, Witteb. 1726, Cel. *Platnerus de Calculo ad veſicam adhæreſcente*, Lipſ. 1737, & Cl. *Teichmeyerus* in Diſſ. ejusdem argumenti, imo ex antiquiſſimis *Celſus Lib. VII Cap. 26.* Inter ea mala, quæ minus recte curatos morbos venereos conſequuntur, impedita etiam ſeminis emiſſio eſt. Ejus mali cauſas potiſſimum has eſſe, *de la Peyronie* deprehendit, directionem aperturæ utriusque vaſis ejaculatorii, per cicatricem, mutatam, ac tumores duros in corporibus cavernoſis reſidentes, a quibus etiam erectio membri ſic impeditur, ut in illud latus curvetur, a quo tumor percipitur. Etſi vero hujus vitii a Cel. *Aſtruccio* in libris de Morbis veneriis mentio facta eſt, tamen hæc nova eſſe obſervatio videtur, contra illos tumores, Mercurii uſum nihil valere, omne vero auxilium ab aquis Baregianis, etſi tum demum, exſpectandum eſſe, quando venereum virus per Mercurii uſum profligatum ſit. His impeditæ ſeminis emiſſionis cauſis Cl. *Petitus* hanc addidit, nempe urethræ anguſtationem per cicatrices. Eam, ſi magna atque dura cicatrix ſit, per ſectionem tolli, ſi levior, & glandi propinqua, ſit, per cereos ex linteo factos, & pulvere Sabinæ conſperſos, curari debere exiſtimat. Proximo loco Cl. *le Dran* obſervatio de Palpebra infe-

Digitized by Google

riore ſequitur, primum per male tractatam fiſtulam lachrymalem, deinde per tumorem, in ejus interna facie natum, inverſa. Huic morbo hanc medelam adhibuit, ut primum tumorem tolleret, deinde vero novo & triangulari vulnere in angulo majori facto, & oras plagæ, & nimium diſtantes palpebras, ſutura facta, conjungeret, cui utrique curationi ſucceſſus reſpondit. Hanc obſervationem ampliſſimus *Hevini* Comentarius excipit, de variis rebus ſive in ſtomachum, ſive in aſperam arteriam, delapſis, deque variis eas educendi modis. Ex iis, quæ in œſophago hærent, cum aliæ dimoveri, aliæ non poſſint, illas vel in ventriculum detrudere oportet, vel apto inſtrumento protrahere. Quæ tuto detrudi poſſunt, debent ejus naturæ eſſe, ut ventriculum & inteſtina non lædant, ex quo patet, debere ipſas leves atque æquales, ac, ſi duræ ſint, rotundæ figuræ, eſſe. Solent tamen & levia corpora non ſine noxa deorſum urgeri, ſi nimis magna, vel ejus naturæ, ſunt, ut pylorum aut inteſtina obturent, aut corrupta in his viis, putredine noceant. Cum vero hæc poſſint ſumme noxia eſſe, *Hevinus* recte jubet, ipſa pariter ac ea omnia protrahere, quæ, quod acuta, angularia, & ſecantia, ſunt, eo certius ventriculum & inteſtina lædere debent, neque addere neglexit hoc, Chirurgos ſibi cavere debere, ne, quando ipſa extrahere volunt, œſophagum lædant. Hinc primum inter media, quibus Chirurgi ad protrahendum peregrina corpora, utuntur, digitos & breves forcipes, uncos, annulos, ac ſpongiam, deque hujus uſu novas aliquas utilesque obſervationes, proponit. Spongia enim, ut commode, vel infra peregrinum corpus, demitti poſſit, debet parva & quaſi contracta eſſe, utque per eam corpus peregrinum extrahatur, in œſophago dilatari. Quis ergo *Hevinum* non laudet, quod ſpongiam ſive tenuiſſima quadam pelle involvere, ſive ſerico filo ita conſtringere, docet, ut, ubi ad deſtinatum locum delata eſt, & pellis & filum laxari poſſit, ſpongiæque, ut ſe dilatare queat, permitti? Altera *Hevini* obſervatio ad fila pertinet, quibus ſpongia firmari ſolet, quæ, cum putrefacta facile rumpi poſſint, ſpongiaque in ventriculum deferri, Cl. *Hevinus* ex argento facere præcipit. Ut vero hæc

media

Digitized by Google

media tuta ſatisque certa eſſe; ita tuſſim, ſternutationem, vomitum, aliaque, quibus olim uti conſueverunt, prorſus incerta eſſe, recte affirmat. Tamen & his, & illis, protrahere ſæpe ea corpora non licet, quæ propter metum læſionis ventriculi & inteſtinorum, etſi poſſint, detrudi tamen non debent. In quo caſu quid faciendum ſit, *Hevinus* per obſervationes expoſuit. Ex quibus cum gravius malum ſequi cognoſcatur, ſi peregrina corpora in œſophago hærent, quam ſi in ventriculum deferuntur; nemo facile *Hevino* ſeſe opponet, qui ea detrudere jubet, imo laudabit potius de hoc, quod, quibus ita detruſa corpora vel cito propelli, vel ad anum delata eximi, queant, quæque ad hæc utiliſſima auxilia ſint, indicavit. Quarta hujus Commentarii pars plures obſervationes de ejusmodi corporibus continet, quæ cum neque protrahi, aut detrudi, neque detruſa cum fæcibus reddi, potuerint, ſibi vel vario modo viam fecerunt, vel poſt mortem in remotis etiam corporis locis inventa ſunt. Quarum obſervationum ut plurimas in dubias vocemus, etſi permultum abeſt, tamen non omnes fidem mereri, eo minus affirmare dubitamus, quo certius eſt, plura deeſſe, quæ poſſunt, ut mira quædam hiſtoria pro vera habeatur, efficere. His obſervationibus quædam ſubjuncta ſunt de bronchotomia in hunc finem facta, ut, quæ in aſperam arteriam delapſa ſunt, extrahantur. Eamque, ex allatis exemplis patet, etiam ſic fieri interdum debere, ut aſpera arteria longa ſectione patefiat. Longe audacius *Hevini* conſilium de ipſo ventriculo inteſtinisque aperiendis eſt. Tamen operam dedit, ut multis, etiam novis, obſervationibus de vulneribus earum partium ſanatis, hanc ſuam ſententiam corroboraret. Superiore aliquo loco vidimus, Cl. *Petitum* de eo infantum recens natorum vitio obſervationes propoſuiſſe, quod anum clauſum nominant. Alius eorum, ſi non æque periculoſus, tamen moleſtus, morbus eſt, qui labrum leporinum nominatur. De hoc obſervationes aliquot Cl. *de la Faye* dedit, ſic, ut ſimul, quo modo corrigi hoc vitium deberet, expoſuerit. Is, etſi labra a nativitate fiſſa, utplurimum cum palati oſſei mobilisque diviſione conjuncta ſunt tamen ab eo, quo ad aliud

quod-

quodcunque labium leporinum curandum utimur, parum diverſus eſt, niſi vel dentes, vel oſſis aliqua pars, promineat, quæ, cum orarum vulneris unionem impediunt, tolli oportet. Hoc enim Autori per varias obſervationes conſtitit, quas eodem hoc loco allegavit, labio unito, etiam os ſenſim jungi, palatumque undique clauſum atque æquale fieri. Alia inde obſervatio Cl. *Petiti* ſequitur de fiſtula in perinæo, quæ ex neglecta leviore urinæ retentione orta eſt. Poſtquam ipſa bis, ſed ſine fructu, ab aliis ſecta fuerat, atque *Petitus* in ægro ſigna luis venereæ ſe inveniſſe opinabatur, recte Mercurii uſum adhibebat ante, quam tertiam ſectionem tentabat. Eo vero & venereum virus tollebatur, & callus fiſtulæ magnam partem quaſi ſolutus eſſe reperiebatur. Hinc, ubi ſectio facienda erat, eam uſque ad corpus veſicæ, ultra collum hujus viſceris, extendebat, quod tam alto loco orificium fiſtulæ eſſe debere, ex perpetua & involuntaria urinæ per fiſtulam excretione certiſſime cognoverat. Quo cum ægrum priſtinæ ſanitati reſtitutum fuiſſe dicat, vere inde collegiſſe videtur, niſi fiſtula & intus pateſiat, etiam a ſectione nullum auxilium exſpectari debere. Huic obſervationi *Simonis* diſquiſitiones de partu Cæſareo in matre viva, ſubjectæ ſunt. Earumque prior pars hiſtoriam hujus operationis & argumenta continet, quæ, poſſe hanc ſectionem inſtitui, evincunt, in altera, quando ad eam confugere oporteat, olim declarabitur. Cl. *Simon* antiquiora hujus partus exempla, ſi a *Julio Cæſare* receſſeris, quam quæ a *Bauhino* data fuerunt, reperire non potuit. Quæ cum nemo fortaſſis neſciat, tamen plura ſcripta allegat, quibus ſe multi *Rouſſeti* auſibus oppoſuerunt, quosve *Rouſſetus* ad ſuam ſententiam tuendam edidit, & quorum cognitio videtur ad exteros vix perveniſſe. Qui hanc operationem vituperarunt, ex his inprimis *Pareus* eſt, *Guillemau*, & *Marchant*. *Rouſſetus*, præter Apologiam, quæ A. 1590 prodiit, eodem anno aleram Latinam, noviſque exemplis auctiorem, ſui libri editionem paravit, cujus an ullus eorum, qui de libris medicis ſcripſerunt, clare mentionem fecerit, dubitamus. Adhæc *Lindenius* forte aliique errorem commiſerunt hoc, quod *Theoph. Raynaldi* librum

de

Digitized by Google

de ortu infantium contra naturam A. 1647 prodiiſſe ſcripſerunt. Quæ enim editio a Cl. *Simone* allegatur, A. 1637 parata eſt. Ex his libris nova quædam, aut potius parum cognita, exempla collegit, quæ tamen minus notatu digna ſunt, quam octo alia prorſus nova, quorum aliqua ad minimum accurate expoſuit, præter hoc unum, quod, quæ ſint, ſectione facta, in deliganda plaga obſervata, omiſit. Proximo loco methodi *Fulbertianæ* calculum ſecandi expoſitio legitur. *Fulbertus*, poſtquam & *Celſi* & *Albucaſis* loca, *Meryi*que obſervationes de partibus, a fratre *Jacobo* ſectis, adduxit, prima ſua tentamina refert, quæ A. 1727 in cadavere fecit, & quæ ipſum facile docuerunt, ſi ſatis longus ſcalpellus ſuper acu triquetra adhiberetur, ſolis muſculis triangulari, ac levatore ani, & pubis ligamento, præter integumenta, ex parte ſectis, veſicam a latere colli, ſuper, aut potius ante, ureteris inſertionem, tantum pateſieri, quantum ad calculum protrahendum requiritur. In vivo ſe A. 1731 demum ſcribit hanc novam curandi viam iniiſſe. Quam, cum eadem ſit, quæ ante octo fere annos a Cl. *Keſſelringio*, & ante ſex circiter annos, a Profeſſore noſtro *Günzio*, expoſita fuit, repetere hic non volumus. Maximum fere incommodum, quod cum hac medendi ratione conjunctum eſt, a veſicæ repletione provenit; igitur de hoc leniendo Cl. *Fulbertus* inprimis ſollicitus fuit. Si æger urinam retineat, quod non ſine ratione optimum eſſe exiſtimat, vel altera manu hypogaſtrio illius impoſita, alterius vero digitis in anum immiſſis, vel ex modo urinæ, quam æger poſt longiſſimam retentionem mittit, dijudicandum eſſe proponit, an veſica ſatis diſtenta ſit. *Sufficere vero*, ſi unum alterumque urinæ calicem continere poſſit. Quem cognoſcendi modum, metuimus, ut multi tutum eſſe certumque credant, quia, non omnis urinæ eandem menſuram in veſica retineri poſſe, nemini ignotum eſt. Alia duo incommoda ſunt, quæ *Fulbertianam* methodum conſequuntur. Horum alterum, quod ſcilicet gangrænoſi abſceſſus in vulnere oriantur, ſe ultimis temporibus hoc evitaſſe ſcribit, quod cannulam flexilem, ex argento factam, vulneri imponeret, ad alterum vero tollendum, quod in

Digitized by Google

infimo levatoris ac triangularis muſculi fibrarum faſciculo conſiſtit, qui ſe magnorum calculorum extractioni opponit, ſcalpellum curvum, & globulo in apice munitum, excogitavit, quo inter forcipis laminas demiſſo, ille fibrarum faſciculus diſcindi poſſit. Sequenti tractationi, quæ *Fagetum* Autorem habet, tumor cancroſus occaſionem dedit, quem ex mamma virginis, quadraginta circiter annorum, exſcidit. Examinatus tumor apparuit lymphaticus eſſe, & reſolventibus medicinis vinci non poſſe. Brevis, ſed utilis, eſt ſequens Cel. *de la Peyronie* obſervatio, quam in hernioſo fecit. Is, cum caſu aliquo inteſtini devoluti conſtrictionem experiretur, durities quidem tumoris idoneis medicinis ita cedebat, ut reponi poſſet, ſymptomata vero omnia adeo augebantur, ut brevi poſt moreretur. Ventre inde aperto, inteſtinum fuit per epiploi in ſuperiore annuli parte adhæſionem conſtrictum inventum. Poſt hanc obſervationem tabula ſequitur, quæ bracherii elaſtici ſpeciem repræſentat, a Cl. *de Launay* excogitatam, ſed figura præcipue directioneque parum ad continendas hernias aptam. De herniis deinde, quæ minus notæ ſunt, longior *Garengeoti* Commentatio ſequitur. Hæ herniæ ſunt, primo ventriculi a latere cartilaginis xiphoideæ, ſecundo inteſtini in vaginam uteri, tertio ejusdem per foramen ovale pubis devoluti. Quæ partim non novæ ſunt, partim quoque ita deſcriptæ inveniuntur, ut multa & contradici poſſent, ſi locus permitteret, & magna illa de anatomica ſcientia opinio, qua ranæ Æſopiæ ad modum inflatus Autor eſt, comprimi. Poſtrema obſervatio *Fulberti* eſt. Eamque in homine triginta circiter annorum fecit, qui, poſtquam pectoris aliquo interno morbo male curatus erat, ſputo ſanguineo cum tuſſi ac febre quaſi continua laboravit, tandemque in dextro latere inter cartilaginem enſiformem & ſeptimæ octavæque coſtæ cartilaginem, tumorem percepit, qui inter tuſſiendum eminentior fiebat. Eum *Fulbertus* poſt mortem invenit pulmonis undique adnati abſceſſum eſſe, quales, ſi ægri vires permittant, ſectione aperiri, & ſanitatem reſtitui, poſſe exiſtimat. In tabulis adjectis elevatorium *Petiti*, veſicæ aliquot cum calculis membranæ incluſis,

vitia,

Digitized by Google

vitia, ſeminis emiſſionem impedientia, palpebræ inferioris inverſio; inſtrumenta aliquot *Petiti* ad corpora peregrina ex œſophago protrahenda, labium leporinum peculiaris figuræ, in infante quatuor annorum, inteſtini per omenti ac peritonæi coalitionem conſtrictio, & bracherium *de Launay*, exhibentur. Omnium utiliſſimæ illæ ſunt, quæ ad *Fouberti* Commentarium de calculi curatione pertinent, & quæ, præter inſtrumenta, potiſſimum partes ante oculos ponunt, quæ in hac curandi ratione diſcindi debent.

THEORIA MOTUUM PLANETARUM ET COMETARUM, continens methodum facilem, ex aliquot obſervationibus Orbitas cum Planetarum, tum Cometarum, determinandi; Autore LEONHARDO EULERO.

Berolini, ſumtibus Ambroſii Haude, 1744, 4.
Alph. 1, Tab. æn. 4.

Poſtquam ſtudio eximii *Newtoni* explicatæ ſunt leges, ſecundum quas motus cum Planetarum, tum Cometarum, in ſyſtemate noſtro diriguntur; conjunctis viribus deſudarunt ſummi tam Geometræ, quam Aſtronomi, illi quidem in eo, ut ex principiis geometricis atque analyticis perfectam virium centripetarum atque motuum, exinde conſequentium, theoriam conderent; hi vero in eo, ut theoriam hanc cum ipſis motuum cœleſtium phænomenis compararent, atque mirabilem inter duo iſta conſenſum, qui illam magis magisque extra *omne dubium* ponit, elicerent. Quamvis autem, quod quidem Planetarum motum attinet, ope theoriæ hujus, cum innumeris obſervationibus conjunctæ, res ad tantum perfectionis gradum deducta ſit, ut omnia, huc pertinentia, & ſatis facile, & perquam exacte, computari poſſint; tamen, in motu Cometarum, iſtius theoriæ adjumento, perficiendo permultas atque in Planetis haud obvias difficultates ſeſe manifeſtare, nemo eſt in Aſtronomicis vel paululum verſatus, qui ignoret. Hiſce impedimentis remedium afferre annisi ſunt permulti, atque

Digitized by Google

que inter hos præclari viri; alii quidem, rigorem conſervare conantes, methodos dederunt valde intricatas, atque in exequendo operoſiſſimas, ita, ut quivis enormem calculi moleſtiam abhorreat; alii contra his deterriti, approximationibus contenti fuerunt, & rem, fictionibus pluribus aſſumtis, exequi tentarunt, ſed quæ via vel prorſus ſecum eandem fert moleſtiam, ſi exacti quid deſideretur, vel admodum eſt incerta atque lubrica. Equidem methodus maxime naturalis eſſet pure analytica, qualem in aliis vel maxime intricatis Problematibus cum ſucceſſu adhiberi conſtat. Cum enim elementa illa, quæ ad determinandam Cometæ orbitam requiruntur, ſpectari poſſint ceu totidem incognitæ; ſi ex aſſumtis iſtis incognitis determinarentur loca aliquot Cometæ obſervata, haberentur totidem æquationes, ex quibus ipſæ incognitæ reperiri poſſe videntur. Sed, hac via rem aggrediendo, deveniretur ad æquationes, ex quibus tot incognitas invicem permixtas elicere, intellectus humani vim prorſus ſuperare videatur. His perpenſis, quilibet perſpicit, methodum optimam atque maxime expeditam reſtare eam, quæ rem ope Analyſeos eo deducat, ut, una tantum fictione adhibita, omnes illæ incognitæ exinde determinari poſſint. Hoc vero primus feliciſſime executus eſt Celeberrimus hujus Tractatus Autor, de cujus in rem mathematicam meritis præſtat ſilere, quam pauca dicere. Is quidem theoriam motuum cœleſtium ope Analyſeos aggreſſus jam eſt in incomparabili *Mechanices* opere, & in *Commentar. Petrop. Tomo VII*, atque, quod Cometas ſpectat, in *Miſcellan. Berolinenſ. Tomo VII*; nunc vero non ſolum, quod præcipuum eſt, Cometarum theoriam inſigniter perfecit, ſed etiam ob horum cum Planetis affinitatem, præcipua, ad Planetarum theoriam ſpectantia, ſimul addidit. Nimirum, poſita ea lege, qua corpora omnia in hoc ſyſtemate ſolari tendunt ad Solem viribus, quæ ſunt in reciproca duplicata diſtantiarum, clarum eſt, omnes Sectionum Conicarum ſpecies poſſe deſcribi; ideoque Planetas a Cometis tantum in eo differre, quod illi deſcribant Ellipſes, haud multum a circulis abludentes, hi vero Ellipſes valde excentricas, imo Parabolas, vel Hyperbolas. Igitur utri-

que

quæ eadem theoria comprehendi poterunt, ſi anomalia vera generatim computetur a Perihelio (cum id in Planetis communiter ab Aphelio fiat,) atque pro anomalia media adhibeatur ipſum tempus verum a Perihelio. Ut vero diſtincte pateat, ad quænam quæſita in theoria hac perficienda potiſſimum reſpiciendum ſit, attendendum eſt, duo requiri, alterum, *determinationem Orbitæ* Planetæ, vel Cometæ, alterum, *inventionem motus* in hac Orbita. Primum quidem ſex primaria depoſcit elementa: 1) requiritur diſtantia Perihelii a Sole; 2) latus rectum Orbitæ, quibus duobus ipſa Orbita ſpecie datur; ut jam referatur hæc ad Eclipticam, quæritur 3) interſectio plani utriusque, ſeu linea nodorum; & 4) inclinatio Orbitæ ad Eclipticam; nec non in ipſa Orbita 5) diſtantia lineæ nodorum a Perihelio; & denique, ut locus quivis in Orbita ad tempus referri poſſit, 6) momentum, quo ſidus verſatur in Perihelio. Hiſce ſex primariis elementis pro Orbita ſideris datis, ipſe motus in ea determinabitur, ſi pro tempore quovis inveniatur tum angulus ad Solem inter Perihelium & ſidus, ſeu anomalia vera, tum diſtantia ſideris a Sole. His præmiſſis, licebit nunc ideam diſtinctam ſibi formare de methodo, qua Cel. Autor utitur, quamque ita explicabimus, ut, in quo totius rei cardo vertatur, poſſit haud difficulter perſpici.

Problemate igitur *I* oſtendit, quomodo, data area, quam ſidus dato tempore circa Solem deſcripſit, inveniatur latus rectum Orbitæ, quod quidem ex aſſumta Terræ diſtantia a Sole media = 100000, & tempore ejus periodico, fiet, ope legis, quæ in ſyſtemate noſtro obtinet, vi cujus latera recta ſunt *in compoſita ratione* ex duplicata arearum directa & duplicata temporum inverſa. Dein *Probl. II* docet, quænam in Sectione conica, cujus diſtantia verticis a foco & latus rectum dantur, ſit relatio inter diſtantiam cujusvis puncti a foco, & angulum cum vertice, ſeu anomaliam veram. Hujus ope conficitur Analyſis *Probl. III*, quo, dato Orbitæ latere recto, ex datis duabus ſideris a Sole, ſeu foco, diſtantiis & angulo incluſo, quæritur ipſa Orbita poſitione. Cum enim hic ſint duæ incognitæ, diſtantia Perihelii, ſeu verticis, a Sole, & poſitio ejus,

 ſeu

Digitized by Google

ſeu angulus, quem cum una datarum rectarum facit; patet ex *Probl.* præc. propter data duo loca fieri poſſe duas æquationes, ex quibus incognitæ more ſolito determinantur. Sequens *Probl. IV* pertinet ad motum in orbita data, cujus inventio ipſi Orbitæ inventioni quammaxime inſervit. Oſtendit nempe pro data quavis anomalia vera invenire tempus, quo ipſa conficitur; quod cum ab area pendeat, facile patet, ejus expreſſionem in Parabola eſſe algebraicam, in Ellipſi ad Quadraturam Circuli, ſeu reſolutionem angularem, in Hyperbola ad Logarithmos, redire. Pro caſu primo adjecta eſt in fine Tabula motus in Parabola, pro duobus reliquis oſtenduntur modi in praxi faciliores. Jam *Probl. V* docet ex datis duabus diſtantiis a Sole, & angulo incluſo, qui debet eſſe haud adeo magnus, nec non tempore, quo ſpatium interjacens deſcriptum eſt, invenire quam proxime aream incluſam, atque per *Probl. I* latus rectum Orbitæ; unde porro ope *Probl. III* dabitur Perihelii a Sole diſtantia atque poſitio, hinc ipſa Orbita. Simul etiam ex *Probl. IV* datur tempus, quo angulus inter Perihelium & unum datorum locorum deſcribi poteſt, ideoque ipſum momentum, quo ſidus in Perihelio verſatum eſt. Tempus autem illud, quod ex *Probl. IV* determinatur, ita comparatum eſt, ut, ſi Orbita ſit Parabola, ipſum etiam exacte & algebraice definiri poſſit; ſin autem Orbita tantum proxime ad Parabolam accedat, tum expreſſio ejus, vel per ſinus, vel per logarithmos, facta, commiſſo errore minimo, quam maxime a vero aberrare poſſit. Huic incommodo occurrit *Probl. VI*, quod in Orbita elliptica, vel hyperbolica, Parabolæ proxima, ex data anomalia vera tempus definire docet; idque per ſeriem infinitam quidem, ſed valde convergentem. Solvit deinde Cel. Autor Problema converſum, atque pro motu Planetæ, vel Cometæ, definiendo ſumme neceſſarium, quo nempe pro dato tempore anomalia vera quæritur, idque tribus ſequentibus. Igitur *Probl. VII* docet in Orbita vel Parabolica, vel Parabolæ proxima, pro dato tempore anomaliam veram, atque ope *Probl. II* diſtantiam a Sole, aſſignare; quod in caſu priori fit ex *Probl. IV* per reſolutionem æquationis cubicæ,

bicæ, in poſteriori vero per reverſionem ſeriei *Probl.* præced. In *Probl.* vero *VIII* & *IX* idem expeditur pro Ellipſi & Hyperbola quavis, per converſionem formularum *Probl. IV* inventarum. Sequens *Probl. X* oſtendit, quomodo, datis duobus ſideris locis, a ſe invicem non multum remotis, & tempore, quo ſpatium interjacens confectum eſt, inveniatur locus ejus pro tempore quovis intermedio quam proxime; dum nempe ex natura virium centripetarum, & ex comparatione cum motu terræ, definitur ſagitta, quam in loco medio ex vi centripeta Solem verſus deſcripſit; idque eo propius vero, quo magis intervalla temporum inter locum medium duosque extremos ad æqualitatem accedunt.

Hiſce *Problematibus*, tanquam principiis, præmiſſis, aggreditur Cel. Autor duo *Problemata* primaria, atque methodum hanc peculiarem inprimis abſolventia. Igitur *Probl. XI* docet, ex datis tribus Planetæ, vel Cometæ, locis geocentricis, a ſe invicem non nimis remotis, ſi inſuper cognita ſit diſtantia ejus vera a Terra in loco e tribus illis medio, definire omnia illa elementa, quæ ad Orbitam determinandam requiri, ſupra monuimus. Nempe ex datis invenitur pro loco medio diſtantia ſideris a Sole; hinc, cum ex *Probl. X* detur ſagitta inter orbitam & chordam intercepta, dantur exinde duo reliqua loca ad planum Eclipticæ reducta, atque inde 1) linea nodorum, & 2) inclinatio Orbitæ ad Eclipticam; nec non duæ diſtantiæ a Sole in locis reliquis, & angulus ab iis incluſus; ex his vero ope *Probl. V* datur 3) latus rectum Orbitæ, & 4) Perihelii diſtantia a Sole, ejusque 5) angulus cum linea nodorum, item ex hoc & *Probl. IV* 6) momentum, quo ſidus per Perihelium tranſiit. Jam vero in *Probl. XII* Orbita cujusvis Cometæ ex obſervationibus aliquot per unius tantum rei fictionem ſequenti modo determinabitur: Sumantur tres obſervationes, non nimis a ſe invicem remotæ, & fingatur pro lubitu diſtantia Cometæ a Terra in loco medio, unde per *Probl.* præc. tota Orbita determinabitur. Jam, ut tentetur, an illa ſit exacta, ſumatur Obſervatio, ab illis maxime remota, & ope *Probl. VII, VIII, IX,* computetur in Orbita modo inventa ad hoc tempus

pus locus Cometæ, qui, ſi cum obſervato congruat, orbita erit juſta. Si vero non congruat, fingenda erit alia diſtantia in loco medio, &, reſumendo opus ſimili modo, vel vera eruetur Orbita, vel ſaltem ſatis prope ad eam accedetur, ita ut dein interpolatio in uſum vocari poſſit, atque tandem habeatur quæſitum.

Hac itaque theoria explicata, exemplis eam Cel. Autor illuſtrat. Primum Cometa ille famoſus anni 1680 præbet, de cujus Orbita ſummi viri, *Newtonus* & *Hallejus*, laborarunt; quorum etiam obſervationes adhibens, Orbitam invenit ab illorum quidem determinationibus paululum abludentem, quod vero haud adeo mirum eſſe poteſt, cum *Newtonus* tantum conſtructione geometrica uſus ſit, *Hallejus* autem calculo quidem arithmetico, ſed tamen retentis præcipuis *Newtoni* elementis, rem executus ſit. Ceterum ex Orbita Autoris noſtri prodit tempus periodicum 170 annorum. Secundum exemplum Cometam nuperrimum anni 1744 reſpicit, cujus Orbita determinatur ex obſervationibus Pariſiis miſſis, ſed quæ emendatior in *Additamento* ſequenti exhibetur.

Additamentum hoc, quod ſuperiori tractationi jam abſolutæ acceſſit, continet adhuc quædam, ad theoriam præcedentem magis perficiendam apprime utilia. Nimirum methodus præcedens quidem Orbitam Cometæ proxime invenire docet, ſed, cum propter approximationes plures, in Problematibus præcedentibus uſurpatas, pro accurata nondum haberi queat, neceſſario requiritur, ut jam inventa Orbita ope plurium obſervationum denuo corrigatur. Huic vero correctioni illa methodus haud adeo inſervire poteſt, cum ſemper requirat tria tantum loca proxima, ita, ut multæ & a ſe invicem remotæ obſervationes ſubſidium, ab ipſis tamen merito ſperandum, afferre nequeant; cui accedit, quod etiam per ſe valde ſit operoſa. Addit igitur Cel. Autor novam methodum, qua Orbita ope præcedentis circiter cognita corrigi, atque, quantum lubet, exactiſſime aſſignari, poteſt. Hoc autem fit aſſumendo lineam nodorum Orbitæ, & inclinationem ad Eclipticam, tanquam prope cognitas, atque ex iis reliqua definiendo.

niendo. Itaque *Probl. I* ex datis linea nodorum & inclinatione ad Eclipticam, ex quovis loco geocentrico docet invenire locum heliocentricum & diſtantiam a Sole. Hujus ope in *Probl. II*. ex datis tribus obſervationibus, ſi quidem nodus & inclinatio ſint cognita, inveniri poſſunt omnia, ad Cometæ Orbitam pertinentia. Nam per præc. inveniuntur tria loca heliocentrica & diſtantiæ a Sole; unde ope trium æquationum eliciuntur tres incognitæ, nempe latus rectum, perihelii a Sole diſtantia, ejusque poſitio; unde ex data hac Orbita ope *Probl. IV* & *VI* computari poſſunt tria tempora a Perihelio ad tria loca data, ideoque duo intervalla temporum inter tres obſervationes. His præmiſſis, poterit nunc Orbita prope inventa corrigi methodo ſequenti: Ex methodo priori inveniatur proxime linea nodorum & inclinatio ad Eclipticam; ſumtis nunc tribus obſervationibus quibusvis, computentur per *Probl.* præc. duo temporum intervalla inter eas, quæ ſi cum obſervatis congruunt, Orbita erit *juſte* aſſignata; ſin minus, in *Probl. III* docetur, quomodo ex ipſa aberrationum quantitate poſſint veri valores pro linea nodorum & inclinatione inveniri, atque ita per *Probl.* præc. omnia, ad theoriam Cometæ ſpectantia, quam exactiſſime determinari.

Poſteriorem methodum adhibet exempli loco ad Orbitam Cometæ anni 1744 exacte inveniendam. Uſus eſt hac in re elegantiſſima obſervationum ſerie, a Cel. *Caſſino* communicata, ex quibus tam accurate determinata eſt Orbita, ut, computato loco pro obſervatione quadam, longitudo non niſi 2′, 35″, latitudo 12″, ab obſervatis diſcrepent, quam quidem convenientiam adeo magnam eſſe, ut eam vix in Planetarum theoria majorem deprehendere liceat, omnes calculorum aſtronomicorum gnari facile judicabunt. Prodit vero Orbita, ad Parabolam proxime accedens, ita, ut Cometæ tempus periodicum plurium ſeculorum ſit, cujus reſpectu mora in Hemiſphærio boreali eſt admodum exigua, quippe quæ tantum 209 dierum reperitur.

Explicata igitur methodo Cel. Autoris, qua Orbita Cometæ tam inveniri, quam etiam pro lubitu corrigi, poſſit, de-

Digitized by Google

cerpemus adhuc duo ex elegantiſſimo Opere, quorum alterum *reverſionem Cometarum*, alterum eorundem *effectus in Syſtema noſtrum planetarium*, reſpicit. Quod ad primum attinet, occaſione Cometæ, A. 1680 obſervati, *pag. 95 ſeq.* oſtenditur, ex apparentia Cometarum nihil ad eorum reverſionem concludi poſſe. Non enim ſolum apparentia tam corporis, quam caudæ, Cometæ pendet maxime a loco terræ in orbita ſua, & utriusque magnitudo ex ſitu relativo reſpectu noſtrum æſtimatur; ſed etiam terra talem habere poteſt ſitum tunc, cum Cometa ad Solem accedit, ut ille ſemper remotior a Terra, quam Sol, maneat, ideoque prorſus conſpici nequeat. Unde idem Cometa diverſis temporibus diverſiſſima ſpecie apparere poteſt, ita, ut e terra viſus nullo modo pro eodem haberi poſſit; quin imo ſæpius ad Solem reverti, nec tamen a nobis obſervari, poteſt, adeo, ut numerus Cometarum, ſyſtema ſolare exornantium, longe major eſſe poſſit, quam quidem ille huc usque obſervatus eſt. Quod vero ad effectum Cometarum in Planetas ſpectat, Cel. Autor non dubitat *pag. 97* mutationem obliquitatis Eclipticæ, nec non variationem in motu punctorum æquinoctialium, attractioni Cometarum adſcribere. Etſi enim attractio juxta planum Eclipticæ evaneſcat præ vi Solis in Terram, niſi Cometa huic quam proximus ſit, tamen attractio Eclipticæ normalis omnino effectum habere poterit, ita, ut, pro diverſo loco Terræ, tunc, cum Cometa in Perigæo verſatur, vel obliquitas Eclipticæ afficiatur, vel puncta æquinoctialia promoveantur, vel regrediantur. Eadem ratione ſuſpicatur *pag. 135*, Cometam poſtremum anni 1742 in tranſitu ſuo prope Mercurium, a quo tantum 11° abfuit, notabilem perturbationem in motu ejus effeciſſe. Monet itaque Aſtronomos, ut obſervationes tam de obliquitate Eclipticæ, quam de motu Mercurii, inſtituant, ut de quantitate perturbationis judicari poſſit, an illa ſenſibilis fuerit.

Ceterum noſtrum non eſt, ſcriptum, quod ab *Eulero* proficiſcitur, elogiis comitari; hoc tantum monebimus, neminem in theoria Cometarum aliquid vel ſolidi, vel concinni, deſiderare poſſe, cui non hocce Opuſculum evolvendum,

aeque

Digitized by Google

atque veſtigia methodi, ibi traditæ, premenda ante omnia commendemus.

COMMERCII EPISTOLICI LEIBNITIANI Tomus prodromus. Recenſuit JO. DANIEL GRUBER. Partes duæ.

Hanoveræ & Gottingæ, apud fratres Schmidios, 1745, 8. Alph. 4 plag. 6.

Ampliſſimum cum fuerit *Leibnitio* literarum commercium cum viris ſuæ ætatis eruditiſſimis, hæque mutuæ epiſtolæ ſint varii generis argumentis refertæ; magnam inierunt a noſtra ætate gratiam ii, qui ſuis e ſcriniis non exiguum earum numerum protulerunt in lucem publicam. Nec dubium nobis eſt, quin & Illuſtris *Gruberus*, Regis M. Britanniæ & Electoris Brunſuic. Conſiliarius Juſtitiæ intimus, Bibliothecarius, & Hiſtoriographus, (quæ munera item obiit *Leibnitius*,) gratiſſimum faciat orbi literato, epiſtolas *Leibnitii* ad alios, aliorum ad ipſum, *nondum editas*, e locuplete penu promens, & omnium exponens oculis. Præmittit nunc *Prodromum*, exhibens *Boineburgii* & *Conringii* epiſtolas mutuas; quibus aliorum epiſtolæ ſunt intermixtæ, lectu omnes digniſſimæ. Reperit ſcilicet has in *Leibnitii* ſcriniis, qui, cum *Boineburgium* nactus eſſet fortunæ ſuæ fabrum, occaſione non caruit, eas faciendi ſuas. Nec vero id ſolum operam dedit Celeberrimus Editor, ut eæ ſine mendis exſcriberentur, ſed etiam ſuum cuique argumentum præfixit, prætereaque annotationes adjecit, non qualescunque, ſed rariores, ſed neceſſarias. In *Præfatione* quoque, poſtquam de *Conringii Boineburgii*que ingeniis ſtudiisque accuratum protulit judicium, tria potiſſimum eſſe docet harum epiſtolarum argumenta. Aliæ ſcilicet potiora Juris publici tractant capita; aliæ Hiſtoriam illuſtrant literariam; aliæ denique continent controverſias religioſas, *Boineburgio* eam Theologiam, ad quam transgreſſus erat, tuente acriter, *Conringio* eam impugnante majori fere vehementia. Quanquam

id non obſtitit, quo minus literatam colere amicitiam pergerent per omnem vitam.

Ex hocce theſauro epiſtolico nunc nonnulla libet proferre ſpeciminis in modum. Statim *pag. 1 ſeq.* exhibentur literæ Electoris Moguntini, ab Imperatore petentis, ut conſentiat, *Boineburgium* creari Procancellarium Imperii. Sed id quidem non ſucceſſit; quod illo ipſo tempore jam prævidebat *pag. 31 Conringius. Pag. 14* infortunatus *Beckeri* in Academia Upſalienſi caſus deſcribitur. *Pag. 23 ſeq.* petit a Principe ſuo *Conringius* dimiſſionem ex Academia Julia, iturus in Sueciam, & futurus tum Archiater, tum Conſiliarius politicus Reginæ. *Pag. 35 ſeq.* amice adhortatur *Boineburgium*, ne tranſeat in caſtra Papæ, inter alia ſic ſcribens: *Mihi facilius perſuaſu & veroſimilius videtur, Mahometem eſſe prophetam, quam Papam eſſe Dei vicarium.* Paulo poſt ait, *facile oſtendi poſſe, inter omnes totius mundi eccleſias nullam Romana magis eſſe contaminatam.* Ac ſubſequentes quoque ſex epiſtolæ ad *Boineburgianam* religionis mutationem pertinent. *Pag. 41* memoratur *Henr. Julius Blumius*, deſignatus Theologiæ Profeſſor in Academia Julia, paulo poſt & ipſe factus Pontificius. De hoc homine multa in toto hoc *Tomo* mentio; quem tandem Baronem fuiſſe creatum, conſtitutumque ſupremi Appellationum tribunalis Pragenſis Propræſidem, e *pag. 978* diſcimus. *Pag. 80 ſeq.* ſcripta *Conringii* commemorantur pro jure Electoris Moguntini, coronandi Regem Romanorum; quo de argumento & ſequentes epiſtolæ plures. *Pag. 222 ſeq.* de Vicariatu Imperii Rhenenſi diſputatur, utrum Palatini, an Bavari, jus ſit potius. *Pag. 274* novam profert *Conringius* de origine Electorum ſententiam; cui cur non ſit aſſentiendum, ex annotatione Editoris facile cognoſcetur. *Pag. 245 ſeq.* & *298 ſeq.* multa inter ſe diſputant de electione *Leopoldi*, præſcribendaque ipſi Capitulatione Cæſarea. *Pag. 382 ſeq.* de *Pallavicini Hiſtoria Concilii Tridentini* ſuam ſententiam diſtincte dicit *Conringius*, præter alia ſic cenſens: *Pallavicinus & de Romana curia præclare eſt meritus, & Proteſtantium rebus famæque Sarpii bene conſuluit, adeoque meruit, ut ab utraque parte ipſi agantur gratiæ.*

Digitized by Google

lis. Pag. 404 de Puffendorfii Elementis Jurisprudentiæ univerſalis ita judicat idem: Liber ille ſuperavit meam exſpectationem. Eſt enim dictione elegans, argumento præclarus, tractandi ratione nervoſus quidem & brevis, attamen, quæ iſthuc pertinent, attingens omnia, & hactenus ſit ſatis diffuſus. Poſt Grotium nihil vidi ſimile. Sciant autem Lectores noſtri, talium de Autoribus recentioribus judiciorum Conringii plenas eſſe has epiſtolas. Pag. 411 ſeq. exhibetur conſilium aliquod, in concordiam redigendi Pontificiam & Proteſtantem eccleſias; quod A. 1660 ex aula Moguntina emanaſſe creditum eſt. Pag. 543 ſeq. diſputant Boineburgius & Conringius de Pontificia religione, uterque acriter & ingenioſe. Apparet tamen, Conringium eſſe acutum & juſtæ eruditionis Theologum, Boineburgium non eſſe inſtructum eo judicio, quo opus eſt in tanti momenti controverſia. Pag. 6.. ſeq. de Vorburgii opere hiſtorico ſuum judicium exprom.. Conringius, multisque & magnis id ornat laudibus. Pag. 643 ſeq. ſingularia memorat Boineburgius de libris Scioppii; quem pag. 657 inter fanaticos, vel certe divinationibus deditos, refert Conringius. Poſtremæ prioris hujus Partis epiſtolæ rurſus ſunt polemicæ, Conringio & hic ſe præſtante Theologum acutiſſimum.

Perluſtremus, age, & alteram Partem. Hic pag. 738 ſeq. exhibetur Salmaſii epiſtola, in qua Grotium comparat cum Voſſio patre, &, hunc illo majorem doctrina & ingenio eſſe, contendit. Sequitur pag. 742 ſeq. Hottingeri de hac cenſura judicium, arbitrati, invidia impellente ita judicaſſe Salmaſium, qui, cum, ipſum Voſſio majorem eſſe, dubitaret nemo, hoc pacto fore ſperabat, ut etiam anteponeretur Grotio. Obſervat præterea, hoc vitio laboraſſe Salmaſium, ut parem non agnoſceret, &, quibus eruditionis palmam non auderet eripere palam, eos clandeſtinis aggrederetur artibus. Pag. 753 indicat Boineburgius, Judicii theologici de pace Weſtphalica, ſub nomine Erneſti Euſebii editi, autorem eſſe Wangnereccium, Jeſuitam, idque repetit pag. 780 & 815. Pag. 761 ita Conringius Boineburgio, qui ipſum, ut in Papæ caſtra tranſiret, adhortatus erat, reſpondet: Ut ego accedam veſtris partibus, non

eſt, quod ſperes. Nimis pellucide mihi perſpecta eſt dogmatum veſtrorum vanitas & impietas. Reliqua ejus verba, quæ Editor noſter non exhibuit integra, *pag.* 779 & 781 repetit *Boineburgius*, ita ſuper his exclamans: *Terribilis iſthac judicatio eſt, qualem ego ferre reformidem de veſtrate eccleſia; tametſi vitio & originis & multo alio evidenter infamis ſit. Conringius* vero *pag.* 787 ſuum de eccleſia Papæa judicium repetit aliis verbis, ſed non minus acribus. *Pag.* 792 *ſeq.* deſcribit *Lyprandus*, Jeſuita Ingolſtadienſis, collegæ ſui, *Bartholomai*, vaticinia de Anglia & alia, eaque divino inſtinctui tribuere non dubitat; ut ſcilicet nec prophetæ deſint ſacræ huic Societati. *Pag.* 859 *ſeq.* exhibetur Anonymi cujusdam Galli diſputatio, in qua contenditur, Ducem *Carolum* jus habere vendendi Regi Galliæ Lotharingiam; id quod ſuperioribus in epiſtolis negarant *Boineburgius* & *Conringius*. Hic *pag.* 870 & 1019 docet, *Iſaacum Voſſium* eſſe atheum. Quam arduum ſit, ſcribere *Hiſtoriam Receſſuum Imperii*, idem docet *pag.* 889. *Boineburgius* igitur *pag.* 890 ei narrat, *Bœclerum* in eo eſſe, ut hiſtoriam iſtam concinnet; quem ſimul confidit multa hujus argumenti monumenta eſſe accepturum tum e Moguntino, tum e Viennenſi, Archivo, quæ alio tempore impetraturus nemo ſit. Optat autem *pag.* 897 *Conringius*, ut laborem hunc ſuſcipiat *Chriſtoph. Forſtnerus. Nemo ſane*, inquit, *illi rei fuerit aptior.* At vero *pag.* 1006 *ſeq.* pluribus oſtendit *Forſtnerus*, hunc laborem eſſe & longe difficillimum, & valde periculoſum. *Pag.* 911 *ſeq.* exhibentur *Gronovii* & *Hottingeri* epiſtolæ de criteriis ætatis MStorum Codicum. *Pag.* 930 *ſeq.* & 936 *ſeq.* recenſet *Boineburgius* magno numero libros politicos, eosque cenſuræ ſuæ ſubjicit. Idem *pag.* 957 docet, in Archivo Moguntino parum ineſſe magni & rari, nec id continere monumenta ducentis, vel ad ſummum trecentis, annis antiquiora. *Pag.* 977 profert *Conringius* cauſam, cur *Lambecius* Hamburgo diſceſſerit, Romamque ſe contulerit. Cur *Hippolithi a Lapide* liber ab aliis ad alium autorem fuerit relatus, ſi quis noſſe avet, facile id cognoſcet ex iis, quæ *pag.* 981 ſcribit *Boineburgius*. *Pag.* 1000 refert *Conringius*, ſe lauta ſatis conditione

A. 1662

Digitized by Google

A. 1662 evocatum eſſe in Sueciam, ut eſſet ibi Conſiliarius Status; ſed ſe vitam Academicam prætuliſſe, quod natus ſibi videatur ad ſtudia Academica. *Pag. 1113 ſeq.* in epiſtola ad *Conringium Capellanus*, clariſſimi illius de puella Aurelianenſi poematis conditor, vitam ſuam deſcribit ſatis luculenter. Idem *pag. 1122* narrat, *Joannem Bodinum* ideo faviſſe religioni Judaicæ, quod natus eſſet matre Judæa. De hujus Colloquio irreligioſo MSto crebra in his epiſtolis mentio. *Martinum Schoockium* ita *pag. 1145* laudat *Conringius*, ut eum omnibus Belgii fœderati eruditis variæ & accuratæ doctrinæ nomine longe anteferat. Diverſum vero de eo profert judicium *pag. 1216.* Idem *pag. 1147* ſupernatationem ſagarum putat certum eſſe indicium pacti cum dæmonum aliquo initi; deque hac re ſingularem promittit libellum. *Pag. 1153 ſeq.* relatum legimus e *Pufendorfio*, cur *Boineburgius* ab Electore, domino ſuo, fuerit conjectus in carcerem. *Pag. 1190 eximium ſcriptorem* vocat *Monzambanum Conringius*, addens, ſuis (*Conringii*) libris eum uſum eſſe cum judicio. Edoceri ſimul cupit a *Boineburgio*, quis ſub *Monzambani* nomine lateat. Eundem ſcriptorem ſtudioſe laudat *Boineburgius pag. 1194*, & iterum *Conringius pag. 1196.* Huic vero aperit *pag. 1198 Boineburgius*, *ſub Monzambani perſona latere duos fratres Pufendorfios, auſpiciis Electoris Palatini jutos.* Tamen *pag. 1207* ſoli *Samueli Pufendorfio* tribuit libellum *Monzambani*; cumque *pag. 1216* id non ſatis perſuaſiſſet *Conringio*, eum ea de re *pag. 1220 certum eſſe* jubet. Hic vero *pag. 1440* docet *Boineburgium*, e ſuis *de Republica Imperii Germanici Exercitationibus* pleraque ſua mutuatum eſſe *Monzambanum*. *Pag. 1229 ſeq.* exhibetur teſtamentum *Joannis Caſimiri*, Principis Poloniæ, & *pag. 1237 ſeq.* authentica narratio de ejus ingreſſu in Societatem Jeſu, denique *pag. 1243 ſeq.* epiſtola ejus ad Poloniæ Regem, fratrem ſuum; quem rogat impenſe, ut ſibi permittat manere in Societate Jeſu. *Pag. 1303 ſeq.* jucunde leguntur *Erici Mauritii* & *Joannis Fabricii* ad *Boineburgium* epiſtolæ, in quibus exponuntur, quæ quisque obſervarat in itinere ſuo Batavico, memorabilia literaria. Similis relatio *Morhofii* de Belgico pariter & Anglico ſuo itinere

Digitized by Google

eſt, quod ſperes. Nimis pellucide mihi perſpecta eſt dogmatum veſtrorum vanitas & impietas. Reliqua ejus verba, quæ Editor noſter non exhibuit integra, *pag.* 779 & 781 repetit *Boineburgius*, ita ſuper his exclamans: *Terribilis iſthæc judicatio eſt, qualem ego ferre reformidem de veſtrate eccleſia; tametſi vitio & originis & multo alio evidenter infamis ſit. Conringius* vero *pag.* 787 ſuum de eccleſia Papæa judicium repetit aliis verbis, ſed non minus acribus. *Pag.* 792 *ſeq.* deſcribit *Lyprandus*, Jeſuita Ingolſtadienſis, collegæ ſui, *Bartholomæi*, vaticinia de Anglia & alia, eaque divino inſtinctui tribuere non dubitat; ut ſcilicet nec prophetæ deſint ſacræ huic Societati. *Pag.* 859 *ſeq.* exhibetur Anonymi cujusdam Galli diſputatio, in qua contenditur, Ducem *Carolum* jus habere vendendi Regi Galliæ Lotharingiam; id quod ſuperioribus in epiſtolis negarant *Boineburgius* & *Conringius*. Hic *pag.* 870 & 1019 docet, *Iſaacum Voſſium* eſſe atheum. Quam arduum ſit, ſcribere *Hiſtoriam Receſſuum Imperii*, idem docet *pag.* 889. *Boineburgius* igitur *pag.* 890 ei narrat, *Bæclerum* in eo eſſe, ut hiſtoriam iſtam concinnet; quem ſimul confidit multa hujus argumenti monumenta eſſe accepturum tum e Moguntino, tum e Viennenſi, Archivo, quæ alio tempore impetraturus nemo ſit. Optat autem *pag.* 897 *Conringius*, ut laborem hunc ſuſcipiat *Chriſtoph. Forſtnerus. Nemo ſane*, inquit, *illi rei fuerit aptior.* At vero *pag.* 1006 *ſeq.* pluribus oſtendit *Forſtnerus*, hunc laborem eſſe & longe difficillimum, & valde periculoſum. *Pag.* 911 *ſeq.* exhibentur *Gronovii* & *Hottingeri* epiſtolæ de criteriis ætatis MStorum Codicum. *Pag.* 930 *ſeq.* & 936 *ſeq.* recenſet *Boineburgius* magno numero libros politicos, eosque cenſuræ ſuæ ſubjicit. Idem *pag.* 957 docet, in Archivo Moguntino parum ineſſe magni & rari, nec id continere monumenta ducentis, vel ad ſummum trecentis, annis antiquiora. *Pag.* 977 profert *Conringius* cauſam, cur *Lambecius* Hamburgo diſceſſerit, Romamque ſe contulerit. Cur *Hippolithi a Lapide* liber ab aliis ad alium autorem fuerit relatus, ſi quis noſſe avet, facile id cognoſcet ex iis, quæ *pag.* 981 ſcribit *Boineburgius*. *Pag.* 1000 refert *Conringius*, ſe lauta ſatis conditione

A. 1662

A. 1662 evocatum eſſe in Sueciam, ut eſſet ibi Conſiliarius Status, ſed ſe vitam Academicam prætuliſſe, quod natus ſibi videatur ad ſtudia Academica. *Pag. 1113 ſeq.* in epiſtola ad *Conringium Capellanus*, clariſſimi illius de puella Aurelianenſi poematis conditor, vitam ſuam deſcribit ſatis luculenter. Idem *pag. 1122* narrat, *Joannem Bodinum* ideo faviſſe religioni Judaicæ, quod natus eſſet matre Judæa. De hujus Colloquio irreligioſo MSto crebra in his epiſtolis mentio. *Martinum Schoockium* ita *pag. 1145* laudat *Conringius*, ut eum omnibus Belgii fœderati eruditis variæ & accuratæ doctrinæ nomine longe anteferat. Diverſum vero de eo profert judicium *pag. 1216*. Idem *pag. 1147* ſupernatationem ſagarum putat certum eſſe indicium pacti cum dæmonum aliquo initi; deque hac re ſingularem promittit libellum. *Pag. 1153 ſeq.* relatum legimus e *Pufendorfio*, cur *Boineburgius* ab Electore, domino ſuo, fuerit conjectus in carcerem. *Pag. 1190 eximium ſcriptorem* vocat *Monzambanum Conringius*, addens, ſuis (*Conringii*) libris eum uſum eſſe cum judicio. Edoceri ſimul cupit a *Boineburgio*, quis ſub *Monzambani* nomine lateat. Eundem ſcriptorem ſtudioſe laudat *Boineburgius pag. 1194*, & iterum *Conringius pag. 1196*. Huic vero aperit *pag. 1198 Boineburgius*, *ſub Monzambani perſona latere duos fratres Pufendorfios*, *auſpiciis Electoris Palatini tutos*. Tamen *pag. 1207* ſoli *Samueli Pufendorfio* tribuit libellum *Monzambani*; cumque *pag. 1216* id non ſatis perſuaſiſſet *Conringio*, eum ea de re *pag. 1220 certum eſſe* jubet. Hic vero *pag. 1440* docet *Boineburgium*, e ſuis *de Republica Imperii Germanici Exercitationibus* pleraque ſua mutuatum eſſe *Monzambanum*. *Pag. 1229 ſeq.* exhibetur teſtamentum *Joannis Caſimiri*, Principis Poloniæ, & *pag. 1237 ſeq.* authentica narratio de ejus ingreſſu in Societatem Jeſu, denique *pag. 1243 ſeq.* epiſtola ejus ad Poloniæ Regem, fratrem ſuum; quem rogat impenſe, ut ſibi permittat manere in Societate Jeſu. *Pag. 1303 ſeq.* jucunde leguntur *Erici Mauritii* & *Joannis Fabricii* ad *Boineburgium* epiſtolæ, in quibus exponuntur, quæ quisque obſervarat in itinere ſuo Batavico, memorabilia literaria. Similis relatio *Morhofii* de Belgico pariter & Anglico ſuo itinere

Digitized by Google

nete *pag. 134 ſeq.* reperitur. Hic tamen cum narrentur multa de metamorphoſi aliorum metallorum in aurum; recte acutiſſimus Editor notat credulitatem *Morhofii*. *Pag. 1370 ſeq.* perdigna lectu occurrit epiſtola Capucini cujusdam monachi, *Benedicti Leodii*, condemnantis noxios Jeſuitæ cujusdam abuſus exorciſmorum in diœceſi Paderbornenſi. Qua occaſione cum magnus numerus naſceretur obſeſſarum a diabolo mulierum; noſter monachus profert artem, qua ipſe ſit quondam uſus, cum in urbe Colonienſi eſſet exorciſta. *Cum*, inquit, *uno die plures ad me tanquam energumena confluxerant, reſpondi illis, Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem decrevisſe, ut omnes ejusmodi perſonæ, antequam exorcizarentur a ſacerdote, per dimidium annum in carcerem intruderentur, & alternis diebus virgis cæderentur. Quo audito, omnes evanuerunt, & nunquam redierunt. Et ſic liber fui*, hoc eſt, nulla poſtea venit ad me energumena, ſive obſeſſa mulier. *Pag. 1428 ſeq.* proferuntur excerpta e *Conringii* ad Gallos epiſtolis, in quibus Galliæ Regi usque adeo addictum ſe præbet, ut profiteatur, ſe optare, ut, cum Imp. *Leopoldus* careat filio, poſt ejus obitum Imperator Germaniæ fiat Rex Galliæ, vel ejus filius.

Sufficiant e tanto lectu dignarum rerum cumulo hæc pauca. Supereſt, ut e doctiſſimis Editoris annotationibus nonnulla proferamus. Hic ſcilicet *pag. 19* docet, ſub *Hippolitho a Lapide* nomine latere *Bogislaum Philippum Chemnitium*, cujus *duo Tomi* exſtant *de bello Suecico*; ac ſimul refert, *tertium* hujus operis *Tomum*, a ſe nuper in ſeptentrione repertum, inter MSta cimelia nunc eſſe Bibliothecæ Regiæ Hanoveranæ. *Pag. 656* refert *Scioppium* inter doctos impoſtores ob confictas genealogias illuſtres; quarum exemplum aliquod indicat. *Pag. 814* docet, ſe poſſidere MStas epiſtolas *Grotii* ad *Joannem Oxenſtirnam*. *Pag. 1288* docet, *Boineburgium* diem ſupremum obiiſſe A. 1672 menſe Decembri; id quod *Struvius*, cum Vitam *Boineburgii* componeret, ignorabat. *Pag. 1326* refert, *Leibnitium* Principi cuidam Catholico promiſiſſe demonſtrationem transſubſtantiationis in S. Cœna mathematicam. *Pag. 1440 ſeq.* ſingularem exhibet Illuſtris Editor Diſſertationem de plagio literario,

terario, quod vulgo tribuitur *Conrado Urſpergenſi*. Negat ſcilicet argumento valde probabili, *Chronici* hujus autorem eſſe *Conradum* hunc, &, magno errore factum eſſe, putat, ut hujus libri haberetur compoſitor. Scilicet, cum Chronicon hoc in uſum Urſpergenſis monaſterii tum coemtum fuiſſet, cum *Conradus* hic ejus eſſet Abbas, inſcriptum ei fuit ejus nomen, non tanquam autoris, ſed tanquam emtoris. *Pag.* 1455 de re diplomatica critice diſſerit, &, quam arduum ſit, vera Diplomata diſcernere a ſubdititiis, præclare docet.

Ultimo loco e *ſecundæ Partis* Præfatione docemus, ſecuturis in *Tomis* productum iri, præter *Leibnitii* epiſtolas, reſponſiones ad eum *Spizelii*, *Boineburgii*, *Franciſci de Lana*, *Henr. Oldenburgii*, *Kochanskii*, *Speneri*, *Conringii*, *Ottonis Gerikii*, *Grævii*, *Ezech. Spanhemii*, *Huetii*, *Ferdin. Furſtenbergii*, *Boſſueti*, *Andr. Mulleri*, *Erneſti*, (Haſſiæ Landgravii,) *Seckendorfii*, *Jobi Ludolphi*, *Henr. Juſtelli*, *Thomæ Smithi*, *Helmontii*, *Joan. Walliſii*, aliorumque; quas cupide exſpectamus, &, ut Vir Illuſtris quamprimum eas exhibeat, toto pectore optamus.

JACOBI ELSNER SCHEDIASMA CRITICUM, quo Autores, aliaque antiquitatis monumenta, Inſcriptiones item & Numiſmata, emendantur, vindicantur, & exponuntur; ad continuationem Tomi VII Miſcellaneorum Regiæ Societatis Scientiarum Berolinenſis.

Berolini, typis J. G. Michaelis, 1744, 4.
Alph. 1.

Dudum eſt, quod Summe Reverendus *Elsnerus*, Sereniſſimo Boruſſorum Regi a ſacris & eccleſiaſticis conſiliis, & orientali Regiæ Societatis claſſi præfectus, lætum ad famam & immortalitatem iter ingreſſus eſt, editis in Novum Fœdus Obſervationibus, magno opere, quo difficillima & obſcuriſſima loca, Græcorum præcipue & Latinorum ſcriptorum ope, admirandum in modum illuſtrari cœpere. Cujus dum novam editio-

 nem,

Digitized by Google

nem, paſſim auctam & locupletatam, molitur, varias Græcorum Autorum, *Luciani* præcipue, *Lyſiæ*, *Æliani*, emendationes, in adverſaria congeſtas, eruditorum judicio ſubmittendas duxit, quas omnium plauſus laturas eſſe, nulli dubitamus. Univerſum opus in *XIII Capita* digeſſit, in quibus Græcæ & Romanæ antiquitates illuſtrantur, ac ſummorum virorum conjecturæ, non tam ſanandis, quam corrumpendis, ſcriptoribus natæ, modeſte refelluntur. *Capite primo Lucianum* in *Prometheus es in verbis Tom. I pag. 18* emendat, loco: κλεπτικῆς ὁ θεὸς, ſubſtituens: κλέπτης ὁ θεὸς, ut ipſe *Prometheus* intelligatur. In *Hermotimo pag. 569*, ubi *Lucianus*, *Æſopum* hominem fluctus numerantem in fabulis inducere, ait, pro: ἐπὶ τὴν κυματώδη, ἐπὶ τὴν κυματωγὴν reponit, eaque voce non *littus* modo, ſed *æſtuantis etiam maris fluctuationem*, ſignificari, eumque ſenſum huic loco aptum & convenientem eſſe, docet. *Pag. 521, 522*, ubi *Lucianus* viam & rationem, ad civitatis, quam fingit, beatæ jus & prærogativas enitendi, oſtendit, τὸ ἀλιπαρὲς nullo jure a *Grævio*, λιπαρὲς ex MSto afferente, ſollicitatur, cum *non nitidum* ſignificet, ut apud *Xenophontem* in *Memorabil. Socratis*, ubi λιπαροὶ αὐχμηροῖς opponuntur, & τὸ ἀλιπαρὲς, neglecta formæ & cutis cura, ad beatam illam civitatem omnino pertineat. *Capite ſecundo* in *Luciano* emendando, & a pravis correctionibus vindicando, pergit. In *Toxari pag. 55 Grævius* verba: τῶν κλοιῶν τὶς ἅλυσιν διειργμένων, non intellexit, κλοιὰς *compedes* reddens, cum non pedum, ſed colli, vinculum fuerint, ut Cl. Autor ex *Ariſtophanis* Scholiaſte probat, eumque locum rectius ab *Eraſmo*, quam a *Grævio*, converſum eſſe, oſtendit. In libro *de conſcrib. hiſtor. pag. 617* verbi ἐπάγειν veram ſignificationem, *in aciem educere*, contra *Lambertum Boſium*, qui in *Animadverſ. ad Script. quosdam Græcos Cap. 14* alium ſenſum commentus erat, vindicat. In *Gallo pag. 184* verborum: μὴ καταφωράσῃ παρόντας ἡμᾶς, verſionem inconcinnam & obſcuram eſſe monet. *Pag. 185* ὁ τοὺς δακτύλους κατεσκληκὼς non eſt: *cujus digiti contabuere*, ut *Grævio* placuit, ſed interpunctione locus is reſtituendus, & legendum, videtur: ὁρᾷς ἀναλογιζόμενον τοὺς τόκους κατὰ τοὺς δακτύλους,

δακτύλοις, κατασκελετεύσαντα, *vides uſuras numerantem ad digitos contabeſcentem.* In *Icaromen. pag. 186 Lucianus* recte junxit σταθμὰς καὶ παρασάγγας, nec opus erat, cum *Gravio* στάδια intrudere; deinde Φορτικὰ, in eodem loco, non ſunt *ridicula*, ſed potius *inſolentia, gravia, vix ferenda. Capite tertio Ælianus* explicatur, qui *Lib. IX Cap. 21 Hiſt. Animal.* Helenii herbæ mentione injecta, ait: Καὶ μέν τοι καὶ ἐν τῇ Φάρῳ θηρίον τοιόνδε γενέσθαι. *Lamb. Boſius* mavult θηριακὸν, *medicamentum contra ictus morſusve venenatorum animalium;* ſed Cel. *Elsnerus* poſt τοιόνδε excidiſſe putat οὐδὲ, & vertit: *quin & in Pharo tale animal ne eſſe, & ne inveniri quidem.* Non felicius *Æliani Varias* uno atque altero loco eruditus Britannus in *Miſcell. Obſerv. Vol. II pag. 249* tentavit, ut optimorum Autorum teſtimoniis, *Ælianum* illuſtrantibus, accurate oſtenditur. Obiter *Gratiani a S. Bavone,* in *Epiſtola ad Hebræos Cap. XI* pro ἐπειράσθησαν, ἐσπειράθησαν reponentis, ſententia refellitur, quod *Suidæ* & aliorum loca, in medium allata, aut huc non pertineant, aut minimum non probent, ἐσπειράθησαν ſignificare *excruciari, rota torqueri, rota contundi.* In *Æliani Lib. VII Cap. 33,* ubi, Athenienſes Cephiſſum fluvium viri ſpecie, ſed cornua oſtentantis, repræſentare, narrat, verba: ἄνδρα μὲν δεικνύουσιν ἐν τιμῇ, κέρατα δ' ὑποφαίνοντα, varie ab interpretibus accepta ſunt, qui, quo pertineat illud ἐν τιμῇ, aſſequi non potuerunt. Cel. Autor *Perizonii* ſententiam, hæc verba de *ſtatuæ honore* exponentis, ſequi, quam viri docti, qui in *Miſcell. Obſerv. Vol. III pag. 88* vertit: *vir honoratus,* conjecturam probare, mavult. *Capite quarto Gratiani de S. Bavone* ſtricturæ in *Xenophontis* Epheſiaca ad examen vocantur, & *Barnab. Briſſonius,* qui in libro *de Regno Perſarum* ex *Xenophonte* Athenienſi docuerat, Perſas, in conſpectum Regis venientes, manus inſeruiſſe, contra eundem defenditur, eamque morem adhuc hodie apud Turcos Perſasque obtinere, ex *Chardino* comprobatur. *Alciphronis* Epiſtolæ a Viro docto in *Miſcell. Obſerv. Vol. IV pag. 446* non ſatis faventibus Muſis tractantur. Sic, quod *Lib. I Epiſt. 8 pag. 30* legitur: τρέφει οὐδὲν ἡ θάλασσα, bene ſe habet, nec τὸ τρέφει in φέρει mutandum erat. Piſcator enim

hic, ſui ratione mare nihil alere, queritur, quod nihil ad capiendum præbebat. *Capite ſexto Ariſtides*, contra *Lamb. Boſium*, ac ceteros, vulgatas lectiones fruſtra emendantes, ex præſtantiſſimis Autoribus explicatur, *Luciano* præcipue, quem nocturna ac diurna opéra a ſe verſatum eſſe, S. R. *Elsnerus* omnibus paginis prodit. Elegans præ ceteris obſervatio eſt, qua locum obſcurum & difficilem in *Orat. in Minervam:* οἷος δὲ ἐν αὐλῇ θαυματοποιῶν ἅμα τοῖς αὐτοῖς ὅ, τε Ζεὺς, καὶ ἡ Θεὸς χρῆται, illuſtrat. Vir doctus in *Miſcell. Obſerv.* converterat: *Prorſus ut in triclinio præſtigiatricem artem exercens Jupiter ſimul atque Minerva iisdem armis utuntur.* Sed *Jupiter* & *Minerva* parum honorifice præſtigiatores appellarentur, nec αὐλὴ ſimpliciter poſitum *triclinium* ſignificat. Retinendum videtur ἐν αὐλῇ, quo *Jovis* aula deſignatur, ut apud *Homerum*, quem ſe ea in re ſequi, *Ariſtides* alibi profitetur. Inanis quoque correctio eſt alterius *Ariſtidis* loci, quam Vir doctus in *Miſcell. pag. 241* propoſuit, ubi pro Ἀθηνᾶς νόμος ἱερὸς, ſubſtituit νομὸς, & de præfectura Saitica exponit. Sed lex illa ſacra ex *Platonis* Timæo eruenda erat, qui, *Minervam* Ægyptios militares leges & armorum uſum docuiſſe, tradit. *Capite ſexto* S. Rev. Autor in *Xenophonte* emendando & illuſtrando pergit, eaque occaſione ſententiam de proverbio: ἔνιαι κατὰ Σάγγαρ τὰ λεχθέντα, olim in *Obſervat. ſacris* prolatam, defendit. In *Arriani* verbis, ubi de coma *Achillis:* ὁ δὲ Ἀχιλλεὺς ὃ κάλλιον καὶ τὸ ξανθὸν, illud ὃ κάλλιον non temere in χρυσοῦ κάλλιον commutandum eſſe, optimorum ſcriptorum locis probat. *Taſpocon*, qua voce Græcos quoddam ſcribendi genus deſignare, *Feſtus* teſtatur, in *Taprobanum* mutat, ut ſcriptura, qua olim Taprobanitæ uſi ſunt, intelligatur. Porro doctiſſimum *Arnaldum*, in *Specimine Animadverſ. ad Scriptores Græcos*, *Herodotum Lib. I. Cap. 47* corruptum eſſe, cenſentem, notat. Tradit ibi, *Crœſum*, oracula tentantem, Lydis, ad *Apollinem* ablegatis, præcepiſſe: ἀπ' ἧς ἂν ἡμέρης ὁρμηθέωσιν ἐκ Σαρδίων ἀπὸ ταύτης ἡμερολογέοντος τὸν λοιπὸν χρόνον ἕκαστον, τῇ ἡμέρῃ χρῆσθαι τοῖσι χρηστηρίοισι. Pro τῇ ἡμέρῃ, quod ſenſum nullum habere, *Arnaldus* putat, μὴ ſubſtituit; ſed, cum idem vulgata lectio exprimat, ab ea diſcedendum non videtur. Præterea Doctiſſ. *Elsnerus* animadvertit,

Mura-

Muratorium fruſtra ſe torſiſſe, dum in inſcriptionibus oraculum *Crœſo* datum inepti nebulonis obſcurum commentum vocat, quem *Muratorii* errorem in *Miſcellan. Lipſ. Nov. Tom. I P. III* Cl. *Jo. Henr. Leichius* etiam notavit. Idem *Arnaldus* male *Xenophontem Lib. I Cap. 2 de Cyri expedit.* interpretatur, ubi ὁ δὲ ἐλπίδας λέγων διῆγε, a *Leunclavio* vertitur: *non, niſi ſpe propoſita, conſolabatur*, ſed ille, διάγειν hic potius *ducere*, *fallere*, eſſe, contendit; perperam omnino, nam διάγειν non cum ἐλπίδας, ſed cum ὁ δὲ, conjungitur: *ille perrexit, ſpem oſtentans*, quo ſenſu διάγειν ab Autoribus uſurpari oſtenditur. *Capite ſeptimo Pauſanias* in *Atticis* reſtituitur, cujus verba hæc ſunt: Καὶ ἀνδριάντες εἰσιν ἐντὸς οἷς ἐμαντέυετο τολμίδη καὶ ἀυτὸς τολμίδης. *Kuhnius* ſupplet: Ευδοῖος ὃς ἐμαντέυετο. Sed, cum nemo veterum *Eudæum* vatem commemoraverit, S. Rev. *Elsnerus* Θεαίνετος ſupplet, cujus apud *Thucydidem Lib. III* mentio occurrit. Apud *Ariſtænetum Lib. II Epiſt. 1* pro ἐκ ἔσα τιτρώσκεις, rejectis aliorum correctionibus, legere jubet: ἄκυσα τιτρώσκεις, *etiam invita vulneras*, quod ſenſum admodum elegantem habere, facile apparet. A *Diogene Laertio Lib. VI Segm. 79 Diogenes Cynicus* in Eliſſum fluvium ſe præcipitaſſe narratur, quem interpretes locum varie acceperunt, ut *Menagius*, qui pro: ἐις τὸν Ελισσὸν, ἐις τὸν Ἔλαιον reponit, & Cel. *Trillerus*, ἐις τὸν αλισμὸν reſcribens; uterque male. Nam genuina eſt lectio, & Eliſſus fluvius apud *Ælianum* in eadem hiſtoria occurrit. Idem *Diogenes Lib. I Segm. 59* de *Solone*, tragœdias vetante: Θέσπιν ἐκώλυσε τραγωδίας ἄγειν, quod non ſatis recte *Caſaubonus* intellexit, cum ſenſus ſatis apertus ſit, & *tragœdias agere* etiam apud Latinos Scriptores, *Quintilianum*, aliosque, reperiatur. *Ælianus Lib. I Var. Hiſt. Cap. 20:* Τὸ ἄγαλμα τῦ Απόλλωνος ἔχον καὶ ἀυτὸ χρυσῦς βοςρύχυς. Hoc ἀυτὸ redundare *Perizonius* cenſet, *Trillerus* in ἀυτῦς convertit. Sed non eſt ſollicitandum, cum *Ælianus* ejusmodi repetitionibus non raro gaudeat. In alio *Æliani* loco *Lib. XII Cap. 52* περιφρονεῖν *Trillerus* in παραφρονεῖν mutat, quod etiam *Kuhnius* conjecerat; ſed, cum præcedens ἐυτελῶς τὸ περιφρονεῖν omnino requirat, ut ſit: *nemo tam eſt exiguo judicio* &c. locus certe non erat commutandus. Simili ſolertia Cl. Au-

Digitized by Google

tor *Diogenem Laertium* ab emendationibus haud neceſſariis locis aliquot vindicat. *Capite octavo Ælianum* in *Var. Hiſt. Lib. XIV Cap. 32* examinat. Narratur ibi *Timandridas* Lacedæmonius nimium opum amplificandarum ſtudium, quod in Deos potius ac homines converti debuiſſet, graviter in filio reprehendiſſe: τὰ γὰρ περιττὰ τέτων εἰς ἐκείνας ἀναλίσκεσθαι. Τέτων, quoniam numerus nullus multitudinis antecedit, mendoſum viſum eſt; ſed Autor, τὰ περιττὰ divitias eſſe, eoque ſenſu apud præſtantiſſimos Autores occurrere, exemplis docet. Non majori jure idem *Lib. III* tentatur, ubi *Pindarum* tyrannum Φιλοπαῖδα appellat, quam vocem manu medica indigere, Commentatores arbitrantur. Autor, rejectis *Trilleri* & aliorum conjecturis, Φιλόπατρις, aut Φιλόπολις, quod beneficia in patriam Epheſum magna & memoranda contulerat, reponit. In *Athenæo Lib. XII Cap. 7*, ubi *Sardanapali* effœminatos mores deſcribit, verbis ὑπογέγραπτο τὰς ὀφρῦς, quæ immerito mendoſa dixerant interpretes, ſenſum elegantiſſimum reſtituit, vetuſtum morem, ſupercilia pingendi, & acu producendi, cujus in ſacro Codice veſtigia ſuperſunt, clariſſime illuſtrans. In *Arriano de Expedit. Alexandri Lib. VI Cap. 13* pro καθάπερ εἰ ἄλλης τινὸς ἐξηττωμένες, ſubſtituit ἀλκῆς, *quaſi vi quadam majori ſuperatos*, quæ quidem lectio longe planior eſt, quam ſi aut ὀλκῆς cum *Clerico*, aut ἀέλλης cum *Trillero*, ſubſtitueris, & ſe præterea optimorum Autorum ſimilibus locis tuetur. In *Alciphrone Lib. III Ep. 44*, ubi de *Gryllione*, qui ſe veneficarum ope in omnium animos & amorem inſinuare poterat, pro Ἀκαρνίδας, Ἀκαρνανίδας Cl. Autor legit, &, Acarnanidas mulieres, de quo dubitaverat *Berglerus*, veneficiis claras fuiſſe, ex *Herodoto*, *Philoſtrato*, atque aliis, opportune docet. In fine *Capitis Taciti* loca, quæ Cel. *Trillerus* mendoſa ac dubia eſſe pronuntiaverat, iterum ad examen vocat, &, doctiſſimi Viri emendationes partim violentas, partim non valde neceſſarias, eſſe, demonſtrat. *Capite* ſequente *Heliodoro Lib. II pag. 117* vera lectio aſſeritur, & uſus particulæ ἦ μὴν, *re vera*, Autorum teſtimoniis confirmatur. Apud *Ælianum Lib. II Cap. 11*, ubi de more tragœdorum, horrendos tyrannorum exitus poſt ſcenam & velum exhibentium, loquitur, aut ἐγκαλύπτονται legendum, ut ſit: *poſt velum & ſcenam occiduntur*,

adduntur, *& nefarias illas cœnas cœnant*, aut vulgatum ἐκκαλύπτοντες retinendum, arbitratur. *Luciani* locus vexatiſſimus exſtat in *Apol. pro mercede conductis pag.* 482, ubi interpretibus τὰ σφίγγια καὶ τὰ κεράλια crucem fixere. Autor doctiſſimus σφίγγια non animalcula, ſed vincula, cervicem, manus, ac pedes, conſtringentia, κεράλια, ſeu potius κολλάρια, (quod etiam *Almeloveenio* placuit) vincula collo injecta, eſſe, ex *Heliodoro*, *Æliano*, aliisque, oſtendit. In ejusdem Autoris *Navigio*, quid παρασεῖον ſit, eruditi ignorarunt, ſed, παρασειρον ex *Athenæo* reſtituendum, &, vel *funes purpureos*, vel *prætextam*, ad oras veli appenſam, intelligendam eſſe, contendit. Simili diligentia *Lucianum Dial. XXVIII Mortuor.* ubi verba μασθοὶ ἀπεσκλήκασιν, *mammæ emarcuerunt*, etiam nuperis Editoribus ſcrupulum injecerant, exponit. *Capite decimo Dionis Chryſoſtomi* emendationes, a Cl. *Wolfio Tom. I Anecdot. Græcorum* vulgatas, expendit, easque vix publica dignas luce, ſed futiles maximam partem eſſe, & a *Caſaubono* jam dudum occupatas, judicat. Hac occaſione nonnulla ejus ſcriptoris loca illuſtrans, ſcolium & pæana diverſa carminum genera, Ἀττικὸς ἔπαινος accuratius carminum, quo laudes fortium ac bene meritorum virorum inter convivas tribules decantabantur, eſſe oſtendit; præterea de emendationibus *Dionis*, in *Miſcell. Obſervat. Vol. IX* editis, judicium ſuum candide & modeſte expromit. *Capite undecimo Ciceronem de Deorum natura Lib. I Cap.* 34 emendat, pro: *Apollodorum, Syllum, ceteros, figebat maledictis*, reſcribens: *Syllis, ceteros figebat maledictis.* Eandem vocem in *Epiſt. ad Attic. Lib. XVI Epiſt.* 11 reſtituit, & pro: *ſive vallo Lucilliano*, legit: *Syllo Lucilliano. Libro II*, *remittere & continere appetitus*, probum ac *Ciceronianum* eſſe, contra *Lambinum* ac *Daviſium* docet; *Cap.* 58 *canorum & fuſcum* recte ad ſonos a coloribus transferri, contra eundem *Daviſium* probat. *Ciceronem* in *Orat. pro Flacco Cap.* 78 gentem Judaicam *Pompeji* temporibus *elocatam & ſervatam* recte dicere, obſervat, quod *Pompejus* captam Hieroſolymam, *Joſepho* teſte, vectigalem fecerit. *Servata* autem eſt, in ſuos terminos redacta, multis firmisque præſidiis obſeſſa & circumcluſa. *Minutii Felicis* difficilem locum: *Diſpice Iſidis ad hirundinem ſiſtrum*,

ſiſtrum, ingenioſe declarat, ut ſit: vocem hirundinis exprimens; poſſet etiam *hirundininum* legi, ſenſu eodem manente. *Iſis* ipſa, occiſi mariti vicem lamentata, in hirundinem converſa dicitur, nomenque ab Hebraico סיס, *hirundo*, traxit, ut *Bochartus* monuit. *Deſpicere* hoc loco eſt obiter adſpicere, aut cum contemtu, quamvis etiam *diſpicere* pro videre, conſiderare, non incongruum ſit. *Capite duodecimo*, *Platonem in Menexemo* a *Weſſelingio*, doctiſſimo ac celeberrimo Viro, non ſatis dextre emendari, & *ἀναιρεῖσθαι ἐκ θαλάττης* non eſſe, *ad ſepulturam tollere corpora*, ſed ſimpliciter *tollere naufragos in mari periclitantes*, contendit. In eundem locum ante verba κεῖνται ἐνθάδε non ſatis commode negandi particula inſeritur, cum ſenſus ſit: quod & illi, qui ad ſepulturam inveniri non potuerant, monumento tamen Athenienſium publico conditi cenſerentur, cum ciſta, aut lectus eorum, quorum corpora reperiri non poterant, publica pompa inferebatur. *Hegeſippi* locus apud *Euſebium*, *Hiſt. Eccleſ. Lib. II Cap.* 23 exſtat, ubi *Jacobum*, fratrem Domini, a Judæis interrogatum: τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ; reſpondiſſe ait: τοῦτον εἶναι τὸν σωτῆρα. Θύρα hoc loco eſt *doctrina*, quem ſenſum ſi admittas, aptiſſima reſponſio eſt, cum Chriſtus certo ſit princeps & fundamentalis doctrinæ Chriſtianæ articulus. Locum *Deuteron. XXVI*, 5, a *Weſſelingio* tractatum, examinat, verbaque, quæ in controverſiam venerant: *Syrus erat periens*, *aut periturus*, *pater meus*, convertit. Queritur deinde, obſervationes nonnullas ex iis, quas in Nov. Teſt. dederat, ab ultimo *Variarum Æliani* editore ſibi furtim ſublectas eſſe; in fine autem *Capitis Plutarchum de Iſide & Oſiride*, *Diodori* item & *Cyrilli* loca, docte & acute exponit. *Capite ultimo* inſignem Thyatirenam Inſcriptionem, a *Ricotio*, *Sponio*, *Van Dalen*, *Bimardo*, *Muratorio*, relatam, nova verſione & uberrimo commentario illuſtrat, de Pontifice maximo, & ejus dignitate, deque Pontificatu, διὰ βίου multa non protrita docet, emendato, præter cetera, *Dionis Caſſii* loco, in quo ſummi viri hactenus hæſitaverant. Porro, an duo imperii collegæ ſimul Pontifices maximi fuerint, diſquirit, & Ampliſſ. *Buberii* de Pontificatu maximo Romanorum Imp. Diſſertationem ad examen vocat.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXLVI.

HOMERI ODYSSEA, GRÆCE ET LATINE, item Batrachomyomachia, Hymni, et Epigrammata, Homero vulgo adſcripta. Edidit, annotationesque, ex notis nonnullis MStis, a SAMUELE CLARKE, S. T. P. defuncto relictis, partim collectas, adjecit, SAMUEL CLARKE, S. R. S.

Volumina II.

Londini, impenſis Joannis & Pauli Knapton, 1740, 4 maj. Alph. 4 plag. 12.

Quæ de *altero Iliados Volumine* in *Actis* noſtris *A. 1733 Menſe Martio* diximus, ea omnia de univerſa hac *Odyſſeæ* editione uſque adeo dici poſſe videntur, ut, qui illius recenſionem bene perſpectam habuerit, de labore illo, qui edendæ *Odyſſeæ* impenſus eſt, facile judicium poſſit facere. Quamobrem licebit nobis idem, quod tunc obſervavimus, inſtitutum hic ſervare, &, quoniam de patris ſeparatim & filii, Virorum Clariſſimorum, *Clarkiorum*, meritis in hanc *Homericæ* Poeſios partem nobis non datur commemorare, propterea, quod nullam Cl. Editori viſum eſt Præfationem præmittere, quæ hac de re nos faceret certiores, generatim de præſtantia hujus editionis pauca docendi gratia monebimus. Id ſane accurata nos perluſtratio docuit, hanc *Odyſſeæ* editionem æque, atque ultimos *Iliados* libros, a patre *Samuele Clarkio* inſtitutam jam fuiſſe, & poſt hujus obitum a filio demum abſolutam. Unde factum eſt, ut eadem,

qua in *Iliade*, aſſiduitate & accuratione ii ſint loci Autorum veterum adducti, in quibus verba quædam, aut integri verſus, ex *Homeri Odyſſea* laudati reperiuntur, & iſtæ Poetarum Latinorum particulæ annotatæ, in quibus imitationis *Homericæ* veſtigia ſane clariſſima conſpiciuntur. Et, quemadmodum in *Iliade* Cel. Editor *Barneſii* editionem in verbis Poetæ exhibendis inprimis ſibi ſequendam ſumſerat, ſic idem in *Odyſſea* obſervatum eſſe uſque eo videmus, ut non raro *Barneſii* lectio reliquis legendi rationibus præferatur. Sic *A. verſ. 403* vulgati antea libri legerunt ὅςις ἀέκοντα βίηφι, pro quo *Barneſius* ex uno MSto edidit ὅςις σ' ἀέκοντα βίηφι, a noviſſimo Editore bene probatus. Ibidem *verſ. 404* pro vulgari ἐξεύχεται, præeunte *Barneſio*, Editor dat ἐξ εὔχεται. *Lib.* Δ. *verſ. 634*, quando vulgati habuerunt, ἐμὲ δὲ χρειὼ γίνετ' αὐτῆς, ex nonnullis editionibus, quarum lectionem Codex, a *Thoma Bentlejo* collatus, confirmat, reſtituit *Barneſius* ἐμὲ δὲ χρεὼ γίνεται αὐτῆς. Quem prout in hac ſcriptura ſuo loco reddenda laudat Cel. Editor, ſic parum propter temporum rationem probat ejusdem ad hunc locum *Barneſii* conjecturam, qua putat legi poſſe, ἐμὲ δὲ χρειὼ γένετ' αὐτῆς. *Lib.* E. *verſ. 79* pro vulgato Οὐ γάρ τ' ἀγνῶτές γε θεοὶ, ex *Euſtathio* dedit *Barneſius* Οὐ γάρ τ' ἀγνῶτες θεοί. Quam quia lectionem & Codices nonnulli, a *Thom. Bentlejo* collati, firmant, exprimendam curavit etiam *Clarkius*. *Lib.* H. *verſ. 267* vulgati plane corrupte legunt ἑπτακαίδεκα, quod recte jam *Barneſius*, cui fidem facit Codex, a *Bentlejo* collatus, per ἑπτακαιδέκατα emendavit, quem non minus recte ſecutus eſt Editor. Sic *Lib.* Δ. *verſ. 771* vulgo legitur, ἀρτύνει δὲ τι οἶδεν, pro quo ex duobus MStis jam reſtituit *Barneſius* ἀρτύει, quem vel ideo ſequendum ſibi putavit Editor, quod & ita habent Codices, a *Bentlejo* collati, & verbum ἀρτύνω apud *Homerum* ſemper mediam producit ſyllabam. *Lib.* Λ. *verſ. 67* Cl. Editor recte exiſtimat *Barneſium* reſtituiſſe ἅ σ' ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα, pro vulgari ὅς ἔτρεφε, cum & eadem phraſis *Iliad.* X, 480, & eadem lectio in Codice, occurrat, a *Bentlejo* collato. *Lib.* O. *verſ. 146* αἰθούσης ἐριγδούπου vulgares exhi-

exhibent editiones. Quoniam autem editiones veteres præ ſe ferunt αὐθέοης ἐριδὖπȣ, hanc recipit *Barneſius* ſcripturam, quem hoc minus dubitavit hac in parte Cl. *Clarkius* ſequi, quod et ita legitur conſtanter *Iliad.* Ω. 323, & *Odyſſ.* Γ. 399 & 493, & ſic hic quoque habet Codex, quem contulit *Bentlejus*, præſertim cum illud ἐριγδȣ́πȣ verſum plane perimat. Sed, licet in his & aliis compluribus locis ſcripturam, quam *Barneſio* cumprimis debemus, Editor doctiſſimus in hac nova editione retinuerit, non raro tamen, ſuis adductus rationibus, a lectione *Barneſiana* diſcedit idem, & veriorem omnino nobis repræſentat. Sic *Lib.* Θ. *verſ.* 244 ὅτ' ȣ̓κ ἔτι φευκτὰ πέλονται rationibus haud ſatis idoneis edidiſſe cenſet *Barneſium*. Unde ipſe præfert ὅτ' ȣ̓κ ἔτι φυκτὰ πέλονται. Ibidem *verſ.* 408, quando *Barneſius* edidit, χαῖρε, πατὴρ ὦ ξεῖνε, id præter rem factum videtur Editori, qui exhibet χαῖρε, πάτερ ὦ ξεῖνε, quin et, ſatis inficete, pronuntiat, eundem *Barneſium* hic loci legendum conjeciſſe χαῖρε, πατὴρ ὁ ξεῖνος. *Lib.* I. *verſ.* 126 *Barneſium* minus recte ait dediſſe οἳ κεκάμοιεν, pro quo ipſe dat ὅι κε κάμοιεν. *Lib.* K. *verſ.* 244, quando *Barneſius* edidit Ευρύλοχος δ' ἄψ ἦλθε, id de ſuo edidiſſe videtur *Clarkius*, rationibus, ut opinatur, haud ſatis idoneis, qui præfert, Ευρύλοχος δ' αὖψ' ἦλθε. *Lib.* Λ. *verſ.* 513 ſimiliter *Barneſium* ex *Euſtathio* parum accurate edidiſſe judicat, Ὄυτε πότ' ἐς πληθὺν μένεν ἀνδρῶν. Ac, licet Codex, quem conſuluit *Bentlejus*, referat, Ὀύποτ' ἐνὶ πληθύϊ μένεν ἀνδρῶν, eamque lectionem vocet Cl. Editor optimam, quod & ſequenti ȣ̓δ' ἐν ὁμίλῳ ante reſpondeat, & ex *Iliad.* X. *verſ.* 458, ubi eandem phraſin uſurpat Poeta, firmetur, exſcribendum tamen in hac editione curavit Ὀύποτε ἐς πληθὺν μένεν ἀνδρῶν. *Lib.* M. *verſ.* 157 vulgati libri legunt, καὶ κῆρα φύγοιμεν, pro quo ex *Euſtathio* dedit *Barneſius* φύγωμεν. Verum, etſi in editionibus *Euſtathii* ſcriptum ſit φύγωμεν, tamen, quoniam ipſe in Commentario citat φύγοιμεν, vulgatam ſibi lectionem, relicta *Barneſiana*, retinendam duxit *Clarkius*. *Lib.* Ξ. *verſ.* 165 ſiſtit *Barneſiana*, παῖδα δὲ κᾶν ἔποιμι, quam & hic relictam videmus, et ſic editum, παιδὶ δὲ κεν ἔποιμι. Quin uſque

Digitized by Google

adeo reliquit *Barneſium* in ſua editione Cl. *Clarkius*, ut religioni ſibi haud duxerit, integros plane verſus, quos ſuæ ille editioni inſeruerat, quaſi obelo notandos, omittere, et loco ſuo movere. Sic, quando *Barneſius Lib.* A. poſt *verſum 92* ex *Euſtathio* hunc verſum inſeruerat:

Διογενὲς Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ,

id perperam factum videtur Editori noſtro, qui hunc verſum ex editione ſua plane exulare juſſit. Pari ratione *Barneſius*, nullis allatis Codicibus, inſeruit *Lib.* Γ. poſt *verſum 58*, iſtum:

Εἰς ὑπερῷ' ἀναβᾶσα, σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξὶν,

qui jam in antecedenti *verſu 49* adfuerat. Sed, cum nec Codex, a *Bentlejo* collatus, nec *Euſtathius*, hunc verſum agnoſcant, nec ipſi locum eſſe voluit in ſua editione *Clarkius*, quin potius eundem plane proſcripſit, licet *verſum 49* retinuerit. Neque tamen a ſolo *Barneſio* in textu exhibendo Cl. Editor fecit diſceſſionem. Nam & interdum a reliquis diſſentit editionibus, et ex manuſcriptis Codicibus, vel etiam ingenio uſus, lectionem nobis novam commendat. Quam in rem hæc afferre nobis liceat. *Lib.* Δ. *verſ. 485* vulgati habent: ταῦτα μὲν δὴ ἔτω τελέω. Atque ita etiam edidit *Barneſius*, & in annotationibus, *Amphimacer*, inquit, *in primo loco.* Sed recte credit Doctiſſ. Editor, hoc in ejusmodi carmine ferri non poſſe, &, quamvis Vir laudatus in partes vocet *Lib.* Σ. *verſ. 246*, ubi in vulgatis legitur, πλείονές κεν μνηστῆρες ἐν ὑμετέροισι δόμοισιν, tamen non immerito credit Cl. *Clarkius* mendum aliquod & ibi irrepſiſſe. Hinc ex Codice MSto Collegii Corporis Chriſti Cantabrig. in ſua editione legi voluit: ταῦτα μὲν ἔτω δὴ τελέω. *Lib.* K. *verſ. 166* vulgo viſitur, εἶπασα· αὐτὰρ ἐγώ. Ad quem locum *Henricus Stephanus* in annotationibus, *legitur*, inquit, *&* εἴπασ', *cum qua lectione ſtare poteſt verſus, cum hoc* α *producatur & alibi.* Ubi recte monet *Clarkius*, niſi ita legatur, verſum ſtare non poſſe, quod εἶπασα mediam neceſſario producat. Quare, cum accedat autoritas Codicis, a *Bentlejo* collati, qui legit εἶπασ'· αὐτάρ, ſic omnino typis exſcribi juſſit, qui hanc nobis editionem paravit. Ex eodem Codice veram quoque lectionem revocavit in ejusdem *Libri verſ. 320*, μετ' ἄλλον

λέξο

λέξο ἑταίρων, cum vulgati male hic legant λέξον, quia hæc vox non *cuba*, ſed *cubare fac*, ſignificat. Minus etiam recte hic *Barneſius* legendum contendit λέξαι, quod & *Euſtathius* habet, & in editione Florentina ſcriptum reperitur, quam tamen vocem nuſquam alibi apud *Homerum* inveneris. *Lib.* O, *verſ.* 47 in vulgatis editum eſt, ὄφρα πρήσομεν ὁδοῖο. Sed, cum in omnibus editionibus legatur πρήσσωμεν, πρήσσησιν, *Iliad.* Ω, 264, *Odyſſ.* Γ, 476, & O, 219, & hic πρήσσωμεν eſt editum. *Lib.* Π. *verſ.* 2 vulgati, eosque ſecutus *Barneſius*, legunt: Ἐντύνοντο ἄριςον ἅμ' ἠοῖ. Quoniam autem *Euſtathius* & *Athenæus*, qui hunc locum laudavit, legunt, ἐντύνοντ' ἄριςον, recte hanc lectionem textui inſeruit Editor propterea, quod ἄριςον hoc in ſenſu primam producit. Male vero *Dionyſius Halicarnaſſenſis* hunc locum legit, ἐντύνοντες ἄριςον, quam lectionem ne ſententia quidem loci admittit. Cumque interpretatio *Homeri* Latina, quam editio *Wetſteniana* in lucem protulit, omnium habeatur accuratiſſima, eandem nonnunquam a ſententia Poetæ aberraſſe, Doctiſſimus Editor iterum iterumque demonſtravit. Sic *Lib.* Z. *verſ.* 193 participium ἀντιάσαντες modo laudata editio, quacum & *Barneſius* facit, vertit *occurrentem*; ſed, quoniam de ſupplicibus eſt ſermo Poetæ, ſuo jure potius vertendum cenſuit noſter Editor per *compotem factum*. *Lib.* Π. *verſ.* 297 verba, Ὡς ἂν ἐπιθύσαντες ἑλοίμεθα peſſime reddit interpretatio *Wetſteniana*, *ut facta re divina ſumamus*. Nam, cum verbum ἐπιθύω apud ipſum *Homerum Iliad.* Σ. *verſ.* 174, ubi illa interpretatio recte per *irruere* exponit, occurrat, tunc hoc potiore jure huc facere ea notio videtur, quod verbum hoc ἐπιθύω non tam ab ἐπὶ & θύω, quam ab ἐπὶ & ἰθύω, componatur. Unde & antepenultima recte hic producitur. *Lib.* Υ. *verſ.* 171 verba, ἐδ' αἰδῶς μοῖραν ἔχεσιν, varie explicantur. Scholiaſtes exponit, ἐδ' ὀλίγον αἰδῦνται. Similiter reddit verſio *Wetſteniana*, *neque pudoris vel particulam habent*, Barneſius vero eodem tendit, qui vertit, *neque pudoris partem*, id eſt, tantillum, *habent*. Sed recte monet Cl. *Clarkius*, vocem μοῖρα iſto ſenſu vix uſquam reperiri, qui etiam bene

Digitized by Google

reddidit, *neque pudoris portionem*, qualis nimirum ceteris hominibus ineſſe ſolet, *habent*. Ceterum eadem, qua *Odyſſea* ipſa, ratione quoque illuſtrantur *Batrachomyomachia* & *Hymni*, quamvis hæc carmina vix genuina *Homerici* ingenii monumenta Editori videantur; quibus ſubjiciuntur Epigrammata & fragmenta quædam. Tandem totum Opus clauditur Indice verborum Græco & rerum Latino.

DECAS EPISTOLARUM, QUAS, SUB prelo ſudante FRANCISCI BARBARI Epiſtolarum collectione, harum Editor & Illuſtrator in lucem emiſit.

Brixiæ, typis Ioannis Mariæ Rizzardi, 1742, 4 maj.
Alph. 1 plag. 6.

AD REVERENDISSIMUM PATREM D. RENUM L'ANEAU, Superiorem Generalem Congregationis S. Mauri, Epiſtola.

Ibidem, 1743, 4 maj.
Plag. 9.

Qui haud ignorant, quanta gravitas, cum venuſtate conjuncta, quanta ſtili jucunditas, & quanta eruditio, paginam utramque faciat in Epiſtolis Emin. Purpurati *Angeli Mariæ Quirini*, Vaticanæ Præfecti, & Epiſcopi Brixienſis, illi non poſſunt, quin bonis literis gratulentur, quarum quippe ſplendor & dignitas beneficio earum mirifice amplificatur. Epiſtolæ ipſæ ad Viros, ſummis honoribus fulgentes, ſcriptæ fuerunt anno 1741 & 1742, datæque in Epiſcopali Brixiæ urbe. In Præfatione Emin. Muſarum coryphæus docet, ſtudia & literas optimas jam ope *Coſmi* Medicei ante Synodum Florentinam in Italia revixiſſe, qui celeberrimam Græcarum literarum Academiam Florentiæ aperuerit. Prædicat præterea indidem *Coſmi III*, Ducis quondam Magni, animum erga ſeſe beneficentiſſimum. Nec dicere omittit, ſe Florentiæ tirocinium vitæ mo-

naſticæ

Digitized by Google

naſticæ & ſelectiorum ſtudiorum poſuiſſe, nec non deinde per 14 annos traxiſſe moram. *Epiſtolarum prima* ac *ſecunda* ad *Benedictum XIV*, Pontificem eccleſiæ Romanæ Maximum, datæ ſunt. *Tertia* miſſa fuit ad Emin. & Rev. Cardinalem *Andream Herculem de Fleury*. *Quarta* data eſt ad Emin. & Rev. Cardinalem *Nereum Corſinum*. Ad cujus calcem apparet *Sylloge Epiſtolarum* Apoſtolicarum *Clementis XII*, Pont. Max. de Vaticanæ Bibliothecæ incremento, de nova S. *Ephraem Syri* editione, ex ejus Codicibus adornata, atque una ſimul, qua *ichnographia* aulæ, ab eodem Summo Pontifice ad Vaticanam Bibliothecam adjunctæ, exhibetur. *Quinta* ad eundem tendit. Acceſſit ejus calci *Sermo Italicus*, ab Emin. Autore habitus in nova cathedrali eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia, die Aſſumtionis B. M. V. anno 1741. Ad eundem data fuit æque *ſexta*. Adjecta eſt calci ejus *Oratio de Moſaicæ hiſtoriæ præſtantia*, habita Florentiæ A. 1705, iterum excuſa Veronæ A. 1741. *Septima* miſſa fuit ad Ill. & Exc. *Marcum Fuſcarenum*, Equitem & Procuratorem D. *Marci*, data Brixiæ A. 1742, 19 Mart. *Octava* Epiſtola data eſt ad Illuſtriſſ. & Excell. *Ioannem Emo*, Procuratorem D. *Marci*. *Nona* fuit data ad Reverendiſſ. Patrem D. *Cyprianum Benaglia*, Præſidem generalem Congregationis Caſinenſis, alias S. *Juſtinæ de S. Padua*. Ad cujus calcem apparet Epiſtola paſtoralis, Italico ſermone ad Clerum Populumque Brixianum data, qua ad gratiarum actiones ſingulari cultu tribuendas Sanctis Brixiæ Patronis, *Fauſtino* & *Jovita*, ob eorum ſingulare tutamen, binis documentis recens detectis certo comprobatum, excitantur. *Decima* Epiſtola ſpectat denuo ad Pont. Max. *Benedictum XIV*. Inſeritur ei Opuſculum, cui titulus: *Monumenta litteraturæ Epiſcoporum Venetæ ditionis, qui Franciſci Barbari ætate floruerunt*. Recenſentur inibi Præſules, qui ab A. 1430 uſque ad A. 1455 Epiſcopales infulas in Venetorum terris geſtarunt, duobus tantum exceptis, nempe *Gregorio Corrario* & *Theodoro Lælio*, qui tamen intra illud temporis intervallum honore gradus eccleſiaſtici effulſerunt, ex quo hic Tarviſinam, ille Vicentinam primum, deinde Venetam, Cathedram conſcendit.

Digitized by Google

ſcendit. Non omittenda eſt præter illas mentio Epiſtolæ,
quam Eminentiſſ. Autor A. 1743 ad Reverendiſſ. Patrem D.
Renatum l'Aneau, ſuperiorem Generalem Congregationis S.
Mauræ, dedit, duodeviginti plagulas complexæ. In hac diſ-
ſeruit *de Hymnis quadrageſimalibus Græcorum, eorumque auto-
ribus*. Lucubraverat hoc opus jam ante 25 circiter annos, &
illa, quae hic exhibentur, complexus fuerat eo opere, quo
Pag. 3. orthodoxa Græcæ Eccleſiæ officia ad veterum MStorum Co-
dicum fidem edenda ſuſceperat ſub auſpiciis *Clementis XI*, Pont.
Max. id magnopere curantis, ut ea officia a deliramentis Schiſ-
maticorum Græcorum expurgarentur. Dolemus, nullam am-
plius ſpem ſupereſſe, nanciſcendi librum *de Melodis Græcorum*,
a *Leone Allatio* compoſitum. Pollicitus fuerat olim noſtras
Urbanus Godofredus Siberus eorundem *Melodorum* hiſtoriam.
At edidit de eis nihil, niſi ſchediaſma, paucis pagellis com-
prehenſum, A. 1714. Lipſiæ vulgatum. Minus probantur
Eminentiſſimo Autori, quæ *Siberus* §. *35* de irritis *Allatii*
promiſſis pronuntiavit, ratus, verba illa adverſus literarios
Allatii labores et adverſus puriorem tam Græcorum, quam Ro-
manorum, doctrinam ſpirare aliquid obtrectationis. Sub finem
huius Epiſtolæ ipſe ad illa *Siberi* nonnihil repoſuit, vel po-
45. tius, ſeſe repoſiturum eſſe, indicavit hoc modo: *Calamus
mihi modo diſtringendus foret in Godofredum Siberum, Allatii
laborum, ut vidimus, obtrectatorem. At hoc alterius loci erit.*
6. Laodicenam Synodum ſub finem Seculi quarti habitam fuiſſe,
idem contendit. Morem apud Græcos fuiſſe antiquiſſimum,
decantandi hymnos inter eccleſiaſticas preces, oſtendit, ad-
dens tamen, 1) incompertum eſſe, quinam primis illis tem-
poribus fuerint hujuscemodi hymni, quibusve autoribus fue-
rint conſcripti, 2) Hymnographos Græcos, quos non edita
modo Graecorum Officiorum exemplaria, ſed antiquiores
etiam MSti Codices, exhibent, non niſi poſt Seculum VII ple-
rosque omnes florere cœpiſſe. Sacri Graecorum hymni ex Odis
componuntur ſeu novem, ſeu quatuor, ſeu tribus, ſeu non-
nunquam duabus tantum. Et ex ea varietate diverſum quo-
que nomen ſortiuntur. Canon enim dicitur hymnus, qui
novem

Digitized by Google

novem; Tetraodium, qui quatuor; Triodium, qui tribus; Diodium, qui duabus Odis, conſtat. Singulis Hirmus præfigitur, veluti regula cantus, & præterea certus in hymni fronte tonus notatur. Odæ ex pluribus coaleſcunt Tropariis, quorum poſtrema plerumque Trinitatis & Deiparæ laudes continent, indeque Triatica & Theotocica nuncupantur. Primæ Tropariorum literæ, in unum conjunctæ, acroſtichidem haud raro effingunt. Omnibus hiſce vocabulis Eminentiſſ. Purpuratus explicationem adjicit, cui non parum conducit Commentarius *Ioannis Zonaræ* in Anaſtaſimos Canones *Ioannis Damaſceni* ex Bibliotheca Bavarica, a *Gretſero Lib: V Tom. III de Cruce* in Procemio laudatus. Lucem verbis *Zonaræ* idem ex *Jacobi Goari Euchologio pag. 435* affundit. Hirmus, εἱρμὸς, eſt canon modulationis, ſeu regula cantus, in aliis poſtea tropariis concinendis ſervanda. Præter hirmos, quibus, iisque variis, ſingulæ Odæ prænotantur, apponitur etiam in principio totius Canonis, ſeu Cantici, certus quidam tonus, qui non unius tantum, ſed ſubſequentium omnium Odarum, modulationi præeſt. Octo autem ſunt toni, quibus Græcorum Muſica conſtat, quatuor ſimplices, reliqui obliqui. Triodium primus in figuram ſanctæ Trinitatis excogitaſſe fertur *Coſmas Hieroſolymitanus* pro Dominicæ Paſſionis hebdomade. In Quadrageſimali Græcorum officio cantiones hujusmodi, tribus Odis conſtantes, frequentiſſimæ ſunt, utpote quæ omnibus, exceptis Sabbatis & Dominicis, adhibentur. Hinc eſt, quod integrum ejusmodi Officii volumen generali vocabulo *Triodium* appellatur. Triodiorum aliorumve Quadrageſimalium *Hymnorum inter autores excelluerunt Coſmas* ille ac duo celeberrimi *Studitæ*, ita a Byzantino *Studii* cœnobio, ubi monaſticis inſtitutis vacarunt, dicti, *Theodorus* & *Joſephus*, quorum nomina iisdem hymnis in MStis priſcis ac exemplaribus editis inſcripta apparent. *Theodorus* ſub finem Seculi VIII varia fortuna claruit. Menæa Græcorum ſuccincte vitam ejus ad Nov. XI recenſent. Ex profeſſo eam ſuppeditavit *Michael*, Monachus Studita, *Theodori* diſcipulus, quam *Sirmondus Tomo V Operum* edidit. *Urbanus VIII*, Pont. Max. nomen ejus

Pag. 7.

11.

H Marty-

Digitized by Google

Pag. 15. Martyrologio Romano inſcribi iuſſit. Addit Noſter: *Deteſtabile prorſus Græci Schiſmatici admiſerunt ſcelus, dum inter vera, & tot iam annis uſui eccleſiaſticarum precum conſecrata, Theodori ſcripta, quæ ſibi et poſteris omnino a maculis innoxia ſervare debebant, compacta ab ipſiſmet nugamenta inſerere auſi ſunt, Synaxaria nimirum, & alia hujuſmodi, quorum vicinia ſanctiora piæ antiquitatis monumenta, ceu quadam contagione, quodammodo inficerentur.* *Theodorum* Romanæ eccleſiæ adhæſiſſe, conſtat ex *Anaſtaſii* Bibliothecarii Præfatione ad *Theodori Studitæ* Sermonem de S. *Bartholomæo* Apoſtolo apud *Dacherium* in *Spicilegio Tom. III*, ex ipſiusmet ad *Leonem* Pontificem Epiſtola *n. 33*, nec non ex literis ad *Baſilium*, Archimandritam S. Sabæ, *n. 35*. Catalogus ſcriptorum *Theodori*, mortui A. 826, legitur apud *Sirmondum Tom. V Operum.* Eminet inter ea Epiſtolarum volumen. Optavit
17. *Baronius*, ut inveniatur vir doctus, qui ea colligat edatque. Frater *Theodori*, *Joſephus*, inſtitutis, doctrina, & fide, illi fuit par & germanus. Defendit imaginum cultum contra Iconomachos, & Theſſalonicenſi tandem infula decoratus fuit, *Joſephus*. Vitam ejus exhibent Menæa ad Jul. XV. *Joſephus* alius, circiter 40 annis junior, æque inter Hymnographos enituit ſacros. Menæis ad III Apr. percelebratur ipſe. Vitam hujus ſcripſit *Joannes Diaconus*, ex quo *Maracius* in ſuo *Joſephi* Hymnographi Mariali eam recitat. Quantum utrique in Triodiis ſit tribuendum, diſpicit Emin. Autor. Floruit in-
19. ter Hymnographos ipſe *Joannes Damaſcenus*, cujus elogium Menæa ad IV Dec. exhibent, & copioſius executus fuit in vita ejus *Joannes Hieroſolymitanus*. *Damaſcenus* ex ea in cantionibus eccleſiaſticis conſcribendis excellentia nomen inde-
23. ptus eſt *Melodi*, ſive *Cantoris*, teſtibus *Cedreno* & *Suida*. Sæpius ipſum vocari nude *Joannem Monachum*, Noſter oſtendit. Addit utrique huic *Joanni* tertium cognominem, æque Hymnographum ſacrum, qui, Μαυρόπους a *nigris pedibus* dictus, primum fuit Monachus, deinde Euchaitarum Metropolita. Prodierunt hujus Poemata Ætonæ prope Vindeſoram in lucem opera *Matthæi Buſti*. Plura ejus cantica ſacra latent re-

condita

Digitized by Google

condita in Bibliotheca Vindobonenſi. Triodii cantica, quæ nudum *Joannis Monachi* nomen præferunt, cur *Joanni*, Euchaitarum Metropolitæ, aſſerere recuſet, complures Emin. Purpuratus producit rationes. *Michaelem Pſellum* omni ſtudio ſchisma inter Latinam & Græcam Eccleſiam foviſſe & promoviſſe, monet. Hymnographis deinde inſerit *Theophanen*, in Palæſtina natum, poſt Iconomachiæ incommoda Epiſcopum eccleſiæ Nicænæ, ejusque fratrem, *Theodorum*, in quorum frontibus inuſti fuerunt jambi, unde uterque appellatus fuit γραπτός. *Andream Cretenſem* medio Seculo octavo claruiſſe, conjectat. *Coſmam* Hieroſolymitanum albo Hymnographorum ut inſereret, effecit Menæorum autoritas, in quibus tamen pro τῖνα τῶν Ἀσικρίτων legendum cenſet τίνα τῶν Ἀσυγκρίτων, ſiquidem *Coſmas* fuerit de ſecta philoſophica, quæ judicium de rebus plerumque ſolet ſuſpendere, & ſecta ἀσυγκρίτων dicta eſt. Diſtinguendum eſſe monet hunc *Coſmam* a magiſtro *Coſma*. Sabbati Tetraodium a *Coſma* illo fuit inchoatum, a *Marco* autem completum, qui Monaſterii S. *Mocii* Oeconomus, ac *Leoni* Imperatori circa annum 900 ætate ſuppar, exſtitit. Addit hiſce tandem Autor *Caſiam*, ſeu *Icaſiam*, Poetriam, quæ, imperio repulſa a *Theophilo* Imperatore, monaſterium Conſtantinopoli condidit *Studiano* proximum, hymniſque ſacris pangendis ſeſe addixit. Hæc de Hymnographis *Triodii Barberini* copioſe expoſuit Emin. Purpuratus, hoc pacto feliciter partem jacturæ reparans, quam orbis eruditus ægre patitur, nondum invento *Leonis Allatii* libro MSto *de Melodis Græcorum*, nec in lucem emiſſa *Melodorum Græcorum hiſtoria*, quam B. *Urbanus Godofredus Siberus* noſter olim promiſit. Incudem hanc denuo tundet Emin. Vir, ſimulque *Siberi* monita, ad *Leonis Allatii* & aliorum labores, Hymnographis Græcis propius noſcendis impenſos, obelo paſſim notabit. Fuimus jure noſtro longi in hoc argumento rariori, ardentes continuationem ejus videre. Hæc ad Epiſtolam ſeparatim edicam. Avet fortaſſis Lector ex Decade, tanquam epulo ſaliari, nonnihil delibare. Annuendum deſiderio tam juſto. *Epiſtola prima* Emin. Cardinalis Pontificum Roma-

Pag. 25. 33. 37.

num certiorem facit de ſua Epiſtolarum *Franciſci Barbari* editione, ac ſpeciminis loco unam offert, qua *Barbarus Nicolao V* dignitatem Papalem fuit gratulatus. *Secunda* nonnullas *Franciſci Barbari* neceſſitudines & amicitias reddit notiores. Comparat ſimul *Nicolaum V* cum *Benedicto XIV*. *Epiſtola tertia* memorat itinera ſua, olim in Gallias & ad ipſos Britannos inſtituta, ſuamque Pariſiis cum *Andrea Hercule de Fleury*, Galliarum regni adminiſtro, excultam amicitiam. Monet ex *Epiſtolis Barbari* ſui, caute omnino eſſe belligerandum, &, quamvis majoris animi ſit, inferre arma, quam propulſare, tutiora tamen conſilia ſpecioſioribus & celerioribus eſſe anteponenda. Addit Epiſtolam *Franciſci Barbari* ad *Gentilem*, A. 1453 exſtinctum ex ſagitta, Venetarum olim copiarum Ducem. Addit, probari Summo Pontifici ſuum Brixianæ Eccleſiæ non deſerendæ propoſitum. *Epiſtolæ quartæ* præmittit epigraphen, quam, a Præſule *Carolo Majella* compoſitam, marmoreæ tabulæ incidi, & in fronte aulæ, a ſe conſtructæ, *Clemens XII* collocari juſſit. En illam: *Clemens XII P. M. Corſinus excipiendis & aſſervandis impreſſis Codicibus, tam Pontificia liberalitate comparatis, quam ab Angelo Maria Quirino, S. R. E. Cardinali Bibliothecario, dono datis, inſigni aulæ hujus acceſſione Vaticanæ Bibliothecæ ſpatia laxavit, armaria pluteosque conſtruxit, anno Domini 1732.* Indicat ſimul, Syllogen literarum Apoſtolicarum *Clementis XII*, a ſeſe in præſens vulgandam, Cardinali *Nereo*, ex fratre nepoti *Clementis* ejusdem, dedicatum iri. Præconiis ſummis litat famæ *Clementis*, ejusque beneficia, in ipſum collata, mente memori grataque recognoſcit. Succedunt *Clementis* illius literæ Apoſtolicæ, ad Card. *Quirinum* datæ, de Vaticanæ Bibliothecæ incremento, de nova S. *Ephraem Syri* editione, ex ejus Codicibus adornata, atque ſimul de paſtoralis ſollicitudinis laudibus. Subjicitur ichnographia illius aulæ, ad Bibliothecam adjunctæ, ære expreſſa. *Epiſtolæ quintæ*, vel potius Sermoni inaugurali, ſubjicitur novum templum Brixienſe cathedrale, æri inciſum, & Epigrammate addito celebratum. *Epiſtola ſexta* recenſet Cardinales Vaticanæ Bibliothecarios, orſus ab *Hieronymo Aleandro*, ac anno 1519. Excipit eam Oratio

Pag. 3.

11.

Digitized by Google

tio *de Hiſtoriæ Moſaicæ præſtantia*, qua Emin. Vir pronuntiat, ſibi ſacrarum literarum ſtudia in amore ſemper atque in deliciis fuiſſe. Memoratu digna hæc ejusdem ſunt verba: *Quoniam doctiſſimorum virorum judicio & communi etiam experimento ſine linguarum ope, Hebraicæ præſertim & Græcæ, perfecta planaque ſacrarum literarum intelligentia comparari nequit; nam, quemadmodum ad Hieronymum egregie ſcribit Auguſtinus, ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt, ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat; ne hoc adjumento indigeremus, in Græca quidem, cujus latior utilitas atque neceſſitas, operæ plurimum laborisque conſumſi; Hebraicam vero paucis tantum abhinc menſibus attigi, efficiam tamen, ut in poſterum neque in hujus addiſcendæ ſtudio diligentiam meam deſideretis.* Commendamus hæc eis verba, qui Vulgatæ principatum præ Codicibus Hebræis Vet. Teſt. & Græcis Nov. Teſt. paſſim deferunt. In *Epiſtola octava* idem ſignificat, detectas in Vaticano Codice MSto literas quasdam *Georgii Trapezuntii*, ad *Andream* filium A. 1454 datas, teſtantesque Epiſtolam *Mahometis*, Turcorum Imperatoris, ad *Nicolaum V* Pontificem, quæ germana non ſit, ſed a *Poggio*, Florentino, ſuppoſita. Suppetunt nobis præterea ex hac cœna non contemnendæ dapes. At cancelli, quibus inſtitutum noſtrum nos circumſepſit, jubent invitum tacere, locumque facere aliis orbis eruditi monumentis. Nunquam tamen de Emin. Purpurati ſumma eruditione ingeniique gloria tacebimus. Nec ulla erit tam ingrata poſteritas, quæ in decus ac ſpeculum immortalis doctrinæ hoc luculentiſſimum lubente animo intueri recuſet.

Pag. 15.

7.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES INSCRIptions & belles lettres, &c.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ INſcriptionum & elegantiorum literarum, & ſimul

MEMOIRES DE LITERATURE, &c.
hoc eſt,
DISSERTATIONES, IN ISTA ACADEMIA PUblicatæ ab anno 1726 uſque ad anni 1730 exitum.
Tomus VII.

Lutetiæ, in typographia Regia, 1733, 4 maj.
Alph. 5 plag. 2, cum Fig. æneis.

Redimus jam alacres ad intermiſſam diu operam, dicendi de Commentariis Regiæ Inſcriptionum Academiæ, bonæ frugis, ut inter omnes conſtat, pleniſſimis. *Sextum Volumen* eorum, quæ olim nos occuparunt, ultimum fuit. Nunc igitur ad *ſeptimum* progredimur, prioribus illis, quod ad doctrinæ elegantiam, prorſus ſimillimum. Præmiſſo eorum ſodalium indice, quos inde ab A. 1726 uſque ad 1730 aut amiſit, aut accepit, hæc Academia, exhibetur hiſtoria operum, ab Academicis eodem temporis ſpatio elaboratorum. Ac initio recenſetur Abbatis *de Fontenu* liber de altaribus, vero Deo ſacratis, inde ab ortu mundi uſque ad natalem Chriſti; in quo non ſolum docet, dilutis adverſariæ ſententiæ argumentis, *Bileamum* veri Dei fuiſſe Prophetam, ſed etiam, non obſtante lege illa, quam *Devt. XII, 5*, reperimus, pluribus occaſionibus licuiſſe ſingulares exſtruere aras, iisque victimas imponere. Recenſetur 2) *Bonamici* Diſſertatio de paganæ Theologiæ eſſentiali parte, Magia, profluenti quippe ex illius Theologiæ principiis ac doctrinis; 3) *Gedoyni* de origine equitationis in Græcia Diſſertatio; 4) *Ferreti* Explicatio fabulæ de *Bellerophonte*, putantis, *Pegaſo*, ejus equo, ſignificari navem, *Chimæra* claſſem navium; 5) *Banierii* Diſſertatio de itinere *Perſei*, ejusque pugna cum *Phineo*, deſcribi exiſtimantis expeditionem *Perſei* maritimam in mari mediterraneo adverſus Gorgones, id eſt, Libyæ incolas; 6) *Blanchardi* Diſſertatio de tribunalibus, in Athenarum urbe ad conſervandas leges conſtitutis; 7) ejusdem Diſſertatio de Pritaneorum origine, deque Pritanum officiis; ubi, rejectis aliorum conjecturis etymologicis, docetur, *Prytanea* nomen accepiſſe a *Pritane* quodam, regiæ familiæ viro; 8) Diſſertatio ejusdem de

Digitized by Google

de *Heliaſtis*, quod Athenis erat certum genus judicum; 9) *Mabudelii* Diſſertatio de *Hero* & *Leandro*; quam eſſe meram fabulam, contenditur, ab Abydenis fictam, quorum glorioſe mentiendi licentia peperit proverbium; 10) *Pariſii* Diſſertatio, in qua veſtigiis *Huetii* inſiſtens, demonſtrat lucidius, jam olim cognitas fuiſſe partes Africæ meridionales; 11) *Nauzii* hiſtoria regni *Seleuci Nicatoris*, quod ultra quinquaginta annos duraſſe contendit; 12) *Mabudelii* Diſſertatio de *Cornelio Celſo*, & librorum ejus *de Medicina* editionibus, deque ceteris ejus ſcriptis; 13) *Bonamici* Diſſertatio de Imp. *Juliano*; in qua docetur, eum non minori dignum eſſe laude, quam *Trajanum* & *Antoninum Philoſophum*, reprehenditurque *Gregorius Nazianzenus*, ſcripta ejus plane contemnens, cum tamen ex ipſis clariſſime agnoſcamus ſummum hujus Principis ingenium. Putat etiam Vir doctiſſimus, nunquam, niſi ſimulate, Chriſtianum fuiſſe *Julianum*, nec tamen rudem fuiſſe ethnicum, ſed Philoſophorum ethnicorum coluiſſe religionem. 14) *Gedoyni*, qui Gallicum in ſermonem tranſtulit *Pauſaniæ Græciam*, Diſſertatio de vitiis verſionum librorum Græcorum; in qua multa proferuntur eorum vitiorum exempla, ſingularem demonſtrantia *Gedoyni* perſpicaciam; 15) *Curnei* de *Romulo* Diſſertatio, multos notantis errores *Plutarchi*, in ejus Vita commiſſos; 16) 17) 18) 19) 20) 21) ejusdem Diſſertationes ſimiles de vita *Craſſi*, (ubi etiam diligenter diſputatur de cauſa, ob quam cognomine *Magni* affectus fuerit *Pompejus*,) de *Catone Uticenſi*, de *Cæſare*, de *Cicerone*, de *Bruto*, de *Antonio*; 22) *Sallierii* Examen correctionum aliquot criticarum; 23) *Vatryi* Emendatio & illuſtratio loci cujusdam in Rhetorica *Ariſtotelis*; 24) *Hardionii* Emendatio loci cujusdam *Euripidis*; 25) *Sallierii* Diſſertatio, in qua docet, quid ſignificet in veterum libris ἡρώων μνῆμα; 26) & 27) ejusdem Diſſertationes de notione vocabuli ἔγχυς apud *Euripidem*; 28) *Barrii* Emendatio trium locorum *Plinii*, *Lib. VII Cap. 23*, & *Lib. IV Cap. 12*, & *Lib. V Cap. 32*; 29) *Banierii* Critica Diſſertatio ad locum quendam *Pauſaniæ*; 30) *Furmontii* Demonſtratio utilitatis linguarum orientalium in hiſtoria veteris Græciæ. Ingenioſa admodum eſt, lectuque digniſſima, hæc Diſſertatio, ſpeciminis cauſa exhi-

exhibens explicationem fabulæ de *Perſeo* & *Gorgonibus*, itemque interpretationem epitaphii *Sardanapali*; 31) *Lanceloti* Commentatio de aliquot Inſcriptionibus; 32) *Mabudelii* Diſſertatio de antiquis Medallionibus; 33) *Sallierii* Obſervatio de aliquot libris Bibliothecæ Regiæ, quibus annotationes ſuas adſcripſerunt primi poſſeſſores eruditiſſimi; 34) *Foncemagnii* Demonſtratio, quod *Vitæ Aridii* autor non ſit *Gregorius Turonenſis*; 35) *Curnei* Diſſertatio de MSta *Vita Caroli M. juſſu Imp. Friderici Barbaroſſæ conſcripta*; 36) *Lanceloti* Diſſertatio de libro MSto *de la Court amoureuſe, & des Rois de l' Epinette*. Prior ſcilicet fuit Societas quædam illuſtris, in aula Regia Galliæ inſtituta Seculi decimi quinti initio. Poſterius erat feſtum joculare Inſulis, urbe Flandriæ, celebrari ſolitum Seculo decimo tertio ac duobus proxime ſecutis; 37) *Falconeti* Diſſertatio de vetuſtiſſimis verſionibus Gallicis, una cum ſpecimine *Bibliothecæ Gallicæ*; 38) *Foncemagnii* Obſervatio critica ad *Valeſii Notitiam Galliæ*; 39) *Secuſſii* Specimen novæ *Notitiæ Galliæ* inde ab ortu monarchiæ; 40) *Foncemagnii* Diſſertatio, *Maittairio* oppoſita, in qua probat, primum librum in Gallia excuſum fuiſſe Lutetiæ a typographo *Ulrico Geringio*, Conſtantienſi. Recordamur, hoc etiam narrari in *Bulæi Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis Tom. V pag. 918 ſeq.*; 41) *Sallierii* Examen criticum *Vitæ Caſtruccii*, a *Machiavello* ſcriptæ; quam deſcriptionem oſtenditur eſſe fabuloſiſſimam; 42) *Furmontii* Relatio, e MSto Turcico hauſta, de quadam regni Perſici perturbatione, Seculo ſexto facta; 43) Hiſtoria itineris literarii, juſſu Regis per Orientis terras facti a *Sevino* A. 1729 & 1730, qui ſecum attulit Lutetiam ſexcentos circiter MStos libros; 44) Hiſtoria itineris literarii, per easdem terras eodem temporis tractu facti a *Furmontio*, qui Lutetiam ter mille & amplius Inſcriptiones antiquas, nondum editas, ſecum attulit; quarum publicam editionem, juſta ornatam illuſtratione; quis elegantior non exſpectet avide? Hactenus recenſio Diſſertationum Academicarum. Excipiunt eam *pag. 361 ſeq.* Elogia Academicorum, ab anno 1726 uſque ad annum 1730 exſtinctorum, *Hieronymi Bignonii*, (qui nepos erat celebratiſſimi illius *Hieronymi Bignonii*,) m. 1726 d. 5 Dec. *Mich. Peletierii de Souzy*,

m. 1726

m. 1726 anno vitæ octogeſimo ſexto d. 10 Dec. *Joannis Boivinii*, junioris, m. 1727 d. 29 Oct. *Philippi Antonii Gualterii*, Cardinalis, m. 1728 d. 21 Aprilis, *Claudii Franciſci Fraguierii*, m. 1728 d. 3 Maji, *Jacobi Quienii de la Neufville*, m. 1728 d. 20 Maji octogeſimo ſecundo ætatis anno, *Couturii*, (prænomine carentis, cum, an & ubi baptizatus fuerit, non ſatis certo conſtaret,) m. 1729 d. 16 Aug. *Franciſci Butardi*, m. 1729 d. 9 Dec. *Simonis Louberii*, Legati quondam Regis Galliæ ad Regem Siamenſem, m. 1729 d. 26 Maji exacto anno vitæ octogeſimo ſeptimo, *Joannis Baptiſtæ Thiauderii de Boiſſy*, m. 1729 d. 27 Junii, denique *Joannis Petri Moreti de Bourcheny*, Marchionis *de Valbonnays*, m. 1730 d. 2 Dec. anno ætatis ſeptuageſimo nono.

Nunc exhibentur uberiores diductioresque Academicorum Diſſertationes, novas complexæ, ſed priſtinis & adhuc uſitatis meliores, ſententias. *Prima* eſt *Furmontii*, junioris, errare eos, docentis, qui, plures fuiſſe, credant, *Mercurios*, ſimulque, unum duntaxat fuiſſe *Jovem*, demonſtrantis. In *altera pag. 14 ſeq.* idem docet, unam tantummodo *Venerem* habuiſſe veteres, errorisque communis aperit originem. In *tertia pag. 34 Banierius* de *Deabus matribus* agit, eorumque, qui antea de iis ſcripſerunt, rejectis conjecturis, probat, non in ſola Gallia & Germania eas, ſed in Occidente & Oriente, cultas fuiſſe, nec propinquiori demum ævo, ſed jam antiquiſſimo tempore. Ipſas, docet, nihil aliud fuiſſe, quam *Junones*, quæ pro una *Junone* in veterum ſcriptis occurrunt. In *quarta pag. 51 Fontenuus*, de *Hercule Muſageta* differens, producit adverſus eos, qui indignum hoc titulo judicant *Herculem*, teſtimonia veterum, e quibus lucidiſſime apparet, heroem hunc militarem etiam laude maximæ eruditionis, ſummique erga literas favoris, olim floruiſſe. In *quinta pag. 69* hiſtoriam *Bellerophontis* interpretatur *Banierius*, ſublatis fabularum involucris veritatem eruens ope vetuſtiſſimorum monumentorum. In *ſexta pag. 83 Freretus*, *Homero* duce, probat, *Bellerophontem* duobus Seculis antiquiorem eſſe bello Trojano. In *ſeptima pag. 113* diſſerit de Hyperboreis *Gedoynus*, contenditque, certam gentem

I olim

Digitized by Google

exhibens explicationem fabulæ de *Perſeo* & *Gorgonibus*, itemque interpretationem epitaphii *Sardanapali*; 31) *Lanceloti* Commentatio de aliquot Inſcriptionibus; 32) *Mabudelii* Diſſertatio de antiquis Medallionibus; 33) *Sallierii* Obſervatio de aliquot libris Bibliothecæ Regiæ, quibus annotationes ſuas adſcripſerunt primi poſſeſſores eruditiſſimi; 34) *Foncemagnii* Demonſtratio, quod *Vitæ Aridii* autor non ſit *Gregorius Turonenſis*; 35) *Curnei* Diſſertatio de MSta *Vita Caroli M. juſſu Imp. Friderici Barbaroſſæ conſcripta*; 36) *Lanceloti* Diſſertatio de libro MSto *de la Court amoureuſe, & des Rois de l' Epinette*. Prior ſcilicet fuit Societas quædam illuſtris, in aula Regia Galliæ inſtituta Seculi decimi quinti initio. Poſterius erat feſtum joculare Inſulis, urbe Flandriæ, celebrari ſolitum Seculo decimo tertio ac duobus proxime ſecutis; 37) *Falconeti* Diſſertatio de vetuſtiſſimis verſionibus Gallicis, una cum ſpecimine *Bibliothecæ Gallicæ*; 38) *Foncemagnii* Obſervatio critica ad *Valeſii Notitiam Galliæ*; 39) *Secuſſii* Specimen novæ *Notitiæ Galliæ* inde ab ortu monarchiæ; 40) *Foncemagnii* Diſſertatio, *Maittairio* oppoſita, in qua probat, primum librum in Gallia excuſum fuiſſe Lutetiæ a typographo *Ulrico Geringio*, Conſtantienſi. Recordamur, hoc etiam narrari in *Bulæi Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis Tom. V pag. 918 ſeq.*; 41) *Sallierii* Examen criticum *Vitæ Caſtruccii*, a *Machiavello* ſcriptæ; quam deſcriptionem oſtenditur eſſe fabuloſiſſimam; 42) *Furmontii* Relatio, e MSto Turcico hauſta, de quadam regni Perſici perturbatione, Seculo ſexto facta; 43) Hiſtoria itineris literarii, juſſu Regis per Orientis terras facti a *Sevino* A. 1729 & 1730, qui ſecum attulit Lutetiam ſexcentos circiter MStos libros; 44) Hiſtoria itineris literarii, per easdem terras eodem temporis tractu facti a *Furmontio*, qui Lutetiam ter mille & amplius Inſcriptiones antiquas, nondum editas, ſecum attulit; quarum publicam editionem, juſta ornatam illuſtratione; quis elegantior non exſpectet avide? Hactenus recenſio Diſſertationum Academicarum. Excipiunt eam *pag. 361 ſeq.* Elogia Academicorum, ab anno 1726 uſque ad annum 1730 exſtinctorum, *Hieronymi Bignonii*, (qui nepos erat celebratiſſimi illius *Hieronymi Bignonii*,) m. 1726 d. 5 Dec. *Mich. Peletierii de Souzy*, m. 1726

m. 1726 anno vitæ octogeſimo ſexto d. 10 Dec. *Joannis Boivinii*, junioris, m. 1727 d. 29 Oct. *Philippi Antonii Gualterii*, Cardinalis, m. 1728 d. 21 Aprilis, *Claudii Franciſci Fraguierii*, m. 1728 d. 3 Maji, *Jacobi Quienii de la Neufville*, m. 1728 d. 20 Maji octogeſimo ſecundo ætatis anno, *Couturii*, (prænomine carentis, cum, an & ubi baptizatus fuerit, non ſatis certo conſtaret,) m. 1729 d. 16 Aug. *Franciſci Butardi*, m. 1729 d. 9 Dec. *Simonis Louberii*, Legati quondam Regis Galliæ ad Regem Siamenſem, m. 1729 d. 26 Maji exacto anno vitæ octogeſimo ſeptimo, *Joannis Baptiſtæ Thiauderii de Boiſſy*, m. 1729 d. 27 Junii, denique *Joannis Petri Moreti de Bourcheny*, Marchionis *de Valbonnays*, m. 1730 d. 2 Dec. anno ætatis ſeptuageſimo nono.

Nunc exhibentur uberiores diductioresque Academicorum Diſſertationes, novas complexæ, ſed priſtinis & adhuc uſitatis meliores, ſententias. *Prima* eſt *Furmontii*, junioris, errare eos, docentis, qui, plures fuiſſe, credant, *Mercurios*, ſimulque, unum duntaxat fuiſſe *Jovem*, demonſtrantis. In *altera pag. 14 ſeq.* idem docet, unam tantummodo *Venerem* habuiſſe veteres, erroriſque communis aperit originem. In *tertia pag. 34 Banierius* de *Deabus matribus* agit, eorumque, qui antea de iis ſcripſerunt, rejectis conjecturis, probat, non in ſola Gallia & Germania eas, ſed in Occidente & Oriente, cultas fuiſſe, nec propinquiori demum ævo, ſed jam antiquiſſimo tempore. Ipſas, docet, nihil aliud fuiſſe, quam *Junones*, quæ pro una *Junone* in veterum ſcriptis occurrunt. In *quarta pag. 51 Fontenuus*, de *Hercule Muſageta* differens, producit adverſus eos, qui indignum hoc titulo judicant *Herculem*, teſtimonia veterum, e quibus luculentiſſime apparet, heroem hunc militarem etiam laude maximæ eruditionis, ſummique erga literas favoris, olim floruiſſe. In *quinta pag. 69* hiſtoriam *Bellerophontis* interpretatur *Banierius*, ſublatis fabularum involucris veritatem eruens ope vetuſtiſſimorum monumentorum. In *ſexta pag. 83 Freretus*, *Homero* duce, probat, *Bellerophontem* duobus Seculis antiquiorem eſſe bello Trojano. In *ſeptima pag. 113* diſſerit de Hyperboreis *Gedoynus*, contenditque, certam gentem

I olim

olim hoc nomen geſſiſſe, eamque habitaſſe inter paludem Mæotidem & Euxinum pontum. Diſputans vero de eodem populo in *octava pag. 117 Banierius*, longius eum removet, atque in Colchide collocat. Hic ſimul fabulas, de Hyperboreis (quod nomen putat eſſe ſynonymum *Scytharum*,) olim frequentatas, traducit in ſenſum commodiſſimum, ut emergat hiſtoria, nihil monſtri alens, &, cui fides habeatur, digniſſima. In *nona pag. 151* agit *Nauzius* de populis, in Epiro habitantibus ante bellum Trojanum, Chaoniis, Thesprotiis, Æthicibus, Athamanibus, Perrhæbis, & Ambraciis. In *decima pag. 174* de Areopago curatiſſime agit *Canajus*. In *undecima pag. 201* eruditiſſime pertractat *Valeſius* hiſtoriam primi belli ſacri. Dicit autem illud bellum, quod Amphictyones intulerunt Criſſenſibus, templum qui expilarant Delphicum. In *duodecima pag. 240* contendit *Nauzius*, quæ veteres narrant de *Herus* & *Leandri* amore, ea accidiſſe veriſſime, nec adſcribi oportere (id quod factum eſt a nonnullis,) lepidis merisque fabellis. In *decima tertia pag. 250* diſſerit *Hardionius* de ſaltu Leucadio, certiſſimo ſcilicet amoris remedio. In *decima quarta pag. 262 Barrius Lycurgi* hiſtoriam & chronologicum & hiſtoricum in ordinem redigit ſtudioſiſſime. In *decima quinta pag. 273* de *Pſyllorum* miraculis ita diſſerit *Suchajus*, ut, prolatis veterum narrationibus, vera diſcernat a falſis, doceatque, ſcientiam & virtutem medicam Pſyllorum fuiſſe naturalem. In *decima ſexta pag. 286* artis equitandi in Græcia antiquitatem & originem ſolerter eruit *Freretus*. In *decima ſeptima pag. 335* de Elegia diſputat *Suchajus*, ejusque & originem indicat, & genium veramque indolem deſcribit. In *decima octava pag. 352* idem fert ſententiam de veteris ævi Poetis elegiacis, Græcis pariter ac Latinis. Poſtponit hic *Tibullo Propertium*, utrique *Ovidium*. In *decima nona pag. 398* diſſerit *Sallierius* de parodia, ejusque origine ac virtutibus. In *vigeſima pag. 411 Homerici* ſyſtematis Olympi montis explicationem exhibet junior *Boivinius*. In *extrema* Diſſertatione *pag. 427 ſeq.* ad *Xenophontis Cyropædiam* animadverſiones profert *Freretus* ſubtiliſſimas. Poſtquam videlicet in *Tomo quarto* horum *Commentariorum* pag.

Digitized by Google

pag. 588 ſeq. aliquot difficultates geographicas ex hocce *Xenophontis* opere ſuſtulerat, nunc, eodem in ſtadio pergens, docet, quas ſedes habuerint commemorati ab illo *Grylli* filio *Sacæ* & *Caduſii.* Qua inveſtigatione ad colophonem perducta, disquirit etiam, quam longe, quamque late, regnarit magnus ille *Cyrus*, ſuisque ejus imperium circumſcribit ex omni parte terminis. Imo etiam appendicem annectit, in qua probare conatur adverſus *Banierium*, *Cyropædiam* non eſſe veri nominis hiſtoriam, ſed fictionibus refertiſſimam. Objicit ſcilicet *Xenophonti* primum vitia chronologica, deinde omiſſionem belli, cum *Aſtyage* geſti a *Cyro*, tandemque fictionem Regis *Cyaxaris*, quippe qui ſub ſole fuerit nunquam. Præterea docet pluribus, *Xenophontem* hoc in libro multa tradere hiſtoriæ *Biblicæ* contraria. Quapropter merito ſibi videtur concludere, *Ciceronis* de *Cyropædia* judicium eſſe veriſſimum juſtiſſimumque.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE NATURELLE des Petrifications dans les quatre parties du monde, avec Figures, & divers Indices, auſſi methodiques, que neceſſaires.

hoc eſt,

COMMENTARII, HISTORIAM NATURALEM corporum, in lapides converſorum, illuſtrantes, per quatuor mundi partes; cum Figuris, & variis Indicibus, tam accuratis, quam neceſſariis.

Hagæ Comitum, apud Joannem Neaulme, 1742, 4 maj.
Alph. 1 plag. 11, cum Tab. æn. 60.

Diſquiſitio corporum naturalium, inter ſtrata terræ diſpoſitorum, & in lapideam ſubſtantiam mutatorum, non ultimus Phyſicorum labor eſt. Hic eo magis neceſſarius videtur, quod in definiendis & explicandis Globi terraquei mutationibus eo carere nobis vix licet. Hunc igitur nonnulli rerum naturalium indagatores, in Principatu Neocomenſi habitantes, maximo cum ſtudio ſuſceperunt, & paucis abhinc annis multa corpora, in lapideam ſubſtantiam mutata, *Scheuchzero* & *Lan-*

gio, Viris in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimis, incognita, detexerunt. Hæc igitur æri inciſa nunc in publicum emiſerunt, ſimulque ea, quæ a modo laudatis Viris inventa ſunt, addere non dubitarunt. Cum vero hæc collectio nimium exereſcere videretur; non omnia foſſilia petrefacta, ſed marina tantum, hoc in Opere exhibuerunt. Hinc etiam factum eſt, ut ſcriptorum *Scheuchzeri* & *Langii* verſionem Gallicam non ſimul elaboraverint, ſed potius varia ſcripta, hanc doctrinam illuſtrantia, collegerint. Exponamus præcipua momenta tractationis primæ de origine lapidum, cujus autorem Cel. *Bourguetum* eſſe conjicimus. Lapides dicit corpora inſipida, dura, non ductilia, neque in aqua diſſolubilia. Horum duæ potiſſimum conſtituuntur claſſes, quarum prima comprehendit 1) lapides pretioſos transparentes, vel opacos anguloſos; 2) lapides pretioſos minus transparentes, vel opacos, marmora, ſilicem culinarem, lapides calcareos; altera vero complectitur 1) lapides lamellatos, ſplendeſcente ſuperficie præditos, 2) lapides arenoſos, & alios aggregatos. Hac diviſione præmiſſa, quotidiana lapidum geneſis exemplis variis oſtenditur, & inprimis Stalactitis formatio uberius declaratur. Primo quidem intuitu videntur omnes lapides per cohæſionem variarum particularum cryſtallinarum, terreſtrium, &c. producti fuiſſe. Sed, ſi ulterius diſquiratur, quomodo flumina, fontes, & aliæ aquæ, his partibus imprægnatæ, ad tam alta ſæpius & diſſita loca penetrare potuerint, tunc aſſertum maxime dubium redditur. Ad mutationes ſuperficiei terræ inſignes hoc quidem in caſu provocari, ſtatuique, poſſet, easdem per terræ motus, rapidiſſima flumina, et torrentes, ex præcipiti delapſos, inductas fuiſſe; Autor tamen multis exemplis declarat, globum noſtrum per aquas non ita mutari poſſe, ut ea, quæ in variis terrarum ſtratis obſervantur, inde explicari queant. Porro monet, in mutua arenæ & lapidum formatione circulum vix explicandum obſervari. Tandem ipſam quoque figuram montium huic formationi contrariam judicat. Novum itaque ſyſtema, quod originem lapidum primitivam & generalem explicat, proponit.

Parti-

Digitized by Google

Particulæ variæ indolis, per motus impreſſos rectilineos motæ, ob reſiſtentiam vicinarum tandem ad circularem motum diſponuntur, hinc vortices producuntur, quibus varii globi in ſyſtemate univerſi conſtituti fuerunt. Materia enim omnis, ad centrum mota, per vortices tales ad proprios globos conſtituendos deducta fuit. Hinc etiam in globi noſtri terraquei prima productione particulæ, in vorticoſo motu conſtitutæ, varia ſtrata, variosque lapides, pro ratione preſſionis corporum vicinorum effecerunt, & prima globi noſtri fundamenta poſuerunt. Sed hæc compoſitio ob homogeneas particulas non diu durare poterat. Aquæ enim ſe illis immiſcebant, & motum terræ lentiorem reddebant, ita ut, diſſolutione facta, alia corpora, mineralia, animalia, & vegetabilia, ſimul abriperentur, & in nova ſtratorum formatione in interiora eorundem penetrarent, ibidemque duriora redderentur. Hac ratione igitur & originem lapidum, cum origine terræ convenientem, & ſtratorum variorum, in diſſolutione ſequenti, vel paulo poſt eandem, ortorum, dijudicare valemus, quod Cel. Autor plurimis exemplis illuſtrat, & ſimul rationem figurarum diverſarum in lapidibus particularibus exponit. Hanc enim ex motu globi ipſius, & circulatione aquarum, et ex diverſa reſiſtentia corporum, circa lapides, in geneſi conſtitutos, poſitorum, deducit. In geneſin cryſtallorum inprimis ſollicite inquirit, figurarum diſpoſitiones ſtudioſe deſcribit, &, cryſtalli montanæ generatione expoſita, ad reliquas etiam cryſtalliſationes lapidum pretioſorum progreditur. Ex omnibus his, fuſius pertractatis, tres modos primarios geneſeos *lapidum deducit. Primus* in formatione globi noſtri obſervatur; alter in reſtitutione terræ in eum ſtatum, in quo nunc deprehenditur; tertius vero, qui localis appellari poſſet, in hodiernum uſque diem obſervatur. Difficilis quidem eſt diſquiſitio, ad quam claſſem ratione originis pertineant lapides; in ea tamen ad rupes vicinas reſpiciendum eſt, ex quibus per torrentium impetum ſeparari potuerunt. Si partes diffractæ ejusdem ſubſtantiæ cum rupibus vicinis ſunt, ad novam formationem pertinent;

 ſi tamen

Digitized by Google

ſi tamen diverſæ ſunt, tunc ad primigeniam formationem pertinere videntur. Tandem Autor geneſin lapidum in corporibus humanis & animantium brutorum diſquirit. Lapides hos ad tres claſſes reducit, tophaceos nimirum, bezoardicos, & cryſtallinos. Tophacei ex materia terreſtri compoſiti ſunt, bezoardici aliquam portionem materiæ lapideæ continent, quæ tamen in cryſtallinis magis abundat. Cum hæ particulæ cum alimentis ingerantur, ulterius in geneſin calculorum in animalibus inquirit, & differentias inde declarat. In tota hac tractatione Autor quidem maximam ingenii vim demonſtrat, ea tamen, quæ proponit, ſemper ex phænomenis naturæ declarare annititur.

Tractatio *altera* accurate & evidenter oſtendit: primo, lapides figuratos, marinis corporibus ſimiles, eſſe conchas & alia corpora, ex mari producta, quæ, antequam huc adducta fuerunt, jam formata erant; ſecundo, hanc mutationem loci non niſi per diluvium univerſale fieri potuiſſe.

Tractatio *tertia* aſſertum Cel. *Neutoni*, quod aqua, in terram mutata, & vapores cometarum, ſuperficiem terræ augerent, & globo noſtro aliquid adderent, deſtruit, & potiſſimam obſervationem allegat, quod ſtrata ſuperiora montis Juræ multa petrefacta marina oſtendant, quæ nulla acceſſione tecta ſunt. Has tractationes excipiunt nonnullæ Epiſtolæ de petrefactione cancellorum, *Crabbe* dictorum, litoris Coromandel; de piſcibus petrefactis, qui in Europa & Aſia inveniuntur; de Sceleto Elephantis petrefacto; de ſilice culinari.

Hæc omnia in *prima Parte* continentur; *altera* vero complectitur 1) Catalogum foſſilium, proprie ſic dictorum, in quo terræ, lapides, ſalia, bitumina, mineralia, & metalla, breviſſime recenſentur, methodico tamen ordine usque ad genera ſibi invicem ſubordinata non perducto; 2) Indicem Autorum, qui de lapidibus, inprimis figuratis, ſcripſerunt. Hic forſitan variis locis augeri, & emendari, poſſet. Miramur inprimis, *Kleiniana* varia neglecta eſſe. 3) Indicem locorum in quatuor orbis partibus, in quibus corpora petrefacta inveniuntur; 4) Indicem, qui figuras corporum petrefacto-

rum,

Digitized by Google

rum, in hoc Opere delineatorum, illuſtrat, & nomina apponit.

Non negare poſſumus, in his Commentariis varias novas obſervationes, nonnullasque meditationes, expoſitas eſſe, quæ mineralium, & inprimis foſſilium figuratorum, indagatoribus placere poterunt, inprimis cum multa, theoriam telluris illuſtrantia, paſſim immixta inveniantur.

METHODUS INVENIENDI LINEAS CURVAS, maximi minimive proprietate gaudentes, ſive Solutio Problematis Iſoperimetrici, latiſſimo ſenſu accepti; Autore LEONHARDO EULERO, Prof. Reg. & Acad. Imp. Scient. Petrop. Socio.

Lauſannæ et Genevæ, apud Marcum-Michaelem Bousquet & Socios, 1744, 4.

Alph. 1 plag. 18, cum Tab. æn. 4.

Inter tot inventa, eademque præclariſſima, quibus rem mathematicam hodierni ditarunt Geometræ, analyſeos infinitorum ope adjuti, methodum *de maximis & minimis* caput fere ſuper cetera efferre, & præcipuum quendam ſibi locum vindicare, nemo eſt peritiorum, qui dubitare poſſit. Quemadmodum vero, quæ pulchra, eadem utplurimum difficilia ſolent eſſe: ita hac in re præſertim uſu venit, ut Problemata, maximi minimive conditionem ſecum ferentia, tantis ſæpenumero ſpinis obſepta ſint, ut non niſi impeditiſſimus ad ea aditus pateat, a ſummis duntaxat hujus artis magiſtris tentandus. Quam ob cauſam animo facile præcipimus, impenſe gaviſuros, quicunque ſublimioris ſcientiæ ornamentum & profectum amant, cum perceperint, doctrinæ huic poliendæ, ornandæ, amplificandæ, ſeſe accinxiſſe Virum laude noſtra majorem, *Eulerum*, cujus in rem analyticam merita dudum in luce poſita atque confirmata ſunt. Non impeditum, non ſalebroſum, ſed facile poſthac, & planum, per hoſce iter erit; non contortis illis nodis ejusmodi Problemata amplius laborabunt,

Digitized by Google

bunt, quos adeo feliciter diſſolvit ſecuitque Vir eruditiſſimus, ut, qui plura deſideret, ingrati animi ſuſpicionem vix effugere nobis quidem videatur. Noſtrum jam eſt, elegantiſſimi Opuſculi rationem curatius exprimere noſtra legentibus, eisdemque ſalivam movere. Principio quidem monendum eſt, methodum de maximis & minimis hoc loco non adhiberi ad ſolvendas ejusmodi quæſtiones, ubi, expoſita quadam linea curva, quæritur maximus, vel minimus, valor quantitatis cujusdam variabilis, ad illam pertinentis, veluti maxima, vel minima, ordinata, maximus, vel minimus, radius curvaturæ, & quæ alia ſunt, ex Analyſi infinite parvorum, vel aliis hujus generis libris, facile haurienda. Hæc enim non niſi infantia quædam atque gradus methodi infimus eſt. Quin inverſa potius ratione hoc loco dantur formulæ maximi, vel minimi, & quæruntur lineæ curvæ, quibus illæ competant. Diu autem eſt, quod Geometræ ad Problemata hujusmodi enucleanda animum appulerunt. Primum omnium nobis quidem videtur fuiſſe, quod circa ſolidum minimæ reſiſtentiæ verſatur, a *Newtono* in *Principiis Phil. math.* ſolutum. Secutum inprimis eſt Problema de invenienda Curva Brachyſtochrona, quod, ab inclyto in hiſce caſtris heroe, *Jo. Bernoullio*, ſub finem Seculi ſuperioris propoſitum, ſummos totius Europæ Geometras exercuit. Succeſſit tandem quæſtio omnium celeberrima, de figuris iſoperimetris, inter nobile par fratrum *Bernoulliorum* non mediocri quondam animorum motu agitata. Antea vero, quam ulterius progrediamur, ipſam methodi definitionem diſtinctius conſideraſſe juvat. Primo quidem, cum ad plenam linearum curvarum cognitionem maxime neceſſarium ſit, eas ad axem quendam poſitione datum, idque ope coordinatarum, referre, ita, ut determinatæ cuidam Curvæ portioni determinata quoque abſciſſa atque ordinata reſpondeant, facile intelligitur, in hac methodo de eo agi, ut inter omnes Curvas, ad eundem axem relatas, atque eidem abſciſſæ reſpondentes, ea detegatur, in qua formula quædam data maximum minimumve valorem ſortiatur. Niſi enim hanc addas reſtrictionem, quæſtio plane erit vaga atque nulla. Qua-

Digitized by Google

la. Quacunque enim Curva oblata, in qua formula quædam ubibet magnum valorem nanciſcatur, ſemper infinitæ aliæ duci poſſunt, in quibus valor iſte adhucdum evadat major. Secundo aliæ etiam conditiones ad Problema perfecte determinandum ſæpenumero aut in ipſa ejusdem enuntiatione efferendæ ſunt, aut per ipſam demum ſolutionem inferri debent, id quod ex natura et gradu æquationum, ad quas pervenitur, non difficulter intelligi poteſt. Adſcendat v. g. æquatio differentialis Curvæ quæſitæ ad gradum tertium; quo facto, triplici integratione opus eſt, adeoque tres quantitates conſtantes ordinatim in æquationem introducendæ. Unde conſequitur, ad Problema plene determinandum tribus conditionibus, præter quantitatem Abſciſſæ, opus eſſe, atque tria puncta, per quæ Curva tranſeat, dari oportere; ſecus enim ſolutio iterum vaga nimis foret, cum innumerabiles dentur Curvæ, æquationi differentiali ſatisfacientes, prout innumeris modis quantitates illæ conſtantes definiri poſſunt. Loco punctorum vero, quæ Curva trajicere debet, aliæ conditiones, ut libuerit, proponi poſſunt, modo inſerviant definiendis conſtantibus, quæ per ſucceſſivas integrationes in æquationem introducuntur. Hiſce quidem in genere prælibatis, apprime tenendum eſt, methodum de maximis & minimis a Cel. Autore in *abſolutam* & *relativam* diſpeſci. Abſoluta quidem eſt, quæ inter omnes omnino Curvas poſſibiles, ad eandem axis portionem relatas, eam determinare docet, in qua formula quædam maximum minimumve obtineat valorem. Ad hanc methodum pertinet e. g. Problema de Brachyſtochrona, de *ſolido minimæ reſiſtentiæ, &c.* ubi inter omnes omnino Curvas, in plano quodam verticali per data duo puncta, non in recta verticali poſita, ductas, ea quærebatur, ſuper qua mobile citiſſime deſcenderet: vel, ubi inter omnes Curvas, ad eandem Abſciſſam relatas, ea deſiderabatur, quæ converſione circa axem gigneret ſolidum, quod in fluido juxta directionem axis motum, minimam ab eo reſiſtentiam pateretur. Relativa autem methodus in eo verſatur, ut inter omnes Curvas, una vel pluribus proprietatibus communibus prædi-

Digitized by Google

tas, hæc eruatur, in qua formula quædam præſcripta maximum minimumve valorem nanciſcatur. In hac Problematum claſſe ſine ullo dubio primas tenet Problema *Iſoperimetricum*, a *Jacobo Bernoullio* quondam in ſcenam productum, atque in *Actis* noſtris *Anni 1701* feliciſſime ſolutum: Ubi nempe non inter omnes omnino Curvas poſſibiles, ſed inter eas duntaxat, quæ, ad eandem axis portionem relatæ, ejusdem ſunt perimetri, ſive longitudinis, ea quærebatur, quæ præſcripta quadam maximi minimive proprietate gauderet. Eidem nodo ſolvendo ſeſe accinxit *Jo. Bernoullius*, in arenam a Fratre præcipue provocatus, ejusque primam ſolutionem legere eſt in *Commentar. Acad. Pariſ. A. 1706*, quam vero deinceps mirum quantum perfecit in iisdem *Commentar. A. 1718*, & in *Actis* quoque noſtris ejusdem *Anni*. Præcipue vero hac in re notandum, loco *Iſoperimetriſmi* aliam quoque proponi poſſe proprietatem quamvis communem. Ita e. g. quæri poteſt Curva, quæ inter omnes, ad eandem Abſciſſam relatas, & æquales areas comprehendentes, converſione circa axem producat ſolidum maximum minimumve; vel talis, quæ inter omnes Curvas, converſione circa eandem Abſciſſam ſolida æqualia gignentes, faciat ſolidum, quod, in fluido juxta directionem axis motum, minimam excipiat reſiſtentiam, & quæ alia hujusmodi longe plurima excogitari poſſunt. Quin etiam numerus proprietatum communium ad libitum augeri poteſt. Ita e. g. inter omnes Curvas, ad eandem Abſciſſam relatas, quæ tam longitudine æquales ſint, quam æquales areas comprehendant, ea quæri poteſt, quæ rotatione circa axem ſolidum procreet maximum minimumve; vel generaliter, inter omnes Curvas, quibus proprietates A, B, C, D, &c. communes ſint, eam inveſtigare licet, quæ data maximi, vel minimi, affectione gaudeat. Quæ quidem Problemata, ut naturali pulchritudine conſpicua ſunt, ita ingentem in ſolvendo difficultatem pariunt, atque ſolutorem, niſi ſcopulos dextre evitet, in calculi labyrinthum quendam atque abyſſum immergunt. Quamobrem jam ante aliquot annos in enodandis hiſce quæſtionibus, atque ad tractationis formam expeditiorem reducendis, laboravit


ravit Cel. Autor, & methodi, qua uſus eſt, ſpecimina minime vulgaria in *ſexto* atque *octavo Petropol. Comment. Volumine* exhibuit. Poſtea tamen, quod uſu venire ſolet, ſecundis curis omnia denuo elimavit, planiora reddidit, multisque acceſſionibus adauxit, ut in hoc, quod nunc recenſemus, juſtæ magnitudinis opuſculum, a ſcientiæ peritis deoſculandum, excreverint. Perplacuere diligentia non minus, quam ἀκρίβεια, Viri Clariſſimi, in notionibus, quæ toti huic doctrinæ fundamenti loco ſubſternendæ ſunt, enucleandis, quo labore defunctus eſt *Capite primo*, quod quidem introductionis loco in univerſam tractationem eſſe poteſt. Principio de ipſa formularum, maximum minimumve complectentium, indole accurate diſſerit. Eam vero in eo poni oſtendit, ut formula W, maximum minimumve præbitura, ſit quantitas quædam integralis, in genere integrationem haud admittens, ita ut integralis, ſive fluens, non niſi determinata quadam inter Abſciſſam x & ordinatam y relatione aſſumta exhiberi queat. Oportet igitur eſſe $W = \int Z dx$, ita ut fluens $\int Z dx$ exhiberi in genere nequeat; ſecus enim per formulam W Curva non poterit determinari. Sit enim W functio quævis algebraïca coordinatarum x & y; manifeſtum eſt, valorem ejus pendere a ſola ultima ordinata y, adeoque pro infinitis Curvis, communem Abſciſſam x & ordinatam y habentibus, fore eundem. Si ſit ulterius $p dx = dy$, $q dx = dp$, $r dx = dq$, &c. ſitque W functio algebraica τῶν x, y, p, q, &c. perſpicuum eſt, præter punctum Curvæ ultimum, ad quod pertinet ordinata y, poſitionem unius, vel duorum, &c. elementorum Curvæ determinatum iri, nihil adeo ultra, præter portionem Curvæ infinite exiguam, quo poſito, valor ipſius W idem erit pro omnibus Curvis, quæ in eandem extremitatem deſinunt. Per talem itaque functionem, loco formulæ maximi minimive aſſumtam, cum Curva minime determinetur; patet, aſſumendam $W = \int Z dx$, quæ integralis exhiberi nequeat, niſi certa inter x & y relatione conceſſa. Simile judicium eſto de functionibus, re quidem vera transſcendentibus, ſed quæ hac conſideratione algebraicis æquipollent, e. g.

 $l(xx+yy)$

$l(xx \mp yy)$, $e^{\sqrt{(xx+yy)}}$, & ſimilibus, denotante e numerum, cujus logarithmus hyperbolicus eſt unitas. Cujus rei ratio eſt, quod valor ejusmodi functionum per valorem coordinatarum x & y, eo loco, quo ſunt, determinentur, nullo reſpectu ad valores earundem præcedaneos habito. Sic ultro patet, valorem ipſius $l(x^m + y^m)$ per hos ipſos valores, quos x & y in locis ſuis obtinent, immediate, nulla præcedentium ratione habita, definiri. Quibus prælibatis, jam ſecundo loco cum Cel. Autore advertendum, ipſam quantitatis Z indolem, quæ in formulam W, ſive $\int Z dx$, ingreditur, ingens omnino diſcrimen in quæſtiones maximi & minimi invehere. Triplicis quippe generis poteſt eſſe Z. Aut enim eſt functio τῶν x, y, p, q, &c. *determinata*, hoc eſt, vel algebraica, vel transſcendens ejusmodi, ut in hac conſideratione æquo cum algebraicis paſſu ambulet, ceu modo diximus; aut eſt functio earundem quantitatum *indeterminata*, hoc eſt, talis, quæ per valores τῶν x, y, p, q, r, &c. quos in loco ſuo habent, non determinatur, ſed valores præcedentes, eosdemque omnes, conjunctim involvit. Talis eſt v. g. $Z = \int y\, dx$, quæ totam aream præcedentem, vel $\int \sqrt{dx^2 + dy^2} = \int dx \sqrt{(1 + pp)}$, quæ totum arcum Curvæ præcedentem involvit, vel $\int y\, dx \sqrt{(1 + pp)}$, & ſimilia; ut adeo hiſce caſibus ſit $W = \int dx \int y\, dx$, vel $W = \int dx \int dx \sqrt{(1 + pp)}$, vel $W = \int dx \int y\, dx \sqrt{(1 + pp)}$ &c. Vel tandem Z poteſt dari in x, y, p, q, &c. per æquationem quamvis differentialem, cujus integratio ne quidem exhiberi poteſt, ut ſi ſit $W = \int Z dx$, exiſtente nimirum $dZ = y\, dx + ZZ\, dx$. Jam, ſi Z ſit functio determinata τῶν x, y, p, q, &c. Linea Curva, in qua pro certa Abſciſſa x valor $\int Z dx$ fit maximus minimusve, ita erit comparata, ut pro omni ejusdem portione, adeoque & pro omni alia Abſciſſa, idem obtineat; quo pacto non opus eſt quæſtionem ad certam Abſciſſæ magnitudinem alligare; plane ſecus quam accidit, ſi pro Z functio dictarum quantitatum indeterminata accipiatur. His enim caſibus quæſtio ad datam Abſciſſæ magnitudinem adſtringitur, pro eaque ſola $\int Z dx$ maximum minimumve

Digitized by Google

TAB. I ad Nov. Act. Erud. A. 1746
Menſ. Febr. pag. 77. 78. 85. et 91.



Digitized by Google

Digitized by Google

mumve valorem, non autem pro aliis, præbet, niſi forſan peculiari ratione, ex ſpeciali quæſtionis indole oriunda, acciderit, ut data Abſciſſæ magnitudo calculo excedat. Quod ita pariter ſe habet, ubi Z datur in x, y, p, &c. per æquationem differentialem haud integrabilem. His ita leviter adumbratis, ipſam nunc Methodi rationem, qua totum opus abſolvit Cel. Autor, paulo propius inſpiciamus. Statim vero conſideremus, quomodo calculos, qui prolixiſſimi alias forent, in hoc negotio contrahere ſatagat. Expoſita itaque Curva quavis amz, ſit pro data Abſciſſæ magnitudine AZ, valor formulæ $\int Zdx$ exprimendus. Capiatur Abſciſſa quævis intermedia $AH = x$, cui reſpondeat ordinata Hb, reliqua vero pars HZ diſſecta concipiatur in particulas numero infinitas & inter ſe æquales, HI, IK, KL, LM, &c. ductæque intelligantur ordinatæ Ii, Kk, Ll, Mm, &c. Jam pertineat $\int Zdx$ ad Abſciſſam x, pro qua congruentem ſortiatur valorem; manifeſtum utique eſt, valorem hujus formulæ, quatenus ad Abſciſſam AZ pertinet, æquari $\int Zdx$ una cum omnibus incrementis, quæ ad $\int Zdx$ in tranſitu ex H in Z accedunt. Ita incrementum, quod $\int Zdx$ capit in tranſitu ex H in I, eſt Zdx; in tranſitu ex I in K eſt $Zdx + d.Zdx$; ex K in L eſt $Zdx + 2d.Zdx + dd.Zdx$, & ſic porro. Hanc vero notationem, idque percommode, ſic contrahit Cl. *Eulerus*, ut loco $Zdx + d.Zdx$. loco $Zdx + 2d.Zdx + dd.Zdx$, loco $Zdx + 3d.Zdx + 3dd.Zdx + ddd.Zdx$. &c. reſpective ſcribat $Z'dx$, $Z''dx$, $Z'''dx$, &c. Quamobrem, ſi $\int Zdx$ debeat exhiberi pro Abſciſſa AZ, erit utique illud $= \int Zdx + Zdx + Z'dx + Z''dx + Z'''dx +$ &c. donec perveniatur ad ultimum punctum Z. Quod porro maximum calculi ſubſidium parit, eſt ſimilis denotatio ordinatarum, quæ aſſumtam Hb vel ſequuntur, vel præcedunt. Ita, ſi Hb ſit y, erunt ſequentes Ii, Kk, Ll, &c. reſpective y', y'', y''', ut adeo ſit $y' = y + dy$, $y'' = y' + dy' = y + 2dy + ddy$, $y''' = y'' + dy'' = y + 3dy + 3ddy + dddy$, &c. præcedentes autem ſignantur per $y_{\prime}$, $y_{\prime\prime}$, $y_{\prime\prime\prime}$, &c. ut adeo ſit $y_{\prime} + dy_{\prime} = y$, $y_{\prime\prime} + dy_{\prime\prime} = y_{\prime}$ &c. Quin

TAB. I Fig. 1.

etiam, ſi F deſignet functionem quamvis variabilem ad punctum Axis H relatam, valores ejusdem antecedentes erunt $\underset{'}{F}$, $\underset{''}{F}$, $\underset{'''}{F}$, &c. ſequentes autem F', F'', F''', &c. Quodſi jam ſtatuatur $p\,dx = dy$, ſive $p = \frac{dy}{dx}$; $q = \frac{dp}{dx}$; $r = \frac{dq}{dx}$; $s = \frac{dr}{dx}$; $t = \frac{ds}{dx}$; &c. erit $p = \frac{y'-y}{dx}$; $p' = \frac{y''-y'}{dx}$; $p'' = \frac{y'''-y''}{dx}$ &c. porro, $q = \frac{p'-p}{dx}$; $q' = \frac{p''-p'}{dx^2}$; $q'' = \frac{p'''-p''}{dx^2}$ &c. hoc eſt, $q = \frac{y''-2y'+y}{dx^2}$; $q' = \frac{y'''-2y''+y'}{dx^2}$ &c. ita quoque eſt $r = \frac{q'-q}{dx} = \frac{y'''-3y''+3y'-y}{dx^3}$; $r' = \frac{q''-q'}{dx} = \frac{y^{IV}-3y'''+3y''-y'}{dx^3}$ & ſic deinceps. Pariter eſt $\underset{'}{p} = \frac{y-\underset{'}{y}}{dx}$; $\underset{''}{p} = \frac{\underset{'}{y}-\underset{''}{y}}{dx}$; $\underset{'''}{p} = \frac{\underset{''}{y}-\underset{'''}{y}}{dx}$ &c. unde judicium de aliis facile patet. Longe autem præſtat hic notandi modus vulgari, atque in enodandis quæſtionibus hujus generis lucem non mediocrem affert, cum præſertim in earundem ſolutione differentialia alterius generis, de quibus mox, occurrant, cum naturalibus alioqui facile confundenda. Quibus ſic expoſitis, jam ad ipſam maximi, vel minimi, conſiderationem provehimur.

TAB. I Fig. 2.

Sit itaque Curva $amnz$ hujusmodi, ut pro Abſciſſa AZ formula $\int.Z\,dx$ maximum nanciſcatur minimumve valorem. Per eosdem terminos a & z ducta concipiatur alia Curva amvZ, quæ a priori infinite parum diſcrepet. Oportet igitur valorem τȣ $\int.Z\,dx$ pro Curva amnZ æque ac pro immutata amvZ prodire eundem, vel, quod idem eſt, horum valorum differentiam evaneſcere. Dum enim quantitas variabilis proxime circa maximum minimumve valorem ſuum verſatur, fit quaſi ſtationaria, incrementis

Digitized by Google

mentis ejus, vel decrementis, ad nihilum redactis. Unde perſpicitur, univerſam methodi vim in eo poni, ut differentia valoris $\int . Z dx$ pro Curva $amnz$ fiat nihilo æqualis; exinde enim æquatio, naturam Curvæ $amnZ$ definiens, reſultat. Mutatio quidem in tot curvæ $amnZ$ punctis, quot volueris, facta concipi poteſt; ad calculum vero promte ſubducendum neceſſe eſt, eandem fieri locis, quantum fieri poteſt, pauciſſimis. Ut vero ad totam Curvam pertineat, in loco quodam indefinito fieri debet, veluti in puncto n, cujus ordinatim applicata Nn augeri ſupponitur particula infinite exigua $n\nu$, ita ut Curva $amnZ$ tranſeat in $am\nu Z$. Debet vero $n\nu$ quoque infinite parva eſſe reſpectu elementi mn, vel no, ne ſcilicet angulus curvedinis in ν magnitudinem finitam ſortiatur, utque mutatio adeo infinite exigua accidat. Quibus ita factis, negotii cardinem in eo verti intelligitur, ut differentia inter binos valores ipſius $\int . Z dx$, quatenus ad binas Curvas, infinite parum a ſe invicem diſcrepantes, puta $amnZ$ & $am\nu Z$ pertinent, commode exprimi queat. Quem in finem ſummopere neceſſarium eſt, mutationes, quas quantitates determinatæ, ad Curvam pertinentes, a translatione puncti n in ν ſubeunt, expiſcari. Ponamus, (id enim per ſe arbitrarium eſt,) ordinatæ Nn, quæ quinta eſt ab Hb, adeoque juxta hunc ſignandi modum $= y^{v}$, particulam $n\nu$ accreſcere. Quoniam igitur eſt $t = \frac{y^{v} - 5y^{iv} + 10y''' - 10y'' + 5y' - y}{dx^5}$, hæc quantitas exinde augebitur particula $\frac{n\nu}{dx}$, quia nempe ordinatæ anteriores y^{iv}, y''', y'' &c. a translatione puncti n in ν haud afficiuntur. Porro, cum ſit $s' = \frac{y^{v} - 4y^{iv} + 6y''' - 4y'' + y'}{dx^4}$, hæc augebitur particula $\frac{n\nu}{dx^4}$ Iterum, quia $r'' = \frac{y^{v} - 3y^{iv} + \&c.}{dx^3}$ augebitur hæc

pariter

pariter particula $\frac{nv}{dx^3}$. Rurſus, quia $t' = \frac{y^{vi} - 5y^{v} + 10y^{iv} - 10y''' + 5y'' - y'}{dx^5}$, hæc minuetur particula $\frac{5nv}{dx^5}$, vel incrementum ejus erit $= -\frac{5nv}{dx^5}$; et ſic de ceteris; formulis nempe omnibus mutationem patientibus, in quibus ineſt y^n. Exinde facili opera colliguntur incrementa infinite exigua, quæ quantitatibus, ad Curvam pertinentibus, puta y, p, q, r, s, t, &c. imo quibuscunque aliis, exinde formatis, accedunt. Quod ut appareat, quærendum ſit incrementum quantitatis $\sqrt{(1+tt)}$, ex translatione n in v oriundum. Differentietur hæc formula, prodibitque $\frac{tdt}{\sqrt{(1+tt)}}$; jam loco dt ſcribatur incrementum $\frac{nv}{dx}$, erit adeo incrementum ipſius $\frac{tdt}{\sqrt{(1+tt)}} = \frac{nv}{dx} \times \frac{t}{\sqrt{(1+tt)}}$; atque ita pariter in reliquis, ſcribendo nempe loco differentialium conſuetorum dp, dq, dr, ds, dt, &c. incrementa, ex tranſitu puncti n in v oriunda, ceu attendenti facile patet. Quibus ita peractis, facilis jam patet aditus ad inveſtigandum formulæ cujusvis, maximi minimive conditionem ſecum ferentis, *valorem differentialem*, quo nomine Cel. Autor appellat differentiam inter valores formulæ $\int Zdx$, quos tum in curva $amnZ$, tum in eadem infinite parum immutata $amvZ$, obtinet. Quo facto, valor iſte differentialis, nihilo factus æqualis, pariet æquationem pro Curva quæſita. Quæ quidem notiones, uti conceptu faciles, ita quoque generaliſſimæ, nec ulli unquam exceptioni obnoxiæ, ſunt, atque adeo pro baſi & firmamento univerſæ tractationis reputari debent. Sola jam quæſtionum diverſitas ex indole functionis Z fluit, ceu jam diximus. Quamobrem in *Capite ſecundo* Doctiſſimus *Eulerus* methodum maximorum & minimorum ad eas primum quæſtiones applicat, ubi Z ſtatuitur functio determinata quantitatum, ad Curvam pertinentium. Incipiendo autem a ſimpli-

Digitized by Google

ſimplicioribus, ad caſus magis compoſitos progreditur, tandemque rem generaliſſime concipit, determinando Curvam $amnZ$, in qua pro Abſciſſa AZ maximum minimumve præbeat formula $\int.Zdx$, exiſtente $dZ = Mdx + Ndy + Pdp + Qdq + Rdr + Sds + Tdt +$ &c. Licet enim ſolutio ad terminum Tdt duntaxat extendatur; ad plures tamen, in infinitum, manifeſta inductione, eandem valere, colligitur. Poſita Abſciſſa $AH = x$, $Hb = y$, vi eorum, quæ ſupra adduximus, valor ipſius $\int.Zdx$, ad Abſciſſam AZ relatus, eſt $= \int.Zdx + Zdx + Z'dx + Z''dx + Z'''dx +$ &c. donec perveniatur ad punctum Z. Jam concipiatur punctum n fluere in v, ut Curva infinite parum immutata ſit $amvZ$; patet igitur, per ea, quæ modo ante explicavimus, quærendos eſſe valores differentiales ſingulorum terminorum Zdx, $Z'dx$, $Z''dx$, &c. (cum $\int.Zdx$ nullam mutationem patiatur,) eorundemque ſummam ponendam $= o$, unde reſultabit æquatio pro Curva quæſita. Quod quomodo perficiendum ſit, unico exemplo oſtendemus. Ad inveniendum itaque valorem ipſius $Z''dx$, vel ſolius Z'', quia dx ponitur conſtans, differentiale ejusdem capiendum, atque loco differentialium, ſive fluxionum conſuetarum, quæ in illo inſunt, ponenda incrementa, ex tranſitu puncti n in v oriunda. Eſt vero $dZ'' = M''dx + N''dy'' + P''dp'' + Q''dq'' + R''dr'' + S''ds'' + T''dt''$. Jam, quia eſt $t'' = \frac{y^{vii} - 5y^{vi} + 10y^{v} - 10y^{iv} + 5y''' - y''}{dx^5}$, patet, ordinata Nn, ſive y^{v}, ex translatione puncti n in v accreſcere particulam nv, adeoque ipſi t'' accreſcere $= \frac{+10nv}{dx^5}$, quod adeo eſt $= dt''$. Quia $s'' = \frac{y^{vi} - 4y^{v} + 6y''' - \&c.}{dx^4}$ eadem decreſcet particula $\frac{4nv}{dx^4}$, adeoque $ds'' = -\frac{4nv}{dx^4}$.

 Quia

Quia porro $r'' = \frac{y^v - 3y^{iv} + \&c.}{dx^3}$ hoc iterum augebitur particula $\frac{n\nu}{dx^3}$, ergo $dr'' = \frac{n\nu}{dx^3}$. In reliquas, q'', p'', y'', non ingreditur y^v; adeoque dy'', dp'', dq'', ſunt omnes $= o$. Quare valor differentialis ipſius $Z''dx$ eſt $= n\nu + dx \left(\frac{R''}{dx^3} - - \frac{4S''}{dx^4} + \frac{10T''}{dx^5}\right)$. Pari ratione valores differentiales reliquorum terminorum venari licet, qui deinceps in unam ſummam conjecti, nihiloque æquales poſiti, dant æquationem Curvæ quæſitæ. Hæc autem ſumma, monſtrante Cl. Autore, concinne exprimitur per $n\nu + dx \left(N - \frac{dP}{dx} + \frac{ddQ}{dx^2} - \frac{d^3R}{dx^3} + \frac{d^4S}{dx^4} - \frac{d^5T}{dx^5} + \&c.\right)$ quæ igitur nihilo æquata, præbet æquationem pro Curva quæſita

$$o = N - \frac{dP}{dx} + \frac{ddQ}{dx^2} - \frac{d^3R}{dx^3} + \frac{d^4S}{dx^4} - \frac{d^5T}{dx^5} + \&c.$$

Hujus formulæ uſum unico exemplo *Brachyſtochronæ* declarare liceat. Sit Curvæ hujus Abſciſſa verticalis $= x$, eritque, poſito $dy = pdx$, elementum arcus reſpondentis $= dx\sqrt{(1+pp)}$; velocitas autem corporis in hoc loco per demonſtrata *Galilæi* erit ut $\sqrt{x}$, adeoque tempuſculum, quo elementum Curvæ percurritur, ut $\frac{dx\sqrt{(1+pp)}}{\sqrt{x}}$. Hoc itaque caſu eſt $Z = \frac{\sqrt{(1+pp)}}{\sqrt{x}}$, adeoque $dZ = \frac{pdp}{\sqrt{(1+pp)x}} - \frac{dx\sqrt{(1+pp)}}{2x\sqrt{x}}$; hincque $N = o$, $P = \frac{p}{\sqrt{(1+pp)x}}$, $Q = o$, $R = o$, &c. Ergo $N - \frac{dP}{dx} = o$, ſive $\frac{dP}{dx}$ atque $dP = o$ unde $P =$ Conſtanti, quam homogeneitatis ergo vocemus, $\frac{1}{\sqrt{a}}$; unde ſequitur

pp(a—

$pp(a-x)=x$, & p hoc eſt $\frac{dy}{dx}=\sqrt{\frac{x}{a-x}}$, atque $dy=dx\sqrt{\frac{x}{a-x}}$, quæ æquatio eſt ad Cycloidem, hoc nomine dudum inter Geometras celeberrimam; hæcque proprietas Curvæ ad quamlibet Abſciſſam convenit, prout ſupra in genere monuimus.

His ita expeditis, Cel. Autor ad eas maximi minimive formulas *Capite* ſequenti progreditur, in quibus quantitas Z functio quomodocunque indeterminata eſt quantitatum, ad Curvam pertinentium. Res denuo ad valores, quos diximus, differentiales inveniendos redit. Quem in finem Autor formulam quamvis Π contemplatur, quæ ſit ſigno ſummatorio affecta, indefinitam vero integrationem, niſi relatio inter x & y ſtatuatur, haud admittens. Poſita igitur $\Pi=\int.\mathfrak{Z}dx$, adeoque $\int.Zdx=\int\Pi dx=\int.dx\int\mathfrak{Z}dx$, ubi ſit $\mathfrak{Z}$ functio τῶν x, y, p, q, &c. exiſtente nimirum $d\mathfrak{Z}=\mathfrak{M}dx+\mathfrak{N}dy+\mathfrak{P}dp+\mathfrak{Q}dq+\mathfrak{R}dr+$ &c. inquirit in incrementa, quæ ſingulis hiſce terminis ex tranſitu puncti n in v accedunt, eum prorſus in modum, quem antea attigimus. Reperit autem, omnes ipſius Π valores ſucceſſive Π', Π'', Π''', Π^{IV}, &c. poſt locum Abſciſſæ N, quo ordinata Nn mutari ponitur, uſque ad punctum ultimum Z, mutationem ſubire, una cum aliquot anterioribus, quorum numerus a gradu *differentialitatis*, qui in Π ineſt, dependet. Unde conſit, quod ſupra notavimus, hiſce caſibus Abſciſſam, pro qua formula propoſita maximum minimumve valorem nanciſci debet, determinandam eſſe, Curvamque pro aliis Abſciſſis hac proprietate non amplius gaviſuram. Porro ejusmodi quæſtiones plurimum variari poſſunt pro varia indole ipſius Z in forma $\int Zdx$. Nam Z vel eſt functio tantum ipſius Π, vel inſuper quantitates x, y, p, q, &c. involvit. Rurſus in Z ineſſe poterunt plures ejusmodi formulæ integrales, a ſe invicem diverſæ. Præcipuum autem momentum eſt in ipſa Π, ſive $\int\mathfrak{Z}dx$, poſitum. Poteſt enim pro $\mathfrak{Z}$ accipi functio quædam determinata; aut hæc ipſa $\mathfrak{Z}$ iterum integralia

 inde-

indefinita complecti. Quin etiam iſta formularum indeterminatarum complicatio in infinitum produci, vel potius recurrere, poteſt, ſi nempe $\mathfrak{Z}$ iterum involvat Π, exiſtente $d\mathfrak{Z} = \mathfrak{L}d\Pi + \mathfrak{M}dx + \mathfrak{N}dy + \mathfrak{P}dp +$ &c. Tunc enim, quia $d\Pi = \mathfrak{Z}dx$, iterum conſiderare oportebit $d\mathfrak{Z} = \mathfrak{L}d\Pi + \mathfrak{M}dx +$ &c. & ſic in infinitum. Quibus ita generaliter expeditis, ad ipſam Problematum enodationem Vir Eruditiſſimus provehitur, quæ autem ſingula percenſere, ſpatii anguſtia nos prohibet. Ad quantam vero rerum complicationem pertigerit, judicet Lector ex Problemate, cujus ſolutio exſtat *pag.* 106 *ſeq.* Sit nimirum $\pi = \int \mathfrak{z}dx$, & $d\mathfrak{z} = \mathfrak{m}dx + \mathfrak{n}dy + \mathfrak{p}dp + \mathfrak{q}dq$; atque $\mathfrak{Z}$ ita involvat π, ut ſit $d\mathfrak{Z} = \mathrm{Z}d\pi + \mathfrak{M}dx + \mathfrak{N}dy + \mathfrak{P}dp + \mathfrak{Q}dq$. Jam ponatur $\Pi = \int \mathfrak{Z}dx$, ſitque Z functio ipſius Π, atque τῶν x, y, p, q, exiſtente nimirum $d\mathrm{Z} = Ld\Pi + Mdx + Ndy + Pdp + Qdq$. Quæritur Curva, in qua valor $\int \mathrm{Z}dx$ datæ Abſciſſæ $AZ = a$ reſpondens fiat maximus minimusve. Ultro intelligitur, caſum hunc latiſſime patere, &, qua ratione ſolutio ad caſus adhuc magis complicatos accommodanda ſit, ab Autore oſtenditur, ita ut ne ulla quidem maximi minimive formula excogitari queat, ad quam non pertingeret. Qua vero ratione ſolutio quæſtionis inſtituatur, animo non difficulter præcipere licet. Sumta nimirum quavis Abſciſſa intermedia $AH = x$, valor $\int \mathrm{Z}dx$, ad Abſciſſam ultimam AZ relatus, erit $= \int \mathrm{Z}dx + \mathrm{Z}dx + \mathrm{Z}'dx + \mathrm{Z}''dx + \mathrm{Z}'''dx +$ &c. donec perveniatur ad ultimum punctum Z. Cum igitur $\int.\mathrm{Z}dx$, quod Abſciſſæ x reſpondet, a particula nv haud afficiatur, quærendi ſunt valores differentiales terminorum $\mathrm{Z}dx$, $\mathrm{Z}'dx$, $\mathrm{Z}''dx$, &c. quorum ſumma nihilo æqualis poſita, æquationem pro Curva deſiderata exhibebit. Cum vero in $d\mathrm{Z}$, $d\mathrm{Z}'$, $d\mathrm{Z}''$, &c. involvantur $d\Pi$, $d\Pi'$, $d\Pi''$, &c. hoc eſt, valores differentiales τῶν Π, Π', Π'', &c. porro, cum in hiſce includantur valores differentiales τῶν $\mathfrak{Z}$, $\mathfrak{Z}'$, $\mathfrak{Z}''$ &c. tandemque hæc complectantur valores differentiales τῶν π, π', π'', &c. obſcurum eſſe non poteſt, quanto cum labore inventio valoris differentialis formæ $\int.\mathrm{Z}dx$ conjuncta ſit. Eum nihilo

minus

Digitized by Google

minus ſuperavit Noſter, ejusque expreſſionem, ut natura rei fert, ſatis concinnam, artificiis quibusdam adſcitis, condidit. Quibus ſubſidiis inſtructus, Problemata, alias ſane inacceſſa, expugnavit, ea præcipue, quibus Π in x & y per æquationem differentialem, cujus integratio lateat, dari ponitur; quem in finem duo ſpecimina, eaque oppido elegantia, protulit. Primum eſt, ut inveniat Curvam, in qua maximum ſit Π, exiſtente $d\Pi = g\,dx - \alpha\Pi^n dx\sqrt{(1+pp)}$; quæ Curva ejus eſt indolis, ut grave, ſuper ea deſcendens, in medio, quod reſiſtit in ratione celeritatum $2n$—plicata, maximam acquirat celeritatem; hocque caſu Π maximum erit pro quavis Abſciſſa x. Denotant autem, Π quadratum celeritatis, & g vim gravitatis, cujus directio axi verticali parallela eſt. Alterum ita habet, ut quæratur Curva, in qua pro data Abſciſſa a, minimum ſit $\frac{\int dx\sqrt{(1+pp)}}{\Pi}$, exiſtente $d\Pi$, quod prius. Super hac Curva deſcendens corpus, poſitis iisdem, quæ prius, breviſſimo tempore abſolvet arcum, Abſciſſæ a reſpondentem. Sequenti autem *Capite IV* non ſolum omnium formularum valores differentiales in conſpectu exhibentur, ut promte excerpi queant, ſed ipſa quoque methodus ad ſolvendas varii generis quæſtiones ulterius applicatur, tandemque oſtenditur, quid factu opus ſit, ſi expreſſio, maximum minimumve valorem habitura, non ſimplex eſt formula integralis, ſed ex pluribus ejusmodi utcunque compoſita; quæ omnia cum voluptate inſigni percipient, quibus ad talia legenda & intelligenda ſatis facultatis eſt; ut adeo pluribus ſuperſedeamus.

Jam vero quid circa methodum maximorum & minimorum *relativam* præſtiterit Vir acutiſſimus, paucis adhuc diſpiciendum erit, de quibus agitur *Cap. V* & *VI*. Sit itaque $amnoz$ Curva, ad datam Abſciſſam $AZ = a$ relata, talis indolis, ut inter omnes alias Curvas, ad eandem Abſciſſam relatas, quæ proprietatem quandam communem habent, formula indefinita W deſignatam, valor expreſſionis V ſit maximus, vel minimus. Ponatur Abſciſſa quævis $AI = x$, & $Ii = y$. Sit $V = A$, & $W = B$, poſita $x = a$. TAB. I Fig. 3.

 Nunc

Nunc mutetur Curva $amnoZ$ in aliam $am\nu\omega Z$, infinite parum a priore diſcrepantem; mutatio autem in duabus ordinatis contiguis, veluti Nn & Oo, fieri debet, aucta nempe Nn particula $n\nu$, & Oo particula $o\omega$, ut utrique expreſſionum A & B ſatisfieri poſſit. Quoniam enim B communis eſt utriusque Curvarum, neceſſe eſt, ut valor differentialis ipſius W evaneſcat, quia nempe W eſt utrobique idem: deinceps valor differentialis ipſius V pariter erit $=o$, idque ex conſideratione maximi, vel minimi. Igitur, conditione utrique ut ſatisfiat, ad binas ordinatas incrementa accedere debent. Facile nunc perſpicitur, atque etiam a Cl. Autore demonſtratur, valorem differentialem ipſius A, ex $n\nu$ reſultantem, habiturum formam $n\nu \times dA$; & ex $o\omega$ hanc: $o\omega \times dA'$, conjunctimque $n\nu \times dA + o\omega \times dA'$, qui cum ſit $=o$, erit, introducta conſtante arbitraria, $n\nu \times \alpha dA + n\nu \times \alpha dA' = o$. Pari modo valor differentialis ipſius B erit $= n\nu \times dB + o\omega \times dB'$. Quare, adſcita arbitraria β, per alteram conditionem eſt $n\nu \times \beta dB + o\omega \times \beta dB' = o$. Eliminatis jam $n\nu$ & $o\omega$, prodit $\frac{dA'}{dA} = \frac{dB'}{dB}$, hoc eſt, quia $dA' = dA + ddA$, & $dB' = dB + ddB$, erit $\frac{ddA}{dA} = \frac{ddB}{dB}$, unde $ldA = ldB + lC$, atque $dA = CdB$; ponatur conſtans $AC = -\frac{\beta}{\alpha}$, eritque $\alpha dA + \beta dB = o$, qua æquatione ſolutio Problematis continetur. Cumque non amplius in ea inſint dA' & dB', particulam $o\omega$ reſpicientes; jam intelligitur, in ipſa ſolutione ne amplius quidem conſideratione eius opus eſſe. Quodſi enim inveſtigentur dA & dB, hoc eſt, valores differentiales τῶν V & W ad AZ relatarum, ex ſola $n\nu$ oriundi, & uterque in conſtantem quandam arbitrariam ducatur; factorum ſumma, nihilo æqualis poſita, exhibebit æquationem pro Curva deſiderata. Ex his, quæ adduximus, præcipuam quandam harum quæſtionum affectionem cum Cl. Autore derivamus: nempe expreſſiones V & W poſſe inter ſe commutari, hoc eſt, unam eandem-

eandemque Curvam prodire, ſi inter omnes proprietate *W* præditas ea quæratur, in qua *V* præbeat maximum, vel ſi ordine inverſo V ſit communis & *W* maxima. Nihil enim refert, an v. g. valor differentialis, ex $o\omega$ oriundus, ob maximi minimive naturam, vel ex conditione proprietatis communis, evaneſcat; ſufficit, eundem evaneſcere; parique modo de altero, ex nv oriundo, pronuntiandum. Quod autem in hoc negotio ulterius maximi momenti eſt, in eo ponitur, ut methodus max. & min. *relativa* ad *abſolutam* reduci poſſit. Jam perſpicitur, ſi quæreretur Curva, in qua maximum minimumve valorem habeat $\alpha A + \beta B$, pro ea fore æquationem $\alpha dA + \beta dB = o$, omnino eandem, ac prius. Generaliter autem notandum, ſi inter omnes Curvas, communi proprietate *A* præditas, ea quæratur, in qua *B* ſit maximum minimumve: idem omnino eſt, ac ſi inter omnes omnino Curvas poſſibiles ea quæratur, in qua ſit $\alpha A + \beta B$ maximum, vel minimum. Nam Curva, quæ inter omnes poſſibiles valorem formulæ $\alpha A + \beta B$ habet maximum, vel minimum, eadem ſimul inter omnes Curvas, eadem proprietate *A* gaudentes, habebit *B* maximum minimumve; quod quidem facile perſpicitur. Unde, convertendo propoſitionem, Curva *M*, quæ inter omnes, proprietatem *A* communem habentes, *B* maximo minimove gaudet, una eademque eſt cum illa, in qua $\alpha A + \beta B$ eſt maximum, vel minimum. Cujus converſionis probitas apogogice poteſt oſtendi. Si enim negas: ſit Curva *K*, in qua ſit $\alpha A + \beta B$ maximum, vel minimum, ab *M* diverſa. Quoniam igitur in Curva K eſt $\alpha A + \beta B$; hæc Curva *K* inter omnes, communi *A* gaudentes, habebit *B* maximum, vel minimum; quod eſt abſurdum, quippe contra hypotheſin, cum *M* ſit ejusmodi Curva. Ergo in Curva *M* eſt $\alpha A + B\beta$ maximum, vel minimum; quod intenditur. Quæ graviſſima veritas hunc plane uſum præſtat, ut methodus relativa vertatur in abſolutam. Facile autem intelligitur progreſſus: nempe ſi e. g. quæratur Curva, inter omnes, proprietatibus communibus *A* & *B* præditas, *C* maximum habens, idem eſt, ac ſi quæreretur inter omnes poſſibiles Curvas iſta, in qua

$\alpha A +$

Digitized by Google

$\alpha A + \beta B + \gamma C$ fiat maximum. Unde ſimul perſpicuum eſt, eandem Curvam prodituram, quodcunque par proprietatum communium aſſumatur. His præſidiis inſtructus Cel. Autor, ad feraciſſimam Problematum ſegetem viam pandit, quæ alias intricatiſſimam, & cum labore ſummo conjunctam, ſolutionem requirerent. Specimina noluimus transſcribere, ne nimii ſimus. Notamus in tranſitu elegantem Curvæ elaſticæ proprietatem, quod inter omnes Curvas, ad eandem Abſciſſam relatas, quæ ejusdem ſunt longitudinis, atque æquales areas comprehendunt, ſolidum maximæ, vel minimæ, capacitatis, rotatione circa axem producat. Vid. *p. 239.*

Ita quidem ſpeciem quandam Operis oppido elegantis, rudi licet penicillo, effinximus; quo tamen minus hic ſubſiſtamus, Additamentum, quod tractationem continuo excipit, idque duplex, in cauſa eſt. Quæ in eo continentur, ſingularia, Autoribusque ſuis digna, eſſe, nemo, opinamur, inficias *ibit*, qui animo ſecum reputaverit, quanta vis ſit hujus methodi in abſtruſioribus naturæ effectibus rimandis, atque ad numeros & menſuras revocandis. Dubium quippe nullum eſt, quin natura rerum, utpote a divino opifice ſapientiſſime ita condita, ut mirabilis harmonia inter cauſas efficientes & finales nusquam non eluceat, in omni operationum genere ad ἀποτέλεσμα quoddam, in quo maximi quædam minimive ratio inſit, jugiter contendat. Quæ ſi penitius introſpicere naturæ ſcrutatoribus liceret; eadem omnino facilitate per cauſas finales, hoc eſt, per methodum de maximis & minimis, Problemata phyſica reſolvi poſſent, qua in iisdem a priori, hoc eſt, ex conſideratione cauſarum efficientium, dilucidandis Geometræ huc usque verſati ſunt. Cujus quidem rei cum inſignia jam ſpecimina habeantur, a Cel. *Bernoulliis* exhibita; maximum huic ſententiæ robur exinde accedit. Interim, ut natura varietate rerum infinita abundat, ita negari nequit, hoc ipſum, quod in effectibus certi generis maximi minimive rationem habet, ſæpenumero adeo involutum eſſe, tamque alte jacere, ut internoſci vix ac ne vix quidem poſſit, ſi vel maxime a priori aditus ad ſolvendum pateat. Maximopere igitur

hortandi

Digitized by Google

hortandi ſunt Philoſophi & Mathematici, ut in hiſce eruendis qua fieri poteſt, contentione laborent, atque *Teleologiam*, hoc eſt, cauſarum finalium ſcientiam, maximo Philoſophiæ naturalis incremento, pulchre promoveant. Videant autem, qui cum *Carteſio* cauſas finales ex Phyſica proſcribunt, qua ratione ſententiæ ſuæ amplius patrocinari liceat. Quibus ita præmiſſis, duplex, idque egregium, hujus doctrinæ ſpecimen in hac Mantiſſa videre eſt. *Primum* debetur *Danieli Bernoullio*, Geometræ inſigni, atque in hac naturam ſcrutandi methodo admodum felici, circaque figuram laminæ elaſticæ incurvatæ verſatur; *alterum*, de motu projectorum in vacuo, ipſum *Eulerum* habet autorem. Neminem fugit, figuram laminæ elaſticæ incurvatæ jam longo abhinc tempore a ſummis Geometris a priori eſſe determinatam; ſed, qui ejus natura ex conſideratione maximi, vel minimi, indaganda ſit, id quidem, præter *Bernoullium*, nemo ad hunc diem aſſecutus eſt; qui Cel. *Eulero* ſignificavit, ſe univerſam vim laminæ elaſticæ incurvatæ, quam *potentialem* appellat, una formula complecti poſſe, eandemque in Curva elaſtica minimam eſſe debere. Hæc autem formula eſt $\int \frac{ds}{RR}$, ſignificante s arcum laminæ incurvatæ quemcunque, & R radium curvedinis ad extremitatem arcus s. Cum vero inter duos terminos datos A & B infinitæ laminæ elaſticæ iſoperimetræ inflecti queant; ad quæſtionem penitus determinandam poſitionem tangentium in A & B dari oportet. Unde Problema a Cl. *Eulero* ita enuntiatur: Inter omnes Curvas ejusdem longitudinis, quæ non ſolum per puncta A & B *tranſeant, ſed etiam in iisdem* a rectis poſitione datis tangantur, eam definire, in qua valor formulæ $\int \frac{ds}{RR}$ ſit maximus, vel minimus. Cui Problemati ſolvendo continuo formulas admovet, & reliqua etiam, qua pollet, calculi virtute uſus, in eandem pro Curva quæſita æquationem incidit, quam a priori dudum pro Elaſtica ubique æqualiter craſſa inventam conſtat, ſicque aſſertum *Bernoullianum* extra dubitationis aleam

M ponit.

Digitized by Google

ponit. Quod cum non poſſit non impenſe placere ſcientiæ ſublimioris æſtimatoribus; ſolutionem quoque Problematis directam continuo ſubjicit, quo conſenſus utriusque methodi eo melius in oculos incurrat. Ut vero ferax eſſe ſolet in re mathematica ingenium *Eulerianum*; ita hanc quoque de Curvis elaſticis materiam, a ſummis licet Geometris, & a ſe ipſo quoque, tantopere excultam, ut nihil amplius deſiderari poſſe videretur, multis acceſſionibus ditavit, facta inprimis enumeratione ſpecierum *novem*, quas Curva elaſtica induere poteſt, quarum tertiam conſtituit vulgaris, a *Jac. Bernoullio* olim in *Actis Erud. A. 1694* eruta, quæ definitur æquatione $dy = \frac{xx\,dx}{\sqrt{(a^4 - x^4)}}$, vel $ds = \frac{aa\,dx}{\sqrt{(a^4 - x^4)}}$, nonam vero circulus abſolvit. Mittimus pulchras obſervationes, quibus omnia ſcatent, ne in immenſum excreſcat narratio, unicamque attingimus, de robore columnarum ad perpendiculum erectarum, quæ *pag. 276* exſtat, ubi demonſtratur, (quæ quidem veritas in re præcipue tignaria momenti haud vulgaris eſt,) data craſſitie columnæ, adeoque elaſticitate ejusdem, pondus, quod abſque periculo incurvationis ſuſtinere poteſt, eſſe reciproce ut quadratum altitudinis. Mittimus, inquam, quæ de curvatura, laminæ elaſticæ naturaliter haud rectæ, inæquabilis, proprio pondere gravatæ, quin a potentiis quibuscunque inflexæ, Vir ingenioſiſſimus adduxit. Non poſſumus autem, quin de iis paucula referamus, quæ de motu oſcillatorio laminarum elaſticarum ſubnectit. Quanquam enim argumentum hocce in *Tomo VII Comment. Petrop.* jam excoluit; idem tamen commodius poſtea tractare didicit, inventa cumprimis methodo integrandi æquationes differentiales altioris gradus, quam in *Tomo VII Miſcell. Berol.* fuſe deſcripſit. Præterea per commercium cum laudatiſſimo *Dan. Bernoullio* variæ adhuc conſiderationes acceſſerunt. Primo omnium invenire docet figuram, quam lamina elaſtica, altero termino in murum firmiſſime infixa, inter oſcillandum, induit, ſuppoſitis excurſionibus quam minimis. Quo

facto,

Digitized by Google

facto, infinitos oſcillandi modos æque poſſibiles laminæ competere, per calculum detexit, &, qua ratione determinandi ſint, luculenter commonſtrat, prout nempe lamina inter oſcillandum uno, duobus, pluribusve, punctis axem interſecat. De velocitatibus quoque oſcillationum definiendis ſollicitus fuit Vir eximius, de longitudine penduli iſochroni, deque ſonis, a lamina oſcillante editis, adſtructo Theoremate, quod ſoni, a diverſis laminis elaſticis, altero terminorum muro infixis, ſint in ratione compoſita ex ſubduplicata elaſticitatum abſolutarum directe, inverſa duplicata longitudinum, & inverſa ſubduplicata gravitatum ſpecificarum. Quibus ita pertractatis, contemplatur quoque vibrationes laminæ elaſticæ, nuſquam fixæ, vel, quod idem eſt, ſepoſita gravitate, in vacuo oſcillantis, iterumque modos oſcillandi innummerabiles eruit, pro diverſo numero interſectionum laminæ vibrantis cum axe. *Interim tamen, non niſi eos ad inſtitutum facere caſus, quibus numerus interſectionem cum axe eſt par, principio exiſtimavit*, adeoque ſemiſſem caſuum poſſibilium excluſit. Monitus autem ea de re a Cel. *Bernoullio*, ἀβλεψίαν non modo ſtatim agnovit, ſed peculiari ſcheda, nobiscum communicata, & mox ſubjicienda, eandem reparavit, quod quidem ingenui, qualis magna ingenia decet, candoris ſpecimen eſt.

Cum vero ad finem properandum ſit; de altero quoque Additamento dicamus breviſſime. Venit aliquando Viro Cl. in mentem, in lineis curvis, quas corpora projecta, & a viribus quibusvis ſollicitata, deſcribunt, maximi minimive cujuspiam proprietatem ineſſe debere. Cum vero in his potiſſimum ſpectari *debeat effectus, a viribus* oriundus, qui in motu corporis genito conſiſtit; viſum eſt, aggregatum omnium motuum, qui in corpore projecto inſunt, minimum eſſe debere. Hanc proprietatem ad calculum revocans, perfectiſſimum conſenſum cum iis, quæ methodo directa erui ſolent, detexit, ut adeo de memorabili hac veritate vix amplius ſit dubitandum. Nempe, ſi maſſa corporis ſit M, ſpatiolum, ſive elementum projectoriæ $= ds$, velocitas in eo loco $= \sqrt{v}$, debebit projectoria hanc proprietatem habere, ut $M\int ds \cdot \sqrt{v}$ in ea ſit minimum. Jam, adſcitis

 formulis

formulis ſuis, ex hac affectione omnia plane elicuit, quæ a ſcriptoribus Mechanicæ traduntur, quin etiam Problema virium centralium inverſum hac methodo ſolvit. Quo autem diſtinctius amplitudo hujus principii cognoſcatur, ejusdemque uſus tuto ſieri poſſit, motum projectorum in duo genera diſpeſcit; quorum altero celeritas, quam corpus habet, a ſolo ſitu pendet, quod uſu venit, ſi corpus ad quotcunque centra fixa attrahatur a viribus, functioni cuilibet diſtantiarum a centro proportionalibus; altero autem celeritas corporis per ſitum ejusdem non determinatur, prout accidit in medio reſiſtente, vel ſi centra virium concipiantur mobilia. Priori caſu proprietas memorata generaliſſime valet; ut adeo ſolus poſterior excipiendus videatur. Quin imo, ſi plura corpora, in medio non reſiſtente, quomodocunque in ſe invicem agant, ſumma motuum elementarium ſemper erit minima, cujus quidem ratio ex natura inertiæ corporum, qua omni ſtatus mutationi, quantum poſſunt, reluctantur, non difficile perſpici poteſt. Sed manum de tabula.

LEONH. EULERI ANIMADVERSIO AD LIBRI præcedentis §. 83 & ſeq. de Curvis elaſticis.

Cum Vir Celeberrimus, *Daniel Bernoulli*, (qui hoc argumentum de oſcillationibus laminæ elaſticæ diligentiſſime eſt perſcrutatus, ſuasque meditationes jam ante complures annos cum Academia Scientiarum Petropolitana communicavit, in cujus Commentariis eæ mox comparebunt,) hanc meam tractationem jam ante impreſſionem evolviſſet; in iſto loco errorem deprehendit, meque de eo benevole eſt hortatus. Cum autem exemplar meum manuſcriptum non amplius eſſet in mea poteſtate, eum corrigere non licuit; quamobrem hanc occaſionem arripio, illum emendandi.

Quanquam ſcilicet inveſtiganti mihi omnes modos, quibus lamina elaſtica libera, ſeu nusquam fixa, ſeſe ad motum oſcillatorium componere poteſt, calculus innumerabiles modos ſuppeditavit, prouti lamina inter oſcillandum axem, ſeu rectam directricem, qua ſtatus laminæ quietis repræſentatur, vel in uno, vel duobus, vel tribus, pluribusve, punctis interſecat; tamen horum

rum modorum ſemiſſem tantum, ſcilicet eos, in quibus interſe-ctionum numerus eſſet par, ad inſtitutum aptos eſſe putavi. Cauſa, quæ me in hac opinione confirmare videbatur, hæc erat, quod pro interſectionum numero impari ſummam omnium momentorum virium ſollicitantium non evaneſcere arbitratus eſſem, cum ea pro numero pari evidenter evaneſcat. Ut enim motus oſcillatorius laminæ liberæ ſubſiſtere poſſit, non ſolum requiritur, ut omnes vires, quibus lamina inter oſcillandum ſollicitari concipitur, ſe mutuo deſtruant, quod quidem pro omni interſectionum numero æque uſu venit, ſed etiam neceſſe eſt, ut quoque earum virium momenta ſe mutuo deſtruant. Niſi enim hoc fieret, lamina circa ſuum centrum gravitatis motum gyratorium impetraret, quo motus oſcillatorius perturbaretur & tolleretur.

At vero perpetuo, ſive interſectionum numerus ſit par, ſive impar, ſumma omnium momentorum pro tota lamina æque evaneſcit, ac ſumma ipſarum virium. Repræſentet enim $aEFGb$ figuram laminæ, quam inter oſcillandum induit, exiſtente AB ejus ſitu naturali, in ſingulis punctis M ipſi applicatæ concipi debent vires, ſecundum perpendicula MP ad axem urgentes, quæ ſint his ipſis diſtantiis MP proportionales. Poſitis ergo Abſciſſa $AP = x$, & applicata $PM = y$, quæ ubique minima conſideratur, ita ut elementa Curvæ aM ab elementis Abſciſſæ AP non diſcrepent, erit vis in M applicata ut y, & ſumma omnium virium $= \int y\,dx$. Erat vero ex æquatione pro Curva $\int y\,dx = \frac{c^4 d^3 y}{dx^3}$, atque Curva ita comparata eſſe debere oſtenſa eſt, ut in extremitate b formula $\frac{d^3 y}{dx^3}$ evaneſcat. Poſita enim tota longitudine $AB = a$, æquatio pro Curva inventa $y\,dx^4 = c^4 d^4 y$, ita quater integrari debebat, ut primo poſito $x = o$, fieret $y = Aa = b$; ſecundo ut poſito $x = o$ fieret $\frac{ddy}{dx^2} = o$, tertio ut poſito $x = o$, fieret quoque $\frac{d^3 y}{dx^3} = o$;

TAB. I Fig. 4.

 quarto

quarto ut poſito $x = a$, fieret $\frac{ddy}{dx^2} = o$, & quinto ut poſito $x = a$, fieret $\frac{d^3y}{dx^3} = o$. Ex æquatione autem differentiali eſt $\int y\,dx = \frac{c^4 d^3 y}{dx^3}$ & $\int dx \int y\,dx = \frac{c^4 ddy}{dx^2}$; unde apparet, ſummam omnium virium $\int y\,dx$ pro tota Curva evaneſcere. Quod jam ad ſummam omnium momentorum attinet, quoniam vis y in M applicatæ momentum eſt $= xy$, erit ſumma omnium momentorum $= \int xy\,dx$, quam pro tota Curva non niſi iis caſibus, quibus interſectionum numerus E, F, G, &c. eſſet par, evaneſcere opinatus eram. Hac de re autem monitus, perſpexi quoque, hanc expreſſionem $\int xy\,dx$ pro tota Curva evaneſcere debere. Eſt namque $\int xy\,dx = x \int y\,dx - \int dx \int y\,dx$, &, quoniam pro tota laminæ extenſione tam $\int y\,dx$, quam $\int dx \int y\,dx$, evaneſcunt, perſpicuum eſt quoque, ſummam momentorum $\int xy\,dx$ in nihilum abire. Hoc ergo animadverſo, omnes oſcillationum modi, his æquationibus contenti:

$$\text{I.} \quad \frac{a}{c} = \tfrac{1}{2}\pi - \varphi = \text{l.} \cot \tfrac{1}{2}\varphi$$

$$\text{II.} \quad \frac{a}{c} = \tfrac{1}{2}\pi + \varphi = \text{l.} \cot \tfrac{1}{2}\varphi$$

$$\text{III.} \quad \frac{a}{c} = \tfrac{5}{2}\pi - \varphi = \text{l.} \cot \tfrac{1}{2}\varphi$$

$$\text{IV.} \quad \frac{a}{c} = \tfrac{7}{2}\pi + \varphi = \text{l.} \cot \tfrac{1}{2}\varphi \;\&c.$$

ad oſcillationes perficiendas æque ſunt apti, etiamſi ordine tantum pares ad hoc idoneos judicaviſſem. Prima igitur æquatio dat $\varphi = \frac{1}{2}\pi = 90^\circ$, ac propterea $\frac{a}{c} = o$, unde nullus motus oſcillatorius reſultat; ſecundus modus duas habet interſectiones, fitque $\varphi = 1^\circ, 0', 39\frac{7576''}{10000}$ & $\frac{a}{c} = 4,7300350232$.

Tertius

Tertius modus inſervit pro tribus interſectionibus, eſtque, cum angulus φ fiat valde parvus, proxime $\frac{a}{c} = \frac{5}{2}\pi - 2e^{-\frac{5}{2}\pi} - 4e^{-5\pi}$ denotante *e* numerum, cujus logarithmus hyperbolicus $= 1$. Quartus modus præbet quatuor interſectiones, &, quia φ eſt angulus multo minor, quam ante, erit adhuc propius $\frac{a}{c} = \frac{7}{2}\pi + 2e^{-\frac{7}{2}\pi} - 4e^{-7\pi}$ atque ita porro.

His igitur monitis, in §. 96 perfectus conſenſus inter oſcillationum modos laminæ, utroque termino parieti infixæ, & laminæ liberæ deprehendetur, neque exceptiones caſuum hoc loco factæ locum habent. Dum igitur lamina utrinque fixa ita oſcillatur, ut inter oſcillandum axem vel nuſquam, vel ſemel, vel bis, vel ter, &c. interſecet, tum ejus motus oſcillatorius idem erit, ac ſi eadem lamina libera ita oſcillaretur, ut axem vel in duobus, vel tribus, vel quatuor, vel quinque, punctis &c. interſecaret.

NOVA LITERARIA.

Quas nuper publice propoſuit *Heſychii* duobus Voluminibus majoribus edendi leges & conditiones *Samuel Luchtmannſius*, Lugdunenſis Typographus, cum Lectore noſtro, illarum cognoſcendarum fortaſſe cupido, en communicamus:

Operis illius, diu deſiderati, duo *erunt* Volumina, *quorum alterum nuper demum prodiit, ſic inſcriptum:* Ησυχιου Λεξικον, *Heſychii Lexicon, cum* Notis *doctorum Virorum integris, vel editis antehac, nunc auctis & emendatis,* Hadr. Junii, Henr. Stephani, Joſ. Scaligeri, Claud. Salmaſii, Jac. Palmerii, Franc. Guyeti, Godefr. Sopingii, Jo. Fungeri, Jo. Cocceji, Jo. Fred. Gronovii, Jo. Caſp. Suiceri, Tanaq. Fabri, Corn. Schrevelii, Ed. Bernardi, &c. *vel ineditis* Henr. Valeſii, Dan. Heinſii, Phil. Jac. Mauſſaci, Thom. Brunonis, Iſaaci Voſſii, Jo. Viti Pergeri, Thom. Munckeri, Marci Meibomii, Jo. Verweji, &c. *inprimis* Ludolphi Kuſteri, Tiber. Hemſterhuſii, Jo. Chriſtiani Biel, *&c. Ex Autographis partim recenſuit, partim nunc primum edidit, ſuaſque Animadverſiones perpetuas adjecit,* Joannes Alberti, *Theol. Doct. & Prof. Ord. in Academia Lugduno-Batava, cum ejuſdem Prolegomenis, & Apparatu* Heſy-

Digitized by Google

Heſychiano. *Alterum prelo ſubjicitur.* Prior Tomus, *qui nunc venalis proponitur, typorum elegantia chartæque nitore facile ſe omnibus commendabit. Adhibiti ſunt typi novi tam ad textum, qui Græcus tantum eſt, quam ad Notas, quæ plurimæ ſunt, maximam partem ineditæ, & quod vel ex inſpecto titulo patet,* (*cui* Rich. Bentleji, Lamberti Bos, *aliorumque, nomina addi potuiſſent,*) *uberiores, quam vulgo ad ejusmodi Autores conferri ſolent. Conſtat hic* Tomus prior *foliis 253. Pro quolibet folio ſolventur* 1½ *Stufertus; unde ſurgunt floreni Hollandici* 18 -- 19 -- 8.
Accedit Effigies Editoris : -- 15 -- :
f. 19 -- 14 -- 8

Qui libros Græcos typis aliquando mandarunt, non ignorant, quanto majores ſumtus requirant hi typi, eorumque diſpoſitio, & imprimendi corrigendique merces; immo videbunt, minus huic libro pretium ſtatui, quam ceteris impoſitum eſt libris Græcis, quorum dimidia pars Latinam præterea verſionem continet, minus utique ſumtuoſam. Prior *ille* Tomus *ab hoc ipſo tempore uſque ad finem Anni 1746 venalis erit florenis Hollandicis* 20, *ea tamen lege, ut, qui 1747 ante Calendas Martias anni hunc emerit, Tomi poſterioris pretio deducturus ſit florenos* 2, *quo jure ceteri, qui tempus illud præſcriptum neglexerint, deſtituti erunt.* Alter Tomus, *qui reliquam totius Operis partem, una cum Indicibus neceſſariis, complectetur, magnitudine priorem non excedet, quin potius mole minor erit, eadem charta, &c. imprimendus; & pro ratione prioris Tomi poſtea venalis iis, qui nunc ſuum dederint nomen. Illius quoque editionem, quantum pote, adornat & urgebit Cl. Editor, qui totus in eo eſt, ut optatam tandem metam attingat: etiamſi tempus ipſum, per plurimas ejus occupationes, certo quidem definire nondum liceat, alias commodius in Novellis literariis indicandum. Interim, dum omnia ad manus ſunt, (etiamſi quid humanitus Cl. Editori accideret,) quæ ad abſolvendum librum pertinent, per triennium continuata diligentia univerſo operi finem, uti ſpes eſt, quam proxime imponet, ad quem nimis non eſſe feſtinandum, norunt ſatis harum rerum periti. Ceterum, ut quorundam deſiderio ſatisfieret, exemplaria quædam charta majori, ſive regia, ſunt impreſſa, quorum non niſi triginta venalia proſtabunt, idque pretio, ut moris eſt, ſingula (hujus Tomi prioris) florenorum Hollandicorum* 30. *Qui vero ante finem anni 1746 nomen ſuum dederint, Tomo ſequenti (chartæ majoris) detrahent florenos* 3. *Cujuscunque autem chartæ, ſive majoris, ſive ordinariæ, exemplar quis elegerit, a Typographi officina illud ad ſe deferri quisque curabit. Qui dictis conditionibus hujus Operis copiam ſibi fieri velint, Bibliopolis ex quaque urbe nobiliſſimis ante Calendas Martias anni 1747 nomina dare rogantur; quo temporis ſpatio elapſo, pretii detrahendi prærogativa, ſuperius expreſſa, ceſſabit.*

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLVI.

Pars I.

NUMISMATA QUÆDAM, CUJUSCUNque formæ & metalli, Muſei HONORII ARIGONI, Veneti, ad uſum juventutis rei numariæ ſtudioſæ.

Tarviſii, ſumtibus Autoris, apud Euſebium Bergamum, 1741, fol.

Conſtat Tabulis æn. 119.

Non ſunt vituperandi, ſed laudandi, qui, noſtris quoque temporibus, operam ſcientiæ numiſmaticæ perite navantes, priſci orbis numiſmata, ſicut ſunt, in vulgus emittunt, haud adjuncta illorum explicatione. Ea res quantum boni utilitatisque habeat, & quantum iis commodi afferat, qui vel erudiendi his ſtudiis ſunt, vel jam inſtituti, facile apparebit accurate id ipſum meditanti. Tali enim modo ſapienter eruditorum crumenæ conſulitur, cum contra, explicatione adjecta, liber plerumque in magnum volumen creſcat, cujus mole fit, ut doctos emtores, qui uſum librorum non magnitudine, ſed bonitate, metiri ſolent, pretii tam ingentis ſæpe pœniteat, hique ipſi, pretium internum non reſpondere externo, conquerantur. Præterea, in quo multum omnino ſitum eſt, juvenum negligentiæ ac deſidiæ occurritur, quorum animus, demta explicatione omni, tanto vehementius impellitur, ut, in tentandis experiundisque numis ipſis, & excutiant intelligentiam ſuam, & ingenium acuant, & confirment

Digitized by Google

judicandi facultatem. Sunt denique plerique nummi, certe horum magna pars, qui noſtra ætate e Cimeliis promuntur, ab aliis jam expoſiti, adeo ut nihil opus ſit repetito labore, niſi tot jam cognita atque trita denuo velis protrudere. Quodſi Latinæ interpretationes, quas Græcis ſcriptoribus antiquis citerior ætas ſubjicere cœpit, parum commoditatis, ut molliſſime dicamus, in eruditam civitatem importarunt, cur copioſas priſcorum numiſmatum explanationes, quarum quidem numerus ſatis amplus eſt, tantopere expetamus, quibus, haud ignorat optimus quisque, magis impediri juventutem, quam juvari? Quare & *Proſperi Pariſii rariora magnæ Græciæ Numiſmata*, & *Jacobi Biæi Numiſmata Imperatorum Romanorum*, & *Numiſmata moduli maximi ex Cimeliarchio Ludovici XIV*, & *Pauli Patavii Numiſmata vetera atque nova*, & *Philippi Parutæ Numiſmata Siciliæ*, & *Laurentii Begeri Herculem Ethnicorum*, & *Hermolai Piſani rariora Romanorum Imperatorum Numiſmata maximi moduli*, & alias denique numorum collectiones, ſine ulla divulgatas explicatione, valde prodeſſe iis poſſe, qui aliqua cupiditate ſtudii numiſmatici tenentur, extra dubitationem poſitum eſt.

His, quorum eſt a nobis facta mentio, jure atque merito aggregamus Clariſſimum Eruditiſſimumque Venetum, *Honorium Arigonum*, hocque jucundius aggregamus, quod hoc certiſſimo documento admonemur, eum gloriam Italorum antiquam, quos principes excolendæ antiquitatis, in numiſmatibus ſitæ, exſtitiſſe, nemo negat, ſuo quoque, tam bono & præclaro, exemplo egregie tueri. Hic, quantum emolumenti ex Muſeo ſuo ampliſſimo, pretioſisque ac rarioribus eruditæ vetuſtatis ſpoliis quantumvis onuſto, exſpectandum ſit curioſis harum deliciarum amatoribus, ipſe accurate eleganterque declarat, editis his, quos in manibus habemus, cujuscunque formæ & metalli Numis elegantiſſimis, tanquam parte aliqua grandioris operis, quod molitur. Qualis hic ſit liber, quale præterea inſtitutum Cl. Autoris, quantoque cum fructu liberalioris diſciplinæ conjunctum, age, percipiamus jam ex pereruditа, quam huic ſuo libro præmiſit, Præfatione.

Aperit

Digitized by Google

Aperit nobis Myſtagogus Muſeum, quod Numis antiquis totum refulget, non brevi adeo tempore, nec mediocri labore, comparatis, ſed aſſidua plurium annorum cura, & ingenti pretio, congeſtis, inſtitutis 25 per Italiam peregrinationibus, quas idem venerandus Senex, cum ſeptuaginta, amplius, annos jam habeat, nova inveniendi acquirendique cupiditate inflammatus, nondum intermittit. Quibus quidem fructuoſiſſimis, iisque repetitis, per Italiam itineribus, quæ ἱϛορίας ἕνεκα ingreſſus fuerat, fit, ut ingentem ſibi theſaurum deponat veteris ævi numiſmatum, qualem ſibi plures optent, quam acquirant. Diu ſecum deliberavit, num hæc ſint edenda, dubius de publica doctorum hominum approbatione. Noverat enim faſtidioſum hujus ſeculi palatum, nec ignorabat, numerum numorum tam grandem, ſi edendi ſint, plus exigere pecuniæ, quam ferre privatæ fortunæ poſſint facultates. Moverunt eum tandem partim preces amicorum, partim ſua ipſius cupiditas adjuvandi augendique rem numariam. Sic illud nunc agit, quod optimus ac prudentiſſimus quisque, ut non ſibi ſolum, ſed publicis eruditorum commodis, velit conſultum. Neque tamen omnes ſuos numos, quorum amplius viginti millia poſſidet, conjunctim unoque velut adſpectu in hoc volumine ſpectandos præbet, maxima horum parte jam ab aliis divulgata. Ex multis aliquos ſelegit, qui apud editores numorum fortaſſe non inveniantur. Hos, ſi raritate non commendentur omnes, tales tamen eſſe contendit, qui uſui eſſe poſſint. Neque eos, ait, convenire cum his, quos alii dederunt. Poſſe multa ex eisdem cognoſci, quæ ceteri Numographi prætermiſerint. *Diverſa genera Numorum* hic collecta dari; quos apud *alios ſparſim* reperias. Siſtitur autem ſola *prima Pars*, quæ ſi non diſplicuerit juſtis harum rerum cenſoribus, ſequentur poſthac Numi Imperatorum, aliique forte mille, in Coloniis Græcisque Urbibus cuſi. Adjungentur Conſulares Numi. Qui omnes nequicquam apud *Vaillantium* quæruntur. Nec deſiderabuntur Ægyptiaci Numi, ex quibus poſſit contexi omnium fere Imperatorum Romanorum Chronologia uſque ad *Conſtantinum* & *Maximianum*, Cæſares, quorum ſub imperio cudi numiſmata

Pag. 3. 4. 5.

Digitized by Google

in Ægypto deſierunt. Porro ſpectabuntur Numi Imperato-
rum Romanorum, a *Mediobarbo* atque *Bandurio* non expoſiti.
Neque omittentur poſt *Anaſtaſium* percuſſi, quamlibet inve-
nuſte. Scenam claudet Numiſma, unicum & ſingulare, *Con-
ſtantini XI Palæologi.* Adjicientur, velut per lancem ſatu-
ram, plures alii Numi, ut Conturniati, omiſſi ab *Havercampo*,
etiam Regum, Urbium, Populorum, quos nullusdum edidit;
præterea Phœnicii, Punici, Hiſpanici, Arabici, alii incerti.
Rari etiam comparebunt, iique ſelecti, raro, aut nunquam,
obvii in eruditis Cimeliis. Elegantiæ Numiſmatum typi for-
marumque nitor reſpondebit, quibus in exprimendis ut accu-
ratiſſime ſingula obſerventur, ſumma cura a Clariſſ. Autore
Pag. 6. adhibebitur. Totum illud Opus, quod, ſolo virtutis amore,
literisque ſerviendi ſtudio, ſuſceptum ab ſe, Doctiſſ. *Arigo-
nus* prædicat, hunc ad modum inſtruetur, ut, appoſitis lite-
ris, ſingulorum numorum indicetur magnitudo, literæ, non
bene apparentes, punctis demonſtrentur, quæ deſint, non ex-
7. primantur. Animadverſiones, quæ univerſo labori lumen af-
ferant, Autor promittit, qui fidem etiam horum Numiſma-
tum, optimorum judicio Antiquariorum exploratam confirma-
tamque, præſtat, ceterum, benignam correctionem ſibi non
8. ingratam futuram, ſignificat. Sperat idem, fore, ut alii for-
taſſe, ſuo hoc exemplo, excitentur, ut, quæ in gazis con-
dita adhuc ſervent, patiantur aliquando lucem adſpicere, juris-
que publici fieri. Optat ergo vehementer, ut *Petrus Mar-
cellus*, ut *Marcus Antonius Diedus*, ut *Petrus Garzonus*, ut
Antonius Savorgnanus, ut *Apoſtolus Zenus*, ut alia denique Ita-
liæ lumina, Numophylacia ſua in lucem prodire jubeant. Sum-
mam dedimus Præfationis, quæ ſcriptorem prodit, non mo-
do doctum & limatum, ſed etiam ingenuum, candidum, ſin-
cerum, modeſtum, eum denique, cujus ſimiles multos no-
bis valde optemus. Certe, quam egregio conatu promovere
integram Numorum veterum cognitionem & velit, & poſſit,
indicio eſt tam ea, quam enarravimus, Præfatio, quam illa ipſa
prima Pars Numiſmatum, de qua nunc eſt exponendum.

Liber eſt omnis diviſus in Ordines *octo*, quorum *primus*,
Tabu-

Tabulis XII æneis conſtans, *Numos* continet *Urbium & Populorum antiquiſſimos*, conflatos ex ære gravi, quibus vetuſtiſſimi Romani, ceterique Italiæ ſeſſores, in negotiationibus loco numorum uſi ſunt, ut Aſſes, Semiſſes, Trientes, Quadrantes, Sextantes, Uncias, cum antiquis aliis numis æneis, ante primum bellum Punicum cuſis, Sextantariis, Uncialibus, Semiuncialibus, etiam minoris ponderis numeralibus notis impreſſis. Ex quo judicari poſſe, Cl. Autor oſtendit Præfationis *pag. 6*, Aſſes librales, ac Semiſſes, priſcis etiam temporibus exſtitiſſe, & ad noſtram permanſiſſe memoriam, quod utrumque tamen Doctiſſ. *Vaillantius*, in Familiarum Numos præfatus, adduxerat in dubitationem. Nolumus multos ex his Numis deſcribere, qui antiquam produnt ſimplicitatem, & plerumque *caput Jani Bifrontis*, in averſa *navem*, præferunt, eam videlicet notam, quam, inde a Regibus, veteres Romanorum numos geſtaſſe, ex *Plinio*, *Ovidio*, atque aliis, tritum eſt. Tantum attingimus numum *quintum* & *ſextum Tabulæ XVI*, cujus utriusque adſpectus erudire nos poteſt, quem ad modum cæſtus fuerit manibus athletarum alligatus. Unum præterea obſervamus, numos hos ea quoque nota vetuſtatis ſuæ luculentum indicium dare, quod omnes fere inſcriptione carent.

Jam tranſitur ad *ſecundum* Ordinem, qui *antiqua Urbium & Populorum Numiſmata, cum notis numeralibus, Tabulis XII* complectitur. Hæc quidem prioribus illis non valde ſunt abſimilia, ſed tamen præterea quiddam elegantiæ atque varietatis habent. *Prima* ac *ſecunda Tabula*, cum parte *tertiæ*, *Janum* eundem, cum navi, in aſſibus monſtrant. In *Tab. VIII num. 6* aquila exhibetur, leporem unguibus tenens atque dilanians, in Agrigentinorum numiſmate, quod devictæ gentis eſt ſymbolum. *Tab. IX num. 2* Romæ caput galeatum, in averſa noctua cum ramo oleæ, συμβολικῶς, ut, *Minervam Paciferam*, intelligas, cultam a Teatenſibus fuiſſe, quorum hic eſt numus. *Quintus* ejusdem *Tabulæ Vulcanum* dat, cum inſignibus ejus in averſa, malleo ac forcipe, addita etiam voce ΛΥΜΝΟC. Lemnii enim, ſicut accepimus, *Vulcanum* maxime, quod is eam in inſulam cœlo deturbatus ab irato *Jove* fingitur,

gitur, ſunt venerati. *Tab. XII num. 1* Cælinenſes tropæum ponunt, quod ad *Herculem* pertinere, adjecta clava ſignificat.

Sequuntur, Ordine *tertio*, *Numiſmata Urbium & Populorum ſine numeralibus notis*, *Tabulis XXIII*, quæ ſelectiſſima ſunt, rariora etiam, ſuoque nitore atque elegantia valde nos trahentia. Dabimus quædam ex his quoque ſpecimina. Exſtat *Tab. I num. 6* præclarus numus Ægienſium, isque perrarus, ceterum in titulo, quod venia Cl. *Arigoni* ſit dictum, paulisper mutilus. Cernitur *Jupiter*, juvenili ac viridi forma, nudus etiam, fulmen dextra vibrans, læva aquilam ſuſtinens. Scribitur in ambitu: ΘΕΟΣΙΟΣ ΚΑΝΤΑΙΟϹ. At enim, refingenda hæc eſſe, ſcribendo ΘΕΟΞΙΟΣ ΚΡΗΤΑΙΟΣ, tam *Jovis* imberbis effigies ſuadet, quam inprimis numus Ægienſium Græcus, cum eodem titulo, quem *Ez. Spanhemius*, ad *Callimachum*, commemorat. Intelligitur *Jupiter Creſcens Cretenſis*, quod *Jovis* epitheton numi Romanorum haud ignorant. Verum hæc mittimus, quæ ſine dubio Cl. Autoris ſolertia multo luculentius, in Animadverſionibus, expediet. In eadem *prima* Tabula numus *nonus*, qui eſt Albiopolitanorum, *ſceptrum* effingit, non rudi expreſſum Minerva, ſed elaboratiore forma, quod aliquanto rarum in numis. In *decimo* numo *Apollo* ſtat, radiato capite, pharetra a dextro humero ſurrecta. Siniſtra manu lyram tangit, repoſitam in Parnaſſo monte, ſicut videtur. *Tab. III num. 6* eſt Apolloniatarum Siciliæ. Lyra hic ſpectatur pentechordos, ut, ad *Apollinem* retuliſſe illos originem ſuam, appareat. *Tab. IV num. 7* Athenienſium. Senex in ſella, ſeminudus, macilentus, barbatus, pileatusque, cum libello in ſiniſtra. Vide, num ſit *Pythagoras*. *Tab. VII num. 3* numus Chiorum, ſane elegans. *Homerus*, tanquam meditabundus, ſedens, capite nudus, tectus amiculo, & in libro legens. Titulus, ΟΜΗΡΟϹ. *Tab. XI num. 1* Gortynæorum. Vir nudus in arbore inſidet, quæ multos ſe diffundit in ramos, in averſa *Europa* cum velo, tauro vecta, adſcripta voce ΓΟΡΤ. Hic, ſi per Doctiſſ. *Arigoni* humanitatem licet, dicemus, *Jovem* ſpectari, quem cum *Europa*, in agro Gortynenſi, ſub platano arbore, concubuiſſe, *Theophraſtus* atque *Plinius* referunt. De

quo

quo diſſerit, ad Cyrenaicum Vatem, *Spanhemius.* *Tab. XII num. 4* Lacedæmoniorum. Sunt duo capita *Caſtoris* & *Pollucis*, laureata & pileata, cum ſtellis impoſitis. Hi nimirum Lacedæmone oriundi putantur, ob eamque cauſam Λακεδαιμόνιοι a *Callimacho Theocrito*que uſurpantur. Numus *ſextus* illius *Tabulæ* habet caput laureatum, cum epigraphe ΕΦΟΡΩΝ. Ex altera parte *Diana* venatrix, cum voce ΛΑ. ut continuo *Ephoros* agnoſcas, ſummum *Lacedæmoniorum* magiſtratum. *Tab. XVI num. 2* Mileſiorum. *Homerus*, isque ſedens, legit in libro, ſicuti ſupra in Chiorum numo, hic tamen præterea baculus adjicitur. In ejusdem *Tabulæ* numo *ſexto* cernitur aquila, in averſa ΜΥΛΑΣΣΩΝ, cum tridentis ſuperiore parte. Spectat aquila ad *Jovem*, cujus magnam apud Mylaſenſes fuiſſe venerationem, *Septimii Getæ*, atque *Hecatomni*, Regis Cariæ, numi, apud *Buonarrotam*, *Spanhemium*, *Seguinum*, *Petitum*, *Begerum*, luculenter demonſtrant, qui *Jovem* effingunt, ſtantem in templo, cum haſta, quæ interdum ad tridentis formam accedit, & titulo ΜΥΛΑΣΕΩΝ. Quod ideo etiam monemus, ut appareat, rectius in *Arigoniano* numo ΜΥΛΑΣΕΩΝ ſcribi, quam ΜΥΛΑΣΣΩΝ. Quæ quidem ſcriptio utrum in ipſo archetypo exſtet, an vitio Chalcographi inducta ſit, nemo judicare melius poteſt, quam ipſe Poſſeſſor Clariſſimus. *Tab. XIX num. 2* Remenſium, cum tribus capitibus, &, in averſa, cum bigis. Qui numus in rariſſimis omnino numerandus eſt, quod, quo plura numus habet capita, eo rarior ponitur, ut Antiquarii ſciunt. *Tabulæ XX numus 7* prorſus elegans. Manum oſtendit, cæſtu armatam, cum ramo palmæ, qui ſubjacet, ut, luctatione præmium acquirendum eſſe, declaretur. *Tab. XXI num. 10* Theſſalorum, cum equo, ſymbolo illorum numiſmatum frequentiſſimo. Theſſali enim maxime equis, quos optimos eorum terra alebat, delectari ſunt ſoliti, unde eis Ἱππικὴν, tanquam proprium ſtudium, *Maximus Tyrius* tribuit.

Sed hæc ſatis ſint. Veniamus ad *Numiſmata Deorum*, *Heroum*, *Deæ Romæ*, *Populi & Senatus*, quæ in Ordine *quarto*, *VIII Tabulis* comprehenſa, cernuntur. *Tab. I num. 1* caput

put *Serapidis*, cum calatho, DEO SARAPIDI. In averſa *Iſis*, velum navis expandens, ob inventum velorum uſum. Numo *ſecundo* ejusdem *Tabulæ* caput *Æſculapii* apparet, laureatum, &, quod rarius, *cornutum*. In altera parte ſerpens, perpetuus *Æſculapii* comes, cui, revoluto in ſpiras, inſidet noctua, id eſt, *Minerva*, quam veteres, ob repertæ Medicinæ opinionem, *Medicam* dicunt, cumque ſerpente pingunt, atque *Æſculapio* ipſi, etiam in numis, ideo adjungunt. *Quintus Numus Tabulæ I* a Theſſalonicenſibus cuſus eſt. Stat KABEIPOC, ut titulus habet, qui malleum ſiniſtra tenet, dextra, neſcimus quale, animal, quod in caudam piſcis exit. Cabiros autem, ut alibi locorum, ſic Theſſalonicæ inprimis, cultos fuiſſe, notum eſt. Sed monſtrum illud marinum, quod in *Arigoniano* numo additur, num ad tutelam navigantium, Cabiris adſcriptam a veteribus, commode referri poſſit, exſpectandum potius ex Animadverſionibus Cl. Autoris, quam a nobis certo definiendum. Haud prætereundus videtur numus *ſextus*, ideo potiſſimum, quod multo eſt expreſſior ceteris numi ejusdem ectypis. Cernitur caput cornutum, circumſcriptis literis ΘΕΟΥ ΠΑΝΟϹ. *Graverollus* atque *Rigordus*, quorum de hoc numo controverſiam in *Actis* noſtris, *Suppl. Tom. II pag. 369, 372*, expoſuimus, in id conſentiunt, *Iſidis* eſſe caput, idque partim glabra facie, partim mammis protuberantibus, partim etiam ipſis cornibus, confirmari cenſent. *Panis* autem nomen quomodo eidem Deæ poſſit attribui, id quoque probare ſtudent. At vero, tametſi conſtet, veteres, non modo Ægyptios, ſed Aſſyrios etiam, atque alios populos, *Iſidi* cornua dediſſe, quod tam ex *Herodoto*, quam *Libanio*, pervulgatum eſt, & priſca pictura *Iſidis Begeriana* luculentius demonſtrat, hoc tamen in numiſmate *Panem* potius ipſum effingi, non ſolum titulus eſt indicio, verum inprimis etiam icon *Arigoniani* numi, quæ faciem oſtendit minime muliebrem, ut apud *Graverollum*, ſed caput ſenis, barbatum rugoſumque, & cornutum, ut Deum Arcadiæ quaſi vivum adſpicias. Gratulamur ergo Cl. Poſſeſſori hunc egregium numum. *Tab. IV num. 10* caput comatum barbatumque,

CΙΠΥΛΟϹ.

Digitized by Google

CIΠΥΛΟC. Hunc Sipylum Cl. *Arigonus* in viris illuſtribus numerat. Poſſis tamen cogitare forſan de Genio montis Sipyli, quem *Begerus* ad *Florum*; aut de *Jove* ipſo, culto a Sipylenſibus, quem *Nonnius* ad *Goltzium*, in numis hujus populi invenerunt. Nihil definimus.

Exſpectant nos, in *quinto* Ordine, *Numiſmata, in Coloniis percuſſa*, eaque elegantiſſima, quæ *XII Tabulis* conſtant, neque a *Vaillantio* ſunt exhibita. Quorum quidem plurima ad Corinthum Coloniam pertinent. Ex his quoque, age, videamus quædam. *Tab. II num. 3* caput *Tiberii*, corona radiata, cum ſtella atque fulmine, ſymbolis Ἀποθεώσεως. *Tab. III num. 15* Corinthiorum. Mons, in eo templum tetraſtylon, cum imagine *Veneris*. Hic eſt ille mons, quem *Acrocorinthum* appellatum, *Veneris*que fano fuiſſe celebrem, *Strabo* atque *Pauſanias* memoriæ prodiderunt. *Tab. IV num. 3 Minerva*, cum haſta & ſcuto, inſiſtit in navi, comite noctua, addito etiam tropæo. Ita victoria navalis celebratur in hoc numo. Nam res nautica, ſicut *Maximus Tyrius* atque *Ariſtides* teſtantur, *Minervæ* putatur eſſe inventum. Quare etiam Athenienſes *Palladis* imaginem navibus ſuis, loco tutelæ, imponunt, ut partim veteres Græci ad *Ariſtophanem*, partim numi Attici, declarant. Ejusdem *Tabulæ* numus *decimus tertius*, qui Corinthius eſt, templum habet, in quo *Neptunus*, Numen Corinthiorum, in delphino recumbit. Cernitur, in tecto templi, ab utraque parte, delphinus. Solent enim inſignia Deorum fanis adjungi, ut aquila, vel fulmen, in *Jovis*, gallus, vulpes, caduceus, in *Mercurii*, & ſic in aliis denique. *Tab. V num. 12* rurſus *Neptunus* cum delphino, inter duas arbores; ad pedes jacent palma & corona. Indicantur Iſthmia, ſeu ludi, quos huic rectori maris inſtituit CLI COR. *Colonia Julia Corinthus*, ut titulus monet. *Tab. XII numus 12* inſignis eſt, & plane aureolus. Cernitur arbor, inter duas rupes, non ita procul canis, ante conchylium. Titulus numi: COL TYRO MET. Arbor, licet minus accurate hic expreſſa, *palma* eſt, quam in Tyriorum numis crebro ſpectamus, quod ille tractus adeo magno hujus arboris pro-

 ventu

ventu fœcundus fuit, ut Epigramma *Meleagri* ἀνέκδοτον ipſam *patriam palmarum* in Tyro reperiat. *Duæ rupes* ſitum Tyri informant, quam in rupibus, quæ *Scalæ Tyriæ* uſurpantur, & quo ipſum urbis nomen צור reſpectum habet, excitatam fuiſſe, accepimus. *Canis* autem, qui, *conchylio* adſtans, uſum purpuræ, ab *Herculis* Tyrii cane patefactum, deſignat, argumentum dat judicandi de pretio numiſmatis *Arigoniani*, cum canis quam rariſſime, ut *Jobertus* monet, in numis Tyriis exſtet.

Jam ſuccedat Ordo *ſextus*, qui nobis oſtendit, *XV Tabulis*, *Numiſmata Imperatoria*, *in Græcis Urbibus percuſſa*, & a *Vaillantio* non edita. *Tab. I num. 10* ΣΑΜΙΩΝ. Pavo, cum gladio, id eſt, *Juno* regina, in Samo inſula religioſe culta. Unum hic, in numiſmate cetera nitidiſſimo, ſummonemus, quod, credimus, non moleſte feret humaniſſimus *Arigonus*. *Sceptrum*, non gladium, veteres numi, apud *Goltzium* atque alios, *Junoni* dant, tanquam reginæ. Quod quidem ſceptrum cum in eo numo, de quo loquimur, ſit in gladium commutatum, error ille ſitne ipſius archetypi, an ſculptoris, non facile eſt judicatu. Exſpectat ea res limam judicii *Arigoniani*. *Tab. IV num. 5* menſa bipes, in qua jacet fulmen, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΕΙΕΡΙΑϹ. Eſt hæc menſa ex earum numero, quæ ararum vicem uſumque olim obtinuerunt, ſterniturque *Jovi* τῷ Κεραυνίῳ, ſeu Fulminatori, qui cultus in Seleucia eſt, teſte *Heſychio*. Cujus generis menſas, *Jovis* honori dicatas, alii quoque Seleucenſium numi, apud *Spanhemium Noriſiumque*, modo cum duobus, modo cum quatuor, pedibus, oſtendunt. *Tab. XII, 10*, numiſma *Philippi* ſenioris, valde rarum. Cernitur, in averſa parte, Mars, galeatus, nudus, & gradivus, dextra haſtam, ſiniſtra clypeum, &, quod animadvertendum maxime, *ſcalam* in ulnis, geſtans, pede in colliculum nixus. Titulus hic eſt: ΒΙΖΥΗΝΩΝ, *Bizyenorum*, populi Thraciæ. Numum, hujus ſimilem, ſed *L. Sept. Severi*, edidit e Cimeliis Schuarzburgicis, ac ſingulari, ad Illuſtriſſ. *Jo. Henr. a Times*, Epiſtola deſcripſit, *Joannes Chriſtoph. Olearius*, Jenæ A. 1696, ubi eum dicit rariſſimum, nec adhuc a quoquam editum.

Digitized by Google

tum. Credit idem, latere ſub ſcala ſingularem *Martis* appellationem, videlicet *Expugnatoris*, quod urbes atque mœnia, ſcalis admotis, expugnentur. Hinc autem apparet, quantum, in hoc numo, cimelium Cl. *Arigonus* in Muſeo ſuo ſervet.

Properamus ad *Numiſmata* alia, *in Coloniis cuſa*, nec relata a *Vaillantio*, quæ, *XIII* delineata *Tabulis*, dat Ordo *ſeptimus*. Hic Cl. Autor præmittit aliquod Antelogium, ſeu, ut ipſe vocat, *Monitum*, ubi occurrit dubitationi, ſi quis putet, numos eosdem apud *Vaillantium* ſpectari. Oſtendit, cuncta, quæ hic edantur, numiſmata non ſemper eſſe omnino a *Vaillantianis* diverſa, éa tamen, adjungit, aut non habere *Vaillantium*, aut non ita habere. Quædam horum eſſe diverſa typo, quædam titulo, alia in adverſa parte differre, alia in averſa. In nonnullis caput effingi laureatum, radiatum, nudum, rurſus in aliis cerni literas, numeros, titulos, Tribunitias Poteſtates, Conſulatus, nomina Cæſaris, Imperatoris, Auguſti, & complura alia generis ejusdem diſcrimina. Quæ quidem cuncta tanta animi moderatione a Peritiſſ. Antiquario noſtro dicuntur, quanta virum decet ſapientem, ſtudiisque perpolitum humaniſſimis. Verum numos quosdam ex his adſpiciamus, delectu habito. *Tab. II*, 2, numus *Auguſti*, cum Siglis PSSC. Dubium, quomodo legas. *Vaillantius* ita: *Poſuere Suffetes Carthaginenſes*. *Harduinus* autem: *Poni Suo Sumtu Curavere*. De quo numo, atque alio *Tiberii*, eisdem literis ſignato, ſcripſit nuper aliquis Vitembergæ, qui rationem Sufetum explicavit. Nec vero Cl. *Arigonus* ſuam hac de re ſententiam erudito orbi invidebit. *Decimum* ejusdem *Tabulæ* numiſma, a Corinthiis percuſſum, *Jovem* habet nudum, cum haſta & aquila, eumque ſtantem. Adſcriptum eſt: JUPITER LIBERATOR. Hic nimirum ille eſt, qui in *Græcorum* Numis dicitur ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ. *Tab. V num. 3* Dioſcuri, ſtantes cum haſtis, ſedet aquila in medio, qui horum ortum a *Jove* deſignat, quo etiam alii numi valent, qui modo *Jovi* ſedenti adſtantes faciunt Dioſcuros, modo eisdem fulmen *Jovis* apponunt. *Tab. VII num. 2* Antiochenſium, in *Severi* honorem cuſus. Cernitur *Deus Lunus*, id eſt, figura viri-

 rilis,

rilis, ſeminuda, dextra haſtam, læva globum cum Victoriola, tenens, tecta pileo Phrygio. Dorſo adhæret luna falcata, cujus cornua eminent utrumque humerum. Ad pedes conſpicitur gallus a dextra, & a ſiniſtra columna. Egregius ſane numus, multisque aliis in hoc genere anteferendus. Quanquam enim etiam apud *Spanhemium*, *Seguinum*, *Patinum*, *David. Millium*, *Vaillantium*, *Noriſium*, Deus *Lunus* in numis exprimitur; non tamen hi ſymbola illa omnia oſtendunt, quæ in *Arigoniano* ſimul apparent, nec ſeminudum dant, ſed veſtitum, omiſſa etiam columna. Ut ergo hic numus haud mediocre decus addat *Arigoniano* Muſeo. *Tab. XI num. 7* Berytienſium. Imago Deæ *Aſtartes*, quæ in Numinibus Berytieorum numeratur, in templo cernitur. Sed, in aditu fani cum actuaria navis effingatur, templum fuiſſe ad oram fluvii ſitum, facile cognoſcitur.

Supereſt, ut *octavum* Ordinem breviter perluſtremus, quo *Numiſmata alia Imperatoria*, *in Græcis Urbibus cuſa*, *XV Tabulis* exhibentur, eaque diverſa a *Vaillantianis*. Sunt hi quoque numi egregii, quorum e multitudine paucos tantummodo, pro inſtituti noſtri ratione, ſeligemus. *Tab. I, 4*, numus *Auguſti*, cum epigraphe: ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ ΑΦΡΟΔΙϹΙΕΟΥ ΥΙΟϹ. Animadvertendum, ſuppleri ellipſin nominis Υἱὸς, quod in ceteris numis plerumque omitti ſolet. Sic unus numus, ut ſæpe fit, poteſt alios plures explicare. *Tab. III num. 9 Diana*, cum haſta, arcu, pharetra, ceterum *cervino* capite, cum quatuor *cornibus*, quod ſingulare & rarum. *Tab. XIII, 9*, numus *Philippi* ſenioris, ſane elegans. Sedet, cum haſta & aquila, *Jupiter* in templo ſex columnarum, circumſcriptis his literis: ΔΙΟϹ ΚΑΤΕΒΑΤΟΥ. Infra legitur: ΚΥΡΡΗϹΤΩΝ. Nempe *Jupiter* cum fulmine, cognomento Καταιβάτης, de quo ſingularem ſcripſit *Petrus Burmannus* Diſſertationem, in Cyrrheſtenſium numis, apud *Patinum*, *Vaillantium*, *Begerum*, & alios, obvius eſt, videturque illud nomen *Jovi*, per κακοζηλίαν, adſcriptum, ex pervulgata fama de Jehova, deſcendente cum tonitrubus in montem Sinai. *Tab. XV num. 5 Salonina*. Templum, in quo ſtat perſona virilis. Titulus numi aliquantum detritus, ex quo hæc legi poſſunt:

CTP

CTP ACIAPX A. *Sub Magiſtratu Aſiarcha primum.* CAIT-THNΩN ſubſcriptio habet, quæ quidem nobis ſuſpecta videtur. Haud moleſte, opinamur, Cl. Autor feret, ſi de alia lectione cogitandum putemus. Nam, cum Aſia ſola Proconſularis Aſiarchas habuerit, nec antiquum æs, præter Smyrnenſium, Sardianorum, Pergamenorum, Trallianorum, Cyzicenorum, Laodicenſium, Hypæpenorumque, Aſiarchas, quosquam commemoret, nullo negotio aſſequimur, non poſſe Saitenſes, populum Ægyptiacum, in hoc numo tolerari. Itaque expediet, revocaſſe veram, ut nos quidem arbitramur, ſcriptionem, ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ.

Poſſunt hæc, quæ attulimus, ſpecimina ſufficere, ad excitandam, in eruditis harum mercium æſtimatoribus, cupiditatem evolvendi has Tabulas Numiſmatum, quæ quidem ut nos (non eſt enim celandum,) incredibiliter delectarunt, ſic non poſſumus easdem illas omnibus atque ſingulis, qui literis favent, majorem in modum non commendare. Dignus eſt liber, qui a ſtudioſis artis numiſmaticæ cupide diligenterque teratur. Sed ex eodem facile eſt judicare de præſtantia *Arigoniani* Muſei, quod haud vulgaribus eſt refertum opibus, ſed rariora maxime numiſmata, & non obvia, condit in penetralibus ſuis, eoque in principibus Muſeis Italorum privatis illuſtrem locum obtinet. Diximus interdum, in his recenſendis numis, quid nobis videretur. Quod factum haud fuiſſet, niſi de Doctiſſ. *Arigoni* ſingulari humanitate, cui non diſplicet amica correctio, ſatis nobis, ex Præfatione, conſtaret. Quemadmodum autem Cl. Autor, edito hoc Volumine, magnam a doctis viris gratiam inibit; ſic, idem ut de Muſeis ſuis numariis ceteri faciant Itali, & optandum vehementer, & ſperandum, eſt. Ceterum ſeptuagenario Seni, qui, ut diximus, plura molitur, ut inter nobiliſſimos conatus adſint aptæ commodæque vires, reſpondeat proſpera valetudo, faveat fortuna, id quidem nos cum optimo quoque habemus in votis, qui, toto abſoluto Opere, animadverſionibusque illuſtrato, ampliſſimum ejus in omni elegantiorum literarum ſtudio uſum futurum, ſpe certa auguramur.

Digitized by Google

MEMOIRES DE LITERATURE &c.
hoc eſt,
DISSERTATIONES, IN ACADEMIA INSCRIptionum & literarum humaniorum publicatæ inde ab anno 1726 uſque ad finem anni 1730.
Tomus VIII.

Lutetiæ, in typographia Regia, 1733, 4 maj.
Alph. 4 plag. 2.

Offeruntur hic nobis quadraginta Diſſertationes eruditiſſimorum hominum eruditiſſimæ de argumentis & cognitu utilibus, & lectu perjucundis. Inprimis, qui antiquiſſimam amant Hiſtoriam literariam, & multas & delicatas hic ſibi apponi dapes gaudebunt, ſeque incendi ſentient ſimilia conandi cupiditate maxima. Et in *prima* quidem, *Bougeantio* potiſſimum Jeſuitæ oppoſita, *Burettius* ſententiam fert de pluribus recentiorum libris, Muſicam veterum deſcribentium. In *ſecunda pag. 27 ſeq.* idem *Plutarchi* librum *de Muſica* (quem a ſe ait in linguam Gallicam traductum eſſe,) ſuo ſubjicit examini, ſummoque ſtudio contendit, verum hunc eſſe *Plutarchi* fœtum, non ſubdititium. Idem in *tertia pag. 44* hiſtoriam hujus libri literariam perſequitur, docens, quando primum & quoties deinceps typis exſcriptus fuerit hic liber, quæ & quot ejus exſtent verſiones, & quanti quæque ſit pretii, qui denique annotatis eum & qualibus illuſtrarint. Idem, in *quarta pag. 63* de ſymphonia Muſicorum veterum diſputans, cuidam reſpondet Societatis Jeſu monacho, qui contra ſe acriorem ſtrinxerat ſtilum in Commentariis Trivoltienſibus. In *quinta* idem Autor *pag. 80* libri *Plutarchi*, quem modo laudavimus, exhibet analyſin. In *ſexta pag. 97* diſſerit *Sallierius* de pictura veterum & ſculptura perſpectiva, utramque priſcæ ætati fuiſſe cognitam, copioſe docens contra *Perraltum*. In *ſeptima pag. 109* de vita & ſcriptis *Euhemeri* diſſerit *Sevinus*, inque *octava pag. 118* de *Phylarchi* vita ſcriptisque; quem vix mediocres inter Græciæ ſcriptores referendum eſſe, exiſtimat. Idem in

nona

Digitized by Google

nona pag. 126 de *Calliſthenis*, & in *decima pag.* 144 de *Tyrtæi*, vita & ſcriptis commentatur. Ac, hunc fuiſſe Athenis natum, docet initio. Tum, quo tempore vixerit, conſtituit. Hinc in ejus hiſtoria, a veris ſejungit falſa, multasque eliminat fabulas. Tandem ita, ut Critico dignum eſt, de *Tyrtæi* diſputat ſcriptis, ac præcipue de carminibus ipſius bellicis, tanti olim æſtimatis Lacedæmone. In *undecima pag.* 157 vitam *Demetrii Phalerei* deſcribit *Bonamicus* accuratiſſime. In *duodecima pag.* 178, an duo fuerint *Zoili* Homeromaſtiges, diſquirit *Hardionius*. Docet, vulgo confundi *Zoilum* cum alio *Zoilo* antiquiore; alterum *Platoni* fuiſſe æqualem, alterum *Ptolemæo Philadelpho*; priorem, eloquentiæ laude conſpicuum, cenſorem fuiſſe *Homeri* juſtum ac moderatum; poſteriorem autem imperitum & ſtulti faſtus plenum ſummi Poetæ contemtorem. In *decima tertia pag.* 188 hanc quæſtionem excutit *Vatryus*, an tragœdiam conſtare quinque actibus neceſſe ſit. Hic, præmiſſo de natura tragœdiæ ſermone, negantem tuetur ſententiam, cauſasque ſuppetere poſſe contendit, cur alia tragœdia plures, quam quinque, habeat actus, alia pauciores. In *decima quarta* Diſſertatione idem *pag.* 199 de veteris tragœdiæ choris agit, eorumque utilitate, eamque tragœdiæ noſtræ ætatis, choris carenti, præfert. Idem in ſubſequenti *pag.* 211 de tragœdiarum apud veteres recitatione, ſive pronuntiatione, agit, docens, recitatas olim fuiſſe in theatris tragœdias non uſitato ſermone, ſed vero cantu. In *decima ſexta pag.* 224 de *Agamemnone*, tragœdia *Æſchyli* obſcuriſſima, diſſerit *Salierius*; ac notas *Caſauboni* ad hanc tragœdiam promittit, quæ conſervantur in Bibliotheca Regia. In *decima ſeptima pag.* 243 *Euripidis Medeam* contemplatur *Hardionius*, ita ejus patrocinium ſuſcipiens adverſus *Petrum Cornelium* ac *Dacerium*, ut contendat, hanc *Euripidis* tragœdiam omnibus eſſe numeris perfectam, eique nullam veterum tragœdiarum, quæ quidem ſuperſunt, jure præferri. In *decima octava pag.* 264 idem diſſerit de *Euripidis Andromache*, deque ea aliam exſpectare nos jubet Diſſertationem, habituram & animadverſiones exegeticas & correctiones e pervetuſto quodam Regiæ Biblio-

thecæ

Digitized by Google

thecæ MSto Codice. In *undevigeſima pag. 276* diſputat idem de choro hujus *Andromaches;* ubi ipſi occurrit occaſio, accurate confutandi vulgarem de bigamia *Socratis* fabulam. In *vigeſima pag. 288* comparat *Racinius Iphigeniam Euripideam* cum *Raciniana*, longeque præfert *Euripidis* tragœdiam tragœdiæ Poetæ ſibi cognominis. Idem in *vigeſima prima pag. 300 Euripideum Hippolytum* cum *Raciniano* confert, laudeque *Euripidi* tributa maximā, *Racinianam* adſcribit ſociam tragœdiis præſtantiſſimis. In *vigeſima ſecunda pag. 314* de curſibus equorum & curruum in ludis Olympicis præclare diſputat *Gedoynus*. In *vigeſima tertia pag. 341* obſervationes exhibet *Barrius* ad *Herodotum* de intervallo Sardium & Suſæ urbium, deque fluminibus Haly, Euphrate, Araxe, & Phaſide. In *vigeſima quarta pag. 363* ad *ſecundi Libri Livii Caput 18, 19, 20, & 21,* annotationes exhibet *Curneus*. In hac hiſtoriæ Romanæ parte cum *Livio* vehementer adverſari videatur *Dionyſius Halicarnaſſenſis;* Noſter viam invenit, eos redigendi in concordiam. Illud tamen addit, meliori ordine majorique cura, quam *Livium*, enarraſſe hanc hiſtoriam *Dionyſium*. In *vigeſima quinta pag. 372* de *libra* veterum Romanorum diſputat *Barrius*, itemque de aliquot veterum menſuris, inprimis de *chœnice*. Quibusdam, autore *Budæo*, arbitratis, libram Romanam habuiſſe centum denarios, aliis nonaginta ſex, aliis denique octoginta quatuor, mediam Noſter amplexatur ſententiam, nec eam ſolum munit gravibus argumentis, ſed etiam a quibusvis objectionibus defendit. In *vigeſima ſexta pag. 403* idem diſputat diſtincte de Romanorum Imperatorum diverſis Galliæ in provincias diviſionibus, cum aliorum, tum præcipue *Antonii Pagii*, errores notans ac refellens. In *vigeſima ſeptima pag. 430* de limitibus regnorum Francici & Gothici ſuam exponit ſtabilitque ſententiam *Mandagorſius*. In ſubſequenti *Lancelotus pag. 450*, excuſſis eorum argumentis, qui *Genabum*, veterum Carnutum oppidum, habent pro hodierna urbe *Gien*, docet perſpicue, *Genabum* eſſe *Aurelianum*, *Orleans*. In undetrigeſima *pag. 464* demonſtrat *Foncemagnius*, regnum Franciæ primam ſtirpem Regiam habuiſſe hæreditarium

Digitized by Google

rium pariter & ſucceſſivum. Jam in *ſexto* horum *Commentariorum Tomo* publicata eſt ejus de hoc argumento Diſſertatio. Cum autem ibi ſimpliciter demonſtratam exhibuerit ſuam ſententiam; nunc ad *Vertotii* reſpondet argumenta, contrariam tuiti opinionem. In *trigeſima pag.* 476 idem diſſerit de diviſione, ſive partitione, Franciæ ſub ſtirpis primæ Regibus. Idem in *trigeſima prima pag.* 490 ad quæſtionem illam, an fœminæ vi legis alicujus Salicæ fuerint a ſucceſſione in regnum Francicum excluſæ, reſpondet, non vi legis ullius, ſed ex conſuetudine, primæ ſtirpis imperantibus Regibus excluſum fuiſſe ſexum muliebrem. In *trigeſima ſecunda pag.* 505 eundem habet ſollicitum amplitudo regni Francici ſub ſtirpe Regum prima. In ſubſequenti *pag.* 528 diſſerit *Curneus* de vita ſcriptisque *Rigordi* & *Guilielmi Britonis*, qui eſt prioris Hiſtorici continuator. Horum priorem, qui maximam vitæ partem tranſegit in duodecimo Seculo, & monachus in S. *Dionyſii* Cœnobio, itemque Regis Hiſtoricus, fuit, ait, bonum eſſe Hiſtoricum in deſcribendis rebus *Philippi Auguſti*, etſi ſuperſtitionibus ætatis ſuæ ſumma credulitate addictiſſimum; ac ſimul docet, editionem ejus hiſtoriæ poſteriorem eſſe priori multo emendatiorem. Ad *Guilielmum* quod attinet, qui natus circa annum 1170 in Britannia minore, ſive Armorica, creatus fuit Regis *Philippi Auguſti* Capellanus, Noſter eum prolixe laudat tum ut Hiſtoricum, tum ut Poetam, atque etiam de editionibus ejus diſſerit, præferens, magnificeque commendans, *Barthianam*. Idem in *trigeſima quarta pag.* 549 de vita ſcriptisque *Radulphi Glabri* diſſerit, Hiſtorici Seculi undecimi, & Cluniacenſis monachi. Etſi autem hunc refert inter levioris notæ Hiſtoricos; aliquot tamen exemplis docet, ex ejus hiſtoria quædam cognoſci, alibi locorum haud occurrentia. Pari utitur *ἀκριβείᾳ* in Diſſertatione ſequenti *pag.* 560, ubi de vita & ſcriptis *Guilielmi de Nangis*, Seculi XIII Hiſtorici, agit, deque hiſtoriæ ejus continuatoribus. In *trigeſima ſexta Lancelotus* exhibet *pag.* 579, ſubjunctis ſuis annotationibus, *Poema* Gallicum *in laudem Annæ*, *Caroli VIII* ſororis. Fuit hæc *Anna* fratri ſocia conſiliorum in adminiſtrando regno, mulier

Digitized by Google

quippe prudentiæ pleniſſima. Etſi vero hujus carminis conditor incognitus, qui id A. 1489 pepigit, haud multum valuit arte poetica; dignum tamen omnino eſt lectione ob materiam hiſtoricam. Idem in Diſſertatione *trigeſima ſeptima pag. 602* monumentum interpretatur *Guilielmi Conqueſtoris.* Exhibuit id quidem jam *Monteſalconius* in *Monumentis* ſuis *Monarchiæ Francicæ*; at Noſter novam ei curam adhibuit, clarioremque ejus promit deſcriptionem, atque ex illius temporis hiſtoria illuſtrationem. In *trigeſima octava pag. 669* idem defendit *Philippum* Valeſium in controverſia cum *Roberto* Arteſio, concitore belli inter illum *Philippum* & *Eduardum III*, Angliæ Regem. Refutat igitur multos Hiſtoricos Gallos, etiam noviſſimum illum, *Danielem*, Jeſuitam, contrariam pronuntiantes ſententiam, *Robertum*que laudantes, *Philippum* accuſantes. In *trigeſima nona pag. 682* idem refellit fabulam, magnis multisque munitam autoritatibus, quæ tradit, cum Magiſtro ordinis Templarii combuſtum una fuiſſe *Guidonem*, fratrem *Delphini* Viennenſis, Equitem Templarium. Manifeſtum igitur facit Noſter, *Guidonem* illum non fuiſſe hujus Ordinis Equitem, prætereaque omnem ejus *Guidonis* hiſtoriam perſequens, eum A. 1318 demum vita exceſſiſſe, demonſtrat. Ut autem erroris tam late ſparſi ne lateat occaſio atque origo, docet, illum, qui combuſtus fuit, alium *Guidonem Dalphinum* fuiſſe, filium *Roberti II*, Comitis Alverniæ. Deferimur tandem ad poſtremam hujus *Voluminis* Diſſertationem, ab eodem *Lanceloto* compoſitam, in qua *pag. 709 ſeq.* primorum annorum regni *Caroli VIII* hiſtoria ſingulari ſtudio illuſtratur, notatis potiſſimum erroribus, qui multi ſunt, Jeſuitæ *Danielis.*

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE des Inſectes, &c.

hoc eſt,

COMMENTATIONES, AD ILLUSTRANDAM Inſectorum hiſtoriam pertinentes, Autore DE REAUMUR, *Academiæ Regiæ Scientiarum, Societatis Regiæ Britan-*

Digitized by Google

Britannicæ, Academiarum Petropolitanæ & Inſtituti Bononienſis, Sodale, Ordinis Regii & militaris Sancti Ludovici Præfecto & Inſpectore. Tomus quintus, continuatio hiſtoriæ Muſcarum bipennium, & plurimarum quadripennium, ſerras pro aculeo habentium, Tettigarum etiam & Apum.

Pariſiis, ex Typographia Regia, 1740, 4 maj.
Alph. 4, cum Tab. æn. 38.

Non dubitamus, fore pleroſque rerum naturalium ſtudioſiores, quibus jucundum fuerit, elegantiſſimas perſpicacis *Reaumurii* de Inſectorum geneſi & œconomia narrationes in his *Actis* legere, &, quid induſtrius Obſervator de Muſcis bipennibus & quadripennibus, ampliſſima certe Inſectorum gente, propoſiturus ſit, percipere. *Quartus Tomus* expoſitione Muſcarum quadripennium, quas Culices appellamus, exſpiravit, cupidique lectoris non tam legendi deſiderium explevit, quam excitavit. Habemus nunc reliqua. *Prima Obſervatio* Tipulas exponit, Muſcarum quadripennium familiam, Culicibus affinem, ſed in quamplurimis ab iſta claſſe recedentem. Culices enim tubo ſugunt animalium ſanguinem, inflicto aculeis vulnere. Inermes ſunt Tipulæ, ore gaudentes edentulo; quare nec mordent, nec ova pariunt in perniciem aliorum inſectorum & animalium, ſed pratis locisque uliginoſis volitant pedibus ſex prælongis, quibus perinde ac alis progredi, & limo vagari, diſcunt. Magna eſt Tipularum diverſitas, quam & locus natalis & color varians conſtituit. Aliæ verme naſcuntur ſubterraneo. Ponit enim Tipula, forma reliquis major, ovula innumera, terra limoſiore nidificat, & apte prope litora lacuum ripasque fluminum fœturam alta tellure defigere novit. Naſcitur vermis, quem etiam in cavis arborum truncis & terra, intra eosdem ſtabulante, reperire poſſis. Hic, poſtquam radiculis plantarum ſatur eſt, Nymphæ formam induit. Vermem deprehendit Obſervator ſtigmatibus carere, niſi quæ ſunt ad anum gemella, quibus reſpirat, quorum etiam veſtigia partim in vermis exuvia,

Digitized by Google

antequam nympham ſubeat, depoſita, partim in nympha ipſa, clare videmus. Aliæ Tipulæ tubere terreno, quod *Truffel* dicitur, vel agaricis arborum, vel fungis & boletis, ova deponunt, quæ vermem emittunt, vegetabilis ſui deſtructorem. Hic, dum nympha fit, circa ſe coccum ſtruit, in quo leges metamorphoſeos ſubire ſolet. Differunt omnes multum coloribus. Videas luteas, nigras, cinereas, colore variantes. Aliæ Tipulæ ſunt aquaticæ, majores, mediæ, minimæ, ex quarum claſſe eſſe debent inviſibilia iſta animalcula aerea, quæ guttam aquæ, quam Obſervator ſub lente vermibus ſcatentem vidit, fœtura complent, poſitis momentaneo partu ovulis, quæ ſubito vermes, brevique tranſitu per ſtatum medium nymphæ, iterum muſcæ fiunt. Tipulæ iſtæ aquaticæ immenſum ovorum numerum in ſuperficie ſtagnantis aquæ ponunt. His vermes prodeunt, quos in vaſe, aquam putridam habente, innumerabiles conſpicimus. Vermes appellat polypos Obſervator, ideo, quod polyporum inſtar flagellis procedant, natentque in aqua. Modo enim fundum petunt, modo ſtigmatibus, quæ prope anum ſunt, dum ad ſuperficiem aquarum emergunt, aerem hauriunt. Deinde in fundo vaſis, fibris ex putrida aqua carptis, nidificant, nympha fiunt mobilis, quod novum & in omni muſcarum hiſtoria inauditum eſt, ſeu, ſi cum *Swammerdammio* loqui velis, Nympha animal. Nympha iſta alarum rudimenta habet. Pinnas appellare ſatius eſt. Hac prodit ornatiſſima & criſtata Tipula, elegantiore tamen coma, ſi mas eſt. *Altera* Commentatio ſupplet hiſtoriam Muſcarum bipennium, obſervationibus admodum variis. Deſcribitur Muſcæ geneſis, quam a Divo *Marco* appellat Obſervator. Hæc alam videtur habere unam, ideo quod utraque non ſit juxta ſe invicem poſita, ſed altera alteram tegat, prout incedere ſolent ſtercorariæ vulgatiores, a quibus forte parum diſcrepant. Proboſcide deſtituuntur, os habent ſine dentibus, ova deponunt in terra, ibi vermis excluditur, qui tuberibus terreſtribus radicibusque plantarum veſcitur, tandemque per medium ſtatum nymphæ muſca prodit, alis corpore longioribus, quod huic generi muſcarum terrigenarum, ſtercorariis etiam, aut lutariis, ſolenne eſt. Ad

Muſca-

Digitized by Google

Muſcarum bipennium hiſtoriam explendam, adduntur quædam de Muſcis minimæ menſuræ, quæ foliis ulmi, caulibus ſambuci, aliisque plantarum caulibus, circumvolitant, quas, viviparæ ſint, an oviparæ, arduum eſt definire. Videas inter illas quasdam pennatas, quasdam involucres, nymphas forte priorum. Nam, & has quibusdam inſectis ambulatorias eſſe, novimus. Curioſiſſima præterea eſt obſervatio de Muſca cervaria, quæ patentes narium hiatus cervi intrat, ovula figit prope velum palatinum animalis, vel in tonſillis, vel prope laryngem; unde fiant tubera, ſimilia illis, quæ in vervecum naribus a ſimili muſca, vel in cute ruminantium variorum, ab Ichnevmonis muſcæ ovulo & verme fieri, alibi Obſervator expoſuerat. His tuberibus naſcitur vermis, a venatoriæ rei peritis haud ſemel viſus, ſed fabuloſe deſcriptus. Putant enim venatores, hunc vermem rodere cornuum radices, unde illa defluant. Princeps *Condæus* Obſervatori noſtro truncum cervi caput transmiſit, in quo vermes invenit, nec aliter evenire poſſe putat, quam ut vermes iſti, quos cervi ſæpe tuſſiendo projiciunt, vel naribus emungunt, in muſcam, ſub terra, bipennem, Bombylo ſimilem per medium ſtatum nymphæ, permutentur. Vero etiam ſimile eſt, in ipſa carnea iſthac theca, qua vermis nidificat, transmutationem fieri, habuitque nympham Obſervator, quam dolet muſcæ habitum non induiſſe; quapropter experimentum opportunitate data repetere non intermittet. *Tertia* Commentatio agit de Pſeudo-Erucarum muſcis. Regulæ & legis conſtantis loco eſt, Erucas, ſi quæ veræ ſunt & legitimæ, omnes in papiliones permutari. Videas tamen reptilia, *quæ parum verſato in hiſtoria inſectorum ex erucarum gente* eſſe *videbuntur*, cum tamen toto genere diſcrepent, muſcam in viſcere gerant, nec papilionem. Pedibus incedunt, prout erucæ, octodecim, viginti, viginti & uno, viginti & quatuor. Sericea fila componunt in coccum, quo clauſæ, chryſalidem ex cute indurata concipiunt, hinc transmutantur. Characteres tamen ſunt diſtincti, quibus veram erucam a ſpuria dignoſcas. Pedes habent ſine uncis poſteriores omnes. Anterioribus binis tenentur folio, reliquo corpore fluctuant, & illud mirifice fle-

ſtunt in formas varias, ſpiraliter contorquentur, rigent, iterumque contorquentur, quaſi convulſæ. Tales ſunt, quæ ſcrophulariæ foliis veſcuntur, & plures aliæ. Muſca exit, poſtquam chryſalis averſa folii parte facta eſt, quadripennium more os habens ſine dentibus, nec proboſcide inſtructa. Singulare id eſt huic muſcarum familiæ, quod pro aculeo ſerram ano gerant, quam artificioſiſſime in contrarios ſenſus ducere norunt. Non autem utrique ſexui familiare eſt, ſerram habere, ſed fœmineo id competit. Muſca enim fœmina, ovis gravida, hoc inſtrumento utitur, ad ſtationem aliquam ovulis in fruticum cortice conſtruendam. Vidit Obſervator muſcam fœminam, quæ in roſetis frequentiſſima eſt, opus facientem, & intellexit, quam operoſe iſta ſerram inter corticem fruticis externum ſenſim ſenſimque defigere, eductamque iterare, noverit, quo id effectum eſt, ut ovum matris efflueret ovario, & inter corticem externum mediumque conſtitueretur. Singulum vulnuſculum, unum capit ovulum, quorum longæ ſeries conſtituuntur in uno ramulo. Non aliter rem perficit muſca, quam hortulanus, dum gemmam cortice defigit; imo etiam incrementum cepiſſe ovula viſa ſunt. Habent enim quædam inſecta id, quo ovula cum fœtu ſenſim augeantur. Clarum id eſt in formicæ & pediculi exemplo. Ovum etiam hujus muſcæ creſcit, dum cortex in tuber elevatur, id quod num ſucci vegetabilis acceſſu, num ſponte, fiat, dubium eſſe videtur. *Quarta* Commentatio luci admovet decantatiſſimam antiquiſſimis temporibus canoram muſcam, quam Tettigam & Ichetam a ſono muſico *Ariſtoteles* appellavit. *Cingalam* vocant Galli. Nec tamen ore ſonum movet, nec, prout locuſtæ, grylli, vel muſcæ, faciunt, alis & ſubtenſa his chorda contremiſcit, ſed ſub ventre duplicem membranam cavo prætenſam habet, qua, muſculorum actione, acuti quid ſonat. Fœmina ſerram habet juxta anum, qua cortices arborum exſculpit, & ova ponit, lege prioribus ſimili, unde vermis naſcitur pedatus. Sex ſcilicet pedibus incedit inſtar pulicis, hinc terra abſconditus, aliquo poſt tempore, apparet tanquam nympha, quæ non, prout aliis muſcis eſt, quieſcit, ſed ambulat, & per arborum folia divagatur. Sub hoc habitu olim gulis Græcorum ſuaviſſimus

viſſimus cibus fuit. Scribit enim *Ariſtoteles: Quo tempore ſuaviſſimæ ſunt, antequam cortex rumpatur.* Ova ſcilicet ſub hac forma concipit, quibus alvo protractis veſci mos fuit. Tettigometram appellant veteres. Educta tandem exuvia, prodit Muſca quadripennis, omnium maxima & elegantiſſima, nec omnibus terris frequens. Frequentius eveniunt Pſeudo-Tettigæ, Pro-Cingalæ Obſervatori dictæ, parvæ roſarum muſcæ, a quibus mores majorum ediſceré poſſis, quas naſcendi conditione, more ovum ſerra defigendi nympha ambulante, & corporis, dum muſcæ fiunt, habitu, imitantur. Deſcribitur hac Commentatione Noctiluca Braſilienſis, quæ & Laternigera dicitur, muſca magnam lucem tenebris fundens, quamvis, quod ad metamorphoſin ejus attinet, certi quidpiam affirmari haud poſſit, cum *Sibylla Meriana*, quæ prima inſectum inter Surinamenſes deſcripſit, brevis admodum in expoſitione fuerit. Reliquæ, quæ hoc Opere continentur, Commentationes a *quinta* ad *decimam tertium*, Muſcæ mellificæ, apis, induſtriam & mores, ingenio humano ſæpe mirabiliores, exponunt. Continuo ſermone potiora iſtius jucundiſſimæ enarrationis attingere liceat. Omni ætate Autorum animos in ſe converterunt animalia, corpore parva, ingenio magna, quorum leges & una vivendi conſuetudinem multi rationi, deliberato animo, & legum præſtabilitarum normæ, hinc imperio unius principis fœminæ, adjudicaverunt. Admiranda autem omnia, quæ plerumque de iſta republica prodi ſolent, fabulam ſapiunt, dum verus animalculorum inſtinctus ignoratur a quampluribus. Obſervator curioſiſſimus non tantum ante ſe ab aliis tradita ſedulo comparavit, ſed ſua potiſſimum experimenta etiam adjecit, nec quidquam ſupereſſe paſſus eſt eorum omnium, quæ ad condendam gentis iſtius hiſtoriam facere poſſe videbantur. Plurima, quæ ad vitam ſociam apum ſpectant, momenta ſimplici obſervatione eventuum & motuum quotidianorum, quos vel ad ſingulam, vel ad plures, vel ad omnes, pertinere videmus, declarari poſſunt. Dum evolant, dum in florum calyce ſedent, & organis utuntur, dum redeunt, dum opus faciunt, dum cellulas ſtruunt, dum mella condiunt, dum ex verme intra cellulam, nympha,

nympha, deinde muſca fiunt quadripennis, dum bella gerunt, aculeum figunt cute humana & animalium, ictu nocent, dum hoſtes profligant, & internecione delent, vel inteſtina bella gerunt, funera efferunt, dum, tempeſtate oborta, ſubito domum convertuntur, dum emigrant, dum unius apis obſequio omnes moventur, dum una ſtatione, diverſa familia geniti, manere recuſant, & ſi quæ alia ſunt facta, œconomis, aut plebejis, cognita, jam habent, quo ingenium ſpectatorum exercere posſint. Aſt longe alia & his ſuperiora ſunt laboris exempla, & vitæ gregariæ inauditi mores, quos a fabula vix abeſſe putares, niſi experimenta pro veritate loquerentur. Quod regina materque populi ſui una duodecim mille ovula ventre gerat, quod eadem vacuis cellulis ovum, ſingula unum, pariat, quod vermes ex ovo, per medium ſtatum nymphæ, muſcæ fiant, quod iſtæ partim novæ migrationi, novoque populo condendo, deſtinentur, partim in civium defunctorum ſtationem ſuccedant, quod maſculæ apes plurimæ, tercentum putatæ, unius fœminæ concubitum petant, quod apes operariæ omnes nullius ſint ſexus, & ſi quæ alia ſunt curioſiſſima vitæ apis momenta, omnia habent aliquid novi, inauditi, & prorſus admirandi. Matrem apum facile cognoſcas magnitudine corporis, & alarum brevitate. Hæc ſimili modo, quo apes reliquæ, ex ovo nata eſt, perque medium ſtatum nymphæ ivit, tunc muſca facta eſt. Quapropter fieri ſolet, ut una mater inter innumera ovula non unum, ſed plura ovula regia, pariat, ut adeoque uni populo plures ſæpe ſint dominæ. Hinc diviſio naſcitur & examen reginæ ductu, unum alterumque pro dominarum numero novam ſtationem quærit. Ut obſequium, quo dominam & matrem omnes colunt, certis experimentis conſtaret, tentavit varia Obſervator. Reginam aliquam peregrinam apibus dedit, & intellexit, eodem amore ab omnibus cultam fuiſſe, ac ſi ſimul nata fuiſſet. Adoptant enim apes, quam primam inveniunt, dominam, dummodo habeant ſpem fertilitatis. Plures reginæ in eodem apiario rarius exiſtunt; duas ſimul eſſe poſſe, expertus eſt Obſervator; plures impatienter ferunt; imo videas reginas & matres occiſas, &

parri-

parricidium quietis publicæ cauſa commiſſum. Colunt apes reginam ſuam nondum natam in ſtatu nymphæ. Obtulit Obſervator talem nympham, quæ mater apum futura erat apibus, & vidit, illas magno amore amplexas infantem fuiſſe, quam ſcirent propediem muſcam regiam fore. Similiter mares apes habitu externo ab operariis differunt. Majores ſunt, & fucos forma referunt, aculeis tamen deſtituuntur. Hos ad opus faciendum ineptos, nec evolantes, ſed otioſos, poſtquam fœcunda mater facta eſt, occidunt apes, ſiquidem menſe Auguſto & reliquis intereſſe apibus haud obſervantur, quorum cadavera menſe Junio apiariis prope adjacere obſervamus, ſive fato ſuo defuncta, ſive crudeli morte occiſa. Triplex iſte apum ordo, fœmineus, maſculus, hermaphroditicus, eadem matre naſcitur. Hæc, ovulis fœta, fœturam cellula ſingula ponit. Quapropter, ex quo examen novum ſuam ſtationem ſubiit, hoc primum eſt, condere ex cera cellulas, quæ ovula matris recipere poſſint. Hinc triplex eſt cellularum, quas apes ſtruunt, ordo: alter, quo mella conduntur, alter, quo ceracea materies, apis eſca, reponitur, tertius, quo ova cubant. Cum autem triplex ſit apum familia, regia, maſcula, & plebeja, diverſæ etiam magnitudinis cellulas oviferas apes ſtruunt, regiam unam vel alteram, quæ forma & ambitu eminet reliquis, ovulum regium habituram, plures maſculas, ambitu itidem majores, & reliquas omnes menſuræ minoris. Sic ſingulo anno, prout in civitate quadam, defunctarum apum locum occupant neogenitæ; quæ autem multitudine ſocietatem gravant, excedunt patria, & examen faciunt. Ut autem mellificæ apis induſtria *clarior eſſet*, anatomen omnium curioſiſſimus Obſervator inſtituit. Id commune habent omnes, ut ſint ex illa claſſe muſcarum, quæ promuſcidem & os dentatum ſimul habent. Thorax abdomini tenui filo committitur, quatuor reſpirant ſtigmatibus, abdomen ſex annulis dividitur. Oculi duo prægrandes, pilis diſtincti, in capite eminent. Præterea etiam tres minores ocellos in fronte gerunt, nec dubium eſt, oculorum titulum his organis deberi, dum, poſtquam gluten his inductum eſt, excæcatæ errant apes, incerto volatu, vel in

Digitized by Google

terram præcipites feruntur. Tribus incedunt pedum paribus. Singulos quinque dividunt articuli, inter quos notabilis eſt tertii paris articulus ab infimo primus, utpote qui ceræ colligendæ potiſſimum deſtinatur. Cochlearis in modum excavatus eſt, quo pulverem vegetabilem, ex florum antheris corraſum, ſenſim colligunt, tanquam ceræ materiam. Quapropter, ſi redeuntes domum apes conſpicias, diverſi coloris tibialibus induti poſtremi pedes videbuntur, aſt id, quod domum comportant, non cera eſt, ſed ceracea materies, ex qua mandendo ceram admirabili arte conficiunt. Experimentum inſtitutum eſt, ut conſtaret, num ceram ex flore abſolutam obtineat apis. Apibus enim pluribus, domum revertentibus, quod pedibus circum eſt pulverulenti, ablatum eſt, id quod nec odoris quidpiam ex cera habuit, nec potuit inter digitos in maſſam ductilem condenſari, nec carbonibus arſit. Hanc materiam apes & ceræ rudimentum & eſcam inſimul habent; imo vero aliter cera non fit, quam digeſtione ventriculi primi, ex quo deglutitam materiam ruminando repetunt, quod clare admodum videre licet eo tempore, quando examen ramo arboris adhæret. Tunc enim, quæ primæ adhærent apes, cellularum rudimenta ceracea condunt, pro ſtabilimento totius, quem omnes formant, glomeris, nec niſi ore apis iſta cera exire potuit. Singulare illud eſt, quod apes ceraceam materiam in futuros uſus cellulis reponant, unde eam repetunt, quando ab opere vacant, & domi ſedent. Frugalitatis memorabile exemplum eſt, quod operariæ apes mel non comedant, niſi dum penuria eſt, ſed ceracea materia tantum nutriantur, prout anatome docuit. Nam ceræ rudimenta in ventriculo reperta ſunt, quæ etiam carbonibus uſta ceram redolebant, mellis autem nihil. Mares autem, fruges conſumere nati, mella avidi deglutiunt. Quare etiam, ex quo fertilitate utiles eſſe deſierunt, internecione delentur. Paucos ſupereſſe patiuntur apes, ſi mellis parum eſt. Mellis autem officina tantum eſt os apis operariæ, quod pro volumine corporis capax & guloſum eſt. Hoc, quod proboſcide ex nectario plantarum eductum fuit, mel avide recondunt. Neque enim ſugunt, prout muſcæ bipennes, aut papiliones, ſed

ſaltem

Digitized by Google

ſaltem arripiunt; quo tempore lingua apis operis hujus ſocia eſt, ut mellis globulus fiat. Clarum illud fit experimento. Dum enim comprimitur caput apis, non ex proboſcide guttula mellis, ſed ex ore glomus integer & magnus, prodit, unde diſcitur, mel non proboſcide ſugi, ſed ore carpi. Jucundiſſimum eſt ſpectaculum, apem, dum domum repetit, obviis vacuisque melle apibus oſculum offerre, quod vel amoris argumentum eſt, vel diligentiæ. Nam, quæ accepit, revertitur, quæ dedit, ad flores redit, utraque autem viæ compendium habet. Proboſcis iſta ſub collo deflexa jacet, & inter laborem ſaltem prominet. Hac & calyces florum aperiunt, & mella congerunt. Dentes autem, quos geminos habent, tunc maxime ſerviunt, quando cera ad cellulas ſtruendas dividitur, vel quando dura corpora incidenda ſunt. Chartam enim oblatam in partes diſcindere mandendo valent, bella etiam dentibus gerunt, ſed maxime aculeo. Hic juxta anum eſt, non ſimplici fabrica, ſed artificioſiſſimo opere, effectus. Duo aculei ſimul ſunt & conjunctiſſimi, unum faciunt, qui præterea in capſa movetur, ſicut forte acus triquetra Chirurgorum intra cannulam latet, & junctim cum cannula vulnus facit; ſic etiam, dum pungit apis, aculeum cum theca ſimul defigit; hæc autem ſerræ in modum dentibus horret; quare defixus aculeus ex vulnere raro redit, ſed in eo manet, id quod ipſi api exitiale eſt. Defluit cum ictu in vulnus humor acris, veneni virus habens, quod experti ſunt, qui ſuccum, ex veſicula venenifera apis depromtum, vulneri, acu facto, indiderunt. Acutiſſimus enim dolor, rubor, & tumor, ſubſecutus eſt. Raro utuntur aculeo apes, nec homines facile injuriam paſſæ invadunt, *ſed pro re publica iraſcuntur*, inſectis infenſæ, quæ haud raro apiarium hoſtiliter invadere ſolent. Non enim tantum crabrones & veſpæ & fuci irruunt, ſed limaces etiam & pſeudo-erucæ, aut tineæ, cum quibus omnibus bello decernendum eſt. Hinc domeſtica etiam bella gerunt, mares otioſos occidunt, peregrini examinis apes domicilio pellunt. Inermes ſunt maſculæ; regina, corpore eminens, aculeo armatur, dignitatis magis, quam iræ, inſtrumento. Hanc ſemel viſam non facile confundas cum aliis. Præter eadem, quæ api operariæ

 inſunt,

Digitized by Google

inſunt, organa, ovarium geſtat, innumeris ovulis fœtum, quæ, poſtquam mares paſſa eſt, luculenta, infanti reginæ & virgini minuta, ſunt, matura tandem ovi ductu, qui inter aculeum & anum eſt, facili partu eduntur. Poſtquam enim mater apum partui propinqua eſt, abdomen cellula mergit, nec ante, niſi ovo poſito, recedit. Hac induſtria, brevi tempore, plurimas cellulas fœtura replet. Hic obſtupeſcit ſpectatoris animus, dum architectonicas cellularum menſuras ſecum reputat, hexagonas, inæquilateras, rhomboideas, in ſe converſas. Nam duplex ſemper ſeries una eſt. Spatio parvo plurimas dum condere oportuit, ita quidem anguli reſpondent angulis, ut vacuum non ſuperſit. Inter ſingula ſtrata interſunt plateæ, quibus ambulare poſſint apes, dum opus faciunt. Portæ etiam conſtruuntur, quæ ambulacris apte reſpondent. Nec autem omnium cellularum eadem eſt menſura, ſicut nec eadem utilitas. Thalamus reginæ unus eſt aut alter plurium cellularum amplitudine. Nam ovulum regium quandoque eſt gemellum. Maſculi apes majuſculi incunabula itidem majora habent, reliquæ cellulæ apibus operariis deſtinantur. Hinc triplex eſt cellularum, cera conſtructarum, ſeries: altera pro vermibus, unde apes, metamorphoſi, fiunt; altera pro melle, altera pro ceracea materia. Hanc enim in primo apis ventriculo elaborari, dictum eſt, hinc apis, operi intenta, ſpecie vomitus, ruminando ceram ventre egerit, dentibus maſticat & diſponit. Dentes enim primarium laboris hujus inſtrumentum eſſe putantur. Præterea etiam gluten quoddam eſt a cera diverſum, quod apes in alios uſus ano egerunt, tanquam fæcem ab alimentis reſiduam. Hac multis proſpicitur commodis. Rimæ, quæ apiario inſunt, oppilantur, cadavera, quæ hyeme cadunt, obducuntur, & a putredine præſervantur. Dum limaces apiarium caſu intrant, crudeliter occiduntur ab apibus, ſed, dum apis una efferendo cadaveri impar ſit, obducitur limax glutine, &, quæ a fœtore oriri poſſet, peſtilentia avertitur. Hoc gluten *Erithace*, *Sandaraca*, *Cerinthe*, *Metys*, *Piſſoceron*, *Propolis*, antiquis Græcis & Latinis dictum eſt. Immenſa eſt unius apis reginæ fertilitas, ut non tantum præſenti tempori cives, ſed futuro etiam poſteros, & novum

vum

Digitized by Google

vum examen, impertiri poſſit. Alveoli aliquando non ſufficiunt. Quare ſæpe eodem tria quatuorque ovula ponuntur. Cum autem uni nymphæ ſaltem par ſit alveolus, apes operariæ, quibus iſtud officium demandatum eſt, deſtruunt ſupernumeraria ova, & unicum ſupereſſe patiuntur. Viſæ etiam ſunt apes interea, dum metamorphoſin ſubeunt ova, ſolerti intuitu proſpexiſſe futuræ apis neceſſitatibus, cumque creſcat vermis, nec tamen habeat, unde alimentum capere poſſit, præterea etiam omnium vermium, quæ muſcæ fiunt, mos ſit, liberalius comedere, ſunt ex noſtratibus, qui putent, apes operarias vermi mel offerre, & eundem nutrire. Unde autem ovula matris fœcunda fiant, una penes omnes haud ſtetit ſententia. Maſculorum numerus, luxuriare viſus multis, opinionem fecit, ac ſi mares ſeminali aura conſpergerent ova, jam cellulis recondita, ſicut piſcis maſculus lacte plaſtico ova piſcium fœminarum, poſtquam ovario exſerunt, conſpergere ſolet. Aſt non tantum coitum, quem regina cum maribus celebrat, ſed & maris organa, teſticulos, vaſa ſeminalia & tortuoſa, hinc & penem, detexit Obſervator curioſiſſimus. Concluſit enim tubo vitreo reginam cum maribus, & vidit, blanditiis reginæ excitatum marem, deſiderium expleviſſe. Vidit quoſdam a coitu viribus exhauſtos & defunctos, nec tamen, num illud amoris præmium omnes referant, ſatis perſpexit. Ovarium fœminæ 2550 ovula continuiſſe viſum eſt, quæ primo partu edenda ſunt, unde, quantus populus in viſcere unius matris ſint reconditus, judicatu haud eſt difficile. Quo autem inſtinctu mater pariens præſciat, num regium, num maſculum, num plebejum, ovulum partui inſtet, arduum eſt exponere. Debet enim ſingulum alveolo conveniente deponi, ſed, cum magnitudo ovulorum diſcrepet, nixu & dolore, quem a grandiore fœtura habet, ſine dubio compellitur mater illuc, quorſum opus eſt. Id autem ſingulare, dum ova parit mater, nullos conſpici mares. Mares interficiuntur menſe Julio; hinc a coitus tempore ad partum intercedunt novem menſes, quo termino graviditas matris apum deſcribitur. Nam proxime a migratione examinis, poſtquam illud ſua ſtatione reconditum eſt, ova ponit mater juvencula, examinis dux,

Digitized by Google

quam adeoque oportet gravidam apiario evolaſſe, quod per experimenta etiam conſtitit. Methodus, qua Obſervator ad notitiam rerum pervenit, quæ ad apis ſexum & œconomiam ſpectant, ſingularis eſt, aſt innoxia. Demerſit apiarium aqua, edidicit autem ante, quamdiu apis ſub aqua ſalva eſſe poſſit. Hinc ſtupidas ab immerſione apes in tabula repoſuit, numeravit & maſculas, & operarias, & matres accurate perſpexit, deinde moderato calore ſuſcitavit omnes, & apiario reddidit. Quæ methodus etiam in uſum pertrahi debet eo tempore, quando apes melle ſpoliamus. Impium enim eſt, laborioſam gentem, quod multi ita peragunt, deſtruere, diſſipare, fumo enecare, quam poſſes ſervare ſalvam, & ejus labore non minus perfrui. Continuant enim apes generationum ſeries, ita ut apiarium decem annis ſubſiſtat, utut apes anno elapſo eædem, quæ ſuperiore, haud ſuperſint. Nam vitam annuam omnes habent, ſed fertilitas matris rempublicam quotidie novis civibus auget, qui ex ovulis quotidie repullulant. Metamorphoſeos iſtius ſingularia admodum momenta ſunt. Vermis ex ovulo naſcitur ſine pedibus, qui ſubito incremento ſex diebus excreſcit, aliturque gelatina quadam, quam apes ſingulæ cellulæ, ovulum habituræ, indunt. Officium illud eſt apis, quæ fovere ovula dicitur; Germani *Brutbienen* appellant. Hæc enim cellulas, in quibus vermis nidificat, operculo ceraceo claudit. Hinc tribus ſeptimanis in ſtatu nymphæ perdurat, deinde, relictis bis exuviis, exit muſca, perrupto operculo, quod cellulæ obductum antea fuerat. Vermis ſericea fila ante mutationem ſuam parietibus cellulæ inducit. Vix exiit muſca, cum apis operaria alveolum ſordibus purgat. Nam novo partui aptandum eſt incunabulum, quod paulo poſt ovuló novo a matre replebitur. Idem regio ovo accidit. Habuit Autor nympham regiam, dedit eandem apibus, quas vidit magna ſolicitudine infantem coluiſſe, & naſcentem pro regina agnoviſſe. Singularis eſt cultus, quo omnes reginam excipiunt. Hac abſente, populus opere vacuus ſine ordine fertur, diſſipatur, & vicinis gregibus aſſociatur. Hac evolante, omnes ſequuntur, & ſtationem deſerunt. Fuerunt, qui imperium & vocem auguſtam reginæ

adfinxe-

adfinxerunt, qua deſiderium exponat, vel claſſicum canat. Certum eſt, exaudiri ſtrepitum inſuetum, quando examen migrationem parat, quem ala reginæ edit. Nam hæc, ſicut apes, ala ſuſurrat, vocis omnis expers. Plures una reginas unus populus haud fert. Dividuntur animi ſubditorum, videasque ex una ſocietate duas, quarum ſingula reginæ ſuæ veſtigia legit. Cum autem ſingularis ſit apum utilitas, qua ceram, qua mel, curam apum gerere debent non patres tantum familias, ſed & principes. Sunt, quæ apes internecione delent, frigus ſummum, multo autem magis tepida hyems. Nam frigore obſtupeſcunt apes, & fruges non conſumunt; aſt, tepente aere, conſumitur mel, & fames populum opprimit. Quare male conſulunt, qui apiaria fovent. Satius eſt, frigus circum eſſe, quam aerem mitiorem. Interea tamen arcendum eſt frigus palearum, quibus apiaria farciuntur, uſu, & aliis, quæ apes ab aeris contactu removent. Adduntur multa de morbis apum, diarrhœa, pediculis, temulentia, quam florum ſtupefacientium, vel venenatorum, prout de Chamærhododendro *Tournefortius* refert, ſucco contrahunt, de hoſtibus eorum, bufonibus, crabronibus, veſpis, muribus, pſeudo-erucis, ranis, lacertis. Maximum promotæ ſalutis publicæ, dum apes colere docuit, laudem refert, &, qui præcedentibus Commentationibus ingeniis tantum ſcripſit, nunc rei domeſticæ utiliter ſcripſiſſe cenſetur, immortalis *Reaumurius.*

JOANNIS GEORGII HENRICI KRAMER, PHILoſoph. & Med. Doctoris, Tentamen botanicum emendatum & auctum, ſive Methodus Rivino-Tournefortiana emendata & aucta.

Viennæ Auſtriæ, apud Leopoldum Joannem Kaliwoda, Univerſitatis Typographum, 1744, fol.

Alph. 2 plag. 8, Tab. æn. 3.

Tentamen botanicum, ſive Methodum *Rivino-Tournefortianam* in Tabulas digeſtam, jam A. 1728 libello, forma, quam octavam vocant, edito, Cl. Autor publicavit,

Digitized by Google

vit, in opuſculo hoc amplificando & emendando ab illo tempore occupatus, quo tandem id ad illam perfectionem duceret, ut plantæ omnes facillime ad ſua genera & ſpecies reduci, & ex characteribus, in Tabulis expreſſis, cognoſci, poſſent. Ampliſſimam præmiſit Præfationem, in qua introductionem generalem ad Botanicam exhibet. Pauca de hiſtoria Botanices profert, &, præter *Geſnerum*, *Cæſalpinum*, & fratres *Bauhinos*, quos nominat, de Triumviris illis Botanicis, *Rajo*, *Tournefortio*, *Rivino*, & eorum aſſeclis, differit. *Rivini* vero methodum reliquis præſtantiorem eſſe judicat, quod ad claram & diſtinctam cognitionem & diagnoſin congenerum plantarum ducat. Omnes plantas in completas atque incompletas diſtinguit. Illæ omnibus plantæ partibus, aut ſaltem pluribus, inſtructæ ſunt, ut herbæ, frutices, & arbores; hæ vel omnibus, vel pluribus, deſtituuntur, ut lichenes, fungi, &c. A *Rivino* recedit, quod herbas ſeparatim primo loco, & arbores & frutices deinde, pertractat, id quod cum *Tournefortio* & aliis commune habet. Plantæ completæ flores vel perfectos, vel imperfectos, obtinent, quam rationem, a *Rivino* inventam, Autor defendit. *Rivinianæ* methodo porro inſiſtit, dum florem perfectum in ſimplicem & compoſitum dividit, regularitatis & irregularitatis characterem ſubjungit, & petalorum numerum aſſumit. Poſtea vero figuram petalorum cum *Tournefortio*, ad diſtinguenda genera, addit. Ipſe tandem, ſitum floris, ſive modum florendi, ad diſtinguenda genera aptum eſſe, judicat. Conſiderationi vero florum in methodo tandem quoque fructum ſubnectit, & in ejus diverſitate eſſentialem plantarum differentiam ponit. Ad hanc normam omnia plantarum genera, a *Tournefortio* deſcripta, nec non alia, quæ *Rivinus*, *Ruppius*, *Dillenius*, *Michellius*, *Bærhaavius*, & *Linnæus*, addiderunt, in Tabulis ſuis ita digeſſit, ut facile ex characteribus ſuis inveniri queant. Qua de cauſa etiam nonnullas plantas in diverſis Tabulis repetiit, ut certo a Botanophilo inveniantur. Non ſolum autem flores perfectos ſimplices, ſed & compoſitos, & poſtea imperfectos, nec non plantas flore tantum, ſed & flore & fructu, carentes, ſubnectit, & ex fundamentis methodi *Rivinianæ* dijudicat.

Digitized by Google

judicat. Addit poſtea nonnulla de uſu plantarum, inprimis ea, quæ recentioribus temporibus inventa ſunt. E. g. Phellandrii ſeminum efficaciam contra quaslibet febres intermittentes cum *Ernſtingio* extollit, quem effectum etiam reſinoſæ & aromaticæ radici Cervariæ adſcribit. Radicem Pruni ſilveſtris verum eſſe calculi renalis remedium curativum & præſervativum, Illuſtris *Heucherus* detexit, & Autor, repetita experientia, cognovit. Radicem Valerianæ hortenſis, collo epileptici appenſam, morbum curare aſſerit, & alios plures vegetabilium virtutes recenſet. His pertractatis, methodum, a ſtaminum numero, ſitu, & proportione, deſumtam, & ſexum plantarum ſtabilientem, rejicit, quoniam 1) minimarum partium diſquiſitio difficilis ſit, & ſine microſcopio ſuſcipi haud poſſit, 2) plantæ ad pauciora genera reducantur, 3) laſciva & Chriſtianæ reipublicæ contraria videantur. Quæ objectiones, ab aliis jam prolatæ, methodum ſexualem non prorſus inutilem reddere potuerunt. Quinque vero ſunt momenta, quæ a Botanicis contra editionem primam hujus Tentaminis prolata fuerunt, & quæ, cum, noſtro quidem judicio, ad hanc quoque editionem *ſpectent*, commemoranda ſunt: 1) Tabulas menſtruas in tabulam generalem contrahendas fuiſſe, quo omnes plantæ in una ſerie ſubdividerentur; menſtruas enim eſſe obſcuras & difficiles, neque climati ſupra 60 gradus elevationis poli conſtituto congruere. His permotus, generales in hoc Tentamine propoſuit Tabulas, monens, quomodo & priores, paucis obſervatis circa climatum differentiam, aſſumi poſſint. 2) Petalorum numerum eſſe inconſtantem, nec ſigna certa præbere; *ubi oſtendit, monopetalum* in polypetalum, ſed non vice verſa, mutari, & in polypetalis non omnes flores unius plantæ, ſed paucos tantum a reliquis differre, ad quod accedit, quod aliæ quoque plantarum partes numero varient. 3) Autorem plantarum ſpecies disjunxiſſe, & nova genera, ab aliis non accepta, ſtatuiſſe; ubi optime monet, ſe ex aſſumtis methodi ſuæ characteribus plantas non aliter diſponere potuiſſe, nec naturæ, ſed aliis aſſumtis plantarum methodis, contraria propoſuiſſe, ſe etiam pauca nova genera formaſſe. 4)

 Tabu-

Digitized by Google

Tabularum methodum alii rejiciunt, quos adhortatur Noſter, ut ſuas Tabulas crebrius perquirant, cum inde in plantis diſquirendis exercitati evadant. 5) Terminos Tabularum technicos, ſive vocabula, quibus characteres plantarum expreſſit, alii rejecerunt, quos tamen ſuam ignorantiam prodere affirmat Autor, quod plurimos Botanicos, quibus hæc vocabula in uſu fuerunt, non evolverint. Quo vero plantarum icones & characteres Botanophilis ſemper ob oculos verſentur, ſuadet, ut herbarium vivum inſtruant, cujus methodum brevibus tradit, & ſimul totum apparatum Botanici in itineribus inſtituendis deſcribit. Sequitur Catalogus terminorum botanico-technicorum, ordine alphabetico digeſtus, cui Tabulas de differentia foliorum & radicum inſeruit, &, cum verbis ſolis non omnia accurate explicari poſſint, cuncta, quæ ad florum ſtructuram, modum florendi, fructuum, foliorum, & radicum, figuram, ſpectant, iconibus declaravit. Tandem ad vegetationem plantarum explicandam accedit, & ad evertendam generationem plantarum, ex ſexu demonſtratam, plurima phænomena adducit. Vegetationem non ab anima quadam vegetativa, ſed ab interna plantarum ſtructura & mechaniſmo, dependere, ait. A ſemine incipit, & oſtendit, quomodo illud poſt macerationem & emiſſionem radiculæ aquam, maſſulis gelatinoſis, ex terra ſolutis, turgidam, accipiat, & plantulam producat. Novem vero modis plantæ ſe propagare ſolent: 1) per radices, 2) per bulbillos, quos in ſummitate, in foliorum alis, & circa radicem, gerunt, ut Cepa, Dentaria, & Saxifraga, 3) per vimina ramosque arborum & fruticum juniorum, 4) ablactatione, quæ a præcedenti modo parum differt; 5) inſitione, ſive inoculatione, 6) annulatione, qua annulus corticis ad laburnum, (ſive alburnum,) aut librum, uſque inciſus deglubitur, & alius arboris ramo ejusdem craſſitiei inducitur, 7) transplantatione, quæ cum lactatione convenit, 8) per folia terræ immiſſa, 9) per ſemina. Hinc concludit, quod non ſolum per ſemina, vel ſexus differentiam, propagatio plantarum perficiatur. Variis præterea argumentis oſtendere annititur, ſexum plantarum accidentalem, non eſſentialem, eſſe. *Vaillantii* fertilitatem Palmarum fœminarum

Digitized by Google

narum ex floribus maſculis impetrandam, nec non experimenta alia, circa Mays & Cucumeres facta, aut plane negat, aut univerſales non eſſe oſtendit. Scrutinium virium plantarum, licet probabile, tantum ex ſequentibus petendum eſſe aſſerit: 1) ex plantarum ſignatura, antiquis magni æſtimata, a recentioribus plane neglecta; 2) a plantarum climate, regionibus nimirum, in quibus copioſius, quam alibi, creſcunt; 3) a loco ſpeciali, in quo vegetant; 4) a charactere vegetationis & fructificationis, quibus plantæ plures inter ſe conveniunt; 5) a ſapore plantarum, earumque partium; 6) ab odore earundem; 7) a colore & facie, ſive habitu, plantarum; 8) a plantarum inſectis, ſimilibus aliarum plantarum inſectis; 9) a plantarum uſu & effectu in brutis; 10) per analyſin phyſico-chemicam; 11) caſu fortuito & fato; 12) per obſervationes accuratas ponderis ſpecifici ſingulæ plantæ; 13) ratiocinio & æquatione virium & qualitatum notarum in brutis inſectis. Hos vero omnes modos, a priori deſumtos, nullos eſſe, niſi a poſteriore per experientiam confirmentur, in fine monet. Appendicis loco addit tractationem de vitis ſpeciebus, vinorumque varietate & differentia, præcipue in Auſtria. Tabularum ipſarum ideam pleniorem exponere haud poſſumus. Credimus, Cel. Autorem iis optime uti poſſe, & admiramur inſigne ejus in his elaborandis ſtudium; an vero methodus in diſquirendis plantis adeo facilis ſit, ut tyrones ipſa uti poſſint, non ſine ratione dubitamus, cum ſubdiviſionum & characterum diſquiſitio ſumme tædioſa ſit, & copia omnino confundat.

NOVÆ ET CORRECTÆ TABULÆ AD loca Lunæ computanda.

Berolini, ære Michaelis, 1745, 4.

Plag. 2.

Tabulas lunares, motuum legibus innixas, quibus ſyſtema mundanum ex ſententia Ill. *Newtoni* regitur, anteferendas eſſe iis, quæ fictis contra rei naturam, ad calculum ſolum faciliorem reddendum, hypotheſibus adſtrictæ ſunt, & veri-

Digitized by Google

tas phyſica, & eximius iſtarum præ ceteris cum cœlo conſenſus, ſuadent. Leges autem iſtæ, licet in lunæ motu irregularitatum fontes recte aperiant, ad perfectionis tamen faſtigium ejusmodi Tabulas nondum perduxerunt. Deficiunt ex parte obſervationes fundamentales, in quibus lunæ motus a plerisque aberrationibus liber requiritur, ut quæſitæ variationes eo certius innoteſcant; partim vero leges ipſæ motum lunæ in orbita tot irregularitatibus obnoxium pronuntiant, ut, ad calculum exactum iſtas revocare, huc uſque vix poſſibile viſum ſit. Quamobrem quoque hypotheſes omnes nondum excludere licuit, quæ computum dirigere ſolent, ad correctiones motus lunaris ſub datis circumſtantiis proxime indicandas. Conditioni, quæ computum tractabilem, &, quantum fieri potuit, hypotheſibus liberum, huc usque deſideravit, optime nunc ſatisfactum eſſe, lectores mathematici ſibi facile perſuadebunt, ſi intelligant, Tabularum, quas annuntiamus, conditorem eſſe ſummum illum Mathematicum, *Eulerum*. Hic tandem, ſuperatis gravibus difficultatibus, fructum theoriæ ſuæ lunaris exoptatiſſimum in Tabulis iſtis orbi erudito largitur. Solæ quidem Tabulæ comparent, aſt prænuntiæ operis eximii, quo Cel. Autor theoriam ſuam exponet. Noſtrum erit, Tabularum conditionem paucis indicare. Conſtructæ ſunt iſtæ ad tempus medium currens ſtili veteris in meridiano Londinenſi, ſic quidem, ut Tabulæ mediorum motuum, longitudinem lunæ mediam, anomaliam mediam, & nodum adſcendentem, reſpicientium, una cum radicibus iſtorum aliunde ſupponantur, ſuperſtructæ tamen elementis, a *Newtono* traditis. Reliquæ Tabulæ Cel. *Eulerum* autorem ſolum agnoſcunt, & definiunt æquationes ſeptem pro loco lunæ medio corrigendo, ut tandem habeatur verus in orbita; æquationes quinque pro loco nodi emendando; ſex pro correctione diſtantiæ lunæ a terra in partibus ejusmodi expoſitæ, quarum 100000 conficiunt mediam lunæ a terra diſtantiam; duas pro inclinatione orbitæ ad eclipticam a mutationibus liberanda; quibus adhibitis, vera longitudo, latitudo, diameter apparens horizontalis, & parallaxis horizontalis lunæ, facile determi-

Digitized by Google

terminantur. Utitur autem Cel. Autor Solis anomalia media, anomalia eccentrica, longitudine vera; lunæ anomalia media, anomalia eccentrica, et locis lunæ in orbita nodique inventis, partim inſtar argumentorum, partim ad argumenta invenienda, quorum ope æquationes iſtas ex Tabulis excerpere licet. Deficiunt hic quidem Tabulæ Solis pro argumentis ſolaribus inveniendis; aſt in hoc negotio quævis aliæ adhiberi poſſunt, dummodo pro eccentrica anomalia Solis (pariter ac Lunæ) proxime cognoſcenda, mediæ ejus anomaliæ applicetur dimidia æquatio centri ſubtrahendo, vel addendo, prout fert titulus æquationis; iſtam enim hic prope noſſe ſufficit. Fundamenta, quibus Tabulæ æquationum ſuperſtructæ ſunt, ipſa Cel. Autoris theoria ſuo tempore aperiet, quæ, ut propediem in lucem prodeat, pro certiſſimo Aſtronomiæ incremento, ardenter optamus. Sequentia monere ſufficiet. Orbita lunæ tum magnitudine, poſita ratione ſemiaxis majoris ad eccentricitatem ut 100000: 5445, tum poſitione per anomalias, conſtans aſſumitur; variatio autem eccentricitatis & apogæi, quam alii Tabularum conditores fingunt, per alias æquationes theoriæ magis conformes explicatur; ita ut hoc modo non ſolum certiorem correctionum deductionem, verum etiam faciliorem calculi pro loco lunæ indagando executionem, non poſſimus non prædicere. Omnes autem æquationes, ſuppoſita orbitæ eccentricitate, & ſumta parallaxi Solis horiz. $= 12\frac{1}{2}$ ſec. ſola nituntur theoria, prout id a Cel. Autore compertum accepimus; ideoque æquationes, elementis illis non ſuperſtructæ, ulteriore quoque correctione non indigent. Eæ tantum, *quæ ab eccentricitate* & motu lunæ anomaliſtico pendent, *correctionem*, ſi qua opus ſit, admittunt, ex obſervationibus eclipſium lunarium explorandam. Præterea Cel. Autor quandam omiſit æquationem, ſinui differentiæ proportionalem, quæ emergit, ſi a dupla diſtantia Solis a Luna ſubtrahatur anomalia lunæ eccentrica, bis ſumta. Hanc enim, quam, ſi maxima eſt, 4 minut. eſſe ſuſpicatur, ex obſervationibus potius, quam calculo laborioſiſſimo, definiendam eſſe cenſuit, cui negotio ſatisfacere poſſent eclipſes lunares, in quibus ano-

Digitized by Google

malia lunæ eccentrica circiter eſt 45 graduum. Denique etiam obſervationes, ſi opus eſſe judicetur, de æquationum annuarum certitudine decidere valent, quæ ab aſſumta Solis parallaxi pendent; imo hæc obſervationum comparatio cum theoria novam monſtrat viam, ad parallaxis Solis cognitionem perveniendi. Satis exinde conſtare arbitramur, quibus nunc ſubſidiis, quæ indefeſſo Cel. Autoris ſtudio debemus, ad perfectionem theoriæ lunaris certe accedere liceat.

SOLUTIO PROBLEMATIS OPTICO-ANALYtici, in Novorum Actorum Erud. A. 1745 Menſe Septembri P. I pag. 523 propoſiti, Autore CHRISTIANO FRIDERICO OECHLITZ, Lipſienſi, A. M.

Quantum ad incrementa ſcientiarum mathematicarum faciat, Problemata publicæ eruditorum inveſtigationi proponere, id experientia adeo comprobatum eſt, ut nemo, leviter modo in recentiorum inventorum hiſtoria verſatus, illud ignorare poſſit; cum vel ſola illa inſignia Problemata, quæ in his *Actis* a ſummis Viris, *Leibnitio*, *Bernoulliis*, aliisque, fuere propoſita, mirum quantum ad perficiendam divulgandamque recentiorem Analyſin contulerint. Quapropter nullum eſt dubium, quin omnes, quibus ſolidiora in Matheſi ſtudia, inprimis analytica, curæ cordique ſunt, conſpecto Problemate, quod in horum *Actorum Anni* ſuperioris *Menſe Septembri* propoſitum exſtat, illud ita comparatum eſſe fateantur, ut ſingularem prorſus apud Geometras attentionem ſibi conciliare poſſit. Non enim ſolum proficiſcitur illud a Celeberrimo *Eulero*, quem nominaſſe ſuffecerit, ſed etiam ipſa methodus, quam ſibi depoſcit, ejus eſt indolis, ut ab ejus perfectione ſingularia, tam in Analyſi, quam in applicatione ad partes Matheſeos phyſicas, incrementa ſperare liceat. Cum igitur Problematis hujus ſolutionem adeptus ſim, eamque Celeberrimo Problematis Autori approbatione ſua dignari placuerit, eam publico erudi-

Digitized by Google

eruditorum conſpectui jam ſubmittere non dubito. Cum autem nobiliſſimum hoc Problema mereatur, ut methodis diverſis tentetur, atque alii etiam alia via ad idem perveniant; ejus ſolam ſaltem ſolutionem primo exhibere conſtitui, ipſam Analyſin, quæ in Cel. *Euleri* eſt manibus, alio tempore traditurus.

Eſt vero Problema tale: Dato puncto radiante, invenire Curvam talem, ut, ſi radius aliquis in punctum eius quodvis incidat, radius reflexus, Curvæ in ſecundo puncto occurrens, ex hoc denuo reflectatur in punctum radians. Sit abſciſſa, a puncto radiante computata $= x$, ordinata $= y$, diſtantia concurſus radii reflexi cum axe $= u$, & v alia indeterminata, per quam definiuntur xy; ponaturque $dx = - p\,dy$. Natura Problematis præbebit ſequentem Æquationem differentialem:

$$(p^2 u - pvu)\,dv = (v^2 u + u)\,dp + (p^2 v - pv^2 + p - v)\,du,$$

a cujus integratione pendet determinatio omnium Curvarum poſſibilium, Problemati ſatisfacientium. Patet vero, ob tres indeterminatas, inter quarum duas quasque æquatio infinitis modis aſſumi poteſt, infinitas quoque Curvas Problemati poſſe ſatisfacere. Quoties itaque, aſſumta tali æquatione, integratio procedit, & æquatio inter ipſas $u\,p\,v$ certas habet conditiones, ex natura Problematis definiendas, toties invenientur Curvæ algebraicæ, ut ex exemplis ſequentibus patebit.

Exempl. I. Si ponatur $u = a$, æquatio generalis induet formam integrabilem; fiet nempe ſumma $\frac{pv + 1}{p\sqrt{(v^2 + 1)}} = C$, ſeu $dy = v\,dx - C\,dx\sqrt{(v^2 + 1)}$; æquatio vero inter ipſas $x\,y\,v$ tunc eſt $vy + x - a = 0$, unde ſubſtituendo habetur æquatio differentialis inter $x\,y$, quæ integrata dat $\sqrt{(\overline{a - x}^2 + y^2)} = b - ex$; quæ eſt æquatio generalis pro ſectionibus coni, ubi abſciſſæ a foco computantur, quales ſub Problemate noſtro contineri, a priori conſtat.

Exempl. II. Si ponatur $u = ev(v^2 + m)$, æquatio iterum eſt integrabilis, & valores prodeuntes conditionibus requiſitis

quiſitis ſatisfaciunt; fit vero tunc $y = s(v^2 + m)(3v^2 - 2 + 2\sqrt{(v^2+1)}) : v^2$, & $x = cv(v^2 + m) - vy$. Ideoque, eliminando v, æquatio inter ipſas xy haberi poteſt. Cum autem cm ſint indeterminatæ, quarum utraque pro lubitu variari poteſt; patet, has æquationes præbere jam infinitas Curvas ex deſideratis; ſpeciem autem ſimpliciſſimam prodire, ſi $m = o$, & tunc etiam conſtructionem Curvæ ſtatim eſſe in promtu. Ut altiores Curvæ, præter allatas, prodeant, tota res redit ad reſolutionem æquationis differentialis primariæ.

Hujus Problematis caſus, ſpecialis quidem, ſed tamen infinita Curvarum genera complectens, eſt, ſi punctum radians ponatur in infinito, hoc eſt, ſi radii omnes incidentes ſint inter ſe paralleli, & quæratur Curva, quæ eos poſt duplam reflexionem iterum reddat parallelos. Hoc vero in caſu Problema ſolutionem valde ſimplicem admittit, ſimulque adeo generalem, ut omnes Curvæ poſſibiles ſint vel algebraicæ, vel per datas Quadraturas conſtruibiles. Ponatur nempe $Z =$ functioni ipſius $\frac{p^2 - 1}{p}$, & capiatur $y = \int p \frac{dZ}{p^2 + 1}$, & $x = \int p\,dy$. Dico, xy fore coordinatas Curvæ quæſitæ. Harum igitur valores ſi prodeant algebraici, eliminando indeterminatam p, prodibit æquatio quæſita Curvæ; reliquis vero in caſibus conſtructio ſemper manifeſta eſt.

Exempl. I. Sit $Z = a(p^2 - 1) : p$, unde $\int dz : (p^2 + 1) = c - \frac{a}{p}$ & $y = cp - a$, & $x = \frac{1}{2}cp^2 + b$, unde $y = -a + \sqrt{2c(x - b)}$, æquatio Parabolæ, ad diametrum quamvis relatæ, qualis etiam a priori requiritur.

Exempl. II. Sit $Z = a(p^2 - 1)^3 : p^3$, & fiunt coordinatæ $3ap^2 - a : p^2$, & $2ap^3 - 2a : p$. Ex quibus prodit Curva quarti ordinis valde ſimplex, & duabus Paraboloidibus, ſe decuſſantibus, conſtans.

Exempl. III. Si ſumatur $Z = ap^2 : (p^2 - 1)^2$, fiet Curva quarti ordinis in ſe rediens.

Si ſit generatim $Z = a : (p^2 - 1)^n : p^n$, fiet Curva alge-

algebraica, ſi $n =$ integro affirmativo impari, vel negativo pari, reliquis caſibus tranſcendens.

Præter ſolutionem iſtam analyticam datur etiam Methodus generalis, infinitas Curvas, Problemati generali ſatisfacientes, ope ſimplicis conſtructionis geometricæ inveniendi, quarum aliæ ſunt algebraicæ, aliæ tranſcendentes, & hæ quidem omnes per rectificationem conſtruibiles. Inter priores exſtant infinitæ ex genere Epicycloidum, inter poſteriores vero ipſa Cyclois vulgaris, quippe quæ, ſibi ipſi ſitu contrario ſuperimpoſita, pro caſu radiorum parallelorum inſervit.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI Diſſertationum Sylloge.

Tomi I Pars III.

Gottingæ, apud J. P. Schmid, 1745, 8.
Plag. 16.

Prima Diſſertatio voluminis hujus eſt *de Peccatis clamantibus.* De his cum juſta & plena tractatio deſideretur in Syſtematibus pariter & Compendiis theologicis, laborem hunc ſuſcipere Noſtro placuit. Initio igitur loca Biblica, in quibus fit mentio peccatorum ejus generis, exhibet ſingula. Tum informat definitionem peccati clamantis, ejusque genera deſcribit, & ſimul falſas plurium Theologorum definitiones rejicit. Imo, ipſum nomen *peccati clamantis,* docet, non eſſe Biblicum, cum vocanda fuerint *peccata, clamorem ad cælum excitantia.* Inter hæc ad has duas quæſtiones reſpondet: an Chriſtiano homine digna ſit ad cœleſtem judicem appellatio, & an recte vulgo referatur ſodomia inter peccata clamantia. Secunda in Diſſertatione adverſus *Antonium van Dale* demonſtratur, Chreſtum, a *Suetonio* in *Vita Imp. Claudii* memoratum, eſſe Chriſtum Salvatorem, ac ſingula *Dalei* argumenta refelluntur. In *tertia* illuſtratur *Athalarici,* Regis Italici Gothici, edictum de eligendo Papa, Romæ in tabula marmorea ante atrium S. *Petri* omnium oculis expoſitum. Cum nec *Flacius*, nec *Spanhemius,*

Digitized by Google

nec *Heideggerus*, nec *Baſnagius*, hanc hiſtoriæ eccleſiaſticæ particulam conſiderarint & illuſtrarint, hoc labore defungens Noſter, primo epiſtolam longiorem *Athalarici* ad Papam *Joannem II* exhibet, multisque partim criticis, partim exegeticis, annotationibus lucidiorem reddit. Deinde de hujus Regis mandato agit ad Præfectum urbis, ut *edictum de electione Papæ* proponat publice. Laudat hinc & prudentiam Regum Italiæ Gothicorum eccleſiaſticam, & Paparum ſub regno Gothico modeſtiam. Nec hanc occaſionem neglexit, tradendi certiora de primis tredecim Romanæ eccleſiæ Epiſcopis, & notiſſimo illi *Irenæi* loco de *principalitate eccleſiæ Romanæ* verum ſuum aſſerendi ſenſum. *Quarta* Diſſertatio eſt theologica moralis *de Zelo*. Hic, & homonymia & definitione zeli explicata, propoſitisque exemplis pii zeli Biblicis, exhibet extraordinarios, adeoque non ad imitandum propoſitos in ſacra hiſtoria, zeli effectus. Tum varia zeli genera perſequitur, cum veri, tum falſi, ſingula illuſtrans ſtudioſiſſime. In *quinta* conſiderat *ecſtaſin Hieronymi anticiceronianam*, diverſisque de ea prolatis judiciis, manifeſtum facit, hoc fuiſſe pium, quod vocant, ſancti viri mendacium. *Sexta* Diſſertatio eſt *de Cruce Criticorum nummaria*, *CONOB*. Recitatis refutatisque aliorum interpretationibus, putat, eo verborum compendio indicari *Conſtantinopolin*, *olim Byzantium*. Quam ſententiam cum amicis aliquot exhibuiſſet conſiderandam, hique ei nonnihil objeciſſent, in appendice ad ſingula reſpondet breviter. *Septima* Diſſertatio inſcripta eſt *de Pſalmis medicis*, *ſive ſoteriis*, hoc eſt, de iis *Pſalterii* odis, quibus componendis occaſionem præbuerat morbus, vel recuperata ſanitas. Hac notitia omnino opus eſt ad verum inveniendum talis *Pſalmi* ſenſum, ne forte, quod multis accidit interpretibus, longe alium ei ſenſum affingas. Hujus generis *Pſalmos* eſſe hic docetur *ſextum*, *decimum tertium*, *trigeſimum*, *trigeſimum octavum*, & *nonum*, *quadrageſimum primum*, *octogeſimum octavum*, *nonageſimum*, cum ſubſequenti, *centeſimum ſecundum*, & *tertium*, & *decimum ſextum*. Horum alios ad ſenſum metaphoricum de morbis mentis, alios ad myſticum de Chriſto aliisque N. T. rebus, ſenſum traxere & veteres multi & recentiores;

id quod

Digitized by Google

id quod indocte factum eſſe, hic loci oſtenditur. Unum duntaxat *Pſalmum* intuebimur, *quadrageſimum primum;* quem *Auguſtinus*, *Seb. Schmidius*, aliique multi, totum capiunt de Chriſto. Noſter, ægrotum *Davidem* hic canere, docet, ſolique *decimo verſui* duplicem ineſſe cenſet ſenſum, literalem & myſticum: cum, quod de aliquo *Davidis* ſervo verum erat, id etiam filio *Davidis*, Chriſto, eventurum eſſe, Spiritus S. in *Davide* loquens, præviderit. *Octava* Diſſertatio exhibet *defenſionem Loti a crimine oblatarum ad ſtuprum filiarum.* Communiter quidem certe id feciſſe *Lotus* creditur. Verum Noſter, id ab eo fieri non potuiſſe, multis argumentis contendens, apoſiopeſin hic agnoſcit, & hunc verbis *Loti* ſenſum tribuit: *Jubete, quaſo, a me tradi vobis filias meas, vt veſtræ obſecundetis libidini. Facile vero intelligetis, id a me vos non eſſe impetraturos. Sciatis proinde, quam facere non poſſum, ut veſtro furori filias exponam meas, tam nec futurum eſſe, ut meos vobis tradam hoſpites.* Hujus generis apoſiopeſes cum plures habeat ſacer Codex, *quid dubitemus*, inquit Noſter, *hoc ſenſu interpretari ſermonem Loti, qui & Hebrææ linguæ conveniens eſt, & viro ſumma pietate conſpicuo dignus?* In Diſſertatione *nona* exhibetur *Specimen Germaniſmorum Thomæ a Kempis*, ad redarguendum eorum errorem, qui laudatiſſimum illum *de imitatione Chriſti* librum Italo alicui, vel Gallo, tribuerunt. *Decima* Diſſertatio piam de Paſchatis Chriſtiani celebratione vera & falſa meditationem continet. *Undecima*, quæ eadem poſtrema eſt, in Diſſertatione *de vaticiniis caſu veris* diſputatur. Scilicet, uti miracula dantur falſa, ſic & falſi nominis prædictiones. Hunc in cenſum referri oportet non ſolum divinationes politicas, ſed etiam prædictiones quasdam mere fortuitas; quarum exempla hic proferuntur ſatis multa, cognituque jucunda.

DE DIPTYCHIS VETERUM, ET DE Diptycho Eminentiſſimi QUIRINI, S. R. E. Cardinalis, Bibliothecarii Apoſtolici, Epiſcopi Brixienſis, Diatribe.

 Lipſiæ,

Lipſiæ, apud Joh. Frid. Gleditſchium, 1743, 4 maj. Plag. 7.

Ita vero habent etiam Germani, quos cum Italis comparent, antiquitatum perveſtigatores. Præſentis lucubrationis, id ipſum teſtantis, hæc eſt ratio, hoc argumentum. Cum Eminentiſſimi Purpurati *Quirini* Epiſtola ad *Claudium de Beze*, qua doctorum virorum de Diptycho eburneo, quod *Pauli II* fuit, jam vero in Vaticana cuſtoditur, ſententiæ proponuntur, Lipſiam ad *Menckenium* noſtrum miſſa, cum eruditis, in Bibliotheca urbis publica de rebus literariis inter ſe conferentibus, communicata eſſet, &, variis in utramque partem diſputatis, tandem in eo conveniretur, has tabulas neque Conſulare Diptychum eſſe, neque ad remotam illam ætatem forſitan pertinere; hæc apud animum perpendens ſuum doctiſſimus *Leichius*, lectis, quæ de veterum Diptychis *Wilthemius* & *Buonarotta* diligentiſſime commentati ſunt, illorum obſervationes largiſſima manu locupletavit, ſicque hanc Commentationem, lectu plane digniſſimam, elaboravit, quam nunc acutiſſimi *Quirini* judicio ſubmittit. Dividitur autem opus hoc in *Sectiones tres*, quarum *prima* de Diptychis Conſularibus analecta proponit, *altera* de Brixiano *Boetii* Coſ. & de eccleſiaſticis Diptychis agit, ac

Sect. I n. 1. *tertia* demum in eburneum *Quirini* inquirit. *Prima quinque* ſumma *Capita* complectitur. Initium facit varia ipſius vocabuli acceptio, ubi duplicia præſertim veterum δίπτυχα nominantur. Sacra facientes exſciſſas e victimis coxas, et omento involutas, cum imponerent aris, δίπτυχα ποιεῖν, *Euſtathio* teſte, dicebantur. Porro, veſtem ſtragulam duplicem δίπτυχον vocari, e *Suida* diſcimus. Deinde a Græcis & Latinis, non optimorum tamen temporum, ad pugillares, binis tabulis, filo connexis, conſtantes, illud nomen translatum eſt, ſicut, qui plura folia continebant, τρίπτυχα, πολύπτυχα, dicebantur. Eorum figuram antiquus lapis, a Cel. *Boldetto* editus, omnium optime exhibet. Erat autem apud veteres uſu receptum, ut Diptycha, ex ebore, aut buxo, eleganter cælata, anno ineunte, cum aliis ſtrenis ad amicos mitterentur. Certe Conſulum, qui novum annum aperiebant, mos, eburneas tabulas, vultu ac titulis ſuis ſplendentes, ſenatui aliisque offerendi, non aliunde traxiſſe

originem

originem videtur; licet, qua primum cœperit, ætatem, veterum ſcriptorum præſidio deſtituti, indicare nequeamus.
Ejusmodi in tabulis Conſulem omnibus ornamentis, quæ am- n. 2.
pliſſimæ dignitati tributa ſunt, excultum videmus. Palmatæ & pictæ Conſulum in Diptychis faſcia acu variata ſuperjicitur, &
quæ ſunt alia ornamenta, quæ *Conſtantini Porphyrogeniti* opus 3.
de Cerimoniis aulæ Conſtantinopolitanæ ineditum, unde locus, eo ſpectans, hic excerpitur, uberius proponit. Talia Conſu- 4.
lum uxoribus, forte quoque liberis, pariter concedebantur. Præterea largitionis, ludorum, apparitorum, indicium fiebat.
Cui impoſitus cernitur Conſul, ſella curulis eſt. Eburnea iſta 5.
ſella ab ea, quæ in florentis reipublicæ monumentis conſpicitur, longe fuit diverſa, quippe gradibus ad eam adſcendebatur. Hoc idem tum ex omnibus Diptychis, tum e *Caſſiodoro*, apparet, qui, *ſellam*, inquit, *curulem pro ſua magnitudine, multis gradibus eniſus, adſcende.* Sed ad *alteram Sectio-* Sect. II
nem progredimur. Diptychum Brixianum vultum exhibet n. 1.
Boetii. Et quis, quæſumus, paulo ſaltem humanior, tanti viri, qui, perturbatis rebus, unus ab interitu literas vindicavit, cujus ſcripta ex penetralibus diſciplinarum hauſta, cujus divina Conſolatio cum omnibus antiquorum operibus comparari meruit, adſpectu non delectaretur? Literas autem, quibus nomina & dignitates illius indicantur, ita exprimit Noſter: *Anicius Manlius Boethius* V. C. Et *Inluſtris Expræfectus* Prætorio, Præfectus Urbi *ſecundum Conſul ordinarius, & Patricius.*
Inde de Conſulatu *Boethii* agitur. Cumque nomen illud ter 2.
in Faſtis occurrat, *Sirmondi* & *Pagii* ſententiis relatis, ex anno, quo *Boethius* Philoſophus occiſus eſt, oſtenditur, ipſum anno 487 Conſulem non fuiſſe, faſtique anni 488 emendantur. Primus quippe Philoſophi Conſulatus in annum 510, ſecundus in annum 522, incidit, quem cum *Symmacho* ſocero
adminiſtravit. Hinc diſquiritur, utrum ab Imperatoribus, an 3.
a Gothorum Regibus, Occidentis Conſules creati ſint; qua iterum occaſione *Valeſii* & *Pagii* ſententia ſub examen vocatur,
*Procopii*que & *Caſſiodori* loca illuſtrantur. Ita vero ad tractatio- 4.
nem de Diptychis eccleſiaſticis fit acceſſus, quibus Sanctorum

 & An-

& Antiſtitum nomina inſcripta fuerunt. Eadem occaſione Rambonenſe Diptychum aſſertur, & a *Montfauconii* opinione diſceditur. Ipſe itidem Clar. Autor iſtiusmodi Diptychi fragmentum, ex muſeo reipublicæ Lipſienſis depromtum, attulit, ærique incidendum curavit. In eo S. *Michael*, erectum ad cœlum caput tollens, & draconem lancea perfodiens, cernitur. Nec minus aliud antiquum pietatis Chriſtianæ monumentum, beatæ ſcilicet Virginis, Servatorem infantem, & ſacrum volumen manu tenentem, brachio geſtantis, effigies, tabellæ eburneæ inſculpta, commemoratur, & notitia veteris Evangelii Bibliothecæ Lipſienſis adjicitur. Denique, quod fere caput rei eſt, de Diptycho Eminentiſſ. patris purpurati *Quirini* verba fiunt, quorum hoc eſt argumentum. Primum locum Diptychi deſcriptio tenet, ſimulque varia Academiæ Gallicæ & eruditorum Italiæ de eodem judicia expenduntur. Poſt, ad Diptycha Conſularia, vel amantium, referendum non videri, oſtenditur, nonnullaque de forma tunicæ & pallii antiqui referuntur. Hinc, renatis demum artibus Seculo XV ab egregio quodam ſculptore Italo elaboratum eſſe, conjicitur, deque pictura & ſculptura, his temporibus reſtituta, & de ſculptoribus eximiis ac præſtantiſſimis, non contemnenda memorantur, ac denique, *Paulum II*, P. M. elegantiorum artium ſtatorem fuiſſe, ex numis ejus oſtenditur.

M. ANTONII MURETI OPERUM, IN USUM Scholarum ſelectorum, Tomi tres. Acceſſerunt nunc in calce Tomi III quædam ejusdem Autoris, partim edita quidem olim, ſed mox propemodum obliterata, partim producta nunquam in lucem antehac. Præfatio præmittitur, de his Operibus, & potiſſimum Additamentis, accurate diſputans, atque inſuper novus in quemque Tomum Index, non mediocri diligentia contextus.

Patavii, apud Joſephum Cominum, 1741, 8 maj.

T. I Alph. 1 plag. 15½, T. II Alph. 1 pl. 6, T. III Alph. 1 pl. 3.

Non

Non ſine cauſa *Muretus* Oratorum recentiorum principibus annumeratur; nec mirum eſt, ipſius Orationes, Epiſtolas, lucubrationes, cupidiſſime expeti, nec raro prela exterorum exercere. Duas annis paucis pæne conterraneas editiones Operum, inprimis rhetoricorum, Veronenſem unam, & hanc Patavinam, accepimus. In poſteriore, præter alia, maxime Præfatio, a *Cominu*, vel ejus nomine, ſcripta, florida illa ſatis & longa, (conſtat enim paginis 75,) notari meretur. Agitur ibi præſertim de laudibus laudandi maxime Oratoris, deque aliis rebus, ad illum, & ad inſtitutum, ſpectantibus. Ingenium *Mureti* ad quandam Atticiſmi normam effictum eſſe, Autor contendit. Accuratius autem leporis Romani laudem ipſi tribuit *Barnabas Briſſonius*. Hunc & admirati ſunt, præter Italos & Gallos, Germani, atque inter illos ſingulatim *Jacobus Thomaſius*, cujus editionem Operum *Mureti* ſequitur Noſter. Adhæc *Antonius Fridericus Segbetius* ex ipſo Autoris autographo, quod apud ipſum aſſervabatur, nonnulla, quæ nunc primum lucem adſpiciunt, liberali manu ſubjunxit; nec alia rariora, quanquam olim edita, negliguntur. Priorem locum hæc inter additamenta Oratio tenet, qua Muſarum *Iſocraticarum* fontes ſeſe penitus effudiſſe dicuntur; ſecunda, nimirum de ſtudiis humanitatis, Venetiis habita eſt, non multo poſtquam in Italiam ex Gallia eſſet advectus Orator. Eo hæc eſt accuratius ſcripta, quod malevolis invidisque tum erat expoſitus peregrinus; quod & periculum ante ipſum Romæ adierat *Chriſtophorus Longolius*, Belga. Æque lectu dignum videtur, quod jam primum comparet, Orationis parentalis in honorem *Zeni*, purpurati patris, fragmentum. Epiſtolarum tres ſunt adjectæ; quarum una in ſylloge quadam Carminum inventa eſt, a *Scipione de Montibus* curata; reliquas αὐτόγραφον de integro ſuppeditavit. In his etiam, ut in reliquis tantum non omnibus, varietas ſeſe conſpicuam præbet ac pulchritudo. Sed ad Carmina veniamus, quorum fœtu feraciorem habemus hanc editionem; idque propter has cauſas. Editus in Gallia jam fuerat, ab juvene tum quidem *Mureto*, libellus carminum. Iis carminibus Autor ipſe *Juvenilium* titu-

lum

lum fecit. Sed, cum idem poſt annos aliquot in Italia ſuos in lucem efferret verſus, iſthæc, ceu ingenio eſſent illiberali, prætermiſſa, neglecta, expoſita ſunt. Neque in aliis editionibus eorum veſtigium apparet. Hic vero iterum, poſt paucas Juvenilium peculiares editiones, indidem nonnulla ſeliguntur, quæ guſtum præbeant lectori *Mureti* ſtudiorum veluti pubeſcentium. Alii ſequuntur verſus, recens nunc editi, non autem ejusdem cum juvenilibus naturæ, quique multo caput altius efferunt. Sunt omnino tres Elegiæ, quæ repertæ ſunt eadem ipſa ſcriptæ *Mureti* manu. Illæ pariter, ut reliqua Poemata, quam arctum ſit inter Muſarum occupationes, eloquentiam ſigillatim ac poeſin, commercium, oſtendunt. Quo de argumento inter utiliores *παρεκβάσεις* præfatur Editor. Inter reliquas inveniuntur, quas ibi vix quæſiveris. Nominari debent ideo de *Hercule* Gallico, de quæſtione: num *Plotio* magiſtro *Cicero* ſit uſus, de loco quodam in *Cicerone ad Div. Lib. IX Ep. 18* ad *Papirium Pætum* emendando, de verſus cujusdam *Luciliani* emendatione, de Venetorum reipublicæ laudibus, de librorum indices elaborandi modo, de notarum quarundam in lectionibus Domini perpeſſionum explicatione, de annotationibus in ſubſidium memoriæ factis, de quorundam librorum *Origenis* inſcriptione, & ſi qua ſunt alia, diſputata. Potius autem, nec decepti, quæſivimus eloquentiæ *Mureti* laudes, de *Mureti* aſperitate tractationem, de *Mureti* ingenio magno, judicio acerrimo, criticam exquiſitionem, de ſenilibus *Mureti* Orationibus, deque Epiſtolis, de ſumma *Mureti* & *Pauli Manutii* familiaritate, de *Ciceronis* ad *Atticum* Epiſtolarum a *Mureto* facta imitatione, obſervationes, quæque ſunt aliæ, de quibus etiam vita *Mureti*, ex ſcriptis ejus & funebri Oratione *Franciſci Bencii* ab *Andrea Schotto* collecta, conſuli poteſt, & quibus non minus de *Mureto* carmina & teſtimonia, ſuperiorumque editionum Dedicationes ac Præfationes, diligenter ſubjunctæ, inſerviunt.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLVI.

Pars II.

T. LIVII PATAVINI HISTORIÆ, ET SUPPLEmenta, a JO. FREINSHEMIO concinnata. Recenſuit J. B. L. CREVIER, emeritus Rhetoricæ Profeſſor in Collegio Dormano-Bellovaco Univerſitatis Pariſienſis. Tomus V & VI.

Pariſiis, apud Gabr. Franciſc. Quillau & Joannem Deſaint, 1741 & 1742, 4.

Tom. V Alph. 4 plag. 3, Tom. VI Alph. 1 plag. 17.

His *duobus Voluminibus* clauditur *Creverianus Livius*. Et prius quidem complectitur *Supplementa Freinshemiana* inde a *libro CI*, alterum Indices rerum & ſententiarum. *Supplementa* illa diligenter recenſita ſunt, paſſim adſperſis notulis, quibus vel res ſubobſcuræ explicantur, vel errores *Freinſhemiani* indicantur, cum ille aut non optimos Autores ſecutus, aut bonos non ſatis accurate interpretatus, aut alia aliqua in re lapſus eſt. Ad calcem *Supplementorum* additur quoddam quaſi ſpicilegium notarum, ad ſuperiora *Volumina* pertinentium. Quod ad Indices attinet, primus eſt rerum, in quo conficiendo uſus ille quidem eſt eo, qui in *Clerici* editione reperitur, ſed ita, ut diligenter corrigeret peccata, eumque locupletaret. Eſt enim ille *Clericanæ* editionis Index ita negligenter confectus, ut mirari ſatis non poſſis inſcitiam Autoris. Alter Index ſententiarum acutarum, ad rem civilem pertinentium, eſt ille quidem dudum a *Corbinello* confectus, ſed is librorum ordinem retinuit; *Creverius* autem eas ad alphabe-

Digitized by Google

phabeticum revocavit. Geographicum Indicem addere non neceſſarium viſum eſt in tanta libellorum geographicorum copia; ab Indice latinitatis autem, qui utiliſſimus futurus erat, laboris magnitudo ipſum deterruit. Sed facilis erat futurus labor, ſi Indice locupletiſſimo, qui in Anglicana editione a *Maittairio* confectus exſtat, uti voluiſſet.

HISTOIRE DE L'EGLISE GALLICANE.

id eſt,

HISTORIA ECCLESIÆ GALLICÆ, AUTORE JACOBO DE LONGUEVAL, e Societate Jeſu. Tomus VII ab A. 987 uſque ad A. 1086, Tomus VIII ab A. 1086 uſque ad A. 1137.

Lutetiæ, apud Franc. Montalantium & ſocios, 1734, 4 maj. Alph. 7 plag. 5.

Eadem, qua ſuperioribus in libris uſus fuerat, methodo perſequens hic Rever. Autor Eccleſiæ Gallicæ hiſtoriam, inde ab anno 987 progreditur ad annum duodecimi Seculi trigeſimum ſeptimum. Noſtrum eſt, lectoribus noſtris exhibere potiora cujusque *Libri* argumenta. Complectitur autem quisque *Tomus Libros tres;* ut hic ſiſtantur totius operis *Libri ſex*, ab *undevigeſimo* videlicet ad *vigeſimum quartum*, qui eſt ultimus. *Libri XIX* initio docetur, quomodo *Hugo Capetus*, ſuperatis adverſariis, ſibi confirmarit regnum Galliæ. Hinc *pag. 18 ſeq.* Rhemenſe Concilium deſcribitur, in quo exauctoratus fuit *Arnoldus*, Archiepiſcopus Rhemenſis, qui, ſacramento, quod *Capeto* præſtiterat, violato, ejus æmulum, *Carolum* Lotharingum, callide pariter ac ſtrenue adjuverat. De ejus ſucceſſore, *Gerberto*, qui poſtea Papa fuit *Sylveſtri II* adſcito nomine, *pag. 34 ſeq.* agitur, quem Noſter vocat virum eruditum, ſed eundem ambitioſum, & artibus politicis inſtructiſſimum. Hujus & vitam enarrat, ante, quam Rhemenſis creatus eſt Archiepiſcopus, actam, itemque res ab eo geſtas in hoc Archiepiſcopatu; quo non ita multo poſt exutus eſt juſſu Papæ, qui *Arnoldum* reſtituit. Brevis autem fuit hic *Gerberti* dolor, ab Imp.

Ottone

Digitized by Google

Ottone III, cujus præceptor fuerat, conſtituti Archiepiſcopi Ravennæ. Imo A. 999 creatus eſt Papa in locum *Gregorii V*, qui Regem Galliæ *Robertum* adegerat ad uxorem dimittendam, propinqua ſecum conjunctam cognatione. Hunc *Sylveſtrum II* primum fuiſſe Papam natione Gallum, Noſter obſervat, adjiciens, inter prima ejus acta fuiſſe confirmationem *Arnoldi* in recuperato Archiepiſcopatu Rhemenſi. *Pag. 119 ſeq.* vita exponitur & funeſtum fatum *Abbonis*, Floriacenſis Abbatis, cujus & ſcripta commemorantur. Vita *Fulberti*, Epiſcopi Carnotenſis clariſſimi, occurrit *pag. 142 ſeq.* de quo pergitur *pag. 158* & *162*, itemque *Lib. XX pag. 213 - 222*. Secta Manichæorum Seculo XI in urbe Aurelianenſi prognata, *pag. 165 ſeq.* ita deſcribitur, ut ex eo, quod Sanctorum invocationem damnarunt, ac præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna negarunt, nonnulli videantur collecturi, eos fuiſſe vindices veritatis contra errores, illo ævo regnantes, ceterosque & errores, & mores, iis fuiſſe affictos, e. g. negationem reſurrectionis Chriſti, promiſcuum exſtinctis lucernis concubitum, combuſtionem infantis in ſuis congregationibus. Noſter etiam Concilium Aurelianenſe deſcribit, cujus e decreto tredecim hujus generis hæretici, inter quos fuit Reginæ confeſſionarius, rogo fuerunt impoſiti, & quidem alacres hilaresque. Paulo poſt *pag. 176 ſeq.* mentio fit Selingſtadienſis Concilii, A. 1022 ab Archiepiſcopo Moguntino habiti, in quo inter alia ſancitum fuit, ut ſacerdoti, qui per noctem compotor fuit uſque ad gallicinium, non liceat poſtero die celebrare Miſſam. Nec cetera octodecim Synodi hujus decreta ſunt multo gravioris momenti. Paris pretii eſt controverſia, *pag. 187 ſeq.* recenſita, quæ orta fuerat in Gallia de *S. Martiale*, aliis numero Apoſtolorum eum adſcribentibus, aliis pro Confeſſore duntaxat eum habentibus. Sequenti in *Libro pag. 231* relatum legimus, Papam *Joannem XIX* finem impoſuiſſe huic liti, & *Martialem* feciſſe Apoſtolum; id quod & A. 1031 confirmatum fuit in Concilio Bituricenſi. Pag. 81.

Libri XX pag 193 ſeq. hæretici commemorantur Atrebatenſes, qui, in Synodo A. 1025 ab Epiſcopo examinati, profitebant-

ſtrebantur, ſoli ſeſe addictos eſſe doctrinæ Apoſtolicæ, eique adjungere mores pios; præterea rejicientes fiduciam in baptiſmo ſub initium vitæ accepto, negantesque transſubſtantiationem. Dicitur tamen ille Epiſcopus, nomine *Gerbardus*, hosce hæreticos, homines illiteratos, & ne arte quidem ſcribendi præditos, revocaſſe a ſuis erroribus, ſuamque traduxiſſe in ſententiam. *Pag. 208 ſeq.* legimus, A. 1026 quendam Galliæ Comitem in monte juxta urbem Rothomagum ſito inſtinctu monachi cujusdam e monte Sinai, tum in Galliam delati, monaſterium exſtruxiſſe in honorem S. *Catharinæ*; cujus Sanctæ nomen tum primum auditum fuiſſe, Noſter obſervat. *Pag. 224 ſeq.* res geſtæ exhibentur laudesque *Brunonis*, Tullonenſis Epiſcopi, qui deinceps factus fuit Papa, *Leonis IX* nomen gerens. Hujus Papæ res geſtæ, habitaque ab eo Concilia, Rhemenſe, Moguntinum, & Lateranenſe, copioſius enarrantur *pag. 307 - 380.* Hoc temporis tractu perfrequentes fuiſſe Gallorum peregrinationes ad urbem Hieroſolymitanam, etiam virorum matronarumque illuſtrium, diſcimus e *pag. 264*, itemque e ſequentis *Libri pag. 448 ſeq.* Quam flagitioſam egerint vitam plures Galliæ Epiſcopi, palam alentes concubinas, docetur *pag. 266 ſeq.* ubi & *Orſcandi*, Epiſcopi Quimperienſis, fit mentio, qui publice uxorem duxerat. *Simeonis* Trevirenſis canonizationem cum Noſter *pag. 274 ſeq.* commemorat, ſimul animadvertit, ſecundam omnium hanc fuiſſe canonizationem, primum hoc honore affecto *Udalrico* Auguſtano. *Canonicos regulares* primum A. 1039 inſtitutos fuiſſe, docetur *pag. 282.* Nec omitti hic poterat *Berengarius*, cujus contra errorem de S. Cœna primus ſcripſiſſe dicitur *pag. 331 Hugo*, Lingonenſis Epiſcopus, munere hoc ſuo exutus ob eximia flagitia, ſed peſſimis tamen ſuis moribus adjungens pium in hæreticos odium. Cetera *Berengarii* hiſtoria exhibetur *pag. 336 - 359*, & *Lib. XXI pag. 391 ſeq. 416 ſeq. 453 ſeq.* & *568 ſeq.*

In *Libro XXI pag. 394* refertur, Seculo hoc undecimo in Gallia, maxime in Normannia, multos ſacerdotes vixiſſe in conjugio, ſecutos exemplum duorum illius temporis

Archi-

Digitized by Google

Archiepiſcoporum Rothomagenſium, ſolenni ritu cum uxoribus conſociatorum. *Pag. 442 ſeq.* recenſetur hiſtoria *Thribaldi*, juvenis illuſtri ſtirpe orti, pietatem colentis ſuperſtitioſiſſimam, quæ tamen illo ævo idonea erat ad comparandum *Sancti* titulum. Similem hiſtoriam de Comite quodam, *Ebrardo*, reperimus *pag. 447.* De *Guimundo* monacho, qui *de Eucharistia* libros tres compoſuit adverſus *Berengarium*, *pag. 479 ſeq.* agitur, ac ipſi hi libri recenſentur. Factus iſte *Guimundus* poſtea eſt Cardinalis a *Gregorio VII*, cujus Papæ hanc *pag. 500* exhibet Noſter imaginem: *Erat corpore puſillus, ſtirpe ortus haud nobili, ſed heroico praditus animo, vaſto ingenio, moribus honeſtiſſimis, zeli plenus, pragmaticus, intrepidus. Sola ei deerat moderatio, qua conſiliis ipſius datura erat majorem ſucceſſum. Nec intra fines poteſtatis ſpiritualis ſe continuit, ſed in regimen Principum civile etiam auſus eſt exercere judicium, qui tamen ſoli Deo coronam ſuam referunt acceptam.* Quare, quæ hic Papa fecit adverſus Imp. *Henricum IV*, Noſter nequaquam approbat. Idem Papa cum Regi Galliæ, Epiſcopi cujusdam electioni adverſanti, ſtatim minatus eſſet anathema; Noſter laudat Gallos, qui Regem hunc poſtea excommunicatum habere pro ſuo Rege non deſierint. Non enim, inquit, ea vis eſt excommunicationis, ut Reges, illo fulmine tactos, ſuo privet imperio. Hinc Papæ hujus iras deſcribit erga Regem Galliæ, eo uſque inflammatas, ut juberet Gallicos Epiſcopos totam Galliam *interdicto*, quod vocant, ſubjicere, ipſeque profiteretur, ſe Regem eſſe exuturum imperio. In quo quidem peccaſſe Papam, & fines poteſtatis ſuæ tranſiliiſſe, *Noſter pag. 508* ingenue agnoſcit. *Pag. 514* occurrit Concilium, in Anglia a *Lanfranco* habitum, in quo permiſſæ ſunt ſacerdotibus ruralibus ſuæ uxores, adjecto tamen, nemini poſthac demandatum iri ſacerdotium, niſi qui cœlibatum promiſerit perpetuum. De *Brunone*, Carthuſiani Ordinis conditore, ac primis hujus Ordinis monachorum moribus, diſſeritur *pag. 585 ſeq.* Ubi tamen *pag. 588*, ob ſilentium ſcriptorum συγχρόνων, inter fabulas rejicit Noſter vulgarem traditionem de Canonico quodam, ſua e feretro exclamatione:

Digitized by Google

Damnatus ſum, impellente *Brunonem* ad ſubeundum tam auſterum vivendi genus. Fatetur igitur Noſter, ſe non ſubſcribere ſocio ſui Ordinis, Jeſuitæ *Colombio*, qui longa Diſſertatione probare ſtuduit, hiſtoriam hanc eſſe veriſſimam.

Libri XXII initio facto a *Victoris III* ſucceſſione in locum *Gregorii VII*, aperitur *pag. 15 ſeq.* origo inſtituti in Gallia Ordinis S. *Antonii*. Hinc *Brunonis*, patris Ordinis Carthuſiani, tranſitus in Italiam *pag: 17 ſeq.* commemoratur, ubi is novum condidit monaſterium, in quo vita exceſſit A. 1101. Obſervat hic Noſter, inter ſcripta, ſub ipſius nomine edita, plerorumque autorem eſſe *Brunonem* Aſtenſem. De illicito Regis *Philippi* cum *Bertrada* conjugio, propterea excommunicati, agit *pag. 37 ſeq.* de *Roſcelini* hæreſi, habitoque ob eam Concilio, *pag. 59 ſeq.* de *Roberto* Arbriſſellenſi, quem contra famam maledicam defendit, *pag. 72 ſeq.* itemque *pag. 130 ſeq.* & *Lib. XXIII pag. 313 ſeq.* ac *pag. 328 ſeq.* Concilium Claromontanum, A. 1095 a Papa *Urbano II* eo potiſſimum conſilio habitum, ut indiceretur expeditio ſacra in Palæſtinam, deſcribitur *pag. 76 ſeq.* itemque itinera hujus Papæ per Galliam, habitaque tum plura Concilia, inter quæ Nemauſenſe eminet. Hinc *pag. 101 ſeq.* repræſentat Noſter fervorem, ſeu potius furorem, quo agitati omnis ordinis homines conſtituerunt in bello illo ſacro militare; cujus belli fax & tuba erat *Petrus* eremita. Ac totam hanc expeditionem Noſter copioſe deſcribit uſque ad expugnationem urbis Hieroſolymæ. *Pag. 126 ſeq.* inſtitutio Ordinis monachorum Ciſtercienſis exponitur, & *pag. 138 ſeq.* vita *Hildeberti*, Cenomanenſis Epiſcopi, ante Epiſcopatum geſta, cujus cetera quoque vita ſparſim enarratur, idque ſatis copioſe, e ſubjecto *Indice* facile colligenda. Nec perfunctorie de eruditione ejus ſcriptisque diſſeritur. *Pag. 181* docetur, in Pariſienſi Concilio A. 1104 excommunicationis vinculo ſolutos eſſe *Philippum* Regem, & concubinam ejus, *Bertradam*. De hæretico *Tanquelino pag. 187 ſeq.* diſſeritur, & *pag. 192 ſeq.* de *Henrico Bruſio*, hæretico fortunæ proſperæ; de quo & inſpicienda *Libri XXIV pagina 560*.

Libri

Digitized by Google

Libri XXIII pag. 204 ſeq. deſcribitur iter Papæ *Paſchalis* per Galliam, cujus Regis auxilium imploravit adverſus *Henricum V* Imperatorem, qui illuc legatos miſerat, impetraturos a Papa perpetuitatem juris inveſtituræ. Verum renuit Papa, & illo ipſo tempore in Trecenſi Concilio ſolenniter damnavit inveſtituras Principum Epiſcopales. Interjecta *pag. 228 ſeq.* recenſione trium librorum *Udalrici*, monachi Cluniacenſis, de illius monaſterii ritibus & conſuetudinibus, *pag. 247 ſeq.* deſcribit Imp. *Henrici V* iter Romanum, qui tum Papam conjecit in vincula, eique jus inveſtituræ extorſit. Ac tum conſentiens Papa coronavit Imperatorem, ſed paulo poſt habito Romæ A. 1112 Concilio promiſſum eluſit. Quæ *pag. 278 ſeq.* traduntur de ſecta Manichæa, id temporis in diœceſi Sueſſionenſi exorta, & Comitem Sueſſionenſem, *Joannem*, nacta patronum, ſimilia ſunt iis, quæ ſupra *Lib. XIX pag. 165 ſeq.* de Aurelianenſibus hæreticis cognovimus. Mirari hic libet ſapientiam Sueſſionenſis Epiſcopi, qui *Clementium*, horum hæreticorum principem, aquæ injecit, cumque ei ſupernataret, contrario elemento ſuſtulit e medio. *Pag. 283 ſeq.* origo indicatur Equitum ſacrorum S. *Joannis*, eorumque exhibentur Statuta, cumque & Carthuſianus Ordo, qui antea ſcriptis vitæ regulis caruerat, A. 1213 ſua Statuta acceperit, hæc quoque recenſentur *pag. 291 ſeq.* S. *Bernhardi* vitæ prima pars hinc exponitur *pag. 298 - 312*, & quidem ita, ut ſuperſtitioſo illi ſeculo, quo vixit hic Sanctus, convenit. Qui enim ſacrarum literarum ſatis periti ſunt, non poſſunt non mirari ſanctitatem illius ævi, diverſiſſimam quippe ab ea ſanctitate, quam Chriſtus ejusque *Apoſtoli* deſcripſerunt, præſcripſeruntque. *Pag. 319 - 328* laudes prædicantur *Ivonis*, A. 1116 d. 13 Dec. exſtincti, cujus & ſcripta recenſentur accuratius. *Pag. 358 ſeq.* Papæ *Gelaſii* exilium Gallicum deſcribitur, vita excedentis in monaſterio Cluniacenſi A. 1119 d. 24 Ianuarii. Cujus in locum cum ſtatim ſuffectus eſſet *Calixtus II*, hujus Toloſæ habiti Concilii Canones *pag. 363 ſeq.* exhibentur, ſubjecta mentione Rhemenſis Concilii, in quo Imp. *Henricus V* excommunicatus fuit ob aſſertionem ſui juris inveſtituræ.

Libri

Digitized by Google

Libri XXIV in exordio prodit S. *Norbertus*, Præmonſtratenſium Ordinis autor. Hujus viri hiſtoriam pluribus Noſter perſequitur, multa habentem mirabilia, imo & miracula, ex more Hiſtoricorum illius ævi. Etiam *Bernardi* primum miraculum *pag. 442 ſeq.* commemoratur, illo jam tempore falſitatis ſuſpectum, ſed pluribus miraculis ſubſequentibus inter vera referri cœptum. Hujus viri hiſtoriam texere pergit Noſter, non tamen *pag. 409* ſilentio præteriens, ab *Abælardo* & *Bernhardum* & *Norbertum* habitos eſſe pro hypocritis, miracula mentientibus. Ac hanc Noſter arripit occaſionem continuandi hiſtoriam *Abælardi pag. 410 - 421.* Plura vero *Bernhardi* miracula recenſentur *pag. 474 ſeq.* inter quæ eminet *excommunicatio muſcarum.* Ac rurſus alia ejus miracula *pag. 565 ſeq.* laudantur; imo per totum hunc librum ſparſim deſcribuntur res geſtæ clariſſimi hujus *Bernhardi. Pag. 495 ſeq.* exhibentur Templariorum Statuta, A. 1128 edita in Concilio Trecenſi. Denique *pag. 505 ſeq.* ſchiſma Papale deſcribitur inter *Innocentium II* & *Anacletum*; quorum ille pervagabatur Galliam ſumma cum autoritate, hic et ipſe perdiu retinebat & nomen & autoritatem ſummi Pontificis.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES INSCRIPTIONS & belles lettres, &c.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ INSCRIPTIONUM & elegantiorum literarum. Accedunt Diſſertationes, in iſta Academia publicatæ annis 1731, 1732, & 1733.

Tomus IX.

Lutetiæ, in Typographia Regia, 1736, 4 maj.

Alph. 3 plag. 22½, cum multis Fig. æn.

Præmiſſa hujus Academiæ hiſtoria trienni, recenſentur ſcripta Academicorum, illo temporis ſpatio elaborata, hoc ordine. *Manturii* Diſſertatio de nummis, *Pavorem* & *Pallorem*, Romanorum

Digitized by Google

norum Deos, exhibentibus; *Banierii* Diſſ. de incendiis Veſuvii, quod videlicet jam olim ea acciderint, non *Plinii* demum ætate; ejusdem demonſtratio, quod *ſtadium* Olympicorum ludorum Romano circo fuerit ſimillimum; *Chambortii* emendatio atque interpretatio primi verſus *ſcuti Herculis Heſiodei*, itemque loci cujusdam obſcuriſſimi in *Ciceronis Libri primi ad Atticum Epiſtola XVIII*; *Hardionii* emendationes aliquot *Euripidis*; *Sallierii* Analyſis Dialogi *Platonis* illius, qui *Phædrus* inſcribitur; ejusdem Sermo de libris aliquot Bibliothecæ Regiæ, quorum marginibus inſcriptæ ſunt a prioribus dominis annotationes doctiſſimæ: e quarum numero plures hic proferuntur in lucem publicam; Diſſertatio de fragmento quodam *Livii*, centum abhinc annis reperto in quodam Sueviæ monaſterio. Miſerat id Lutetiam clariſſimus Argentoratenſium Profeſſor, *Schœpflinus*, ac, genuinum eſſe, judicarat. At Academicorum horum quidam cauſas attulerat, cur habendum ſit pro ſuppoſitio; cumque has docte diluiſſet *Schœpflinus*, ei ille novas objectiones exhibuit. Nos quidem optamus, ut accuratius excutiatur hoc fragmentum a Criticis, ne forte aut *Livio*, quod ſuum eſt, eripiatur, aut partus ipſi ſubdatur alienus. Sequitur *Martialis Lib. X Epigrammatis 24* explicatio; *Nauzei* Commentatio de annis Chriſti, in qua ſtatuit, æram vulgarem carere ſex annis, adeoque hodie, quo numeramus annum 1741, fluere annum 1747; *Barrii* de eodem argumento Diſputatio; *Valeſii* Diſſertatio, in qua docet, olim virgines, monaſterio ſe dicantes, eo ipſo tempore, quo intrarint monaſterium, ſtatim (non aliquo tempore poſt, uti fit hodie,) indutas fuiſſe veſtem monaſticam; *Boubierii* Diſſertatio, qua probat, pleroſque Imperatores, ſimul regnantes, etiam ſimul fuiſſe Pontifices maximos; *Mauturii* Diſputatio, demonſtrantis, *Maxentiani* exercitus ducem ſupremum fuiſſe *Ruricium* Pompejanum, eosque errare, qui alium faciant *Ruricium*, alium Pompejanum; *Lanceloti* de nomine *Argentorati* diſquiſitio, quod non Latinum eſſe, ſed Celticum, ſive Germanicum, contendit; *Mandagorii* Emendatio loci cujusdam in *Gregorii Turonenſis*

Digitized by Google

Lib. II Cap. 20; Mabudelii interpretatio duodecim vetuſtarum Inſcriptionum, in urbe Lingonum repertarum; *Bozii* Obſervationes ad plura monumenta antiqua: quorum & effigies hic exhibentur; *Lanceloti* Deſcriptio figurarum, adhuc conſpicuarum in fronte templi cujusdam Gallici; *Mauturii* Repræſentatio præcipuorum monumentorum Abbatiæ Ciſtercienſis. Hic cum ſit ſepultus etiam *Alanus*, *doctoris univerſalis* titulo quondam ornatus, *pag. 229 ſeq.* ejus exhibetur epitaphium. Ultimum hic locum occupat *Lanceloti* Explicatio veteris cujusdam Calendarii. Sequuntur nunc Elogia duorum Academicorum, hoc triennio exſtinctorum, *Henrici Caroli du Cambout*, Ducis Coislinii, Epiſcopi Metenſis, A. 1664 nati, A. 1733 d. 28 Nov. rebus humanis erepti; & *Joannis Franciſci Pauli Fabri de Caumartin*, Epiſcopi Bleſenſis, qui inter vivos eſſe cœpit A. 1668, deſiit d. 30 Aug. A. 1733. Prior eſt ille *Coislinius*, cujus *Bibliothecam MSS.* tam erudite deſcripſit *Montefalconius*.

Recenſendæ nunc nobis veniunt, quæ ſubſequuntur, Diſſertationes majores; quas quidem ita deprehendimus elaboratas, ut caviſſe videantur Autores, ne, quod ad caput rei attinet, quidquam proferant, quod jam dictum ſit prius. Prima eſt *Bonamici* de veterum Philoſophorum de pluralitate mundi ſententiis. Sunt hujus Diſſertationis tria argumenta. Initio ſcilicet nominantur ii veterum Philoſophorum, qui plures ſtatuerunt mundos; deinde, qui innumerabiles crediderunt eſſe mundos; tum denique, qui, unum duntaxat ſtatuentes mundum, lunam tamen habitari ab hominibus, ſibi perſuaſerunt. Ipſe nullam harum ſententiarum defendit, munus hiſtorici obiiſſe contentus. Sequitur *pag. 20 Blanchardi* Diſſertatio de animantibus, olim in Ægypto ſuperſtitioſe cultis. Hic inprimis de bove *Api* diligenter agitur. *Pag. 37 ſeq.* de origine Cabbalæ diſſerit *Nauzeus*, eam pro doctrina habens vana & ſuperſtitioſa, nugarumque refertiſſima; ac, Seculo demum decimo Chriſtiano natam eam fuiſſe, pronuntians. Eodem Seculo compoſitum eſſe docet librum *Jezira*. Liber autem *Sohar* ipſi adhuc junior habetur. Illud plane novum

eſt,

eſt, quod docet, Judæos a Saracenis, ſive Arabibus, quorum ſtudia æmulabantur, accepiſſe Cabbalam. *Pag. 54 ſeq.* de Argonautis, & aurei velleris occupatione, diſſerens *Banierius*, veritatem hiſtoricam, tanquam margaritam, eruere conatur e fimo fabularum, illamque Argonauticæ expeditionis hiſtoriam perducere ad liquidum. *Pag. 97 ſeq.* ſecundi belli ſacri, in vetere Græcia geſti, hiſtoria exponitur a *Valeſio*. *Pag. 113 ſeq.* hiſtoriam Cariæ diligentiſſime illuſtrat *Sevinus*. De Sybaritis diſſerit *pag. 163 ſeq. Blanchardus*, eorumque hiſtoriam, multis hucus que tenebris involutam, certum redigit in ordinem. *Pag. 177 ſeq.* fabulis de *Dædalo* velum detrahit *Gedoynus*, perſpicueque res, ab eo geſtas, deſcribit. Idem *pag. 189 ſeq.* pari diligentia perſequitur hiſtoriam *Phidiæ*. *Hardionius*, de artis rhetoricæ in Græcia ortu progreſſuque *pag. 200 ſeq.* diſſerens, docet, diu ante *Homerum* in Græcia floruiſſe & Rhetoricæ, & Grammaticæ, & Poeſeos, ſtudium. *Pag. 228 - 304* longa fluit diſputatio *Vatryi* & *Barrii* de Poemate epico, ejusque natura & conſtitutione. *Pag. 305 ſeq.* de origine & natura epithalamii diſſerit *Souchaius*, qui & *Pſalmum Davidis quadrageſimum quintum* inter epithalamia refert, itemque *Canticum Canticorum*, eos, qui aliter cenſent, negans, eſſe Criticos. Ac in exitu hujus Diſſertationis docet, *Pſalmum* illum omnes & ſingulas partes dotesque habere epithalamii. Subſequitur *pag. 320 ſeq. Nauzei* Obſervatio de Canticis veteris Græciæ, de convivalibus, de paſtoralibus, de meſſoriis, de amatoriis, & nuptialibus, de funebribus, & aliis canционum generibus. *Pag. 360 ſeq.* tertiam (priores enim duas ſuperior *Tomus* continet,) exhibet *Gedoynus* Diſſertationem de curſibus equorum & curruum in ludis Olympicis. *Pag. 376 ſeq.* de locis, ad ludos publicos in Græcia deſtinatis, diſputat *Barrius*, deque habitis ibi curriculis. *Pag. 397 ſeq.* accurate compoſitam a *Bonamico* deprehendimus Bibliothecæ Alexandrinæ hiſtoriam. Idem *pag. 416 ſeq.* illum urbis Alexandriæ ſtatum ponit ob oculos, qui fuit *Strabonis* tempore; & *pag. 432 ſeq.* bellum, a *Julio Cæſare* poſt *Pompeji* necem in urbe Alexandria geſtum, deſcribit topographice.

POMPONII MELÆ DE SITU ORBIS LIbri III, ad veterum exemplarium fidem caſtigati.

Lugduni Batavorum, ex officina Luchtmanniana, 1743, 12.
Plag. 10.

Inter plurimas hujus laude digniſſimi Scriptoris lucubrationum editiones, ſi quæ communi, atque inprimis ſcholarum, uſui, cui perquam commendabiles ſunt tres illi libri, accommodatæ eſſe videntur; hæc nobis videtur *Abrahami Gronovii*. Exigua libri moles, accuratio contextus, annotationes reciſæ, copioſiſſimus Index, iſtud nobis judicium exprimunt. Præfationis locum, de qua vel ſola ſupereſt agendum, occupat Epiſtola, *Joanni Wardo*, in Collegio Greshamienſi eloquentiæ Profeſſori, dedicata. Ibi quidem duo tractat breviter Celeberrimus Editor. Alterum hic minime ſperaveramus. Recordatus adoleſcentiæ apud Britannos literarum ergo transactæ *Gronovius*, in memoriam ſimul revocat, quod, ſumma *Jo. Hudſoni* humanitate admiſſus ad fontes omnigenæ eruditionis limpidiſſimos & fragrantiſſimos, Græcii, Latii, Syriæ, latices magna copia propinantes, ſitim maxime levarit verſando Codice MSto verſionis Syræ quatuor vitæ Chriſti, & geſtorum diviniſſimo ſpiritu impellente, conſignatarum deſcriptionum, omnibus παραφράσεως notis viduæ, & contextum Græcum curioſiſſime exprimentis. Hoc poſtquam ex aliquot locis *Matthæi* didicerat; impetus eum deduxit protinus ad iſtam pericopam, a qua D. *Joannes* auſpicatur, quamquè, coram *Simpliciano*, Mediolanenſium olim in rebus ſacris antiſtite, aureis literis conſcribendam, & in locis ubique Chriſtianorum eminentiſſimis proponendam, eſſe ajebat Platonicus quidam. Illam igitur poſtquam ad exemplar verſionis Syræ typis exaratum compararat, reliquam *primi Capitis* partem excuſſit, &, citra ullas verborum ambages, mutilationes, & transpoſitiones, fidem atque autoritatem contextus Græci caſte repræſentari, dum lætus invenit, hujus rei veluti ſpecimina ex multis Græce, Syriace, Latine, in medium hic profert *v. 18, 27, 41, 46,*

27, 41, 46, quæ ſimul effata cum verſione Syriaca vulgari comparat, manuque ſcriptæ, qua tunc uſus eſt, prærogativam oſtendit. Ideo autem hic illa proferuntur, quod, cum ante meridiem eadem didiciſſet, poſt meridiem in cognitionem atque amicitiam venit, cui jure Dedicationem inſcripſit, *Jo. Wardi.* Is nimirum commercium literariam cum Noſtro, etiam apud Belgas iterum verſante, amicitiam continuandi gratia, inſtituens, inter alia munuſcula, editionem aliquando miſit *Pomponii*, Londini A. 1719, ut titulus habet, publicatam, deque eadem ſequentia in Epiſtola ſubjuncta notavit, quæ & hic legi ac repeti merentur: *Editio hæc primum lucem adſpexit anno 1171, Iſca, haud Londini, impreſſa; neque Londini venalis exponitur, quicquid in contrarium mentiatur inſcriptio. Cum Editor autem, nec quis ipſe ſit, nec operis ſui inſtitutum, aperiat; de utroque, ut ex amici epiſtola intellexi, pauca accipies. Nomen editoris eſt* Joannes Reynoldus, *vir non indoctus, ſcholæque publicæ apud Iſcanos moderator.* Melam *autem in diſcipulorum præcipue uſum edidit; quorum cauſa etiam chartis geographicis adornavit; in quibus conficiendis adjutorem habuit* Guilielmum Muſgrave, *medendi arte, dum viveret, inter ſuos celeberrimum, & apud poſteros eruditis ſcriptis ſuis haud obſcuri nominis. In contextu ſine MSS. autoritate nihil ſe mutaſſe, Autor affirmat Quod ad Codices autem attinet, quorum ope adjutus fuit, dicit, ſe impreſſum exemplar nactum fuiſſe, in cujus margine clariſſimus* Bernardus, *apud Oxonienſes olim Aſtronomiæ Profeſſor, multorum MSS. variantes lectiones, dum peregre eſſet, adſcripſerat. MS. autem ex Collegio noſtro Greshamienſi; alterum ex Archiepiſcopi Cantuarienſis Bibliotheca, quem Voſſius præ omnibus, quos viderat, aliis commendat; tertium ex novo Collegio Oxonii; quartum denique apud Hibernos ſe contuliſſe ait. His acceſſerunt tria exemplaria typis edita, unum ex prima omnium editione, ac duo altera ex noſtro Collegio, ante annum MD. publicata. Hoc apparatu inſtructus, opus ſuſcepit; nec contextum ſolummodo ad MSS. fidem emendare, ſed etiam tria alia ad calcem libri adjicere, propoſuit, quorum nullum*

adhuc ibi comparet. Unum fuit Synopſis Pomponiana, *Index ſcilicet omnium locorum apud* Melam, *cum novis eorum appellationibus, quantum licuerit, ex adverſo collocatis. Alterum*, Diſſertatio de Ariane. *Tertium*, Notæ & variantes lectiones. *Nec a propoſito deſtitit. Singula enim hæc apud ſe confecta habet, brevi, ut promittit, publici juris facturus.* Iſtam igitur editionem poſtquam cum ſuis in *Melam* collectaneis contulerat *Gronovius;* plurima, e MSS. a Cl. *Reynoldo* emendata, MSS. aliorum, quibus uſus fuit, autoritate confirmari lubens animadvertit. Ita vero cum inſtruxerit hanc ipſam editionem indefeſſi laboris Vir, ſimul promittit, cui deinceps inſudavit, *Æliani* de animalium natura novam atque elegantem editionem. Quam utramque ipſi occupationem, boni publici cauſa, gratulamur.

PERSPIRATIO DICTA HIPPOCRATI per univerſum corpus, anatomice illuſtrata, Autore ABRAHAMO KAAU, Med. Doct. Cui accedit ejusdem Declamatio Academica de gaudiis Alchemiſtarum.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmanns, 1738, 8.
Alph. 1 plag. $7\frac{1}{2}$.

Cl. Autor, juvenis adhuc Medicus, ſed quem magno ſuo avunculo *Barhaavenio* dignum eſſe, vel ex hoc libro intelligas, ſedulo cadavera ſecuit, ut magis magisque in detegenda corporis fabrica progrederetur. Quemadmodum igitur hac via varia detexit, quæ olim non adeo erant cognita; ita præcipue crebris experimentis comperit, in omni parte corporis, imo & in quolibet fere puncto, perpetuam fieri perſpirationem, quam hac Commentatione clarius exponit. Cujus rei cauſa ubique fabricam partis etiam minimæ, cujus perſpirationem enucleare inſtituit, accurate diligenterque ex præſtantiſſimorum Anatomicorum libris, atque ſuis etiam obſervationibus, enarrat, experimenta anatomica, eo fine inſtituta, inprimis injectiones, candide expromit, ceterum aliis quoque argumentis

Digitized by Google

gumentis ſententiam ſuam tuetur, eaque occaſione principum artis anatomicæ opiniones vel confirmat, vel modeſte notat, ubique autem ad *Hippocratis* conſenſum provocat, ejusque placitis paſſim allegatis, hæc omnia ſedulo & incomparabili naturæ ſcrutatori atque obſervatori haud conſtitiſſe tantum, ſed & ab eodem ubique fere explicari, oſtendit. Notum eſt enim, *Hippocratem* ὡς ἔκπνοον καὶ ἔισπνοον ὅλον τό σῶμα deſcripſiſſe, adeoque intimarum atque partium, ac extimarum, perſpirationem non ignoraſſe. Ceterum hinc inde & alia admiſcet, quæ hic reperiſſe neminem forte pœnitebit. Atque utinam ejus hic obſervationes & experimenta anatomica repetere nobis liceret! Sed brevitas atque inſtituti ratio conſtringunt nos, ut ipſam tantum, quæ exinde demonſtratur, perſpirationem breviter perſequamur. Juſta methodo pro- Cap. 1.
ceſſurus, primo perſpirationem partium extimarum, quæ ab aere externo attinguntur, deinde intimarum, quæ abſconduntur cavitatibus, perſequitur, & primo de exhalatione, deinceps de inhalatione, agit, partium etiam ordine nunquam neglecto. Ut igitur totum corpus exhalat; ita epidermis quo- 2.
que atque epithelium, & illa quidem humorem inviſibilem, hæc vero notabilem. Quamvis vero epidermis & reticulum 3. 4.
nervis careant, nec feliciſſima injectione in iis detegantur vaſa ſanguifera; ob nutritionem tamen ſuam atque incrementa non videtur deſtitui ejusmodi vaſculis, quæ tamen non evehunt ſerum, ſed ex iis emergentia minora vaſcula, quorum ſubtilitas 5.
a *Leuwenhœckio* definitur. Ob craſſitiem humoris mucoſi, qui inter ſeparandum inter cutem & cuticulam reperitur, Noſtro videtur emitti ſimul ſmegma cryptarum tenuius, dum, quod craſſius eſt, in ruptis emiſſariis manet. Eodem modo & epi- 6.
thelium perſpirat, per arterias ſcilicet maxime ſubtiles. Neque minus per reſpirationis organa fit perſpiratio. Humor illorum vel ex cryptis, vel ex arteriis ultimis, manat, & aerem ſiccum inſpiratum humectat. Poſtquam multa eum in finem 7.
de pulmonis ſtructura, & experimentorum quorundam cautelis, commemoravit; redit Cl. Autor ad perſpirationem reli- 8.
quarum partium. Per membranam, quæ primas vias ſuccin- 9.
git,

Digitized by Google

adhuc ibi comparet. Unum fuit Synopſis Pomponiana, *Index ſcilicet omnium locorum apud* Melam, *cum novis eorum appellationibus, quantum licuerit, ex adverſo collocatis. Alterum*, Diſſertatio de Ariane. *Tertium*, Notæ & variantes lectiones. *Nec a propoſito deſtitit. Singula enim hæc apud ſe confecta habet, brevi, ut promittit, publici juris facturus.* Iſtam igitur editionem poſtquam cum ſuis in *Melam* collectaneis contulerat *Gronovius;* plurima, e MSS. a Cl. *Reynoldo* emendata, MSS. aliorum, quibus uſus fuit, autoritate confirmari lubens animadvertit. Ita vero cum inſtruxerit hanc ipſam editionem indefeſſi laboris Vir, ſimul promittit, cui deinceps inſudavit, *Æliani* de animalium natura novam atque elegantem editionem. Quam utramque ipſi occupationem, boni publici cauſa, gratulamur.

PERSPIRATIO DICTA HIPPOCRATI per univerſum corpus, anatomice illuſtrata, Autore ABRAHAMO KAAU, Med. Doct. Cui accedit ejusdem Declamatio Academica de gaudiis Alchemiſtarum.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmanns, 1738, 8.
Alph. 1 plag. 7½.

Cl. Autor, juvenis adhuc Medicus, ſed quem magno ſuo avunculo *Barhaavenio* dignum eſſe, vel ex hoc libro intelligas, ſedulo cadavera ſecuit, ut magis magisque in detegenda corporis fabrica progrederetur. Quemadmodum igitur hac via varia detexit, quæ olim non adeo erant cognita; ita præcipue crebris experimentis comperit, in omni parte corporis, imo & in quolibet fere puncto, perpetuam fieri perſpirationem, quam hac Commentatione clarius exponit. Cujus rei cauſa ubique fabricam partis etiam minimæ, cujus perſpirationem enucleare inſtituit, accurate diligenterque ex præſtantiſſimorum Anatomicorum libris, atque ſuis etiam obſervationibus, enarrat, experimenta anatomica, eo fine inſtituta, inprimis injectiones, candide expromit, ceterum aliis quoque argumentis

gumentis ſententiam ſuam tuetur, eaque occaſione principum artis anatomicæ opiniones vel confirmat, vel modeſte notat, ubique autem ad *Hippocratis* conſenſum provocat, ejusque placitis paſſim allegatis, hæc omnia ſedulo & incomparabili naturæ ſcrutatori atque obſervatori haud conſtitiſſe tantum, ſed & ab eodem ubique fere explicari, oſtendit. Notum eſt enim, *Hippocratem* ὡς ἔκπνοον καὶ ἔισπνοον ὅλον τό σῶμα deſcripſiſſe, adeoque intimarum æque partium, ac extimarum, perſpirationem non ignoraſſe. Ceterum hinc inde & alia admiſcet, quæ hic reperiſſe neminem forte pœnitebit. Atque utinam ejus hic obſervationes & experimenta anatomica repetere nobis liceret! Sed brevitas atque inſtituti ratio conſtringunt nos, ut ipſam tantum, quæ exinde demonſtratur, perſpirationem breviter perſequamur. Juſta methodo pro- Cap. 1.
ceſſurus, primo perſpirationem partium extimarum, quæ ab aere externo attinguntur, deinde intimarum, quæ abſconduntur cavitatibus, perſequitur, & primo de exhalatione, deinceps de inhalatione, agit, partium etiam ordine nunquam ne-
glecto. Ut igitur totum corpus exhalat; ita epidermis quo- 2.
que atque epithelium, & illa quidem humorem inviſibilem,
hæc vero notabilem. Quamvis vero epidermis & reticulum 3. 4.
nervis careant, nec feliciſſima injectione in iis detegantur vaſa ſanguifera; ob nutritionem tamen ſuam atque incrementa non videtur deſtitui ejusmodi vaſculis, quæ tamen non evehunt ſe-
rum, ſed ex iis emergentia minora vaſcula, quorum ſubtilitas 5.
a *Leuwenhœckio* definitur. Ob craſſitiem humoris mucoſi, qui inter ſeparandum inter cutem & cuticulam reperitur, Noſtro videtur emitti ſimul ſmegma cryptarum tenuius, dum, quod
craſſius eſt, in ruptis emiſſariis manet. Eodem modo & epi- 6.
thelium perſpirat, per arterias ſcilicet maxime ſubtiles. Neque minus per reſpirationis organa fit perſpiratio. Humor illorum vel ex cryptis, vel ex arteriis ultimis, manat, & aerem
ſiccum inſpiratum humectat. Poſtquam multa eum in finem 7.
de pulmonis ſtructura, & experimentorum quorundam caute- 8.
lis, commemoravit; redit Cl. Autor ad perſpirationem reli-
quarum partium. Per membranam, quæ primas vias ſuccin- 9.
git,

git, eadem ratione, ac ſuperius dictum eſt, humor tranſpirat. Humor, quo œſophagus madet, ab arteria œſophagæa præparatur, tenuis per vaſcula ultima, lubricos per folliculos. Idem fit in ventriculo atque inteſtinis, qui multo humore, ex
Cap. 10. innumeris arteriolis in eorum cavum eructato, irrorantur. Uterus quoque & pudendum totum ſudat in fœminis blandum humidum. Veſica urinaria interne humore blando mucoſo oblinitur, ad acredinem urinæ mitigandam. Præterea aliud eſt exſudationis genus, quod æque obtinet eo in loco, quo cuticula pergit ſupra papillas, ac ubi cutim inveſtit, quod ſcilicet fit ope folliculorum, qui ubique in cute hærent, excepta interiori parte manuum pedumque, & digitis. Et cryptæ quidem *Bœrhaaviana* conſtant membrana & emiſſario, quam membranam innumerabiles arteriolæ perforant, & humorem effundunt, qui initio blandus eſt, ſtagnando autem & reſorptu craſſior evadit. Cryptæ ejusmodi baſi inhærent cuti, ex qua emergit emiſſarium, quod in epidermide patet. Materies, quamdiu in folliculis continetur, nullum præſtat uſum; expreſſa inungit cutem, maximeque eſt in partibus, aeri, vel motui, expoſitis. Exſiccata ſub furfurum ſpecie decidit. Frigore a defectu ejus materiæ, labiorum fiſſuræ, perniones oriuntur. Eadem materia ſtigmata efficit. In cryptis ſedes eſt omnis generis tumorum cutaneorum. Facile laxata cute delentur. Quando inter digitos comprimuntur, materies vermis ſpecie exit, ſervans tenacitate ſua figuram emiſſarii. Pars ejus prima nigra, vel flava, quod aeri fuit expoſita, caput, reliqua corpus & caudam vermis, refert. Hinc plurimi vermes
12 cutaneos putaverunt. Cryptæ hæ inveniuntur ſub epithelio, & ſub epidermide, ubi partes aerem attingunt, & eadem ratione exhalant. In areolis mammarum utriusque ſexus humorem exprimunt. In limbo palpebrarum glandulæ *Meibomianæ* ſudant ſmegma. Ceruminoſæ glandulæ oleum deponunt blandum, quod ſtagnando incraſſatur, flaveſcit, & cerumen fit. In naſo cryptæ in tunica *Schneideriana* mucum ſecernunt. In oris totius interna ſuperficie, excepta anteriori parte, fundunt humorem lubricum, in deglutitione utilem. Tonſillæ pariter

Digitized by Google

pariter a bolo deglutiendo preſſæ eructant mucum. Aritenoideæ glandulæ, ad laryngem poſitæ, hærent in trachea, ſub membrana intima, ibique humorem ſuum deponunt, a qua madet ſemper interior trachea. In tunica œſophagi glandu- Cap. 13.
loſa cryptæ inveniuntur, quæ lubricum eructant humorem, ad illinendam gulam. In ventriculo exſtant folliculi *Brunneri*, vel *Peyeri*, qui evomunt tenacem mucum, quo obducitur ventriculus internus, ne detrimentum capiat, vel tenacia ipſi adhæreſcant. Similes folliculi in inteſtinis, ex textura vaſorum orti, mucum deponunt. In glande penis ejusmodi cryptæ vel nullæ, vel rariores, non eodem in omnibus numero obſervantur, quas *Ruyſchius* pro papillulis potius habet, in quibus voluptatis dolorisque ſenſus excitetur. In urethra virili interna foraminula in recta linea diſpoſita conſpiciuntur, ex quibus emitti ſolet humor, ad obtundendam urinæ & ſeminis acrimoniam. In muliebribus, alis nymphis, circa meatum urinarium, ſub glande clitoridis, ſub foſſa muliebri mucus item ſecernitur, neque minus in veſica urinaria, quo præcipue urina
acris temperatur. Exſudationi ab interioribus extrorſum an- 14.
numeratur ſaliva, ſex locis e glandulis ſuis per ductus in os excreta, humor pancreaticus in pancreate, & bilis in hepate, ſegregati, qui ſucci, officio ſuo functi, novo circuitu emendan-
tur. Præter exhalationem corpori communem ſingularis eſt 15.
in epidermide per ductus adipoſos, ſeu pinguiferos, qui exhalant omni in parte, qua cutis eſt, pingue quoddam, quod ex ipſo oleo membranæ adipoſæ ortum ducere videtur, & nunquam in homine ſebi inſtar indureſcit, ſed molle & fluidum eſt, nec ſtagnat, ſed reſorbetur, & ſanguini miſcetur.
Exſudat perſpiratque corpus per pilos etiam, quos non putat 16.
Autor extremitates nervorum eſſe cum *Malpighio* & *Ruyſchio*, ſed ſingularia eſſe corpora, orta ex folliculis cutaneis, vel ex mem-
brana celluloſa. Neque minus fit per ungues perſpiratio, quos 17.
iidem non cum *Malpighio* & *Ruyſchio* pro induratis papillis
habet, ſed cum *Albino* potius pro epidermide indurata. Quem- 18.
admodum igitur ex his, tum quod totum corpus exhalet, tum modus & differentia vaſorum atque humorum, patent; ita plura

 jam

jam earum rerum veſtigia in ſcriptis *Hippocratis* exſtant.
Cap. 19. Hactenus de exhalatione. Inhalat vero etiam totum corpus per venas, non ſecus ac homo per nares & os inſpirat. Inſpirationem hanc comprobant balnea, pediluvia, affrictio medicamenti purgantis, epithemata, terebinthina, manibus tractata, affrictio mercurii, cantharidum, penetratio ad partes internas, externa applicatio ſudoriferorum, diureticorum, vomitoriorum, ſupernatatio animalium mortuorum in aqua.
20. Epithelium quoque inſpirare evincit Auto continua humidi, hic ſecreti, evaneſcentia, & refectio momentanea ex pane vinoſo in chylum manducato, quoniam ita patentes venulæ vinum imbibunt, & ad venas majores, hinc ad jugulares, quæ cum ſubclaviis venam deſcendentem efficiunt, transmittere ſolent. Inde reficiens ſtatim vis in corde ſentitur. Nares
21. quoque per venulas inſpirant. Venulæ in trachea, bronchiis, & veſiculis *Malpighianis*, humidum reſorbent, videturque aer etiam omni momento in bronchiis novus ſimul a venis recipi, & una ex cauſis eſſe, quæ ſanguinis venoſam indolem in arte-
22. rioſam mutant. Eadem inſpiratio fit per venas œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum, ubi lacteæ etiam venæ imbibere ali-
23. quid ſolent. Veſica urinaria parteſque genitales itidem per venas inhalantes inſpirare obſervantur. Fortaſſis autem inſpiratio iſta non per ſolas fit venas; ſed cryptas etiam, pinguiferos
24. ductus, et nervos, eaque nunc ſalutaris eſt, nunc mala & noxia, prout corpus vel reficit, vel in deterius mutat. Inſpiratio ipſa pariter atque ea, quæ exterius applicata illam promovent, *Hippocrates* jam cognovit, ut ex variis ejus locis,
25. hic explicatis, facile comprobatur. Verum, ut corpus extime, ita intime quoque, in cavitatibus nimirum internis, exhalat, inhalatque, ut jam *Hippocrates* egregie notavit, in cujus ſcriptis quid per *σάρκας* intelligatur, Noſter copioſe diſquirit.
26. Ut vero partes antiquitus in continentes & contentas dividuntur; ita de utriſque ea perſpiratio recte dicitur. Partes enim continentes in capite, thorace, & abdomine, non ſecus ac partes contentæ in tribus his regionibus, id quod de cerebro
27. inprimis mediaſtino, pericardio, pulmonum externa ſuperficie

copio-

Digitized by Google

copioſiſſime demonſtatur, exhalant, fitque id in conti- Cap. 28.
nentibus æque ac contentis abdominis partibus per vaſcula ultima arterioſa in membranis extimis, quas omnes peritonæi eſſe proceſſus, fuſe comprobatur, poſita & patula. Eodem 29.
modo venulæ in tribus his ventribus, eorumque partibus, humidum reſorbent, ut *Hippocrates* jam notavit. Sigillatim 30.
minutiſſimi rami arteriarum feruntur ad omne pericardii punctum, humoremque pericardii emittunt partim, altera ejus
liquoris parte ex cordis vaſculis exeunte, arteriis ſcilicet 31.
omnium minimis, in ſuperficie cordis & vaſorum majorum coronariorum, hiante oſculo apertis, ex quibus humidum deſtillat, quod neceſſario brevi colligitur, in vivis vero parum ejus, vel nihil, adeſt. Quanta enim ex arteriis emittitur humoris copia, tanta reſorbetur a venulis, quæ tum in cordis ſuperficie, tum in pericardio, patent. Alias enim morbus emergit. Niſi vero ros exhalat, cor atque pericardium concreſcunt. Tunica quoque vaginalis in teſte exſpirat, in ocu- 32.
li vero cameram anteriorem humor aqueus exhalat & reſorbetur. Adeſt ſemper in omnibus his partibus, epithelio tectis, humor quidam, ubique autem diverſus. Atque inde etiam rationem reddere licet, cur poſt mortem humor in cavitatibus, & ſudor in moribundis, colligatur. Omnes arteriæ videntur ſimul & exhalare & reſorbere. Vaſcula etiam inter 33.
cutem & cuticulam exhalant, idemque humor reſorbetur. In panniculo adipoſo arteriæ oleum deponunt in cellulas, quod ſecretum conſiſtit, ſed venulæ illud tenuiſſimum recipiunt, inde incraſſatur, & ſanguinem temperat. Olei hujus motus quidam eſt per celluloſam membranam, idque præterea a tranſudatione, tanquam altera cauſa etiam incraſſatur. Cellularum tenuitas requirit fortiorem membranam coercentem, quæ
forte oleum propellit. Muſculi & tendines exſpirant mucum, 34.
qui motum expedit, & cum humore in ligamentis oſſium inveniendo convenit, excretus autem pariter reſorbetur. Hu-
mor in articulis ex triplici fonte oritur, vel ex glandulis *Haverſianis*, quas tamen *Ruyſchius* vaſcula exiliſſima eſſe affirmat, 35.
iisque tenuis manat, vel ex veſicis membranarum cavarum,

 qui

Digitized by Google

qui craſſior prodit, vel ex ipſo oſſe, quandoquidem in cavum articuli transſudare videtur humor oſſium medulloſus. Idem vero humor attenuatus in articulis reſorbetur. Forte etiam li-
Cap. 36. gamenta, quæ oſſa retinent, ſudant humorem quendam. Ex duris cartilago plus humidi habet, quam os. In fibris oſſium puncta reperiuntur, non concreſcentia cava, atque inter illa oleum, quod oſſa etiam exſudant, cum in cava, tum in pro-
37. priam ſubſtantiam. Ceterum Doctiſſ. Autoris conjectura eſt, ſubtiliſſima illa celluloſa involucra, quibus forſan inviſibilis & omnium minima ultima fibra involvitur, tenuiſſimo liquore repleri, idque ultimum liquidum forte πνεῦμα eſſe *Hippocratis*, eundemque ultimum ſpiritum forſan etiam inſinuari inter fibras, cavum conſtituentes, earumque elementa ex ipſo cavo,
38. pariterque per venulas, reſorberi. Ut adultus ita fœtus quoque a primo conceptu, quando ovum fœcundatur, uſque ad partum perſpirat. Ovum ſcilicet fœcundatum in humido & calido clauſi uteri innatans, & per dilatatos membranarum porulos, tenuiſſimas ex humore particulas inſpirans, augetur. Inſpirat autem per cuticulam, & ea quidem parte maxime, qua ante conceptum ovario adhæſerat. Major fit perſpiratio, facta per placentam uterinam cum utero cohæſione. Humor in cavo amnii non videtur ſtagnare, ſed a matre reſorbetur. Simul atque natus eſt homo, in aerem ſpirat, &, quo magis increſcit, eo minus perſpirat. Senes quoque non admodum
39. exhalant. Illa igitur perſpiratio toto in corpore & omni fere in puncto, eadem in genere per univerſum corpus communicat & confluit. Id quod a conceptu ad natum hominem, ab edito eo ad mortem uſque, ortus incrementa & decrementum comprobant, morbique & ipſa perſpiratio declarant. Ut igitur *Hippocrates* conſpirantia una, confluentia una, recte pronuntiaverit. Ad extremum exiſtentia & poſſibilitas vaſorum, in partibus exterioribus reſorbentium, experimentis hydraulicis confirmatur. Quamvis vero Doctiſſ. Autor magna cura & diligentia ea, quæ noviſſime ſummi Anatomici detexerunt, ubique enarrare data occaſione ſoleat; nonnulla tamen, ut fere cum rebus ſubtiliſſimis fit, ejus ſe

oculis

oculis ſubduxerunt. Et miramur nos, quando *Cap. XII* foraminis coeci in lingua mentionem injicit, & *Cap. XIV* ductus ſalivales commemorat, ipſi prætervifa eſſe, quæ ex noſtratibus de foramine iſto *Vaterus*, *Coſchwizius*, & *Hallerus*, de novisque glandularum ſublingualium ductibus *Waltherus*, literarum monumentis prodiderunt. Quæ in calce opuſculi exſtat Oratio, magnos quidem & laborioſos Alchemiſtarum conatus, irritos tamen, & vanam ipſorum ſpem, eſſe declarat.

AD PUBLICAM CHIRURGICARUM operationum in cadaveribus oſtenſionem Oratio, Autore PETRO PAULO MOLINELLIO, *Philoſopho & Medico Bononienſi.*

Bononiæ, apud Lælium a Vulpe, 1742, 4 maj.
Plag. 5.

Dolent jam diu omnes boni, in permultis regionibus, in quibus pleræque artes in magno honore ſunt, tamen chirurgicam negligi, æque, ac medica, reipublicæ utilem, præcipueque ad eam rite diſcendam opportunitates deeſſe. Quam enim pauci ex Principibus ſunt, qui, etſi aliarum artium amantiſſimi, erga Chirurgicam eo animo ſunt, quo a ducentis, & ultra, annis, Reges Galliarum fuerunt? Adeo in Italia, illa olim bonarum artium ſede, præter Sardiniæ Regem, vix ullus Princeps exſtitit, qui Chirurgiæ addiſcendæ opportuna adjumenta conſtitueret. Eique rei cum hæc *Molinellii* Oratio, tum ad *Benedictum XIV*, Pontif. Max. præmiſſa Epiſtola, argumento eſt. Nam hic primus, ubi *Molinellius* rem propoſuerat, pro ſummo erga bonas literas, utilesque Reipublicæ artes, amore, conſtituit, ut Bononiæ aliquis eſſet, qui Chirurgis rationem, artis ſecure exercendæ, publice in cadaveribus oſtenderet. Fuit autem hæc provincia ipſi *Molinellio*, tanquam primo hujus inſtituti autori, demandata, quam cum ſuſciperet, Orationem habuit, de qua nunc breviter exponendum eſt. Ducit autem ejus principium a laude patriæ, quam præcipue eo nomine fortunatam prædicat, quod eum

Digitized by Google

Principem in *Benedicto XIV* nacta ſit, qui beneficiis prævenire patriæ voces & vota malit, quam exſpectare. Quod præter alia & hoc demonſtraverit, quod locum, cum ampliſſima ſupellectile ferramentorum, daret, in quo Profeſſor, ad hunc finem conſtitutus, & lauto ſtipendio donatus, operationes chirurgicas publice oſtenderet. Utque hujus novi inſtituti præſtantia & neceſſitas appareret, *Molinellius* ad Gallo-Francos potiſſimum & Anglos provocat, apud quos jam pridem hoc inſtitutum ita valuerit, ut, qui jam Chirurgorum ſocietati adſcribi velint, cunctas operationes, coram aliquot ex Chirurgis, in mortuorum corporibus, perficere teneantur. Debere vero ad rationem præcipue inſtituti hujus reſpici. Nam, cum artificem uſus faciat, chirurgicæque operationes, imperite factæ, & ſanitati & vitæ ipſi periculum inferant, quæ eſt, quæſumus, ars, præter Chirurgicam, quæ tantum neceſſe habet, ut prius in viliori, ſed apta, materia, quam in vivo humano corpore, exerceatur? Corpore autem humano mortuo, quæ poteſt aptior materia inveniri? In hoc inſtitutis chirurgicis exercitationibus debetur ſane ea artis perfectio, quæ in operationibus, partim plane novis, partim emendatis, conſiſtit. Nam hæ, etſi pulchre excogitatæ, ſi ad actionem deferuntur, quam ſæpe exſpectationem fallunt, ægrumque in vitæ periculum adducunt? Tentatæ in cadaveribus mutari perficique certo poſſunt. Neque vero alia eſt hujus rei ratio, ſi tradenda Chirurgice tironibus eſt. Quam ſi quis, maxime quantum ad operationes attinet, quam accuratiſſime enarraret, utrum ſpecies actionum tam vivida in tironibus excitabitur, quam ſi actiones ipſæ oculis ſubjiciantur? Utque ii, qui bellicam diſciplinam in umbra didicerunt, veris pugnis gerendis apti fiunt, ſic, qui chirurgica opera volunt in vivis adminiſtrare, debent ſe prius in mortuis exercere. Neque ad hanc ipſam rem tantam vim habet, vel centum vivorum curationibus adfuiſſe, quam ipſam decies in mortuis tentaſſe, præcipue cum & ferramentorum, & his utendi rationum, permagna diverſitas ſit. His aliisque ad oſtendendam rei utilitatem expoſitis, *Molinellius*

lius dicit, ſe in inſtituendis operationibus ita verſaturum eſſe, ut, præter ferramenta, etiam partes oſtendat, circa quas opus chirurgicum verſatur, &, qui velit operationes in cadaveribus repetere, adjuvet, quod certe in his rebus ſummam utilitatem habeat. Hinc in eo laborat, ut cum argumentis, tum exemplis quoque, oſtendat, cum ad Chirurgiam anatomicæ facultatis peritia neceſſaria ſit, tamen, qui eam habeat, Chirurgum perfectum non eſſe. Qua occaſione & *Valſalvæ* chirurgica ſcientia laudatur, & *Morandi* ſingulare ſtudium diſcendi à *Cheſeldenio* calculoſos curandi rationem, commemoratur, eorumque meritis ornatur. Hinc *Molinellius* iis reſpondet, qui, ut non omnem oſtenſionum operationum in cadaveribus utilitatem denegent, tamen plane modicam deferant, eo, quod, cum morbi, qui vulgo iidem putantur, tamen plerique natura diſſimiles, diverſam curationem requirant, communem aliquam normam præſcribi non poſſe ſibi perſuadeant. Ac vere, ſi tale valeret judicium, etiam de medica arte actum eſſet, cujus inſtrumenta pariter ac chirurgica varie pro morbi varietate applicari debent. Neque eſt ullum ex ceteris Chirurgiæ addiſcendæ adjumentis, a quo exſpectari poſſit, ut, quæcunque in vivis mala occurrunt, in eo demonſtrari queant. Neque hoc intactum relinquit *Molinellius*, quod objiciebant, novum hoc inſtitutum eſſe. Quæ juſta vituperatio eſſet, ſi id mollitudinem crearet, luxum foveret, pecuniam exhauriret, Italica gravitate ſapientiaque indignum eſſet; jam, cum potius ad ſervandos cives excogitatum ſit, injuſtiſſima eſt. Neque eſt hoc vere novum Italiæ, quoniam ipſa quaſi *ſtipes* & *radix* eſt, a qua & hic literarum fructus, qui jam ab exteris repetitur, primitus provenit. Quodſi vero etiam novum eſſet, tamen, modo utilitatem habeat, decet utique cives, id, contemtis vulgi judiciis, vel a barbaris repetitum, in patriam transferre, quod *Molinellius Marſilii* exemplo comprobat. Tandem rerum chirurgicarum ſtudioſos cohortatur, ut hanc occaſionem ſedulo arripiant, tanquam præcipuum aliquod ſubſidium ad facultatem chirurgicam expeditius percipiendam, ſecuriusque exercendam. His omni-

omnibus hoc unum addamus, *Molinellium* inter vindices priſtinæ gloriæ non poſtremum locum mereri, quam ſcilicet Medici ſibi bonarum literarum ſcientia, & Latine dicendi ſcribendique facultate olim compararunt.

Natur-Lehre zweyter Theil, ꝛc.
id eſt,

JOANNIS GOTTLOBI KRÜGERI PHYſices Pars ſecunda, quæ Phyſiologiam, ſeu doctrinam de vita & commoda hominum valetudine, complectitur, cum Indice copioſo.

Halæ, impenſis Caroli Hermanni Hemmerde, 1743, 8.
Alph. 1 plag. 13½.

Sectionem hujus *Partis priorem* jam attigimus in *Supplem. ad Nova* hæc *Acta Tom. V Sect. VII p. 316.* Reſtat, ut jam de *Sectione poſteriori* etiam nonnihil exponamus, qua *Capita 9 - 24* exhibentur. *Nono* Cel. Autori viſum eſt e re communi, doctrinam, quæ reſpirationem ediſſerit, perſequi. *Decimo* pertractat ſeparationem eorum, quæ in corpore humano ſunt fluida. De ſplene *Caput undecimum* inſcriptum eſt. De omento traditur *Capite 12. Decimo tertio* de hepate exponitur. Renibus perveſtigandis *Caput 14* eſt dicatum. *Capite 15* exponitur de veſica. *Capite 16* de ſenſione generatim agitur. Viſum oculosque Autor perluſtrat *Capite 17*. Auditum *Capite 18* contemplationi ſuæ ſubjicit. Olfactum *Capite undevigeſimo* complexus fuit. De guſtu philoſophatur *Capite vigeſimo.* Tactum explanat *Capite 21.* De ſenſionibus internis commentatur *Capite 22. Caput 23* de muſculorum operationibus inſcripſit. *Vigeſimo quarto* de generatione & nutritione expoſuit. Adjecit tractationi Tabulas æri inciſas decem. *Duodecima* veſicam urinariam, ureteres, teſticulos, vaſa deferentia, & vaſa ſpermatica, repræſentat. *Decima tertia* exhibet ſimilitudinem animalium ſpermaticorum, palpebras, cilia ſuperiora ac inferiora, teſticuli tunicam albugineam, tenerrima vaſa, in quibus ſemen perficitur, & nervum acuſticum, ejusque in teſtu-

Digitized by Google

in teſtudinis mæandros procedentem diviſionem, veſtibulum, & canales ſemicirculares. *Decima quarta* exhibet naſum, partem oſſis frontalis, tubum in alterum narium inſertum, ductum lachrymalem in naſo deſinentem, veſicas majores naſi, orbem oculorum cum glandulis lachrymalibus, glandulam lachrymalem, glandulam innominatam, meatus excretorios, ad extrema oculi deſinentes, pilos ciliares, & nervum ophthalmicum, nec non partes oculi microſcopio amplificatas, cutem redactam, glandulam ſuperiorem, ductus excretorios, glandulas interjacentes, marginem cartilagineum, cutes ejus, cilia, glandulam denuo lachrymalem, meatum naſo & tegumento oculi accedentem. *Decima quinta* ſiſtit ſpectandam oculi orbitam, proceſſum utrumque, & duo editiora loca verſus tempora. *Decima ſexta* repræſentat oculum una cum muſculis, ſpeciatim cum muſculo attollente, deprimente, abducente, adducente, trochleari, & amatorio, tendinem inſtar cutis expanſum, nervum opthalmicum, oculum ex tranverſo poſitum, pelles oculi, & quidem ſcleroticam, choroideam, & retinam, corneam tunicam, pupillam, lentem criſtallinam, humorem vitreum, ac denuo nervum viſorium. *Tabula 17 & 18* illuſtrant modum, quo fit viſio. *Undevigeſima* ſupeditat auriculam, meatum auditorium, tubam *Euſtachianam*, tympanum, malleum, incudem, ſtapedem, oſſiculum rotundum, tres canales ſemicirculares, teſtudinem, oſſaque auditoria ſecundum magnitudinis acceſſiones. *Tabula vigeſima* exhibet teſtudinem auris una cum meatibus ſuis, in quibus deprehenditur zona ſonora, atque præterea muſculum cum fibrillis ac ambobus tendinibus ſuis. *Tabula prima & vigeſima* repræſentat membra utriusque ſexus genitalia, ac ipſam hymena, e quo diſrupto carunculæ myrtiformes oriuntur. Hiſce præmiſſis, Cl. Autori viſum fuit de ſpiritu, quem e pulmonibus ducimus, exponere, & *Capitis noni* argumentum jucunde pertractare. Partes ſtructuramque pulmonum ediſſerit. Celebrat D. *Liberkühnii* artem conſtruendi microſcopia, & injiciendi liquores notabiles in minimos corporis humani meatus. Oſtendit, ſanguinem circulari per pulmo- Pag. 380.

 nes

nea æquali corpore, quo illud per univerſum corporis hu-
mani ambitum gyratur. Ideo ſanguinem in pulmonibus tar-
Pag. 385. dius moveri, addit, ratus, illum frictione calefieri intra tu-
nicas meatuum, ideoque ſubtilitatem intra pulmones induere
majorem, ſimul tamen in minus ſpatium cogi. Coactionis
hujus origo ex aere frigido, in pulmones demiſſo inter reſpi-
randum, eſt repetenda. Utrumque proinde eſt verum: San-
guis intra pulmones & calefit & refrigeratur. Nolumus ea,
quæ Cl. Vir de uſu reſpirationis ſignificavit, repetere. Cur
402. embryones citra reſpirationem poſſint vitam agitare, affert
rationem ſolidam. Diſpicit cauſam, cur piſces & amphibia
413. ſine reſpiratione vitam exigant. Docet, ſanguinem intra pul-
mones reddi ſpiſſiorem ac ſolidiorem, ibique ex chylo gene-
rari. De reſpirationis legibus mechanicis exponit curate.
Pulmones infantis recens nati, at, antequam excluderetur,
426. exſtincti, in aquam ſi conjiciuntur, ſubſidunt. Rationem
hujus phænomeni Autor more ſuo, id eſt, ſolide & plane,
enodat. Nec tamen cautiones ſimul proferre omittit, ſiqui-
dem pulmones jam putreſcentes & cadaveroſi phænomenon
mutant. Nam ſanguis, putere incipiens, extenditur, ac in
materiam admodum elaſticam abit. Si infantis, recens nati, ac
poſt partum vivi, deinceps autem enecati, pulmones ſint indu-
rati, calloque obducti, ipſi procul dubio ſubſident, aquæ in-
jecti. Cur ſanguinem homines, in ſublimes montes eniſi, ex-
433. ſpuant, cauſam Noſter indagat. Quæritur, an aer ex pulmo-
nibus ſe in ſanguinem inſinuet. Sponte ſua ac ſine admoto
aeris extrinſecus impulſu id fieri, negat Cl. Vir ita, ut haud
liceat contra hiſcere. Rationem vero, cur argenti vivi partes
linteum haud penetrent, aqua autem hoc pervadat, veremur
437. cum ipſo ex vi lintei attractrice deducere. Frictionem, in ve-
nis arteriisque ad tunicas fieri ſolitam, in cauſa eſſe, cur ſa-
lia fixa, quæ una cum cibis capimus edimusque, in corpore
442. noſtro in ſalia volatilia abeant, ipſi facile credimus. Jucunda
& meditata eſt ejus doctrina, dum, reſpirationis ſcopum eſſe
loquelam, oſtendit. De ſono, ejusque varietate, de vocis hu-
manæ mutationibus, de tonorum terminis limitibusque, de

uſu,

Digitized by Google

uſu; quem naſus præſtat loquelæ, de loquela ipſa, de cantione, de riſu, de tuſſi, de ſternutatione, & de oſcitatione, Pag. 449.
ita commentatur, ut *Fabio* vel judice vincat. *Capite decimo* diſſerit de fluidarum partium ſeparatione. De liene *Caput 11* 458.
inſcriptum eſt. Inſervire eum ſanguini attenuando, ut fluendo reddatur accommodatior, dubitandum haud videtur. Nec
tamen is, cui ſplen exſectus eſt, eapropter vita privatur, quin 481.
potius ipſe ad venerem ſit pronior. Morbum hypochondriacum a corrupto motu periſtaltico, non admodum a ſplene, derivat & arceſſit. Cur hypochondriaci ſæpius præter con- 483.
ſuetudinem & rationem voluptatis rideant, luculentam tradit rationem. *Capite* autem *12* de peritonæo exponit. Sequenti hepar, ejusque uſum, perpendit. Eo, quod ſequitur, de re- 490.
nibus commentatur. De veſica diſſerit *Capite 14*. Momentum trahit *Caput 16*, de ſenſione inſcriptum. Viſus naturam conſiderat *Capite 17*, ibique permulta theoremata, quibus in Optica eſt locus, curate diſpicit & probat. *Capite 18* de auditu exponit, ac de odoratu *Capite* agit *undevigeſimo*. Ad 709.
guſtus rationem & naturam ediſſerendam ipſe animum convertit *Capite 20*. Tactui conſecratum eſt *Caput 21*. De ſenſibus internis tractationem ſuſcepit *Capite 22*. De effectibus muſculorum diſſerit *Capite 23*. Ad generationem & nu- 741.
tritionem exponendam ſpectat *Caput 24*. Niſi chorus eruditorum de eruditione ſolidiſſima ſcientiisque cultiſſima, quæ in Cl. Viro eminet, eſſet perſuaſiſſimus, compendiaria enarratio noſtra latius excreviſſet. Inſtat tamen id temporis momentum, quo exteri phyſicas haſce expoſitiones, inſigni earum pretio allecti, ſuſcipient, & in gratiam conterraneorum ſuorum in linguas ſuas tranſire vertique jubebunt. Erit nobis tunc occaſio recenſendi & *unum* & *alterum Caput* fuſius ac dilucidius, quod jam carptim & in modum canis e Nilo bibentis attigimus. Et quis eſt, quin phyſicas haſce doctrinas jam lectione ſua proſequatur, eisque incipiat favere? Favet profecto lectioni ſtilus & planus, & facilis, & a rugis Mathematicorum ſecluſus. Id vero inficiandum haud eſt, fruſtra ad penetralia hujus libri illos aditum moliri, qui Matheſeos prorſus

 ſunt

Digitized by Google

ſue imperii. Quoties Cl. Autor *naturam* nobis ſiſtit inſtar dominæ omniſciæ, ac ſapientiſſimæ, toties noſtrum eſt meminiſſe, ipſum ab Hylotheiſmo eſſe remotiſſimum, ibique magis agere Oratorem, quam Philoſophum.

JO. NICOLAI FUNCCII DE IMMINENti *Latinæ linguæ ſenectute Tractatus.*

Marburgi, apud P. C. Mullerum, 1736, 4.
Alph. 4 plag. 5½.

Cum in his *Actis* nuper *A. 1745 Menſe Aprili pag. 213 ſeq.* recenſeremus eam *Hiſtoriæ criticæ linguæ Latinæ* Partem, quam Celeberrimus *Funccius* emiſit noviſſime, non recordabamur, a nobis nondum eam Partem fuiſſe recenſitam, quæ præceſſerat proxime. Nunc igitur Lectorum noſtrorum in gratiam et hoc facere aggredimur. Præſenti igitur in libro deſcribitur hiſtoria Latinæ linguæ inde a morte *Cæſaris Auguſti* uſque ad *Hadriani* principatum. Quo temporis ſpatio decreviſſe ac ſeneſcere cœpiſſe linguæ Latinæ gloriam, & ætati eius aureæ ſucceſſiſſe argenteam, Noſter docet. Cujus rei cauſas in *primo* profert *Capite*. Reprimebat videlicet eloquentiæ ſtudium hoc temporis tractu primum vita priori luxurioſior, ac ſimul literarum contemtrix. Deerant etiam ſubinde Principes, qui honoribus artes liberales, & inprimis eloquentiæ ſtudium, alerent. Succedebant item prioribus dicendi magiſtris declamatores ineptiſſimi, qui, cum elegantiorem reddere ſibi viderentur eloquentiam, eam depravabant quam maxime. Quod cum Noſter demonſtraſſet liquido et *Senecæ* & *Quintiliani* teſtimonio, luculentius hoc argumentum ac diſtinctius perſequitur. Accedebat Imperatorum nonnullorum in literas odium, & acrius belli, quam pacis, ſtudium. Nec tamen omnis his temporibus exulavit vera eloquentia; cujus & ipſius rei cauſas Noſter affert probabiles. Nam fuerunt Principes, qui rei literariæ conſervandæ ſe præberent admodum ſtudioſos; quorum merita dignis laudibus Noſter in *ſecunda Capite* proſequitur. Ipſe *Tiberius* & *Nero* in partem hujus laudis veniunt.

Digitized by Google

ulunt. Majori vero præconio celebrantur *Veſpaſianus*, *Titus*, & *Trajanus*. Ac *Trajani* quidem vita hic luculenter exponitur. Progreditur hinc Noſter ad ſingula eloquentiæ ſtudioſorum virorum hujus ævi genera. Et in *Capite* quidem *tertio Poetas* recenſet, & ita recenſet, ut de cujusque ætate, vita, ſcriptis, horumque tum virtutibus, tum vitiis, & ſcriptorum ſingulorum editionibus, adjectisque recentiorum annotationibus, ſummo ſtudio diſſerens, egregie locupletet Hiſtoriam literariam. Hæc igitur, quæ modo diximus, noſſe qui cupit de *Phædro*, de *Perſio*, de *Lucano*, de *Seneca*, filio, de *Petronio*, de *Valerio Flacco*, de *Silio Italico*, de *Statio*, de *Martiale*, de *Terentiano Mauro*, de *Juvenale*, de *Sulpicia*, Poetria, famem ſuam ſatis expleri ſentiet. Implet enim *Caput* hoc centum quinquaginta tres paginas; ut hinc facile appareat, nihil fere, quod ad hoſce Poetas pertineat, ſive in vetuſtiorum, ſive in recentiorum, libris occurrens, effugiſſe oculos Viri in quorumcunque hujus generis librorum lectione aſſidui. Cum autem multorum hujus ævi Poetarum monumenta perierint; memoriæ eorum conſervandæ *Caput quartum* dicatum eſt. Horum triginta hic memorantur, &, quicquid de iis relatum legitur apud veteres, producitur. *Quinto* in *Capite* clariores exhibentur ævi hujus *Grammatici*; in quibus cum emineant *Hyginus* & *Aſconius Pedianus*, de duobus his ita luculenter diſſeritur, ut nec hic jure deſideres Clariſſimi Autoris diligentiam. *Sextum Caput* implet æque copioſa & accurata *Rhetorum* mentio. Hic poſtquam, quam corrupta hoc ſeculo fuerit eloquentia, manifeſtum fecit, & quæ Rhetorum orta ſint ſchismata, melioris notæ Rhetoras laudat, de eorumque & meritis in dicendi artem & ſcriptis diligenter diſſerit. Qui igitur *M. Annæi Senecæ* & *Quintiliani* literariam hiſtoriam perluſtrare geſtiunt, huc a nobis delegantur merito. Eundem in modum *Oratores* hujus ævi exhibet *Caput ſeptimum*. Quorum cum plerorumque Orationes perierint; Noſter de ſuperſtite *Plinii Panegyrico*, itemque de *Epiſtolis* ejus, diſputat uberius, editiones etiam utriusque operis recenſens ſingulas. In *octavo Capite* nobiliores hujus ævi *Juriſconſulti*

 laudan-

Digitized by Google

ſunt imperiti. Quoties Cl. Autor *naturam* nobis ſiſtit inſtar dominæ omniſciæ, ac ſapientiſſimæ, toties noſtrum eſt meminiſſe, ipſum ab Hylotheiſmo eſſe remotiſſimum, ibique magis agere Oratorem, quam Philoſophum.

JO. NICOLAI FUNCCII DE IMMINENti Latinæ linguæ ſenectute Tractatus.

Marburgi, apud P. C. Mullerum, 1736, 4.
Alph. 4 plag. 5½.

Cum in his *Actis* nuper *A. 1745 Menſe Aprili pag. 213 ſeq.* recenſeremus eam *Hiſtoriæ criticæ linguæ Latinæ* Partem, quam Celeberrimus *Funccius* emiſit noviſſime, non recordabamur, a nobis nondum eam Partem fuiſſe recenſitam, quæ proceſſerat proxime. Nunc igitur Lectorum noſtrorum in gratiam et hoc facere aggredimur. Præſenti igitur in libro deſcribitur hiſtoria Latinæ linguæ inde a morte *Cæſaris Auguſti* uſque ad *Hadriani* principatum. Quo temporis ſpatio decreviſſe ac ſeneſcere cœpiſſe linguæ Latinæ gloriam, & ætati eius aureæ ſucceſſiſſe argenteam, Noſter docet. Cujus rei cauſas in *primo* profert *Capite*. Reprimebat videlicet eloquentiæ ſtudium hoc temporis tractu primum vita priori luxurioſior, ac ſimul literarum contemtrix. Deerant etiam ſubinde Principes, qui honoribus artes liberales, & inprimis eloquentiæ ſtudium, alerent. Succedebant item prioribus dicendi magiſtris declamatores ineptiſſimi, qui, cum elegantiorem reddere ſibi viderentur eloquentiam, eam depravabant quam maxime. Quod cum Noſter demonſtraſſet liquido et *Senecæ* & *Quintiliani* teſtimonio, luculentius hoc argumentum ac diſtinctius perſequitur. Accedebat Imperatorum nonnullorum in literas odium, & acrius belli, quam pacis, ſtudium. Nec tamen omnis his temporibus exulavit vera eloquentia; cujus & ipſius rei cauſas Noſter affert probabiles. Nam fuerunt Principes, qui rei literariæ conſervandæ ſe præberent admodum ſtudioſos; quorum merita dignis laudibus Noſter in *ſecunda Capite* proſequitur. Ipſe *Tiberius* & *Nero* in partem hujus laudis veniunt.

Digitized by Google

ſtunt. Majori vero præconio celebrantur *Veſpaſianus*, *Titus*, & *Trajanus*. Ac *Trajani* quidem vita hic luculenter exponitur. Progreditur hinc Noſter ad ſingula eloquentiæ ſtudioſorum virorum hujus ævi genera. Et in *Capite* quidem *tertio Poetas* recenſet, & ita recenſet, ut de cujusque ætate, vita, ſcriptis, horùmque tum virtutibus, tum vitiis, & ſcriptorum ſingulorum editionibus, adjectisque recentiorum annotationibus, ſummo ſtudio diſſerens, egregie locupletet Hiſtoriam literariam. Hæc igitur, quæ modo diximus, noſſe qui cupit de *Phædro*, de *Perſio*, de *Lucano*, de *Seneca*, filio, de *Petronio*, de *Valerio Flacco*, de *Silio Italico*, de *Statio*, de *Martiale*, de *Terentiano Mauro*, de *Juvenale*, de *Sulpicia*, Poetria, famem ſuam ſatis expleri ſentiet. Implet enim *Caput* hoc centum quinquaginta tres paginas; ut hinc facile appareat, nihil fere, quod ad hoſce Poetas pertineat, ſive in vetuſtiorum, ſive in recentiorum, libris occurrens, effugiſſe oculos Viri in quorumcunque hujus generis librorum lectione aſſidui. Cum autem multorum hujus ævi Poetarum monumenta perierint; memoriæ eorum conſervandæ *Caput quartum* dicatum eſt. Horum triginta hic memorantur, &, quicquid de iis relatum legitur apud veteres, producitur. *Quinto* in *Capite* clariores exhibentur ævi hujus *Grammatici*; in quibus cum emineant *Hyginus* & *Aſconius Pedianus*, de duobus his ita luculenter diſſeritur, ut nec hic jure deſideres Clariſſimi Autoris diligentiam. *Sextum Caput* implet æque copioſa & accurata *Rhetorum* mentio. Hic poſtquam, quam corrupta hoc ſeculo fuerit eloquentia, manifeſtum fecit, & quæ Rhetorum orta ſint ſchismata, melioris notæ Rhetoras laudat, de eorumque & meritis in dicendi artem & ſcriptis diligenter diſſerit. Qui igitur *M. Annæi Senecæ* & *Quintiliani* literariam hiſtoriam perluſtrare geſtiunt, huc a nobis delegantur merito. Eundem in modum *Oratores* hujus ævi exhibet *Caput ſeptimum*. Quorum cum plerorumque Orationes perierint; Noſter de ſuperſtite *Plinii Panegyrico*, itemque de *Epiſtolis* ejus, diſputat uberius, editiones etiam utriusque operis recenſens ſingulas. In *octavo Capite* nobiliores hujus ævi *Juriſconſulti*

 laudan-

Digitized by Google

laudantur, &, quorum fragmenta ſuperſunt in *Digeſtis*, ea indicantur ſingula. Deprehendimus itaque hic *Maſſurium Sabinum*, *Coccejum Nervam*, *Proculum*, a quo ſecta *Proculiana*, *Caſſium Longinum*, a quo ſchola *Caſſiana* nomen accepit, *Cœlium Sabinum*, *Pegaſum*, *Juventium Celſum*, *Priſcum Javolenum*. Longiuſculum nunc ſequitur *Caput nonum*, in quo hujus ætatis *Hiſtorici* deſcribuntur a *pag. 474* uſque ad *pag. 613*. Habuit enim hoc ævum Hiſtoricos præſtantiſſimos, quorum ſcripta noſtram ad ætatem pervenerunt, ac diurnis nocturnisque teruntur manibus, *Vellejum Paterculum*, *Valerium Maximum*, *Curtium*, *Pomponium Melam*, *Suetonium*, *Tacitum*, *Florum*, *Frontinum*. Quam merito Noſter hæſit in contemplatione tam pulchri Hiſtoricorum chori, & non ſuam ſolius, ſed aliorum etiam, ſententiam expoſuit de cujusque ſtilo & fide hiſtorica & virtutibus vitiisque, & editionibus ſingulorum ab ortu artis typographicæ Seculorum, & memorabilibus ceteris! Ac, de *Curtii* ætate cum ſit magnus eruditorum diſſenſus, Noſter eſſe credit *Curtium Rufum*, quem *Tacitus Annal. XI, 21*, laudat, adeoque ſub *Tiberii* & *Claudii* imperium eum refert. Nos quidem aliam fatemur nobis eſſe ſententiam, & iis ſubſcribimus, qui, *Veſpaſiano* regnante, hunc fuiſſe putant Rhetorem nulla dignitate publica conſpicuum; id quod pluribus demonſtrare hujus loci non eſt. In *decimo Capite Philoſophi* hujus ævi commemorantur eodem, quo ſuperiores ſcriptores, modo ac pari diligentia. Prodeunt igitur hic *Cornelius Celſus*, *Scribonius Largus*, *L. Annæus Seneca*, *Apicius*, *Columella*, *Palladius*. Ac *Senecæ* quidem vitam laudesque ſingulari proſequitur ſtudio; etſi nec ceterorum deſcriptio juſto brevior haberi poterit. Claudit doctiſſimum hunc librum, quem recte appellaveris *Bibliothecam Latinam ætatis argenteæ*, *Caput undecimum*, in quo ſeneſcentis, quam vocat Autor, Latinæ Linguæ idiotiſmos contemplatur, ſtudioſe docens, linguam Romanorum auctam hoc temporis tractu fuiſſe vocabulis adulationis erga Imperatores plenis, multis item novis Græcismis, poeticis multis dictionibus, multis Archaiſmis, multis recens factis fictisque verbis ac phraſibus; novos item multis

aureæ

Digitized by Google

aureæ ætatis vocabulis tribui cœpiſſe ſenſus; ut ceteras hujus generis obſervationes grammaticas prætereamus ſilentio.

JOANNIS ANTONII VULPII CARMINUM Libri quinque. Editio altera, nonnullis ejusdem animadverſionibus illuſtrata. Acceſſerunt JOANNIS ANTONII VULPII, antiquioris, Patricii & Epiſcopi Novocomenſis, ac HIERONYMI, ejus fratris, Carmina, quæ ſuperſunt.

Patavii, excudebat Joſephus Cominus, 1742, 8 maj.

Plag. 19.

Cum anno ante volumen Carminum Italicorum *Jo. Ant. Vulpii* enchiridii formas ex officina *Cominiana* in lucem prodiiſſet, quod ſtudioſi poeticarum deliciarum libenter acceperant; gratum iisdem fore, non injuria putavit eidem officinæ præfectus, ſi & Latina *Vulpii* Carmina, cultu ac ſpecie non diſſimili, publicam ederet in lucem. Illa igitur, ex duobus Voluminibus, antea editis, collecta, & in *quinque Libros* diſtributa, rurſus evulgavit. Omiſit autem opuſcula, libero ſtilo conſignata, aut alienos verſus, quod, experientia edoctus, laudabiliter cognovit, minus placere nonnullis libros, ex diverſi generis lucubrationibus confectos, & præſtare omnino, ſuas digeri quælibet in claſſes, ac ſeparatim collocata in medium proferri. Nihilo minus editio hæc nova, præter aliquot Poemata, non ita pridem ab Autore conſcripta, animadverſiones etiam ipſius legendas proponit, quæ in veteribus editionibus non comparebant. His additus libellus eſt Carminum, quibus docti amici *Vulpium* honorarunt, una cum veterum *Vulpiorum* Poematibus. Ita & ſuæ ſe ſententiæ ſervire putat Editor, & editionibus prioribus pretium ſervare ſuum, cum in illis multa contineantur, ad alias diſciplinas, Rhetoricam, Hiſtoriam literariam, Philoſophiam, pertinentia. Digna vero plane fuerunt etiam ſæpius repetita publicatione Carmina iſta; quippe quorum Autor, ut ipſe profitetur, in elegia ſcribenda, quod genus poematis jam inde a pueritia maxime adamavit, *Tibulli* vene-

ies,

Digitized by Google

res, candorem, incorruptamque Latinitatem, potiſſimum ſecutus, neque *Propertii* nervos, eruditionem, peregrinos colores, aut *Ovidii* copiam, ingeniumque, adſpernatus eſt; ut & in ceteris carminibus optimum quemque Romanum Poetam imitandum ſibi propoſuit. Adſunt præterea *Jo. Ant. Vulpii*, antiquioris, Patricii rerumque ſacrarum Antiſtitis Novocomenſis, qui Seculo decimo ſexto Latinam Poeſin frequentavit, ſatiræque *Horatianæ* formam imitatione ſua ſatis diligenter expreſſit, carmina. Sed quid multa laudum repetitione hic opus, cum easdem prorſus meritas jam in *Actis* noſtris, editionem anni 1725 percenſentes, largiti fuerimus? Continentur autem, ſecundum ordinem novum, in *Libro primo* Carminum *Joannis Ant. Vulpii* Carmina VII laudatoria & gratulatoria, quorum primum laudes Divi *Rainerii*, Piſarum patroni, cantat, ſextum tamen locum habet *Charidemus*, ecloga. *Altero* Elegiæ octo, quarum quinque priores hoc nomen ſenſu ſtrictiore, poſteriores latiori, merentur. Eodem ita dicuntur XI illæ, quæ *Librum* ſequentem conſtituunt, quarum e. g. tribus prioribus navigationem deteſtatur, ruſticam tranquillamque vitam optat, itemque paupertatem divitiis praefert Poeta. *Libro IV* ſeptendecim, *quinto* undetriginta, varii argumenti carmina inſunt. Carmina Italorum eruditione inſignium ad *Vulpium* noſtrum, aut de ipſo, ſunt XVI, inter quæ & duo Diſticha Græca *Blaſii Sclavi* reperiuntur; ut antiquioris *Vulpii* Poemata, quorum itidem unum atque alterum antea ineditum fuerat, ſilentio involvamus. Ceterum, quod unum reſtat, mirabile nonnullis videri poſſet, amplis ipſum Noſtrum Poemata ſua notis inſtruxiſſe; mirari tamen iidem deſinent, ſi bonæ frugis, non autem jactantiæ, plenas animadverterint. Imitatus eſt Noſter ſæpiſſime antiquos & recentiores, eosdemque principes, ſed ita, ut nihil ſervum habeat hæc imitatio. Inter antiquos non Latinorum ſolum Poetas principes æmulatur, ſed ex ipſis pariter Græcorum fontibus haurit. Ita e. g. illa *Lib. I Carmine IV v. 33:*

> *Plura dedit gelido Turcarum corpora leto*
> *Alitibus canibusque cibos,*

exprimunt

exprimit *Homericum* illud initio *Iliados:*

Πολλὰς δ᾽ ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων, αὐτοὺς δ᾽ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι·

Carm. VII v. 36:

- - *meritæ victima pulla cadet,*

conſentit cum *Euripidis Iphig.* in *Aulide v. 1113:*

μόσχοι τε πρὸ γάμων ἃς θεᾷ πεσεῖν χρεών.

Lib. II & III v. 12:

Sæpe etiam duros mens anxia fertur in agros;
Nam celeres pennas commodat ales Amor,

accommodat ſe ad *Homeri Odyſſ. Lib. VII v. 36, Theognidis* in Γνώμαις *v. 977, Nonni Panop. Lib. VII Dionyſ. v. 315,* ubi *Homerum* is expreſſit. *El. VI v. 16:*

Meque vocet balbo filius ore patrem,

conferri meretur cum *Homeri Il. V, 408, Euripidis Iphig.* in *Aulide v. 1220,* atque aliis locis. Ad *El. VIII v. 74:*

Commendat totum ſcilicet una genus,

evolvatur *Homerus Odyſſ. XI, 432, Seneca Hipp. v. 237.* In eadem *El. v. 142:*

Omnis enim cupidos mulier ſpe lactat amantes
Interdum,

locutio eſt *Terentiana* in *Andr. IV, I, 24,* quam is hauſit ex fonte omnis elegantiæ, quem Noſter vocat, *Homero, Il. XXI, 276* & *604.* Porro conferantur *Lib. IV Carm. I v. 1: Si poſſent lachrymas effundere Numina,* cum *Euripidis Hippol. v. 1395;* ejuſdem *Carminis v. 6: Imbutus quamvis cædibus innumeris,* cum *Homeri Il. V, 844;* porro *Carm. XI v. 45: Perculſus interim, ut ſolet vento mare, circum popellus fluctuat,* cum *Homeri Il. II, 144;* ejusdem *Carminis v. 51: Nam vocetur ad tribunal Curius, aut Fabricius, aut ſiccus Cato, Quis tunc figuris uſus, aut coloribus? Patronus eſto quilibet* &c. cum *Euripidis Phœn. v. 472;* denique *Carm. XII v. 3 ſeq.: Quem cruor & fœdi morientum pulvere vultus - - Perculſæque juvant acies, clamorque minæque,* cum *Homeri Il. I, 177,* & *Silii Ital. Lib. IX Punic. v. 553.* Quin & Philoſophorum atque aliorum pedeſtris ſtili ſcriptorum ſententias exprimere nonnunquam laboravit. Unus prodeat *Plato.* Cum Noſter *Lib. II & III v. 32:*

Digitized by Google

Aureus excipiat corde micante puer, hic in *Phæd.*: Φίλτατος ὦ, καὶ ὡς ἀληθῶς, χρυσοῦς ὦ Φαῖδρε. Cum ille *Eleg. VIII v. 31*: *Quique Helenæ turpi temerarat carmine formam, Mutavit ſtultum lumine captus opus*, hauſit ex eodem Dialogo, ubi *Steſichori*, lyrici Poetæ nobiliſſimi, παλινῳδία iſta exponitur. Neque alium reſpexit *Lib. V Carm. II v. 20*: *Nuper cæperat hic - - Exſpectare avide tui parentis Diſceſſum*, πατρὸς γὰρ, inquit in *Phædro* Philoſophus, καὶ μητρὸς καὶ ξυγγενῶν καὶ φίλων στέρεσθαι ἂν αὐτὸν (ἐρώμενον) δέξαιτο (ἐραστὴς) διακωλυτὰς καὶ ἐπιτιμητὰς ἡγούμενος τῆς ἡδίστης πρὸς αὐτὸν ὁμιλίας. Tandem, ubi *Vulpius Lib. V Carm. IV v. 34*: *At me cubantem graminis molli toro Juvat palæſtra præliantes troſſulos videre*, ſimillima ſunt verba *Theodori* geometræ apud *Platonem* in *Theæteto*: Οἶμαι ὑμᾶς πείσειν, ἐμὲ μὲν ἐᾶν θεᾶσθαι καὶ μὴ ἕλκειν πρὸς τὸ γυμνάσιον, σκληρὸν ἤδη ὄντα· τῷ δὲ δὴ νεωτέρῳ τε καὶ ὑγροτέρῳ ὄντι προσπαλαίειν, ut alia taceamus.

Das weſentliche in der Religion, Vernunft- und Schrift-mäßig unterſucht, ꝛc.

hoc eſt,

ID, QUOD IN RELIGIONE TRAHIT momentum præcipuum, lumini rationis ſacrique Codicis congruenter demonſtratum.

Francofurti & Lipſiæ, apud Fridericum Hekelium, 1744, 8.

Plag. 13.

Id, quod religionis vocant *eſſentiale*, hic in cenſum venit. Autorem haud licuit huc usque expiſcari. Pium, moderatum, ſolidumque, eſſe ipſum, hoc ingenii monumentum teſtis eſt locupletiſſimus. Diſtribuit idem Commentationem hanc in *Capita octo*. *Primo* de religione generatim ſumta expoſuit. *Secundo* diſſeruit de eo, quod in religione momentum trahit generatim. *Tertio* egit de eo, quod religionis continet caput præcipuum, cui *eſſentiæ* vulgo eſt nomen, ſecundum palmariam notionem. *Quartum* proprium eſt ediſſerendæ

rendæ religionis naturæ intimæ, habito ad Deum reſpectu. *Quinto* adjunxit religionis momentum præcipuum, ratione naturæ hominum habita. *Sexto* addidit teſtimonia Codicis ſacri, quibus medulla religionis exhibetur. *Septimo* ſeſe convertit ad revelationem Jeſu Chriſti. *Octavo* adjecit uſum neceſſarium, qui ex eo, quod in religione præcipuum trahit momentum, emanat. Tandem ſubjunxit de differentia vitæ humanæ mantiſſam, ſeu appendicem. Hæc eſt libelli ſumma. Occaſio & anſa ei conſcribendo ſubnata fuit ex libro illo, quem *Religion eſſentielle* inſcriptum eſſe, univerſi norunt, & de quo diſſeruimus in *Supplementis ad* hæc *Nova Acta Tom. IV Sect. XI pag. 501 ſeq.* Refellerunt famoſum illum librum Autores haud uni. Exiit Anonymi liber Amſtelodami in lucem A. 1741, 12, cui eſt titulus: *Lettres ſur les vrais principes de la Religion.* In eodem clivo ſudavit *Franciſcus de Roches*, Genevenſis Eccleſiaſtes, in libro, cui eſt index: *Defenſe du Chriſtianiſme, ou Préſervatif contre un ouvrage intitulé Lettres ſur la religion eſſentielle à l'homme, Tomis duobus* Lauſannæ ac Genevæ edito, 1740, 8. Nonnihil monuit B. *Joannes Guſtavus Reinbeccius* in Præfatione ad *Partem quartam Meletematum in Auguſtanam Confeſſionem*, nec non Cel. *Canzius* in *Continuatione* eorundem *Meletematum Medit. 56 §. 3 p. 555 ſeq.* Nec omittenda eſt Cel. *Joannis Jacobi Breitingeri* de *Principiis in examinanda & definienda religionis eſſentia ex mente nuperi ſcriptoris Galli adhibendis, amica diſputatio*, quæ Tiguri Helvetiorum A. 1741, 8, prodiit in lucem. Noſter arcem cauſæ ipſius invadit; in refutando haud eſt occupatus, exiſtimans, eos, qui religionis Chriſtianæ ordinem, & verbis, & animo, & opere, expreſſum, ſequuntur, omnium eſſe multo fortunatiſſimos, nec egere jaculis, vel pharetra, niſi ad adverſarios animæ profligandos. Religionis eam prædicat indolem, quæ in conſociatione hominis cum Deo ac Chriſto conſiſtit. Qui vim viæ Dei ac ſalutis ſuæ potiſſimæ jam obtinuerunt ac deguſtant, eis hic liber erit ad palatum; illi contra, qui philoſophicas amant catenas, nec ſimul animo exſatiando ſtudent, monebunt, multa hic poni, quibus Pag. 8.

 demon-

Digitized by Google

demonſtrationum nervi fuiſſent præmittendi. Id ipſum, quo poſito ponitur religio, & quo demto deſtructoque ceſſat religio, appellat Noſter religionis *eſſentiam* ac *formam internam.*
Pag. 11. Hanc vero medullam expetimus, quærimus, & exoſculamur, tum ob Deum, felicitatis ac veritatis juſtitiæque autorem, tum ob ſalutem & requiem mentium noſtrarum, tum ob præſtantiam medullæ, quam ipſa complectitur, & qua ſublata tollitur ipſa vis & ipſum nomen religionis. Inertiæ noſtræ, levitatique innatæ, per illam formam religionis potiſſimum obicem ponimus.
15. Per eam reſiſtimus eis, qui genuinam religionis excellentiam vel lacerare & torquere, vel confundere & obſcurare, vel prorſus proturbare & expellere, audent; eisque, qui nugis & pannis ei aſſuendis dant operam, auroque ſcorias jungere laborant. Conſiderandi tamen perpetuo ſunt limites, ne id, quod religionis eſt caput, dilatemus plus juſto, neu immoderatius coarctemus. Id vero in religione debet eſſe palmarium, ut ipſa homini cognitionem Dei, ejusque certa ratione honorandi ac colendi, exhibeat, ut hanc cognitionem in homine reddat actuoſam & ſalubrem, ut in ipſo doctrinam fidei ſtabiliat & firmet, ut ipſum præparet ac adducat ad genuinam in Deum & Servatorem fidem fiduciamque, ad confeſſionem & exercitationem fidei, ac, interventu illuminationis divinæ, ad ſanctitatem, juſtitiam, ac beatitudinem. Scopus itaque primarius religionis in eo verſatur, ut inſcitiæ cœcitatique mentium humanarum ipſa medeatur, ac ut has reddat puras ſanctasque, & beatitudinis habiles. Societas & copulatio mentis humanæ cum Deo ac Chriſto eſt fons & caput
24. religionis genuinæ, ejusque Chriſto dignæ. Copula externa & communio, illi ſocietati adverſa, eſt vinculum repudiandum *2 Cor. VI 17 ſeq.* licet alioqui concordia cum vera Chriſti, eaque adſpectabili, eccleſia religionem reddat firmiorem ac amabiliorem. Id, quod religionis Chriſtianæ eſt nucleus, ſpectat ad ea, quæ minus ſunt adſpectabilia, *2 Cor. IV, 18, Pſ. XLV. 14,*
32. *Luc. XVII, 20 ſeq. 1 Petr. III, 3, 4.* Sufficientiſſimus ſibi eſt Deus, nec nobis, vel cultu noſtro, indiget. Id largitur Noſter. At nihilo minus exinde rationem deducit, cur Deum colere, & ex eo feli-

eo felicitatem derivare oporteat noſtram. Non ſibi tantum ſufficit Deus; ſufficit ipſe haud minus deſideriis omnium mentium, ab ipſo creatarum. Sufficere omnino eis voluit, ſiquidem eas condidit, ac felicitatis expetendæ ſtimulis inſtruxit. Explevit eas bonis caducis & adſpectabilibus; quidni majoribus, quæ viſum ſenſusque exterios fugiunt? Si Deus omnibus, ab ipſo creatis, ſufficit; noſtrum eſt, amare ipſum, confidere ipſi, & ab ipſo quævis bona, eaque neceſſaria & optanda, exſpectare atque petere. Pag. 35. Myſteria ipſa religionis in piis augent religionis genuinæ ſtirpem & fructus. 41. Doctrina, quæ Trinitatem divinam tractat, a potiſſimo religionis cardine ſejungi haud poteſt, ſiquidem in ea ſitus eſt & modus & ordo hominis cum Deo reconciliandi. 43. Verſatur præterea religionis apex reſpectu hominum in eo, ut ipſa naturæ hominis congruat, hanc ſecundum Dei ſapientiam emendet, ac homini veram in Deo beatitudinem conciliet. Natura hominis primo loco denotat ejus eſſentiam & id, quod in eo reſtat, boni. In ſecundo loco ipſa deſignat ſtatum hominis corruptum. Ad eſſentiam quadret religio oportet, eſſentiam puta & Dei & hominis. Medicinam qui expetit, vel adhibiturus eſt, is expendit potiſſime, an ea indoli corporis ſui ſit conſentanea. Signum religionis genuinæ eſt 1) defæcatio mentis a ſuperſtitione, & 2) examen veritatum, cuicunque permiſſum, *1 Cor. X, 15, 16, Marc. XII, 34, 1 Theſſ. V, 21, Act. XVII, 11, Prov. XIII, 10*, nec non 3) voluntaria erga id, quod bonum eſt ac cognitum, propenſio, violentiæ & coactionis expers; 4) tranquillandæ conſcientiæ adminiculatio, divinitus approbata; 5) corporis humani cura, & adductus ad cultum Dei ſtatus. 52. 55. Perplacuit illud, cur vita corporis ſit tuenda, nec præcipitanda, argumentum, quod Autor a perfectione mentium, in corporibus perficienda in dies, deſumſit. 73. Id ipſum efficit, ut *fatum occupare* nemini mortalium liceat. Signum veræ religionis eſt præterea illud, ſi homines per eam docentur vivere congruenter beatitudini ſempiternæ conſequendæ, ac ſentiunt in ipſa morte intra mentis penetralia ſolatium verum & tranquillitatem. Et quodnam eſt id, quod ponderoſius eſt ipſis doctrinis,

Digitized by Google

ctrinis, quas & rationis & oraculorum divinitus patefactorum lumen oſtendit, ac in ipſum religionis apicem attollit? In cenſum hic venit pædagogicus prioris luminis uſus, & in altero hoc proxime noſcendo expendenda eſt œconomia fœderis,
Pag. 120. per typos illuſtrati, ac tandem eis liberati. Adde, quod Jeſus ipſe luculente declaravit, quid in religione ſit palmarium & momenti plenum, & quid, ea ſalva ac inviolata, inde nequeat demi, vel auferri. Conſideranda hic eſt gratia Dei, in Jeſu Chriſto recluſa & demonſtrata. Excellit hic, & punctum omne fert, *ſyſtema ſubſtitutionis*, ſolidiſſime evolutum & de-
130. monſtratum. Commendat hic ſeſe illa, quæ de fide juſtificante exponit, doctrina. Enitent fundamenta miniſterii doctorum eccleſiæ, unici ſacrificii, vere ac ſua natura expiantis peccata, doctrinæ, ſacramentis duobus ad finem mundi ſtabilibus propriæ, unici ſacerdotii, quod Jeſus adhuc gerit, ac ipſius viæ calamitoſæ, per quam Jeſu duce Chriſtianis ad æterna eſt
157. eundum, quibus mors pios admovet. *Capite octavo* traduntur ea, quæ ex cognitione illius excellentiæ, quam *religionis*
162. *eſſentiale* vocant recentiores, in uſus affectatorum doctrinæ vitæque Jeſu redundant. Excellentiam illam conſtantia fidei ac
197. profeſſionis exprimere, omnino eſt Chriſtianorum. Adjungitur appendix, qua de differentia & gradibus vitæ humanæ
201. exponit. Ingratiſſimi eſſemus mortalium, niſi publice profiteremur, nos in Autore, quem haud novimus, prædicare perſpicuitatem elocutionis, ordinem tractationis, ſponte perfluentem, ſoliditatem, eruditionem exegeticam, pietatem & animum cœleſti gratia illuminatum, atque ſerio in eccleſiam Jeſu amore flagrantem. Quam vellemus, legeretur liber ab omnibus, qui vel Indifferentiſmo, vel Deiſmo, vel religione prudentum, laborant! Deus certe præmia haud denegabit labori, tam pie, tamque ſolide & cordate, ſuſcepto, feliciterque exantlato.

DISSERTATIO DE AUGUSTISSIMO EUCHARiſtiæ Sacramento & Sacrificio, Autore M. ANTONIO TRIVELLATO, S. Theol. Doct. & Prof.

Patavii,

Patavii, apud Joannem Manfré, 1742, 8.
Plag. 16.

Erat in eo S. Rev. Autor, ut longum opus, de ſeptem Sacramentis inſcriptum, in publicam emitteret lucem. Mutavit eam tantiſper ſententiam, certe prorogavit. Noſtrum eſt, ex ſpecimine hoc decerpere nonnihil, ut de reliquis operis partibus quodammodo judicium liceat antecapere. Opuſculum in *Capita 56* eſt diſtributum. Id inprimis operoſe intendit agitque Autor, ut tradat, Chriſtum vere & phyſice eſſe in Euchariſtiæ Sacramento; in Euchariſtia contingere perfectam panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti converſionem; accidentia euchariſtica non eſſe fucata, ſed vera; aquam conſecrando vino eſſe admiſcendam, & hanc æque in ſanguinem Chriſti commutari; ſola verba: *hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe formam conſecrationis calicis; euchariſtiæ Sacramentum haud eſſe formam conſecrationis calicis; euchariſtiæ Sacramentum haud eſſe infantibus ad ſalutem æternam obtinendam neceſſarium; Chriſtum non præcepiſſe laicis utriusque ſpeciei euchariſticæ uſum; Sacramento euchariſtico peccata mortalia haud deleri. Addit *Capite 16* pauca, quæ *de antiquitate & conſtantia uſus panis azymi in eccleſia Latina* ſunt inſcripta, ratus, nihil noſtra referre, panis euchariſticus, an azymus, ſit, an fermentatus, vinone admiſceatur aqua, nec ne. *Jacobus Sirmondus* ſibi perſuaſerat, Latinam Eccleſiam per octingentos & amplius annos fermentatum panem conſecraviſſe, poſtea autem ob ſchiſma, Græcos inter & Latinos ortum, azymum cœpiſſe adhibere. *Joannes Mabillonius*, *Chriſtianus Lupus*, aliique, in omnia alia ierunt, ac, azymum in Latina Eccleſia inde ab exordio rei Chriſtianæ adhibitum fuiſſe in ſacra ſynaxi, arbitrati ſunt. Cardinalis *Bona* diviſit ſententiam utramque, ratus, Latinos primis Ecleſiæ Seculis pane utriusque generis, nunc fermentato, nunc fermenti experte, uſos. *Sirmondo* accedit Noſter. En ejus rationes. *Leo X*, P. R. *Michaeli Cerulario* circa annum 1053 reſpondit, Latinam eccleſiam ſemper & jam inde ab Apoſtolorum inſtitutione azymo pane uſam fuiſſe. Idem ſentit P. R. *Innocentius III*, *de Miſſa*

Pag. 37. 83. 114. 64. 74. 66.

Miſſa IV, 4. Rabanus Maurus de Inſtitutione Clericorum I, 31, plane prorſus: *Panem infermentatum & vinum aquâ mixtum in ſacramentis corporis & ſanguinis Chriſti ſanctificari oportet.* Si quid nobis in re obſcura cernere licet, *Bonæ* ſubſcribendum eſſe, exiſtimamus. In præſens haud licet teſtimonia, quibus opinionem eam licet communire, in medium proferre. Pergimus potius ad ea, quæ Rev. Autor nobiſcum communicat.
Pag. 107. Credibile ipſi videtur, Chriſtum in ultima cœna euchariſtiam conſecraviſſe his verbis: *Hoc eſt, hic eſt.* Sacerdotes,
168. hoc judice, poſſunt ſolos illos Chriſtianos ab altari arcere, quorum improbitas eſt in propatulo. Addit idem, ſolos presbyteros, ſeu ſacerdotes, eſſe hujus Sacramenti miniſtros, quippe quibus ſolis ſit conficiendæ Euchariſtiæ poteſtas. Nec
194. a ſeſe putat alienum, credere, euchariſtiam, ſeu miſſam, eſſe verum ſacrificium, eoque juvari eos admodum, qui in igne purgatorio excoquantur. Subjungit tandem de purgatorio hoc potiores eccleſiæ ſuæ opiniones & ſententias, ac illud more conſueto ex *2 Mac. XII* it ambabus vindicatum. Poterat ad luculentiora *Homeri* ac *Virgilii* loca cum *Bellarmino* provocare. *Judæ* enim *Maccabei* ſententia ſingularis & privata non videtur omnibus æque univerſalis. Confugit præterea Autor ad illa *1 Cor. III: Sic tamen quaſi per ignem*, atque *Matth. XII, 32.* Solet Cel. Vir more ſuo adjicere adverſariorum argumenta, eisque reſponſiones jungere, quas ex maxima parte nec novas, nec recenti ratione inſtructas, eſſe, exiſtimamus. Noſtrum vero non eſt, hoc loco diſputare. Operæ potius noſtræ fecimus ſatis, cum ſummam & argumenta libri potiora indicavimus.

Jon Thomas von Höckdorf gründliche Betrachtungen über die in des Herrn von Puſendorfs Buche von der Verhältnis der Chriſtlichen Religion gegen den Staat enthaltenen, und damit verknüpften, göttlichen Wahrheiten, ꝛc.

id eſt,

JONÆ THOMÆ DE HOECKDORF SOLIdæ Me-

Digitized by Google

da Meletemata in doctrinas veritati conformes, quæ in L. B. de Puſendorf libro de Habitu Chriſtianæ religionis ad rem publicam civilem deprehenduntur, ac in veritates, quæ cum illis ſunt copulatæ.

Lipſiæ, impenſis Theodori Schwan, 1744, 8.
Alph. 1.

Meditationes *octo* complectitur hæc tractatio. *Prima* ſpectat ad indolem religionis, quæ ante rerum publicarum origines exſtitit. *Secunda* ſignificat modum, quo Deus a quocunque privatim & ſeorſim eſt colendus. *Tertia* monſtrat, qua ratione religio intra hominis libertatem naturalem ſit affecta. *Quarta* limites exhibet, intra quos oportet parentes de liberorum ſuorum religione eſſe ſolicitos. *Quinta*, urbes non religionis cauſa conditas eſſe, tradit. *Sexta* docet, eos, qui Regibus Principibusque parent, primoribus reſpectu religionis ſeſe obnoxios haud reddidiſſe. *Septima* exponit, quid poteſtatis ex indole reipublicæ civilis tribuendum ſit magiſtratibus ſupremis. *Octava*, eaque poſtrema, indolem religionis divinitus revelatæ evolvit ac pandit. Oramus Autorem publico nomine, ut reliqua capita addere, ac laborem optime collocatum continuare, dignetur. Perplacuerunt nobis ea, quæ ipſe de jure Principis circa ſacra in hoc *Tomo* ediſſeruit. Sed deſcendere juvat ad momenta magis ſpecialia. Generoſiſſ. Autor primam de Deo notionem ita format, ut illum re vera exiſtere, & rationem ſui ſufficientem in ſemet continere, præmonendum ſtatuat. Religio eſt, ipſo judice, complexus actionum liberarum, earumque moralium, quas ſecundum Dei voluntatem conformare debemus. Exiſtentiam Dei demonſtrari poſſe a priori, ipſe negat, atque *Carteſianorum*, qui ſecus docuere, diſcutit argumentum. Præfert argumenta metaphyſica phyſicis, moralibus, ac hiſtoricis, ſolide, exiſtere Deum, comprobaturus. Rationes, cur ita ſentiat, addit luculentas. Id, quod a conſenſu gentium deſumitur, argumentum præcipue convellit & denudat. Miratur admodum, quid fuerit rationis, cur Cel. *Feuerlinus* ac *Langhanſen* principium rationis ſufficientis in dubium revocare conati ſint, quod omnino ex ſententia *Joachimi Langii* eſt univerſi gene-

Pag. 3.
6.
9.
13.

ris humani principium commune. *Spinozæ* fundamenta Noſter denuo demolitur. Cur homo non valeat volare, disqui-
Pag. 31. rit. Teſtimonia *Senecæ*, *Ciceronis*, *Luciani*, *Galeni*, laudat, quibus, exiſtere Deum, traditur. Nec *Strabonis* omittit egregie cogitata, qui ex diſtributione aquæ, in telluris ambi-
34. tu obviæ, providentiam Dei agnovit. Dari gentem in terrarum orbe, quæ, Deum eſſe, neget, ac omni religione vacet, ſtrenue & ſolide inficiatur. Res publicas exiſtere religionis
46. cauſa, ex omni parte verum eſſe negat. Fundamentum religionis genuinæ ex fine ultimo, cujus gratia Deus mundum
50. exſtruxit, ſolide conſtabilit ac firmat. Unum locò alterius poſſe pietatem colere, ac nihil agendo quemquam ex hominis alterius religione ſalvum beatumque fieri poſſe, negat. De ſatisfactione θεανθρώπου vicaria hic non eſt ſermo. At nec hac frui licet, niſi vivere, Deoque vivere, incipias.
58. Herrenhutianorum, qui, hominem renatum peccare amplius poſſe in hac vita, negant, errorem refellit. *Tindalii* errorem recenſet, ac late deſtruit. Fidei carbonariæ tectoria radit ac
76. tollit. Præſcientiam Dei, ad univerſa & ſingula patentem, propugnat; modum præſciendi haud definit, tutiſſima ſecu-
86. tus. Voluntatis, quæ Deo ineſt, naturam ratione *Ablwardtiana* exponit. Si quid judicando pollemus, in voluntate Dei credimus ad phyſicum non modo, ſed ad morale etiam, ſeu ſpirituale, eſſe reſpiciendum. De myſteriis Chriſtianæ religionis diſſerit Autor admodum ſolide & acute,
103. eaque in duas diſtribuit claſſes. Ad poſteriorem refert myſterium ſatisfactionis vicariæ ac fidei juſtificantis, atque, illud lumini rationis eſſe accommodatiſſimum, oſtendit. Eadem ratione doctrinam, de reſurrectione hominum inſcriptam, dijudi-
107. cat. De propagatione religionis, & hujus cum aliis & verbo & re communicatione, diſſerit perpulchre. Amor, quem aliis debemus exhibere, ab eo ad originem ſui revocatur, ut recta procedat definitio. Immortalitatem mentium humanarum fir-
120. mo imponit talo. Enthuſiasmum, & verbi interni araneas, feliciter profligat. Sacrificia divino præcepto niti, evincit. Violentam, religionis cauſa ſuſceptam, coactionem ac inſectationem
181. rationibus ac Patrum Eccleſiæ ſententiis proſcribit. Argumenta,

Digitized by Google

menta, in contrarium afferri ſolita, ſolvit & expedit. De obligatione conſcientiæ erroneæ hypothetica ſolide exponit. De atheorum claſſibus, & quatenus ipſi poſſint tolerari, differit. Et quid non præterea hic liber complectitur optimæ frugis & ſelectiſſimi argumenti?

GEOGRAFIA IN DIALOGO, &c.
id eſt,
GEOGRAPHIA, PER MODUM DIALOGI SCRIpta, cum permultis notitiis hiſtoricis ac chronologicis, Autore MARCO ANTONIO CAZZAITI, Nobili Corcyrenſi, Zazynthi, ac Cephaleniæ, inſcripta Sereniſſimo Venetorum Duci, ALOYSIO PISANO.

Venetiis, typis Joannis Mariæ Lazzaroni, 1738, 8.
Plag. 21.

Diviſus eſt libellus pro ratione partium, in quas orbis terrarum ſolet diſpeſci, in *Libros quatuor*. In *primum Librum* conjecta fuit definitio Geographiæ & ea, quæ ad globum terraqueum, ejusque diviſionem mathematicam phyſicamque, ſpectant. *Capite quarto* deinde exponitur de Luſitania, *quinto* de Hiſpania, *ſexto* de Gallia, *ſeptimo* de Britannia magna, Scotia, & Hibernia, *octavo* de Italia, *nono* de Germania ſecundum 12 circulos, *decimo* de Hungaria, Slavonia, Croatia, Tranſilvania, Walachia, Servia, Boſnia, Dalmatia, Morlachia, Dalmatia Veneta, Republica Raguſa, & Albania Veneta, *undecimo* de Scandinavia & Dania, *duodecimo* de Ducatu Slesvicenſi, Norvegia, ac Islandia, *decimo tertio* de Suecia, *decimo quarto* de Polonia, Lithuania, Pruſſia, & Curlandia, *decimo quinto* de Moſcovia Europæa, *decimo ſexto* de Tartaria Europæa, Moldavia, Beſſarabia, Croatia, Seriſia, Bulgaria, Romania, Græcia, Græciæque adjectis inſulis. Germaniæ annumeravit Belgium & Helvetiam. Terras Tartariæ majoris accuratius deſcripſit B. *Jo. Matthias Haaſius.* De reliquo exquiſitam ubique diligentiam Autor tractationi impendit. Notabimus pauca, quibus in poſterum lima eſt addenda. Credi-

Digitized by Google

bile non eſt, *Tuiſconem*, ſeu *Aſcanen*, fuiſſe regni Germaniæ conditorem, licet Autor ita ſtatuerit *pag. 135.* *Gregorio V* attribuit originem Electorum Germaniæ, qui Seculo demum XIII ineunte fuerunt exorti. Sedes Francorum primas ad mare Balthicum haud attigit. Iſtævones minus recte pro Germaniæ populis habuit. Tacitus audivit vocem eam, qua *incolæ ad orientem reducti* indicantur, nec ſatis intellexit. Peucini, nunc Boſni & Pizini, a Germania fuerunt olim disjunctiſſimi, ad oſtia Iſtri habitantes, appellati ab inſula Peuce. Hæc ad *pag. 136* erant notanda. *Speneri Germania antiqua* hic eſt conferenda. Electorem Hannoveranum eſſe Archivexilliferum, Autor docet *pag. 138.* Verum hæc dignitas hæreditaria fuit illi ab initio deſtinata, nequaquam collata. Architheſaurariatum inde ab A. 1708 ei collatum eſſe, nemo inficiatur. Duci Lotharingiæ eſſe in comitiis Ratisbonenſibus ſuffragium imperiale, prouti *pag. 139* docetur, dudum dici haud debet, præcipue ex quo Lotharingia Regi Gallorum ceſſit. Monaſterium *Neuburg*, Viennæ proximum, Autor vocavit *pag. 144 Haynburg.* Propugnaculum Stiriæ *Czakenthurn* hic vocatur *pag. 145 Czakatum.* Comitatus Ortenburg *pag. 145* Carinthiæ annumeratur. Botzen, urbs Tirolica, vocatur *pag. 146 Bolzan.* Sanctionem pragmaticam *Caroli VI* credit *pag. 147* orbi Chriſtiano univerſo probari. Urbs Bavariæ *Burkhauſen pag. 148* vocatur *Aurkhauſen.* Comites Ortenburgi *pag. 149* vocantur *d'Oltemburg.* Credit Autor *pag. 150*, incolas circuli Bavarici ad unum omnes eſſe Pontificios, excepta Ratisbona. Gibellinos ab urbe Wirtembergica *Weibling* appellatos, *pag. 151* exiſtimat, quæ opinio quidem eſt vulgo tritiſſima, neque tamen ideo ſatis vera. Stollhofen, caſtellum Badenſe, vocat ibidem *Stollhofeti.* Principem Oettingenſem eſſe Lutheranum, Comites Oettingenſes Pontifici addictos, memorat ibidem. *Montfort* Comitatum appellat *pag. 152 Momfory.* Aichſtadium ibi circulo Suevico aſſignat. Comites Pappenheimenſes credit eſſe Imperii Mareſchallos *pag. 153*, volens dicere *Vicemareſchallos.* Pro *Strasbira* reſcribendum eſt *pag. 157 Strasburg*, pro *Zierenberg pag. 158 Ziegenberg*, pro *Hiſchfeld* vero *Hirſchfeld*, pro *Vanfuid pag. 159 Vanfrid*, pro *Laivgen Lainingen*, pro *Landenburg*

denburg pag. 160 Ladenburg, &c. Pro *Dettelbach pag. 166* reſcribe *Dernbach*; pro *Rappin pag. 172 Ruppin*. *Gandersheim* dividenda eſt *pag. 174* in Abbatiam, præfecturam, & urbem. Singulis dominatur Princeps Wolferbuttelanus. Ad *Gottingam pag. 175* notanda eſt Academia, A. 1737 fundata. Cereviſia Goslarienſis non vocatur Breihan, ſed Goſe. Omittimus alia complura. Si lima opuſculo acceſſerit, confici inde poteſt præſtantiſſimum compendium Geographiæ recentioris.

CONRADI IKENII, S. S. THEOL. DOCT. & Prof. Publ. Ord. ad Ædem Div. Stephani Paſt. Primar. Oratio de illuſtri Bremenſium ſchola, magnorum ingeniorum, ſummorumque in omni ſcientia virorum, alma atque fœcunda matre, dicta pro felicibus Rectoratus auſpiciis A. 1741, 2 Febr.

Bremæ, typis viduæ B. Hermanni Chriſtophori Jani, 1742, 4. Plag. 17.

Conſtituerunt A. 1584 ſcholam oppidanam Bremenſem illuſtrem Conſules *Daniel Burenius* & *Chriſtianus Stedingius*, ſuaſoribus ac impulſoribus *Chriſtophoro Pezelio*, Superattendente, & *Joanne Ewichio*, Medico, præcipuis ævi ſui viris. Ex ea inde ætate floruit Gymnaſium illud non ſolum Profeſſoribus ſcientiarum & linguarum, ſed etiam variis Muſarum cultoribus, paſſim undecunque eo confluentibus. Magiſtros & Theologiæ, & Juriſprudentiæ, & Medicinæ, & Philoſophiæ, atque Philologiæ, illos ad hanc fere ætatem ediſſeruit, eorumque merita expoſuit, Cel. Autor hac limatiſſima & facundiſſima Oratione. Subjunxit ei obſervationes, e monumentis literarum epiſtolisque, partim ineditis, depromtas, ad amuſſim factas, quibus vitas eruditorum, quas breviter attigerat ob orationis cancellos, præclare expoſuit, præmiſitque nonnihil de ſchola veteri Bremenſi, jam Seculo decimo admodum illuſtrata. Bremenſes in Livoniam ipſam primos doctrinam Chriſtianam intuliſſe, ſolide monuit. Eos, qui Bremam literatam memoriæ prodiderunt, recenſuit ſuccincte. Expoſuit vitas *Danielis a Büren*, *Joachimi Meiſteri*, primi Rectoris in illuſtri Ly-

Pag. 7. — 36. — 38.

Pag. 48. ceo, *Nathanis Chytræi*, *Thomæ Gephyrandri*, *Chriſtophori Pe-*
zelii, *Andreæ Widmarii*, *Joannis Eſychii*, *Matthiæ Martinii*,
quanti viri, atque *Ludovici Crocii.* Succedunt his *Henricus*
62. *Iſſelburgius*, *Urbanus Pierius*, *Joannes Lampadius*, Brunſuicen-
ſis, *Philippus Cæſar*, qui ad Pontificios tranſiit, *Conradus Ber-*
72. *gius*, *Joannes Combachius*, *Balthaſar Willius*, *Hermannus Hil-*
debrandus, *Joannes Schildius*, *Gerhardus Meierus*, *Henricus*
Flöckenius, *Joannes Jacobus Thurmius*, *Franciſcus Kæhne*, *Cor-*
nelius Haſæus, & *Matthias Boot.* Hoſce excipiunt *Franciſcus*
Baringius, *Nicolaus Gurtlerus*, *Hieronymus Guilielmus Snabe-*
82. *lius*, *Wolfgangus Crellius*, *Joannes Hofmeiſterus*, *Joannes Coc-*
cejus, cujus famam reſonant Tagus & Indus, *Michael Wol-*
fers, *Henricus Duſingius*, *Jo. Rieſſelmannus*, *Herm. Hilde-*
87. *brandus* denuo, *Abdias Widmarius*, *Chriſtophorus Wittichius*,
Caſpar Alteneichius, *Eberhardus Bornhorſtius* & *Henningius Bie-*
ſterfeldius, *Joannes Linius*, *Henricus a Cappeln*, *Juſtus Reif-*
fenbergius, *Franc. Pirenius*, *Gerh. Coccejus*, *Jo. Angelius Wer-*
93. *denhagen*, *Lüderus Cæperus*, *Joannes Wachmannus*, *Conradus*
Schnellius, & *Georgius Cæperus.* Nec omittendos Cel. Autor
judicavit *Chriſtianum Schœneum*, *Joannem Cæperum*, *Herm.*
Schœneum, *Ottonem Phil. Zepperum*, *Joannem Bake*, *Frid. Ca-*
ſimir. Tilemannum, *Jac. Hunekenium*, *Henr. Meierum*, *Ni-*
col. Heerdenium, *Joannem a Rheden*, *Jo. Eberh. Schwelin-*
gium, *Gerh. Meierum*, *Conr. Ikenium*, patrem Cel. Autoris,
Alb. Meierum, *Henr. Coccejum*, *Henr. Kreftingium*, *Eberh.*
129. *Speckhanium*, *Theod. Eſychium*, pluresque alios. *Conſtantinum*
l' Empereur Bremæ fuiſſe natum, docuit, monens præterea,
Ottonem Menckenium, *Actorum* horum conditorem primum,
Muſas coluiſſe aliquando Bremenſes. In calce commemoran-
tur Theologi, JCti, Medici, ac Philoſophi, qui nunc Gymna-
ſium ibi illuſtre doctrina nobilitant, & fulgore implent. Deus
illis ſervet vitam perdiu! De reliquo varios paſſim errores
aliorum feliciter notavit Cel. Autor.

NOVA LITERARIA.

Quam nuper Celeberrimus *Geſnerus*, Gottingenſis Academiæ, aut Germaniæ potius univerſæ, ornamentum, Epiſtolam

Digitized by Google

lam publicavit, novi *Linguæ Latinæ Theſauri* talem præconem, qualem a modeſtia præſtantiſſimi Viri exſpectare licet, hic, tum quod polita ſit & venuſta, tum quod rem literis valde ſalutarem annuntiet, iis omnibus, qui *Geſnerianæ* elegantiæ amantes ſunt, legendam damus. Eſt igitur hæc: *Jo. Matthias Geſnerus Lecturis S. Eluctatus tandem, majori quidem ex parte, videtur* Theſaurus, *quem paramus,* Linguæ Latinæ *difficultates, quibus illi conflictandum per hoſce aliquot annos fuit maximis, quasque hic enarrare nec jucundum nobis, neque cuiquam opus, eſt. Poſtremum impedimentorum fuit intempeſtiva nobis mors* Caſpari Fritſchii, *qui et ſuſcipiendi operis mihi autor, & deinde inter multas difficultates ἐργοδιώκτης, fuerat. Sed, ut fit, quæ res ſecurim injeciſſe quibusdam videbatur toti operi noſtro, eadem fuit occaſio, ut nunc demum illud tanto felicius celeriusque, Deo bene juvante, expediri poſſit. Nempe prudenti, ut equidem arbitror, conſilio in ſocietatem perſiciendi operis aſſumſit* Fritſchia *vidua* Bernhardum Chriſtophorum Breitkopfium, *qui ea bonæ fidei et ſervatorum promiſſorum dedit ſpecimina, ut nemo ſit eorum, quibus innotuit, quin optima quæque de illius fide atque integritate exſpectet. Ceterum mora longior, quæ nemini profecto majoris, quam mihi, conſtat, hanc vim habuit, tanto ut cumulatius ea, quæ priori* Programmate *promiſſa ſunt, præſtari potuerint, poſſint. Illud quidem ſperare certo jubemus emtores, quæ non perfunctoria plurium annorum induſtria perſici ab homine in hoc genere laboris non novo, ſed tertium hoc curriculum emenſo, potuere, ea diligenter eſſe præſtita, ut jam linguæ Latinæ copiæ, quantæ ex omnibus libris hujus generis, conjunctis inter ſe & comparatis, hauriri poſſunt, tantæ ex uno theſauro noſtro peti queant in poſterum, ea inſuper acceſſione facta, atque emendatione, quam æſtimare potuerunt, quibus depoſitos in* Fritſchiana *taberna labores noſtros toto hoc anno inſpiciendi copia facta eſt. Apparebit quidem certe, ubi in manus hominum veniet Theſaurus noſter, non impudenter a nobis factum, quod nomen noſtrum ſolum in titulo operis, quod tanto nobis labore conſtat, exprimi certa de cauſa patimur. Ceterum inſignis opera a nobis data eſt, ut quam plurima quam anguſtiſſimis ſpatiis, quam pauciſſimis chartis, exhibeantur,*

tur, nec tamen diſtinctionis luci, & commoditati lectorum, quidquam decedat; quod melius intelligent, qui hoc Opus comparare cum Theſauro Rob. Stephani *Anglicano, vel Baſileæ, ſplendide ſane, nec ſine utiliſſima acceſſione, recuſo, voluerint. Itaque apparebit, in pari, vel minore adeo, chartarum numero tantam acceſſionem exemplorum, obſervationumque, & emendationum, factam eſſe, ut, aliorum etiam librorum poſſeſſores, ſi iidem hoc genere literarum delectentur, non male pecuniam huic inſuper comparando theſauro impendi, faſſuros eſſe, auguremur. Quorſum utiles eſſe poſſint paginarum & verſuum numeri in marginibus poſiti, in Præfatione ſuo tempore indicabitur. Poterunt itaque, qui adhuc & nomina & pecuniam dedere, ſecuri eſſe, nihil ſe perdidiſſe, vel perdituros, & moræ præmium non contemnendum, meliorem multis partibus librum, accipient, quam accipere per rei naturam poterant, niſi moræ inevitabiles differre nos promiſſa coegiſſent. Alii, qui nunc demum molientes ſumtuoſum opus bibliopolas, & cum maximis nixibus velut parturientes, nec ſine commodo ſuo, juvare voluerint, his legibus invitantur: 1) Tomus primus Operis, Deo bene juvante, prodibit mercatu ipſo autumnali A. 1746, alter verno 1747, tertius autumnali ejusdem anni, quartus, hoc eſt, ultimus, verno 1748; 2) qui prænumerare Ducatum unum voluerit, habebit dicto tempore Tomum primum; is cum tradetur, dabit pro altero Tomo tantundem, &, cum hic exhibebitur, Ducatum pro tertio, &c. ut totum opus Ducatis quatuor, hoc eſt, undecim imperialibus, ipſi conſtaturum ſit; 3) reliqui, qui exſpectare finem operis maluerint, æquo & ipſi pretio, ſuo tempore conſtituendo, ſed aliquanto majori, illud redimere non gravabuntur; 4) prænumerantibus operam rogatu noſtro dabunt nobiliſſimi quique per Germaniam Belgiumque Bibliopolæ.* Cum hac Epiſtola conjunctum eſt totius Operis ſpecimen, elementi *A* aliquot voces voculasque continens, unde intelligere cuique intelligenti rerum lectori licet, de opere univerſo magna & egregia omnia exſpectari jure poſſe, idque proditurum tale eſſe, quale in hoc genere adhuc orbis literatus non vidit. Cœpta hæc præclara proſperet & ſecundet Deus!

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXLVI.

MUSEUM FLORENTINUM, EXHIBENS ANtiqua Numiſmata maximi moduli, quæ in Regio theſauro magni Ducis Etruriæ aſſervantur; cum obſervationibus ANTONII FRANCISCI GORII.

Volumina III.

Florentiæ, ex typographia Franciſci Moucke, 1740-1742, fol. maj.

Vol. I plag. 6, cum Tab. æn. 115, Vol. II Alph. 2 plag. 12, Vol. III Alph. 3 plag. 14.

Novo igitur diligentiæ ſpecimine Cel. *Gorius*, Italiæ ſuæ decus præcipuum, & noſtra laude multo major, orbem literatum ſibi devinxit, qui aureos & argenteos nummos præſtantiores, æreos etiam maximi moduli, qui in theſauro magni Ducis Etruriæ, ad Imperiale jam faſtigium ſummo omnium applauſu evecti, aſſervantur, exhibuit, doctiſſimisque obſervationibus illuſtravit. Quo majora autem ſunt præſtantiſſimi *Gorii* in rem antiquariam merita, eo acriori deſiderio hoc ipſum Opus, ſplendore non magis, quam doctrina, admirabile, exſpectarunt omnes, quotquot harum rerum deliciis ducuntur; cum præſertim ex prioribus, quæ jam in lucem data ſunt, *Muſei Florentini*, & ex illis *Muſei Etruſci*, Voluminibus, quid de *Gorio* ſperari debeat, cognoverint. At dolent iidem, juſto ſerius tanti theſauri ſibi copiam fieri, id quod non ſua, ſed aliorum, culpa factum, ipſe in Præfatio-

Digitized by Google

ne *Gorius* ſignificat. Nimirum, ſecundum ordinem, quem in Muſei Florentini delineatione *Gorio* præſcripſerat *Philippus Bonarrotius*, vir doctiſſimus, poſt *tria* jam edita *Volumina*, in lucem proferendæ erant vetuſti operis protomæ Cæſarum Auguſtorum Auguſtarumque, Philoſophorum item, & virorum illuſtrium, quibus inſtructum eſſet *quartum Volumen*. *Quintum* deinceps, ex ejusdem *Bonarrotii* inſtituto & conſilio, aheneis Deorum ſignis, quæ veterum ſuperſtitio colenda hominibus propoſuit, erat exornandum. His tandem abſolutis omnibus, *tria Volumina* collectioni Numiſmatum rariſſimorum maximi moduli, adjectis Cel. Autoris obſervationibus, erant aſſignanda, ſique poſtea quid otii ſupereſſet, in altero ex his Voluminibus deſcriptio omnium cujusque generis Numiſmatum Medicei Cimeliarchii erat exhibenda, atque inedita tantum, æreis tabulis inciſa, in lucem mittenda. In reliquis Voluminibus poſtmodum exponendæ fuerant icones pictorum celebrium, qui ſe ipſos pinxerunt, cujus collectionis præclariſſimæ jam plures tabulas æri inciſas eſſe, & adhuc quotidie in-

Pag. 14. cidi, Cel. Autor nuntiat. Hic igitur operis ordo, a *Bonarrotio* præſcriptus, cauſa fuit, ut paulo ſerius prodiret illa, de qua jam agitur, Numiſmatum collectio. Rectiſſime autem rationes ſuas ad *Bonarrotii* conſilium compoſuit Cel. Autor. Non ſolum enim ducem in eo habebat & ſtudiorum moderatorem peritiſſimum, qui editione Numiſmatum Muſei *Carpinei* nominis immortalitatem jam erat aſſecutus; verum etiam ipſa res loquebatur, optime ſibi conſulturum eſſe, ſi explicationem nummorum ultimo demum loco inſtitueret, ut interim veteris ævi ſcriptores, ſine quorum ope nihil laude dignum hoc in genere quiſpiam poteſt præſtare, ſibi redderet familiares. Inſtitutum tamen hunc Muſei Florentini ordinem inopinatus *Bonarrotii* obitus ſubito diſturbavit. Hinc tempori inſerviendum erat. Cumque Vir Clariſſ. *Sebaſtianus Blanchius*, theſauri Florentini Cimeliarcha, cui Numiſmata in ſingulas tabulas ordine diſponenda erant, ſenectutis incommodis jam valde laborare inciperet, ejusque ultima imminere viderentur fata, neglectis legibus ordinis, qui primo placuerat, ſancitum eſt, ut, poſt tria jam edita Volumina,

Nummi

Digitized by Google

Nummi antiqui ſuccederent, quibus delineandis egregius pictor, *Joannes Dominicus Campiglia*, manus admovit. Prope finem anni 1736, inſcio Autore, hæ delineationes, cum archetypis tamen nondum collatæ, & eam ob cauſam haud paucis in rebus emendatione indigentes, Chalcographo peritiſſimo, *Vincentio Franceſchinio*, ſunt traditæ. Deinceps inciſarum tabularum ſchemata ipſimet Autori data ſunt obſervationibus illuſtranda. Negavit autem Cel. *Gorius*, pro incomparabili ſua & prorſus indefeſſa, quam hiſce rebus impendere conſuevit, diligentia, hoc ſe facturum eſſe, niſi prius expreſſa ſchemata cum archetypis contuliſſet, cum tanta cura vulgare hos nummos apud animum contuliſſet, ut ne minimum quidem a fide archetyporum differrent. In hac vero collatione, ſtupendi ſane laboris opere, Cel. Autori affuerunt, conſiliisque ipſum juverunt, Reverendus Abbas *Antonius Nicolinius*, nec non *Sebaſtianus Blanchius*, *Joannes Lamius*, in Florentino Athenæo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſor, Abbas item *Philippus Venutus*, Cortonenſis, quorum omnium in ſe humanitatem ipſe prædicat. Maximus tamen labor ipſimet Cel. Autori ſubeundus fuit, qui Pag. 17. ærugine exeſa numiſmata perſpicilli orbicularis miniſterio operoſiſſime contemplatus eſt, & cum figuris æri inciſis ſumma cum cura contulit, quæque prototypis non optime reſpondebant, eo monente, *Joſephus Menabonius*, pictor Florentinus, diligenter emendavit. Hoc pacto opus abſolutiſſimum atque emendatiſſimum reddidit, oculorum vero aciem, uti ipſemet queritur, haud parum labefactavit. Florentiæ tunc temporis commorabatur *Carolus Fridericus*, Anglus, rei nummariæ peritiſſimus. Is, cum Numiſmata Medicea maximi moduli diligentiſſime tractaſſet, ſuarum obſervationum, quæ ad eorum ſinceritatem & fidem probandam ſpectant, ſymbolam cum Cel. Autore humaniſſime communicavit. Centum tabulas Cl. *Blanchinus* in ordinem digeſſerat, ſed, cum reliquiſſet bene multa numiſmata, quæ vel in paucis differebant, vel non ſatis integra erant, ea tamen ne prætermitteret, Cel. Autori ſuaſit Abbas *Antonius Nicolinius*, ut hoc pacto numiſmatum Mediceorum ſylloge in lucem quam abſolutiſſima prodi-

Digitized by Google

prodiret. Labore igitur hoc, ſummo certe, & tædii pleniſſimo, Cel. Autor poſt ſedecim & amplius menſium ſpatium feliciter defunctus, ad explicanda, quæ his in tabulis viſuntur, Numiſmata ſe contulit. Ut omnia notatu digna ſtudioſiſſime obſervarentur, nihilo tamen ſecius brevitati etiam conſuleretur, *Bonarrotium* & *Vaillantium* duces, quorum exempla ſequeretur, ſibi delegit. Obvia, & ſatis jam ab aliis explicata, recte omiſit, ad illos etiam, qui ante ipſum aliquem nummum explicarunt, lectorem ablegavit. Autorum locos ad calcem uniuscujusque paginæ curioſe indicavit. Inter cetera etiam diligentiſſime inquiſivit, quo tempore, quave occaſione, in honorem Cæſarum nummi percuſſi ſint. Utque temporum ſeries accurate obſervaretur, interpolata numiſmata, quæ non juſto ordine diſpoſita erant, in meliorem redigere ordinem ſtudioſiſſime laboravit. In ſingulis paginis ad marginem ſuis quibusque locis tabularum & numiſmatum numeros adjecit, ut eò facilius reperiri poſſint. Singuli nummi in medio quadam teſſera copulantur, in qua muſeum, ex quo depromti ſunt, & metallum declarantur. Præpoſitæ ſemper ſunt literæ, ab *A* uſque ad *I*, quæ nummorum modulos deſignant, prout ad calcem Præfationis in æs inciſos lector inveniet. Singulorum metalli genus & pondus, in eorum etiam deſcriptione & explicatione, quæ poſteriores Operis hujus *Tomos* abſolvit, addidit. Prior numerus, ibi poſitus, uncias, alter ſcriptula, ſeu, ut vulgo, quanquam minus recte, loquuntur, ſcrupula, ultimus grana, denotat. Hac igitur ratione Numiſmata 360, maximam partem rariſſima, tam ex inſigni Marchionum *Nicoliniorum* muſeo, quam inprimis ex magni Ducis Etruriæ, hodierni Imperatoris invictiſſimi, theſauro, qui Florentiæ aſſervatur, depromſit, atque eruditiſſime illuſtravit. *Primus* præſtantiſſimi hujus Operis *Tomus* figuras Numiſmatum, tabulis æneis Cl. *Franceſchinii* artifici manu inciſas, exhibet. In *altero Tomo* præmittitur index Numiſmatum maximi moduli ex ære, & præſtantiorum ex argento, quæ poſtea obſervationibus illuſtrantur. Quamvis inſcio Cel. Autore, & fortaſſis præter ordinem, quem ſequi conſtituerat, aurea Numiſmata ſint præpoſita. Ut

autem

autem in horum Numiſmatum explicatione & memoriæ proſpiceret, & temporum ordinem ſervaret, diligenter cavit. Alphabeticum vero ordinem in nummis aureis Regum, urbium, populorum, itemque Imperatorum, recenſendis ante oculos habuit. Hinc, ut exemplum hujus rationis afferamus, in Claſſe I
agmen ducit *Arſinoe*, *Ptolemæi Philadelphi* uxor, quam excipit Tom. II
Alexander M., *Perſeus*, Macedoniæ Regum ultimus, *Pharnaces*, pag. 7.
Seleucus Νικάτωρ, *Antiochus* Θεὸς, *Demetrius* Σωτὴρ, & *Lyſimachus*. Ipſa nummorum explicatio ita eſt comparata, ut nec ſagacitatem, nec doctrinam, nec modeſtiam, in ea deſideres. Ubi enim nummum invenerat aureum, qui in adverſa *Achil-*
lis caput galeatum, in averſa autem *Thetidis*, ſimulacrum ex- 11.
hibet, hoc ipſum numiſma ad *Alexandrum M.* pertinere, acute conjicit, quod vel ipſe, vel Macedones, quo plus dignitatis & gloriæ prona in obſequium adulatio haberet, cudi juſſerint. Gloriatum vero eſſe *Alexandrum*, ſe jure materni generis *Achillem* agnoſcere autorem, *Vellejus* memorat. *Thetis* vero arma quædam oſtendens in altera nummi parte ideo eſt effiacta, quia caſſidem & thoracem filio *Achilli* impetraſſe, apud *Homerum* dicitur. Ita & alium nummum, caput *Palladis*, galea, cui ſerpens inſculptus, ornatum, exhibentem, in cujus altera parte Victoria ſtans, dextra coronam, læva tridentem, & pone fulmen, gerens, viſitur, ad eundem *Alexandrum* re-
ferre, nullus dubitat; cum ille ipſe *Alexander Minervam* im- 12.
penſiſſime coluerit, eidemque omnes victorias adſcripſerit. In Cilicia enim conſtitutus, eidem ſub *Magarſitis* cognomine ſacra feciſſe, *Arriano* dicitur. Serpens, galeæ *Minervæ* inſculptus, prudentiæ ſymbolum eſt. Victoria in altera nummi parte coronam Regi victori offert, ac tridentem præfert, quaſi terræ mariſque dominum *Alexandrum* deſignet. Fulmen eſſe additum, ad celeritatem tanti Regis in victoriis reportandis celebrandam, prudentiſſime Cel. Autor conjicit. Cum nummus ipſi occurreret, caput *Minervæ* galeatum præ ſe ferens, in altera autem parte Victoriam gradientem, quæ dextra coronam, ſiniſtra palmam, infra autem vaſculum, habet, oſtendens, nullam vero habens nec in antica, nec poſtica, parte

 epigra-

epigraphen, illum tamen in *Seleuci*, Syriæ Regis, qui præclara vi-
ctoria *Lyſimachum* ſuperavit, honorem cuſum eſſe, hariolatur.
Pag. 15. *Alexandrum* enim imitatus hic *Seleucus*, non ſuam, ſed *Palladis*,
effigiem nummo curavit inſculpendam, cum, eam ſibi quo-
que in bello propitiam fuiſſe, arbitraretur, id quod locus
Juſtini, a Cel. Autore adſcriptus, ſatis corroborat. Vaſculum,
quod in nummo viſitur, ludos, a *Seleuco* victore celebratos,
indicare videtur. Erant enim vaſa, tripodes, & pateræ, vi-
ctorum in certaminibus illuſtria præmia, uti ex antiquis ſcri-
ptoribus loci bene multi declarant, & vetera monumenta, quæ
paſſim in Bibliothecis deprehenduntur, & athletas victores, va-
ſculum oſtentantes, præferunt, clare indicant. Alius nummus,
cui *Lyſimachi* caput, ornatum regio diademate & cornibus
arietinis, inſculptum eſt, ſed in cujus altera parte *Minerva*, cly-
peo innixa, in throno ſedens, dextra Victoriolam, quæ coro-
18. nam offert, læva haſtam, gerens, viſitur, Cel. Autori cuſus vi-
detur, poſtquam *Lyſimachus Antigonum*, *Demetrii* filium, &
Pyrrhum ingenti prælio ſuperavit, totaque Macedonia, teſte
Pauſania in *Atticis Lib. I Cap. 10*, potitus eſt. Hoc ipſi de-
clarare videtur *Minerva νικοφόρος*, Macedonum tutelare nu-
men, quæ Victoriolam, volanti ſimilem, & coronam, quam ma-
nu gerit, *Lyſimacho* offert, indicatque, eum animi magnitu-
dine, philoſophia ipſa, uti narrat *Juſtinus Lib. XV Cap. 3*, vi-
riumque gloria, omnes, per quos Oriens domitus eſt, devi-
ciſſe. Arietinis autem cornibus *Lyſimachus* ornatur, quia, di-
viſo *Alexandri M.* imperio, Macedoniæ videtur eſſe potitus,
utque *Alexandri* divinæ originis & gloriæ ſe oſtenderet hære-
dem, præter diadema, arietina etiam cornua adſciviſſe. Eſt
quidem hæc ſententia plurimorum, cui, uti videmus, & Cel.
Autor calculum ſuum adjecit. Cum vero alii diſſentiant, &,
in hiſce nummis non *Lyſimachi*, ſed ipſius *Alexandri*, vultum
expreſſum eſſe, contendant, eo, quod nullus *Alexandri* ſuc-
ceſſorum hunc capitis ornatum in nummis uſurpavit, non in-
jucundum lectoribus fore arbitramur, ſi, quæ Vir Cl. *Joannes
Georgius Wachterus*, qui, ob ſingularem harum rerum pe-
ritiam, mirifice Lipſiam noſtram illuſtrat, in *Archæologia num-*

maria

Digitized by Google

maria pag. 67 in contrarium affert, contulerint. Nummum, qui caput muliebre, diademate & velo ornatum, cum epigraphe PIETAS, in altera autem parte *Veſtam* ſedentem velato capite, dextraque palladium, læva ſceptrum, ſive haſtam, tenentem, exhibet, ad *Liviam* Auguſtam ideo refert, quia alia ex ære conflata numiſmata exſtant, in quibus eadem *Livia* cultu Dearum, Pietatis, Juſtitiæ, & Salutis, expreſſa eſt. *P. Licinii Gallieni* imaginem armatam, in auro expreſſam, poſt bellum cum Perſis A. C. 275 confectum efficţam eſſe, conjicit. Viſitur enim *Gallienus* ſpecie proficiſcentis ad bellum, capite dextrorſum converſo, armis inſignis. *Gallienum* vero de Perſis triumphaſſe, & equeſtri ſtatua ornatum eſſe, *Trebellius Pollio* in ejus vita commemorat. Baltheo gemmato hunc Imperatorem eſſe uſum, quo cinctus in nummo comparet, idem *Trebellius* autor eſt. In Romæ antiquæ nummis haud raro occurrere caput *Herculis* juvenis, Nemeæi leonis exuviis contectum, in altera autem parte ratem cum epigraphe *Roma*, additis utrobique tribus globulis, qui quadrantes, ſeu quartam aſſis partem, valere declarant, obſervat. Hanc obſervationem ad nummi ærei, qui caput *Herculis*, contectum apri exuviis, & pone tres notas, ſeu globulos, in altera autem parte taurum, & ſub eo ſerpentem, ocyſſime currentes, ſuperne tres itidem globulos, infra epigraphen: ROMA, exhibet, ingenioſe transfert. Taurum videlicet Italiæ originem, & *Herculis* genus, reſpicere, contendit. Italiam enim dici ferunt vel ab *Italo* duce, vel ab uno taurorum *Geryonis*, quos *Hercules* abegit. Taurum nempe Tyrrheni, ſeu, ut alii ſcribunt, Graeci, ἰταλὸν dixere. Serpens etiam, qui in illo nummo viſitur, peculiarem aliquam fabulam, quæ ad *Herculem* ſpectat, indicat. Condito enim *Jovis* templo in Capitolio, cum *Tarquinius Superbus*, coloniis mittendis, occupare latius imperii fines vellet, & Signiam Circeiosque coloniam miſiſſet, memorat *Livius*, anguem, ex lignea columna prolapſum, fugam in regiam ejus feciſſe. Memoriæ quoque proditum, *Romam*, *Æſculapii* filiam, Romæ urbi nomen impoſuiſſe. Nummus autem, de quo jam agitur, eo fortaſſis tempore cuſus eſt, quo

Pag. 21. 24. 37.

validæ

Digitized by Google

validæ Romanorum vires erant, devictis potiſſimum Etruſcis & Carthaginenſibus, id quod taurus & ſerpens videntur indicare. Nummum *Hadriani*, in quo iſte Imperator, præter morem, ægide, quam *Gorgonis* caput & gryphus ornat, eique *Minerva* jaculum, ſeu haſtam inverſam, præferens, deprehenditur, cuſum
Pag. 78. eſſe cenſet, poſtquam Sarmatarum, Roxolanorum, vel Maurorum, tumultus Imperator ille repreſſit. Siniſtrorſum enim apparet barbarus miles, ſculptus in clypeo. *Minerva*, armorum Dea, bellicam *Hadriani* deſignat virtutem, cum, *Spartiano* teſte, armorum peritiſſimus, & rei militaris ſcientiſſimus, fuerit. Cum in Mediceo theſauro nummum *Hadriani* inveniret Cel. Autor, in averſa adeo temporis injuria corruptum, ut, præter nudam figuram ſtantem, & menſam cum vaſculo, nihil in eo poſſet videri; eum ex alio numiſmate, eximio atque integerrimo, cum typo aſſimili, quod Romæ in Cimeliarchio Prin-
79. cipis *Chiſii* aſſervatur, ſupplet. Figuram nimirum, in nummo comparentem, *Apollinem* denotare, exiſtimat, qui dextra, ut videtur, duplicem ramuſculum gerit, ſiniſtra vero arcum. Infima nummi pars notam Conſulatus *Hadrianei* exhibet. Vaſculum, quod ante *Apollinem* poſitum eſt, non eſſe diotum, contra *Vaillantium* contendit. In antica Medicei numiſmatis deeſt nota *P. P.* quæ *patrem patriæ* indigitat, quæ tamen in *Chiſiano* habetur. *Apollinem* vero Muſarum principem ac ducem ſculptum ideo arbitratur, uti declaretur, *Hadrianum* diſciplinas omnes complexum eſſe, praeſtantesque doctrina atque artibus viros mirifice foviſſe. Præmia etiam, quæ in eruditis *Apollinis* certaminibus, qualia inſtituere ſolebat, vel accepit, vel ſubinde dedit, indicare Cel. Autori videtur menſa, cum lebete ſuperimpoſito. Duplex lauri ramus, quem *Apollo* in manibus gerit, auguratorium innuit, quod *Hadrianus* pecunia ſua Romæ reſtituit, & cujus etiam mentio in vetuſto marmore, a *Grutero* evulgato, injicitur. Probabile etiam eſt, cum nummus Romæ percuſſus ſit, *Apollinem* innuere vaticinium, quod *Hadriano* de futuro imperio factum eſt in Mœſia inferiore, extremis *Domitiani* temporibus, uti *Spartianus* prodidit memoriæ. Hæ igitur, quas ſpeciminis loco attulimus,

con-

Digitized by Google

conjecturæ utique declarant, quanto ingenio polleat *Gorius*, qui non ſine fundamento, uti quorundam mos eſt, hariolatur, & ſomnia lectoribus obtrudit, ſed multis antiquorum locis ea, quæ tradit, ita confirmat, ut ſummum probabilitatis gradum attingant. Plenum eſt & refertum totum ejus Opus ingenioſiſſimis ejusmodi conjecturis, & nummorum interpretationibus, quibus non ſine ſumma voluptate omnes antiquitatum ſtudioſi utentur. Sed maximam idem etiam in omni antiquitatis & hiſtoriarum genere doctrinam prodit. Occaſione nummi aurei ſummæ raritatis, in *Joannis Palæologi*, cum Florentiæ, Concilii celebrandi cauſa, ageret, honorem cuſi, de Concilio illo Florentino, anno Seculi decimi quinti triceſimo nono conſummato, ſumma eruditione diſputat. Oecumenicum illud vocat, in eoque cum de præſcriptis fidei dogmatibus diu diſceptatum eſſet, Eccleſiam tandem Græcam & Latinam in unam eandemque doctrinam conſpiraſſe, ſtatuit. Exſtat memorandi hujus conſenſus monumentum egregium, tabula marmorea baſilicæ Florentinæ, quæ cum multum ad ejus hiſtoriam cognoſcendam faciat, integram ejus inſcriptionem Cel. Autor exhibuit. *Joſephum*, Patriarcham Conſtantinopolitanum, Florentiam pridie Idus Januarias ejusdem anni veniſſe, &, cum ſancitis dogmatibus propria manu ſubſcripſiſſet, paulo poſt ibidem deceſſiſſe, obſervat. Honorifico is ſepulcro in templo S. *Mariæ Novellæ* donatus eſt, ejusque imago integra, picta in area marmorei ſepulcri, quo conditus eſt, viſitur. Legitur & in ea area Latinis Græcisque verſibus conceptum epitaphium, quod, cum nondum fuerit editum, totum Cel. Autor nobis legendum dedit. Chartam authenticam, in qua ſolennis ille Græcæ cum Romana Eccleſiæ conſenſus publice declaratus eſt, cuique manu ſua ſummus Pontifex *Eugenius IV*, Imperator *Joannes Palæologus*, (& hic quidem rubro charactere,) itemque Latini & Græci patres, ſubſcripſere, in argentea theca aſſervatur in gazophylacio magni Ducis Etruriæ. Ex ima chartæ iſtius parte annexum pendet aureum ſigillum, quod Cel. Autor *Tab. VI n. 2* primus æri inciſum exhibuit. Celebratiſſimi ſunt in antiquitate nummi, qui *ciſto-*

Pag. 29. 30.

Digitized by Google

phori vocantur, & a ciſta Liberi patris, e qua ſerpens proſilit, in illis comparente, nomen acceperunt. In honorem Proconſulum Romanorum in Aſia minore tales Ciſtophoros ſubinde percuſſos fuiſſe, conſtat, eorumque haud paucos viri de re antiquaria valde promeriti, *Vaillantius*, *Seguinus*, *Patinus*, *Liebius*, *Haymius*, & *Pamelius*, evulgarunt. Cel. Autor vero eorum numerum inſigniter jam adauxit, quando tria hujus generis numiſmata, quæ nullus antiquariorum hucdum vidit, primus lectorum conſpectui ſtitit. Prior ex illis ad *C. Claudium*, ſive *Clodium Pulcrum*, quem *Appii Claudii Pulcri* patrem fuiſſe, ex *Cicerone* diſcimus, pertinet. Hic cum *M. Perperna* Conſul fuit anno U. C. 623. Quo vero anno Proconſul Ciliciam adminiſtrarit, veterum teſtimoniis deficientibus, certo conſtitui non poteſt, quamvis Cel. Autori poſt Conſulatum eam provinciam cum imperio adminiſtraſſe videatur *Clodius*. Sigla, dextrorſum addita, ΠΕ, Aſiæ principem urbem, atque imperii caput, *Pergamum*, denotat. Baculus, ſiniſtrorſum propoſitus, cui ſerpens circumvolvitur, Aſiæ, & inprimis Pergami, inſigne videtur, cum in aliis etiam Pergamenorum nummis hæc figura deprehendatur, &, Pergamenos *Æſculapium* ſumma religione coluiſſe, ex *Pauſaniæ* variis locis conſtet. Subditum eſt in nummo *Menophanti* nomen, qui, ex Cel. Autoris ſententia, Prytanæi princeps fuit. Alter ciſtophorus ſemiapertam ciſtam, ex qua ſerpens proſilit, in medio coronam ex hederæ foliis & baccis, abſque inſcriptione, exhibet. In altera parte duo ſerpentes, invicem implexi, apluſtrum & aſpergillum complectuntur. In area tria ſigla comparent, lævorſum ſceptrum, ſeu baculus, cui advolutus ſerpens. Prænomen nimirum, nomen, & cognomen, *Appii Claudii Pulcri*, per ſiglam priorum literarum A. C. P. expreſſa ſunt, cum alius Ciſtophorus, a *Seguino* editus, nomen hoc integre ſcriptum proferat. Altera, quæ in nummo comparet, ſigla ipſum Prytanæum denotat, &, tertiam Pergamenos indicare, non obſcurum eſt. Is ipſe *Appius Claudius*, *C. Claudii Pulcri* nepos, anno 700, uti *Dio Caſſius Hiſt. Rom. Lib. XLVIII* autor eſt, cum *L. Domitio Ahenobarbo* Coſ. magiſtratu exiens, Ciliciæ præfuit, resque

Pag. 40.

reſque per triennium tam præclare geſſit, ut Imperatoris nomen ſuſceperit, id quod & ejus nummi, & *Ciceronis* autoritas, evincunt. In tertii Ciſtophori antica parte ciſta ſemiaperta, in quam inſilit ſerpens, viſitur. Poſitæ in medio coronæ, hederæ foliis & baccis inſignes, abſque inſcriptione. In altera nummi parte, ſerpentes, ſimul implexi, templum tetraſtylon utrinque complectuntur, cujus faſtigio ſimulacrum Deæ, dextra pateram, ſiniſtra haſtam, ſeu ſceptrum, tenentis, ſuperimpoſitum eſt. Dextrorſum ſigla PA. ſiniſtrorſum aquila, fulmini inſiſtens, cernitur. In inſcriptione legitur *C. Fannius Pont*. Anceps igitur hæret Cel. Autor, cui ex *Fanniorum* gente, plebeja, an conſulari, eximium ac ſingularem hunc Ciſtophorum tribuat. Complures ex *Fanniis* ab Autoribus antiquis laudantur, ſed eorum cognomina non indicantur. Cum cognomine duntaxat memoratur *L. Fannius Strabo*, qui A. U. C. 593 cum *Valerio Meſſala* Conſul fuit. Ciſtophorus noſter exhibet *C. Fannium Pont*. quam ſiglam per Ponticum Proconſulem interpretatur. Aſſignat ergo nummum *C. Fannio*, qui cum *M. Nonio Suffenate Cn. Pompejum* in Græciam anno U. C. 404, vel 405, ſecutus eſt, eumque paulo poſt proconſulare imperium in Aſia minore obtinuiſſe, conjicit. Sigla PA Pamphyliam provinciam ipſi indicare videtur, in qua fortaſſis nummus iſte cuſus eſt. Dea, templo ſuperimpoſita, aut *Junonem*, aut *Minervam*, indicat, quæ templum ibi habuiſſe videtur, ejusque ſacerdos dictus eſt *Menander*, cujus nomen in ima nummi parte legitur, ubi in ſpatio, temporis injuria detrito, vox ἱερεὺς dubio procul fuit appoſita. Cæſaraugustæ in Hiſpania incolas divinis honoribus *Tiberium Cæſarem* vivum adhuc coluiſſe, varii nummi docent. Templum vero ab illis *Pietati Auguſtæ Tiberii* dedicatum fuiſſe, primus Cel. Autor obſervavit, quando nummum æneum, ad hoc tempus ignotum, evulgavit, quem inter ſua cimelia recondidit præſtantiſſimus veterum elegantiarum æſtimator, Marchio & Eques *Joſephus Nicolinius*. Elegantem etiam nummum, in *Hadriani* Imperatoris honorem cuſum, in quo ſus, lactans ſucculos ſub ilice, comparet, rectiſſime interpretatur, &, ſuem,

Pag. 55.
75.

 ſucculos

fasciculos lactantem, primos urbis Romæ natales denotare, obſervat, cum apud *Virgilium Æneid. VIII*, 43, fauſtum dicatur & auſpicatum *Æneæ* & *Aſcanio* ea res fuiſſe omen. Quamvis igitur vel ea, quæ jam in medium protulimus, Cel. Autoris ſummam eruditionem affatim loquantur, omnesque merito in ejus admirationem rapiant, eo pluris tamen prudentibus rerum æſtimatoribus Vir ille faciendus erit, quo majorem ipſe cum ampliſſima eruditione modeſtiam conjungit. Neminem eruditorum laude ſua privat, nec, uti perverſus quorundam mos eſt, ſe ſolum ſapere exiſtimat. Diſſentientes modeſte ſemper confutat, &, ſi qui errores a nonnullis commiſſi ſunt, (hæc enim in re tam difficili & lubrica vix evitari poſſunt,) ea non niſi comiter & amice corrigit. Neque, omnia ſe, quæcunque demum in nummis occurrunt, ad liquidum poſſe perducere & interpretari, jactitat, longiſſime remotus ab eorum arrogantia, qui, inanem gloriolam capturi, nihil inveniri poſſe, quod ingenii aciem fugiat, nugantur. Certe, ubi Noſter nummum aureum *Perſei*, Macedonum Regis, invenerat, non ſolum *Begerum*, qui numiſma argenteum huic ſimile,
Pag. 13. evulgarat & illuſtraverat, ſummis mactat laudibus, verum etiam, palantes in illo nummo literas ſe non intelligere, & aliis earum explicationem relinquere, candide profitetur. In nummo *Pharnacis* Regis illuſtrando cum facem ei prætuliſſet Ill. *Spanhemius*, ejus etiam explicationem, non ſine honoris præ-
14. famine, adducit. Eodem cultu eminentiſſimum *Noriſium* pro-
22. ſequitur, quando de nummo aureo *Diocletiani* & *Maximiani*
Aug. diſputat. In nummo *Auguſti* æreo inſcriptionem, quam vetuſtas exedit, nec non literas M. A. quæ lyram circumſtant,
53. ſe non intelligere, profiteri nullus dubitat. Supererant adhuc quædam numiſmata, quæ in *tertio* hujus Operis *Volumine* illuſtrantur. Præfatus eſt ei verbis modeſtiſſimis. Cum nimirum Operis editio avidiſſime ab eruditis flagitaretur, viginti menſium ſpatio hoc *Volumen* erat conficiendum. Eo facilius ergo veniam ſe ab æquis lectoribus impetraturum eſſe, Cel. Autor ſperat, ſicubi offenderit; cum præſertim illos, qui conſilio & opera olim eum adjuverant, morte ſibi ereptos doleat, & Indices ipſemet

Digitized by Google

met conficere fuerit coactus. Inveſtigavit autem potiſſimum tempus & occaſionem, qua in honorem Auguſtorum Auguſtarumque excuſa fuerint hæc numiſmata. Ad pleniorem eorum explicationem alios frequenter nummos ex ære maximo deſcripſit, & illuſtravit, ut exinde illi, quos adducit, lucem caperent. Cujus rei ut ſpecimina quædam demus, explicanti nummum *Severi*, in quo Imperator iſte laureatus, pectore dextrorſum nudo, lævorſum ſquamata ægide armato, cernitur, altera vero pars Romam galeatam ſtantem oſtendit, viſum eſt ad ſimiles nummos, qui in aliis Muſeis exſtant, provocare. In illis enim omnibus herois ſpecie inſignis viſitur *Severus*, in nonnullis etiam thorace munitum habet pectus, cum *Gorgone* in medio. *Jovi* nimirum aſſimilatur, quem ægide armari ſolitum, ex *Homero* conſtat, propterea quod, ſuperatis tribus Imperatoribus, ſolus tandem Romano imperio potitus eſt. Averſam nummi faciem Romam exhibere, Cel. Autori certiſſime perſuaſum eſt. Quamvis enim in aliis quibusdam *Severi* nummis, eundem cum noſtro typum habentibus, *Martis* imago in averſa parte deprehendatur, inque noſtro, valde jam detrito, Roma exſertam nudamque papillam non bene oſtendat, differre tamen cenſet a *Martis* ſpecie cultum veſtium, qui Romæ tribuitur. Immo, re vera *Romam* hic exhiberi, non *Martem*, ex alio nummo, qui in Regis Chriſtianiſſimi theſauro aſſervatur, comprobari poſſe, contendit. Neque improbabilis hæc ipſi videtur opinio, cum, uti variis exemplis illuſtrat, non ſolum ſedens, verum etiam ſtans nonnunquam, in antiquis nummis effingatur Roma. Eadem ratione nummum ex ære flavo illuſtrat. Viſitur in eo Imperator *Severus* laureato capite, & pectore lorica armato. In altera parte corona laurea, ſex radiis ornata, comparet, & ex inſcriptione intelligitur, eum a Tarſenſibus eſſe percuſſum, quando ſolennia ἐπινίκια, quæ & Σεβηρεῖα dicta ſunt, in honorem Imperatoris Tarſi celebrata ſunt. Duos adeo alios hujus generis nummos adducit. Prior enim, ex theſauro Galliarum Regis depromtus, ab *Andrea Morellio* primum editus, & ab *Ez. Spanhemio* peculiari Diſſertatione illuſtratus eſt. Alterum *Vaillantius* deſcripſit, & apud ſe aſſer-

Tom. III pag. 8.

12.

Digitized by Google

vari teſtatus eſt; ſed ejus ſchema nec ipſe, nec alii, evulga-
runt. Horum igitur nummorum explicationes, a viris doctis
prolatas, ſtudioſe adducit, & deinde ad Mediceum nummum
accedens, eum ab homine quodam vaferrimo pro genuino, qui
Pag. 16. in gaza aſſervabatur, ſuppoſitum hariolatur. Corona enim, in
eo comparens, & laurea eſt, & radiata, cum tamen in nummo
Regis Galliæ eadem corona radiata, non vero lauri foliis com-
poſita, ſed ſolida, appareat. Inſuper etiam non ſex radiis, ut
in Mediceo, ſed ſeptem, nobilitatur, quorum quatuor in acu-
men deſinunt, reliqui vero tres intorti abeunt, & quaſi flam-
mas imitantur. Accedunt alia adhuc argumenta. Nempe
utriusque faciei numiſmatis opificium νόθον apoſphragiſma
exhibet, neque ejusdem nummi pondus æquum eſt & con-
veniens. Cum typo inſuper aliorum numiſmatum non con-
gruit corona, quæ laurea ſimul eſt, & radiata. Coronæ enim
laureæ, aut quernæ, quæ in nummis viſuntur, nunquam ra-
dios habent, &, ubi radiatæ coronæ comparent, ſolidæ ſunt,
neque foliis conſtant. Nummum *Severi*, temporis injuria
adeo corruptum, ut epigraphe in ambitu alterius faciei, ex-
ceptis duntaxat quibusdam literulis, legi non poſſit, ex num-
35. mis theſauri Gallicani & Piſani reſtituit, atque illuſtrat, lite-
ras in eo obvias CTPA. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ CΟΦΙ. ſub
Prætore *Claudio Rufino* Sophiſta denotare, contendens. Ille
enim *Claudius Rufinus* Sophiſta, Smyrnæorum Prætor, carus
inprimis fuit *Severo*, & *Antonino*, ejus filio, quorum permiſſu
vacationem ab aliis muneribus integram aſſecutus eſt a Smyr-
næis civibus ſuis, uti honorifica de eo inſcriptio, quam *Sponius*
in *Itiner. Athen.* affert, declarat. Nummus quidam Mytile-
næorum, in honorem *Antonini* Imperatoris cuſus, figuras qui-
dem integras oſtendit; at epigraphe præſertim averſæ par-
tis injuria temporis ita labefactata eſt, ut & viri oculatiſſi-
mi in ejus explicatione hallucinati ſint. Et, cum quamplurimæ
ſint & diverſæ hoc de nummo eruditorum conjecturæ, lucem
in tantis tenebris accendit immortalis vir gloriæ, *Vaillantius*,
qui, integrum aliquem Mytilenæorum nummum, eidem *Anto-
nino* dedicatum, eundemque typum præferentem, deſcribens,
veram

Digitized by Google

veram ejus epigraphen conſtituit. Cel. Autor vero, *Vaillantii* circa hunc nummum merita ſuperaturus, ut extra omnem difficultatem & dubitationem ejus ſententiam poneret, operam dedit. Uſus nimirum eſt ope & conſilio Abbatis *Antonii Nicolinii*, qui, cum ſciret, Ericorum numiſmata in cimeliarchium *Theupolæ* gentis tranſiiſſe, a *Barbonio Moroſinio* idem numiſma, ad fidem ejus, quod *Vaillantius* ſe deſcripſiſſe affirmat, diligenter delineatum, accepit, permittente *Laurentio Theupolo*, equite, qui hunc ipſum nummum in gazophylacio, quod poſſidet, exquiſitiſſimo aſſervat. Ope iſtius nummi, Medicei numiſmatis epigraphe, pæne deleta, feliciter reſtituta eſt; & hoc pacto res, quæ tot difficultatibus fuerat implicita, egregie dilucidata. Hujus generis vero explicationes Cel. Autor innumerabiles profecto attulit, &, ſi nos omnes veneres, quas hoc in Opere lector deprehendet, hic enarrare vellemus, tempus & charta prius, quam materia ſcribendi, nos deficeret. Quamplurimas enim difficultates ſublatas, multa ultimæ antiquitatis argumenta egregie pertractata, quamplurimos nummos, qui hucdum eruditis incogniti fuerant, evulgatos, reperias. Unde certiſſime & ex vero affirmari poteſt, nobiliſſimam artem, quæ in illuſtrandis veteribus nummis occupatur, per has Cel. *Gorii* lucubrationes inſigne incrementum accepturam eſſe. Ut vero nihil prorſus in opere abſolvendo deſideraretur, & eo commodius illo uterentur eruditi, Indices locupletiſſimi additi ſunt. Eorum prior inſcriptiones, quæ in poſtica nummorum parte deprehenduntur, indicat. Hunc Index Geographicus, quo urbes & populi, qui numiſmata in honorem Imperatorum percuſſerunt, declarantur, excipit. Tertius Index typorum eſt, quibus nummi ornati ſunt. Quartus viros, urbium magiſtratu, & dignitate ſacra, vel civili, ornatos, alphabetico ordine recenſet. Ultimo loco Index rerum, quæ in antiquis nummis obſervantur, ſequitur. Emendanda denique leviuſcula quædam coronidis loco adjiciuntur. Fruere igitur, benevole Lector, hiſce amœnitatibus eruditæ antiquitatis, quas Cel. *Gorius* tibi propoſuit, utque propediem & reliqua antiquitatum cimelia, quæ in Florentino theſauro proſtant,

Pag. 48.

Digitized by Google

ſtant, ejus opera perpolita & illuſtrata evulgentur, nobiſcum precare.

SIMONIS BALLARINI, PRESBYTERI ROMAni, J. U. D. & Bibliothecarii, Archiepiſcopi, Epiſcopi Carpentoracti, Animadverſiones in Muſeum Florentinum Antonii Franciſci Gorii.

Carpentoracti, 1743, 4 maj.
Plag. 2.

Quo conſilio brevem hunc libellum, qui *Muſeum Gorianum* vocat ſub cenſuram, Cl. Autor ſcripſerit, ipſe in Epiſtola, ad *Proſperum Petronium*, Interpretem Græcæ linguæ Vaticanum, data, & huic ſcripto præmiſſa, declarat. Laudat principio *Muſeum* illud *Florentinum*, quod tam ſcite elaboratum *Goriano* ſtudio profitetur, pauci ut hac ætate, tot obſcuriſſima vetuſtatis arcana explicandi dexteritate pares, reperiantur. Neque eo ſecius animadvertit, non modo leviter ab eo quædam attingi, quæ explicatius accuratiusque *Ballarinus* vellet, tradita, ſed ea etiam, quæ certiſſima *Gorius* poſuerit, haud ſemper eſſe ejusmodi, ut accredi penitus poſſint. Quid ergo? *Ballarinus*, dum grande Opus perluſtrat, tumultuaria quædam opera ſchedis ſuis committit, ex quibus deinceps prodierunt, quas hic vides, annotatiunculæ, perbreves illæ quidem, ſed quas latius explicare, politiusque formare, Autor Clariſſimus, quamvis vellet, pluribus diſtrictus laboribus, non potuit. Satis ergo habet, annotaſſe nonnulla, quæ quo ſint loco habenda, exſpectat *Petronii* ſui ſententiam.

His ex Notulis quædam ut ſeligamus, illud minus probatur *Ballarino*, quod *Gorius*, in tertia Claſſe *Tomi I*, Philoſophorum, Poetarum, aliorum illuſtrium virorum, imaginibus nomina adſcripſerit, idque ad fidem figurarum *Fulvii Urſini*. Capita enim, probat, ab *Urſino* plerumque ex ingenio, vel conjectura, ad hunc, vel illum, referri, quædam ex numis

numis eſſe depromta. Ex his autem numis multos, ait Noſter, nunquam viſos, eoque fidem haud mereri, alios, cum titulo careant, qualis adſit effigies, dubios nos incertosque dimittere. In gemmis nunquam nomina, niſi interdum artificum, capitibus apponi, contendit, ut *Fulvii* ſola autoritas hic nihil efficiat. Fatetur etiam, protomas marmoreas, apud eundem *Urſinum* obvias, antiquitatem quidem habere, harum tamen epigraphas omnino recentiorem manum oſtendere. Pleraque tandem horum monumentorum, ſubjungit, multis annis poſt mortem eorum, quorum exprimant icones, elaborata fuiſſe, tantoque ſtudioſius cavendum antiquario, ne talia, ut fit, literato orbi pro certis obtrudat. *Pag. 16* ejusdem *primi Voluminis* mentio fit *Antoniæ, Druſi Cæſaris* conjugis. Hic Noſter negligentiæ inſcitiæque *Varronem* Tuſcorum poſtulat. Negligentiæ, quod *minor* hæc dici debeat, ut diſcernatur ab ſorore, *Antonia majore*, quæ nupſerit *L. Domitio Abenobarbo*. Inſcitiæ, quod illius *Antoniæ* maritus minime fuerit *Druſus Cæſar*, id eſt, filius *Tiberii Auguſti*, ſed *Nero Claudius Druſus*, hujusce frater. Negat idem Noſter, *Agrippinam*, neptem *Auguſti*, recte *Juliam pag. 21* a *Gorio* appellari, cum ejus pater, *M. Agrippa*, nunquam in familiam *Juliam* adoptione tranſierit, ac potius *Viſpaniam* (quidni *Vipſaniam?*) eſſe eam, a patre, vocandam. Caput Hyacinthi, quod *Tab. XXXII n. 3* effingi, dixerat *Gorius*, Noſter non agnoſcit. Ex diademate, quod ibi cernitur, Regem potius indicari, quam regium juvenem, colligit. *Pag. 81 Gorius* ſignum *Herculis* ΟΠΛΟΣΜΕΝΟΥ adducit. At *Ballarinus: Lege* ΟΠΛΙΣΜΕΝΟΥ. Quod leviculum. Dixerat *pag. 86* Myſtagogus Florentinus, *Herculem* eſſe *inter Deos ἐπιφάνεις connumeratum. Ballarinus* primum: *Lege ἐπιφανεῖς*. Bene. Sed deinde idem: *Nullum vero peculiare fuit Θεῶν Ἐπιφανῶν collegium*. At neſcimus, cur non, ſicut Diis Συννάοις, Συνθρόνοις, Συμβώμοις, hic vel ille dicitur annumerari, quorum haud peculiare fuit Collegium, pari modo poſſit idem valere de Diis Ἐπιφανέσι. Nec conceptis ille verbis Collegium nominat, ſed tantummodo *connumera-*

tum dicit. *Vitam* autem *Scipionis*, quam Autor Muſei *pag. 62 not. 4 Plutarcho* tribuit, nos nullam habere, Noſter monet. Oſtendit etiam ex Critica *Pagiana*, *Hadrianum*, cujus mortem *Gorius pag. 33* in *quadrageſimum ſecundum* annum ætatis poſuerat, annos ſexaginta duos potius vixiſſe. Nec concedit, *Macrinum* ſe modo *Severum*, modo *Antoninum*, nuncupaſſe. Namque in numis ſæpe quidem *Severum*, ſed nunquam *Antoninum*, eum vocari. *Tab. XLIII*, in *Gemma 7* & *10*, doctus Animadverſor minime *Virgilium*, ut *Gorius*, ſed *Dramatum Poetam*, propter larvam additam, agnoſcit. *Alter Tomus Muſei Florentini* commemorat, in *Præfatione*, *Cannas*, Romanorum quondam clade nobilitatas, quæ *nunc Canuſium*. Sic *Gorius*. *Ballarinus* contra erudite probat, nec veterem urbem *Canuſium*, lanæ præſtantiſſimæ proventu valde celebrem, nec hodiernam *Canuſium*, quæ & *Canoſa*, & *Canoſſa*, cum antiquis *Cannis*, vico Apuliæ Peucetiæ, eſſe confundendam. Neminem etiam Geographorum veteres *Cannas* cum recentiore commiſcuiſſe *Canuſio*. Caput, quod in *XII Tabula* Sarda præfert, non, cum *Gorio*, ad *Herculem* refert, ſed ad *Jovem*, cumque recentiores artifices nomina Gemmis antiquis ſint inſcribere ſoliti, idem etiam de altera Gemma, in qua HANNIBAL, poſſe exiſtimari. Victorem Olympiæ, in ejusdem *Tabulæ Gemma tertia*, perinde ac *Gorius*, Noſter quidem agnoſcit; inſcriptionem tamen, monet, ſine hæſitatione legendam, MNHC — Hτι OΛYMΠIAC, *Memineris Olympia*, ubi nempe victor coronam es adeptus. Formulam loquendi, *miſſum facere*, gladiatoriam eſſe, idemque ſonare, quod, victum ſe fateri, *Gorio*, ad *Tab. XVII*, 4, id affirmanti, minime dat *Ballarinus*, præſidiumque, in quo hæc nitatur opinio, deſiderat. Quæ num recte notentur, viderint doctiores. *Miſſio*, vox gladiatoria, cum victi liberarentur ab imminente mortis periculo. Hanc autem miſſionem cum ſuis a victoribus implorarent læſi gladiatores, quod *Quintiliano* eſt, *rogare miſſionem*, & *Martiali*, *petere miſſionem*, ut *Juſtus Lipſius Saturn. Serm. II*, 21, obſervat, ecquam aliam, quæſumus, fuiſſe, putes, formulam rogationis,

quam

quam hanc: *Fac me miſſum.* Præterea *Ballarinus* monet, *Urſum togatum*, in *Gruteriano* marmore, minime feram beſtiam indicare, ut *Gorio* viſum, ſed eſſe nomen viri. *Tab. C n. 2 vultum ſenilem* & *barbatum* ideo non poſſe, cum *Gorio*, ad *Auguſtum* referri, quod *Hadrianus*, primus omnium Imperatorum, barbam alere cœperit, ſatis quidem perite Cl. Autor annotat; utrum tamen ejusdem *Hadriani* vultus hac in Sarda, de quo ipſe non dubitat, exprimatur, id vero firmiorem deſiderat probationem, ſi, ejusdem quoque ſucceſſores, idem inſtitutum ſecutos, bene barbatos inceſſiſſe, memineris. Ad *tertium Volumen Muſei Etruſci* duo notat Animadverſor, ſed non ita magni momenti. Alterum reſpicit verba Præfationis: *Pancratiſtarum, ſive, ut ajunt, Luctatorum.* Hæc *Ballarino* videntur cera miniatula digna eſſe, propterea, quod confundantur πάλη & παγκράτιον, quæ tamen differant ſicut pars & totum, compoſito ex Luctatione & Pugillatu Pancratio. *Gorium* ergo deceptum cum vulgo. At, quomodo id doctiſſimo Antiquario vitio dari poſſit, nos haud intelligimus. Videtur potius ille caute locutus, ſeque voluiſſe ſegregare a vulgo. Nam non ipſe hoc affirmat, ſed tantum ex vulgi loquitur opinione, *ut ajunt.* Alterum illud eſt, male *Gorium*, ad *Tab. II*, ſcribere, *Magna Deum Mater Juno.* Nunquam enim *Junonem* a veteribus ita dici, ſed *Terram*, quæ & *Rhea*, & *Cybele.* Quis autem dubitet, voluiſſe *Gorium* ponere *Idæam*, pro *Junone*, cum nihil crebrius in literatis lapidibus occurrat hiſce Siglis: M. D. M. I. *Magna Deum Mater Idæa.* Quare cum hoc μνημονικὸν ἁμάρτημα, tum alios quosdam levioris notæ errores, *Goriano* theſauro nonnunquam adſperſos, facile excuſabit is, qui ſecum reputet, vix ſperandum eſſe, poſſe, in tam vaſto Opere, unius, quamlibet docti, viri cura & induſtria, cuncta ſic limari perpolirique, nihil ut omnino errorum, etiam invito Autore, clanculum irrepat.

MEMOIRES DE LITERATURE, &c.

hoc eſt,

 DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIONES, IN ACADEMIA INſcriptionum & literarum humaniorum publicatæ annis 1731, 1732, & 1733. Tomus X.

Lutetiæ, in typographia Regia, 1736, 4 maj. Alph. 4 plag. 3.

Diſſertationum, hic exhibitarum, pleræque Hiſtoriam illuſtrant literariam, multaque in apricum proferunt, antea nondum ſatis perſpecta. Lectoribus itaque noſtris gratiſſimum erit, cognoſcere, quæ argumenta hic occurrant ſtudioſiſſime excuſſa; quanquam & de nonnullis dicemus copioſius, cum, ſingularum tractationem exponere, brevitati noſtræ haud conveniat. *Prima* in Diſſertatione *pag. 1-20* de *Thaletis* philoſophia ita agit *Canajus*, ut non ſolum philoſophicas ejus opiniones examinet, ſed ipſius quoque vitam & fata deſcribat. Docet hic, *Thaletem* non habuiſſe Deum pro creatore mundi, ſed materiæ tribuiſſe & æternitatem & originem entium omnium. In *ſecunda* idem *pag. 21-35* de *Anaximandri* philoſophia diſſerit. In *tertia* de vita & ſcriptis *Archilochi* verba facit *Sevinus pag. 36-53*; in *quarta* de *Empedoclis* vita ſcriptisque *Bonamicus pag. 54-74*; in *quinta pag. 75-88* rurſus *Sevinus* de *Panætii* vita & libris. Hic idem in *ſexta pag. 89-97 Thraſylli*, Aſtrologi Imp. *Tiberio* familiaris, hiſtoriam accurate perſequitur. In *ſeptima pag. 98-110* diſſerit *Chambortus* de *Tito Labieno*, fortiſſimo libertatis Romanæ patrono. Hinc longum ſpatium occupat (*pag. 112-310*) *Plutarchi de Muſica* Dialogus, adjunctam habens verſionem Gallicam *Burettii*, ac notas ejusdem eruditiſſimas. In his enim non ſolum notitia panditur laudatorum a *Plutarcho* Muſicorum, ſed plurima quoque hujus Dialogi loca emendantur; prætereaque ars veterum muſica ſolerter deſcribitur, adjecta etiam vocabulorum muſicorum interpretatione. Nunc igitur Dialogum hunc, habitum huc uſque obſcuriſſimum, intelligi omni ex parte, ſuaque luce radiare, merito confidit acutiſſimus *Burettius*; qui accuratius,

ratius, quam quiſquam, *pag. 189 ſeq.* agit de *Heraclide Pontico*; *pag. 195 ſeq.* de *Lino*; *pag. 201 ſeq.* de *Philammonis*; *pag. 209 ſeq.* de *Steſichori*; *pag. 213 ſeq.* de *Terpandri*; *pag. 235 ſeq.* de *Timothei*; *pag. 239 ſeq.* de *Archilochi*; *pag. 262 ſeq.* de *Orphei*; *pag. 274 ſeq.* de *Hipponactis*; *pag. 309 ſeq.* de *Ariſtoxeni* vita ſcriptisque. Perdocte etiam *pag. 258 ſeq.* vitam exponit *Marſyæ*, ac *pag. 268 ſeq. Phrynidis*, in *Fabricii Bibliotheca Græca* non memorati Muſici. Nec illaudatam dimittimus Orationem de *Dithyrambis*, eorumque & origine & natura, *pag. 306 ſeq.*

Nono loco *Racinius* Andromachen *Euripidis* cum *Racinii* ſenioris Andromache comparat *pag. 311-322*, oſtendens, utrumque Poetam mores geniumque ſui populi ſecutum eſſe; adeoque *Racinium*, ſi olim vixiſſet Athenis, compoſiturum fuiſſe eam Andromachen, quæ nunc eſt *Euripidis*; *Euripidem* contra, ſi fuiſſet noſtri ævi Gallus, eam daturum fuiſſe, quam a *Racinio* accepimus. In *decima* Diſſertatione *pag. 323-337* docte & acute contemplatur *Hardionius* veterem illam de *Rheſo* tragœdiam; quam cum alii *Euripidis*, alii *Sophoclis*, eſſe contendant, ipſe neutrum agnoſcit autorem, ſatisque lucide demonſtrat, eſſe hunc Poetam utroque aliquanto juniorem. In *undecima* exhibet *Sallierius pag. 338-346* obſervationes criticas in *Plutarchi de Fortuna* librum, itemque in aliquot *Platonis* loca. Idem in *duodecima pag. 347-356* exhibet Odarum *Pindari* quartæ & quintæ verſionem ſuam Gallicam, ſuis comitatam annotationibus. In *decima tertia pag. 357-376* judicium ſuum profert *Ferretus* de cœleſti quodam phænomeno, antiquiſſimis obſervato temporibus. Scriptum ſcilicet reliquit *Varro*, regnante *Ogyge* ſtellam Veneris & colorem & magnitudinem & figuram & curſum mutaſſe. *Hevelianam* hujus phænomeni explicationem rejicit Noſter, ac valde probabiliter opinatur, fuiſſe cometam. Imo ſuſpicatur, ipſum illum cometam fuiſſe, qui viſus eſt a patribus noſtris A. 1680; idque rationibus quibusdam ſubductis oſtendit a vero non abhorrere. Simul tamen refutat *Whiſtoni* opinionem, ſtatuentis, illum ipſum anni 1680 cometam produxiſſe olim diluvium

Digitized by Google

illud univerſale, quod deſcripſit *Moſes*. In *decima quarta* idem de antiquitate ac certitudine Chronologiæ Sinenſis diſputat *pag. 377-402*, fabulas a vero diſcernere ſtudens. In *decima quinta pag. 403-456* de occurrentibus in Gallia *campis Cæſaris* diſſerens Abbas *de Fontenu*, docet, non fuiſſe ibi locorum caſtra *Julii Cæſaris*, ſed longe juniorum belli ducum. In *decima ſexta pag. 457-464* illuſtrat *Schœpflinus* monumentum aliquod octavæ legionis Auguſtæ, nuper Argentorati effoſſum, eaque occaſione illius legionis pertractat hiſtoriam. In *decima ſeptima pag. 465-506* lucem infert Abbas *de Fontenu* nummo cuidam, ex Oriente nuper allato, qui caput laureatum exhibet, hoc ſolo nomine circumdatum: GORDIANUS. Altera nummi hujus facies virum habet togatum eundem & laureatum, qui dextra floſculum aliquem, ſiniſtra ſcipionem, tenet, circumſcriptis his literis: C. R. I. F. S. AN. CCCXI. Interpres noſter docet, cerni hoc in nummo Imp. *Gordianum*, natu minimum, cognomento *Pium*; & altera in facie *Serapidem* Deum; ac ita legi oportere circumpoſitas literas: *Colonia Romana Julia Felix Sinope*. Has igitur explicaturus, univerſam initio urbis Sinopes hiſtoriam diligentiſſime perſequitur; deinde docet, cur *coloniam Romanam*, cur *Juliam*, cur *Felicem*, ſe appellarit urbs iſta. Denique *annum CCCXI* numerari oſtendit ab eo tempore, quo libertatem huic urbi *Lucullus* reddidit. Differit item de magna *Gordiani* hujus eruditione, ac de cultu *Serapidis*. In *decima octava* Diſſertatione *Resnelius* agit *pag. 507-524* de more, Poetas laureandi, initio demonſtrans, non fuiſſe *Petrarcham* primum recentioris ævi Poetam coronatum, ſed *Albertinum Muſſatum*. Poſt *Petrarcham* ornatos hoc titulo eſſe docet *Franciſcum Philelphum*, *Fauſtum Andrelinum*, ac *Torquatum Taſſum*, quanquam huic pridie, quam coronaturus eum erat Cardinalis *Aldobrandinus*, mori contigit. Ex eo tempore neminem putat in Italia coronatum eſſe Poetam ante annum 1725, quo magna & *Petrarchica* ſimili cum pompa coronam poeticam Romæ accepit *Bernardinus Perfectus*, Eques, Poeta extemporalis. In Germania primum docet hoc honore affectum fuiſſe *Conradum Celtem*;

Digitized by Google

tem; quam occaſionem arripit, dicendi de frequenti hujus tituli & uſu & abuſu in Germania. In Hiſpania laurum hanc *Ariæ Montano* impoſitam fuiſſe, in Anglia *Joanni Cajo* & *Joanni Skeltono*, adjicit. Ad ultimum duos actus coronationis poeticæ, Argentorati A. 1616 & 1621 habitos, deſcribit. Accedimus ad Diſſertationem *undevigeſimam*, in qua *pag.* 525-541 examini ſuo ſubjicit *Foncemagnius* ſententiam Comitis *de Boulainvilliers* de priſco Franciæ regimine. In *vigeſima pag.* 541-552 de Chronico monaſterii Morigniacenſis, cujus autor eſt *Teulfus*, Seculi XII ſcriptor, continuatores plures ſunt, diſſerit *Curneus de S. Palaye*; qui & in ſubſequenti *pag.* 553-562 vitam exponit *Helgaldi*, ſive *Helgaudi*, Floriacenſis monachi, ſcriptoris Vitæ Regis *Roberti*. Ac idem *pag.* 563-570 in *vigeſima ſecunda* diſquirit, a quibus autoribus profecta ſint *Geſta Ludovici VII Regis*, *filii Ludovici Groſſi*, & *Hiſtoria glorioſi Regis* ejusdem *ab anno* 1137 *uſque ad annum* 1165. Docet autem, utriusque ſcripti autorem eſſe Abbatem *Sugerium*, cujus *Hiſtoriam* non ita pridem ſcripſit *Gervaſius*, in his etiam *Actis* recenſitam *A.* 1722 *Menſ. Jul. pag.* 285 *ſeq.* In *vigeſima tertia pag.* 571-663 diligentiſſime illuſtrat *Lancelotus* hiſtoriam *Roberti Arteſii*, vulgo minus ex vero traditam. In ſequenti *Curneus* modo laudatus *pag.* 664-690 vitam *Joannis Froſſardi*, ſummo ſtudio compoſitam, exhibet. Circa annum 1337 natum eum eſſe putat; quo anno mortuus ſit, ignorare ſe, fatetur. Poſtrema Diſſertatio, quæ *Lanceloti* eſt, vitam moresque *Franciſci Philelphi*, A. 1398 nati, A. 1481 d. 31 Julii exſtincti, tam copioſe, tamque accurate, enarrat, ut, *Catone* hoc & *Varrone* contentos fore lectores, facile credamus.

CORN. VALERII VONCK SPECIMEN CRITIcum in varios Autores. Accedunt Obſervationes miſcellaneæ.

Trajecti ad Rhenum, apud Henr. Spruit, 1744, 8 maj.
Plag. 10.

Laudanda omnino eſt induſtria nobiliſſimi & ultra ætatem ſuam docti, quippe annorum vix jam viginti, Juvenis, qui

qui in hoc *Critico Specimine*, quam præclare olim ſperare de ipſo liceat, ſatis & abunde prodidit. Quot, quæſumus, is Autores, quove judicio, jam perlegit! Atque in his multos ſibi familiares reddidit, quos ſubinde vix de nomine vel tricenarii noſcunt. Vix ullus ſane liber ab eo intactus eſt, qui ad pleniorem humanitatis & literaturæ cultum pertinet. Poetæ, Hiſtorici, Philoſophi, Oratores, adducti ſunt. Nec ipſæ S. Literæ ſilentio omiſſæ. Habent omnino Duumviri Celeberrimi, quibus Opuſculum inſcriptum eſt, *Abrah. Wielingius* & *Petrus Weſſelingius*, quod tam erudito & præſtantiſſimo diſcipulo ſincere gaudeant. Præterea judicio utitur non profecto juvenili, ſed in plerisque jam ſatis maturo, neque ſe imperitum in aliis diſciplinis, præſertim in elegantiori Jurisprudentia, exhibet. In duas veluti partes libellum ſuum deſcripſit. Cujus in priore *Obſervata ad Antonii Carmen adverſus gentes*, dein *Animadverſiones in Corippum*, denique *Conjectanea in Autorem Collationis Legum Moſaicarum & Romanarum*, occurrunt. In poſteriori autem *Obſervationes miſcellaneæ*, eæque in ſelectiora ac difficiliora optimorum Autorum loca, exhibentur. Non ultimæ ſane voluptati nobis erit, varia ex hoc nobiliſſimo ſpecimine in medium nunc producere. In quibus tamen proferendis, ſi pace Cl. Autoris fieri poterit, quædam de noſtris conjecturis immiſcebimus. Igitur in *Antonii Carmine adverſus gentes*, quod exſtat in Cel. *Muratorii Anecdotorum Libro I*, Autor Cl. cum in vocibus ac dictione, tum in cæſura, quædam corrigit. Et primo omnium, *Muratorium* falli, affirmat, quando is Carminis autorem *Paulinum* fecit, ad *Fabricium* provocans, qui in *Syllabo Script. de Relig. Chriſt. Cap. IV §. 11*, hos verſus ab *Antonio* compoſitos eſſe, evicit. Deinde ad ipſum Carmen accedit, in quo ait *Antonius verſu 6*:

David ipſe chelym modulata voce rogavit.

Durum eſt, regerit Autor, *chelyn rogavit*, & transmutat in *Deum modulata voce rogavit*. Sed ferenda durities in hoc ſcriptore eſt. *Chelyn rogavit*, omnino pro *lyram*, *plectrum*, *ſollicitavit*, hoc loco ponitur. Quin durius eſt, mutare *chelyn* in *Deum*. In priore *verſu 5*, quando reponit Vir Cl.: *quod talia*

Digitized by Google

talia carmine pando, elegantius hoc quidem dictum eſt, ſed veremur plane, ne tamen ſcripſerit *Antonius*: *quod talia carmina pando*. *Verſu 13* habet *Antonius*:

Cum duce, qui mergi infeſtos vidit equeſtres.

Cel. *Muratorius*, ut laboranti metro ſuccurreret, pro *mergi* reponebat *merſos*. Noſter: *qui mergi funeſtos vidit equeſtres.* Non opus tamen utraque emendatione. Nam ſic *Virgilius* etiam per hiatum talem:

Et ſuccus pecori & lac ſubducitur agnis.

Atque ita optimi Poetæ ſæpiſſime. *Antonius* mox denuo ſimiliter:

Manna cui e calo, & fons de rupe cucurrit.

Eleganter transponit quidem duo verba Autor: *fons & de rupe cucurrit*. Sed nihil hoc loco mutandum ob Poetæ licentiam videtur. De *Jano* dicit *verſu 66 Antonius*: Pag. 3.

— — prudens homo, qui cum multa futura
Poſſet reſpicere, hunc duplice pinxere figura.

Quos verſus ſic emendat Noſter:

— — prudens homo, ſcivit multa futura,
Poſt ſe & reſpicere, hinc duplice pinxere figura.

At hæc emendatio nimia videtur. Laudandum quidem eſt, quod *hinc* poſuit pro *hunc*; ſed reliqua *Antonii* ferri poſſunt. Cur enim dici non poſſet *reſpicere futura*? Elegans potius locutio eſt. *Verſu 125* legitur: 6. 8.

Nunc homo, nunc panis, nunc corpore languidus agro.

Sed rectiſſime Cl. Vir reponit *ſanus* pro *panis*. Hoc enim vult *Antonius*, Deum *Serapidem* ſub *hominis* figura repræſentari, qui nunc *ſanus* ſit, nunc *morbo languidus*. Vide etiam *Marshami Can. Chron. Sec. XI pag. 319*. *Verſu 151* Autor Carminis habet: 9.

Hac ego cuncta prius, clarum cum lumen adeptus,

Noſter mallet, aut *clarum ſum lumen adeptus*, aut *lumen adeptum*. Quid? ſi legeres *clarum quam lumen adeptus*. Sic omnia bene fluerent. Dicit *Antonius*: Hæc ego cuncta prius cogitavi, quam clarum lumen adeptus eram, ſanctaque Eccleſia me recipiebat. In *verſu 248*, qui locus nec a *Murato-* 10.

rie plane, nec a *Fabricio* recte, correctus eſt, optime nobis placuit emendatio, in qua pro *vita poteſtas*, quæ verba ſenſum non habent, Noſter *viſa poteſtas* reponit; quod omnem contextum planum reddit. In *Animadverſionibus ad Corippum Africanum* varia etiam induſtriæ & bonæ κρίσεως ſpecimina reperiuntur. Cel. quidem *Barthius*, in *Adverſariorum* libris ſuis, non uno in loco *Corippum* illuſtravit & emendavit; at hæc loca non repetiit Cl. Autor, ſed de ſuo collegit, quæ explicari

Pag. 11. merebantur. In hujus igitur *Corippi Lib. I in laudem Juſtini verſu 8* legitur ex MStis Codicibus:

14. *Vos Divæ date verba, atque Vigilantia mater.*

Mich. Ruizius, probante *Barthio Lib. XXI Cap. 2*, reſtituit *& quæ Vigilantia mater.* Sed ſenſus his nullus ineſt. Noſter itaque ſic putat:

Vos Divæ date verba duæ, Sapientia, Mater;

ut per *Sapientiam* intelligeretur *Sophia Auguſta*, & per *matrem* Imperatoris *Vigilantia*. Ni ductus literarum nimis abiret, conjectura non contemnenda foret hæc:

Vos Divæ date verba, Sophia & Vigilantia mater.

Et ſic *Sophia* diſſyllabum fuerit, quo modo optimi ſæpe Poetæ

16. loquuntur. At, quomodocunque legeris, durum eſt. *Verſu 109* ait *Corippus*: - - *unde ſolebant Undivagum ſpectare fretum.* Perbelle Cl. Autor conjectat, forte ex ſeculi ſui genio Poetam ſcripſiſſe: *Undivagum ſpectare ferum.* Dubitat quidem ὁ πάνυ *Burmannus* ad *Lucani Lib. I verſ. 412*, an *fera* de belluis marinis recte dicantur. Sed ſalva res eſt. *Ovidius* belluam marinam, a qua devoranda ad ſcopulum alligata *Andromeda* erat, *feram* appellavit in *Metam. Lib. IV. verſ. 706, 712, 718*, & *Pedo Albinovanus* in *Fragm. de Navig. German. verſ. 101* ſic eſt locutus:

Seque feris credunt per inertia fata marinis.

17. *Verſu 161* ſic habet *Africanus Corippus*:

— — largoque rigabat
Imbre genas, fletusque viri veſteſque madebant.

Dempſterus repoſuit pro *fletus*, *vultus*. Sic *Aſſagrius* quoque, putamus. Et *Ruizius* in margine editionis ſuæ notarat: *forte pectus*,

Digitized by Google

pectus, aut vultus. Noſter ſubſcribit τῷ *vultus*, niſus illo *Virgilii Æn. Lib. I, 469*:

Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.

At ſic ταυτολογίᾳ laboraret contextus. Nam *genas imbre rigare*, & *vultus madere*, parum inter ſe differunt. Quid? ſi igitur legeres:

— — *fletuque viri veſteſque madebant.*

Hoc eſt, fletuque viri veſtes *adeo ipſæ* humectabantur. Ferenda eſt in *Corippo* hæc ſignificatio particulæ *que*. In *verſu 332* nulla certior eſt lectio hac, quam *Savaro* ad *Sidonii Carm. XXIII pag. 198* in *Corippi* locum invenit, probante Cl. *Perizonio* ad *Ælian. V. H. Lib. III Cap. 38*: Pag. 20, 21.

Oenomaum referam primum junxiſſe quadrigas.

Hinc vix vocari in dubium a Viro docto poterit. *Lib. II verſ. 43* divinarum *trium* perſonarum *Corippus* mentionem facit, quibus *Juſtini* preces placuerant. Emendat tamen Cl. Autor ſic, ut *duæ* tantum perſonæ maneant, Chriſtianis, ajens, in more eſſe, ubi de perſonis divinis loquerentur, *non ſemper* omnes *tres* afferre. Verba *Corippi* hæc ſunt:

— — *placuere Parenti*
Orantis pia verba viri, Genituſque precanti
Annuit, & Sanctus regnator Spiritus inquit.

Corrigit Noſter: 22.

Orantis pia verba viri gemituſque, precanti
Annuit, & Sanctus &c.

Sed mutatione tali opus non eſt. Nam, utut verum eſt, quod ait Vir doctus; tamen etiam in more eſt poſitum Chriſtianis, *omnes* tres perſonas, & id quidem *ſæpius*, adducere. Dein Editionum & Codicum conſenſus vetat. *Dempſterus* ex veteri exemplari refert *Genitoque precanti*. Non male. Et ceterum ubique eſt *Genitus*. Confirmant etiam vulgatam lectionem, quæ *Corippus* dixit *Lib. IV verſ. 316*:

Utque Pater Deus eſt, Genitus Deus æquus honore,
Spiritus & Sanctus pariter Deus.

Libro III verſ. 73 occurrit: 27.

Mille voluptatum ſpecies, convivia mille.

Digitized by Google

Dempſterus tuetur *convicia*. Et probat Noſter. Sed elegantior eſt hæc nova lectio, quam ut a *Corippo* ita dici potuiſſet. Vir Cl. ipſe tam intelligens eſt, ut tale quid in ſimili *Corippi*
Pag. 28. loco ad *verſ. 102* perſpiciat. Conf. *Burmannus* ad *Calpurnii*
30. *Eclog. III verſ. 69.* Sic elegantius quoque *Munckerus*, ad *Hygini Fab. 64*, locum *Corippi* emendat in *Lib. IV verſ. 48*: *tonat æthere pulſans Malleus.* Doctiſſ. *Munckerus* legit *æthera*. *Recte, ut puto,* ait Noſter. Recte quidem omnino, regerimus;
31. ſi *Corippus* ſic emendatus eſſet. At optime correxit Vir doctus in *verſu 324*, qui olim habebat:

Conſimilis Deitate Patris, omnique profecto
Conſimilis: ſine peccato peccata relaxans.

Nam quid certius eſt, quam legi debere: *hominique profecto Conſimilis?* Ex compendio enim ſcripturæ error factus eſt.
33. Pergimus ad Cl. Viri *Conjectanea in Autorem Collationis Legum Moſaicarum & Romanarum*, in quibus plena omnia bonæ frugis ſunt. Nos quidem jam *Pithœi* ac *Schultingii*, virorum celeberrimorum, labores ad hunc librum habemus, ubi multa loca illuſtrata & emendata ſunt; ſed penes Noſtrum æque de-
34. prehendimus utilia atque elegantiſſima. Statim arriſit mirifice emendatio loci in *Tit. I §. 6*, in quo ſic erat: *Ergo hoc exquirite: & ſi voluntas occidendi fuit, ut homicidam ſervum ſupplicio cum jure jubete affici.* Senſus prorſus incommodus, nullusque. At ut recte omnia fluunt, poſtquam ita correxit Vir doctus: *Ergo hoc exquirito, & ſi voluntas occidendi fuit,*
38. *ut homicidam certum ſupplicio eum jubeto affici.* Porro in *Tit. II §. 5* legitur: *Generaliter dicitur injuria omne, quod non jure fit, ſpecialiter alia eſt contumelia, quam Græci ἀδικίαν vocant.* Sed hunc locum Noſter corruptum judicat, & ſic refingit: *ſpecialiter contumelia: alias eſt, quam Græci ἀδικίαν vocant.* Quæ emendatio paulo obſcurior eſt. Nec opus illa, quod prior lectio ſatis patet. Senſus hic eſt: *Specialiter alia* (injuria) *eſt* (id eſt, dicitur,) *contumelia, quam Græci ἀδικίαν vocant.* Scilicet ἡ ἀδικία, ſeu *contumelia*, continetur *genere* injuriæ. Sequitur: *Unde apparet, verum non eſſe, quod Labeo putabat, injuriam ὕβριν duntaxat ſignificare. Commune omnibus enim*

injuriis

Digitized by Google

injuriis eſt &c. Sic optime legitur ex emendatione Viri Cl. Nam abſonum plane & ſine ſenſu erat: *communem omnibus enim juris eſt*. Ceterum, quæ ex *Apollodori Biblioth. Lib. XI Cap.* Pag. 39.
5, ac *Petiti Legibus Atticis*, de voce ὕβρις adducit Noſter, recte ſe habent. Sed ex *Luciani Solœciſta*, & *Achillis Tatii Lib. II pag. 121*, facile alia loca his addi poſſent. Alius locus 47.
eſt *Tit. XV* §. *3*, quem Doctiſſ. *Vonck* bene reſtituit. Autor Collationis inquit: *Hi enim, qui novellas & inauditas ſectas veterioribus religionibus opponunt.* In vulgatis exhibebetur *deterrioribus religionibus.* Pro quo malebat *Pithœus: deterioribus.* Sed quis non videt, hoc loco *veteriores* religiones *novellis* ſectis opponi? Conferatur *Schultingius* in Notis ad hanc Collationem. Deinde pro, *hi enim, qui novellas*, ſimpliciter legendum eſt, *hi enim novellas* &c. Pergit Autor Anonymus: *Quoniam nobis, de quibus ſolertia tua Serenitati noſtræ retulit, Manichæos audivimus eos nuperrime velut nova prodigia, de Perſica gente in hunc mundum orta eſſe.* Illud *quoniam nobis, de quibus* dubiam ſententiam reddit. Tentat Noſter: *Quoniam etiam novis de quibus ſolertia tua* &c. At hæc emendatio & ſenſum valde obſcurum relinquit, & intrudit τὸ *etiam*. Altera autem correctio Viri docti: *quoniam nocivos, de quibus*, bono quidem ſenſu eſt, ſed genui- 48.
na non videtur. Quid igitur? Si illud *nobis* in conſtructione verborum velis ad commatis exitum protrahere, ut hic ſit ſenſus: *Quoniam Manichæos, de quibus ſolertia tua Serenitati noſtræ retulit, veluti nova prodigia, in hunc mundum, de Perſica gente*, nobis *orta eſſe, audivimus;* ſic locus integer medicina non indigeret. Paullo poſt ita denuo legitur: *Et verendum eſt, ne forte conentur exetrandas conſuetudines & iſtebas leges Perſarum innocentiores naturæ homines Romana gente modeſta atque tranquilla - - infigere.* Pro inani ſono, *iſtebas*, No- 49. 50.
ſter ingenioſe reponit *ſcævas*, id eſt, *infames* & *nefandas*, leges de licitis parentum ac liberorum nuptiis, quas apud Perſas in uſu fuiſſe, *Briſſonius de Regio Perſ. Principatu* nos edocet. In his autem & ſimilibus rebus proprium vocabulum *ſcævum* eſt. Vide *Leg. 9 & 43 Cod. Theodoſ. de Hæretic.*

 & con-

& confer *Leg. 19 Cod. Juſtin. de Epiſcopis & Cler.* qui locus ſic habet: *In his enim nihil ſcævi criminis exiſtimari fœdus naturale permittit.* Reliqua in contextu, non minus depravata, integritati ſic reſtituuntur: *& ſcævas leges Perſarum, in innocentiores naturæ homines, Romanam gentem modeſtam atque tranquillam infigere.* Sed de Manichæorum communi cum Perſis & ſcævo more conf. *Burtonus* in *Veteris Lingu. Perſ.* λειψάνοις *pag. 84*, *Jac. Tollius*, in *Inſign. Itinerar. Ital.*
Pag. 42. *pag. 126*, & Cel. *Muratorius Anecdotor. Tomo II.* Ceterum, ſub exitum horum Conjectaneorum Autoris noſtri *Lamb. Danæum* in *Ethices Chriſtian. Lib. II* excitaſſe ſuffecerit, qui, inſtituta ſimili Legis Divinæ cum Jure Civili collatione, varios ritus explicat atque illuſtrat. Sic habebunt nonnulli, quem cum hujus Collationis Autore quodammodo conferre poterunt. Hæc de *prima* libelli parte ſufficiant. Jam in *altera* parte *miſcellanea* diverſorum Autorum loca explicantur atque corriguntur, ritus etiam nonnulli perquiruntur, & cum aliis conciliantur locis. Ex omnibus elegans Autoris noſtri delectus & ςοχασμὸς perſpicitur. Sed pauca dabimus ex longe
56. 64. plurimis. *Capite I* Vir Cl. in *circumciſionis Ægyptiorum originem* ſat fuſe inquirit, nec ab Iſraelitis hunc ritum deduci poſſe, ſatis idoneis rationibus probat. Cauſæ præcipuæ hæ ſunt. Hebræi, in Ægypto advenæ, ſumma incolis abominatione erant, quibus vel veſci cum Judæis nefas habebatur. Vide *Geneſ. XLIII.* Poſt eorum, duce *Moſe*, ex Ægypto exceſſum, augebatur in dies odium, multaque calumnioſe dicta contra eos fingebantur. Teſtatur hoc *Origenes contra Celſum Lib. I Sect. 1, 2*, atque figmentum peculiare de *Typhone Plutarchus* enarrat in libello *de Iſide & Oſiride.* Gentem itaque liberam ſacra ſua a ſervili, & ſummo odio habita, ſumſiſſe, non videtur veriſimile. Inſtat quidem *Morinus* in *Diſſ. II de Cognat. Lacedæm. & Hebr. pag. 78, 79*, derivandam eſſe, ajens, hanc originem a tempore *Salomonis*, quod ille *Pharaonis* Ægypti Regis, filiam in matrimonium ſibi adſciviſſe, *1 Reg. XI, 1*, legitur. Sed perperam plane. Ægyptiacæ enim circumciſionis ſuperſtitio non *Salomonis* tantum, ſed

jam

Digitized by Google

jam *Joſephi*, ætatem excedit. Et quis crederet, a ſacro Scriptore rem tam memorabilem omiſſam eſſe? Nam tali modo vel ab *Iſmaele* deduci hæc conſuetudo poſſet, ut qui patre quidem Hebræo, ſed *Hagare*, matre Ægyptia, fuit; uxorem vero, Ægyptiam, duxiſſe memoratur *Geneſ. XVII*, *23*, & *XXI*, *21*. Igitur ritus ille circumciſionis Ægyptiorum ad ſolos *Sacerdotes* reſtringendus eſt. Cujus rei cauſam *Philo*, Judæus, in peculiari libro hanc affert, ut illorum corpus partim purius, partim ad ſacerdotalia officia aptius, redderetur. Sed plerique Scriptores, nimis generaliter loquentes, vulgari errori anſam dederunt; quorum adeo loca de ſolis Sacerdotibus intelligenda ſunt. Et hoc ſenſu Ægyptii etiam inter circumciſas gentes a *Jeremia* vate referuntur *Cap. IX comm. 25*, *26*. Sic multa a Scriptoribus generaliter Ægyptiis attribuuntur, quæ a *Joſepho*, *Plutarcho*, *Horapolline*, aliisque, ad ſolos unice *Sacerdotes* dicuntur pertinuiſſe. Bene hæc cuncta, & eleganter! Ceterum nova, quæ ab Autore Cl. in eam rem conjectura profertur, ingenioſa quidem eſt, ſed dubio ſuo non caret; præſertim quando in Oriente, nominatim apud Ægyptios, difficiliorem fuiſſe venerem, ſibi perſuadet, *ob properata illorum connubia*. Nam bene *Horatius: nec dulces amores ſperne* puer - - *Donec virenti canities abeſt Moroſa*. Sed ad alia veniamus. Quæ *Capite III* ad locum *Pauli ad Epheſ. IV*, *comm. 22-24*, ab Autore dicuntur, nempe Divum Apoſtolum his verbis: *ἀποθέσθαι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν*, *manumiſſos veterum*, *& Jus Civile Romanorum*, reſpexiſſe, admitti non poſſunt. Res longe ſanctior & divinior eſt, quam Vir θεόπνευςος commemorat, quam ut ad Juris Civilis tricas digitus intendi queat. De *renovatione* potius ac Ἁγιασμῷ, qui ex *juſtificatione*, ut Theologi loquuntur, venit, hoc loco ſermo eſt. Nec *ſervus* hic opponitur *libero*, ut Noſter putat, ſed ἡ Σὰρξ τῷ Πνεύματι. Satis id indicant verba *verſus 23*: *ἀνανεοῦσθαι δὲ τῷ πνεύματι τȣ̃ νοὸς ὑμῶν*. Confer *2 Corinth. V*, *comm. 16*, *17*: *ὥςε εἴ τις ἐν Χριςῷ, καινὴ κτίσις· τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα*. Et ſtatim ante: *ὥςε ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ* Pag. 65, 66.

νῦν

Pag. 67. νῦν ἐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα. Dein pergit Autor noſter: *Forte etiam Paulus has locutiones a Judæorum Proſelytis mutuatus eſt.* Non urgemus τὸ *forte*, quod Autor habet, aut ſola, quæ adducit, *Seldeni* & *van Dale* teſtimonia. Rem plane negamus. Mutuatus eſt *Paulus* hanc locutionem, φερόμενος ὑπὸ πνεύματος ἁγίȣ. Vid. *2 Petr. I, 20, 21.* Sed nollemus, Viro docto tales obſervationes excidiſſe. Qui, ſi velit, legat Cel. *Moshemii* Cogitationes *de eo, quod juſtum eſt circa S. Literas, & earum ex Græcis & Latinis Scriptoribus interpretatione*, quæ habentur in eius *Obſervationibus ſacris*, Amſte-
76, 77. lodami editis A. 1721. *Capite IX* ad aliquem *Paulini Nolani* locum in *Natal. Lib. XI verſ. 29 ſeq.* Noſter commentatur. Is olim corrupte ſic habebat:

Ergo Dea eſt Iſis, mulier Dea, ſi Dea corpus,
Non habet, & ſexus ſine corpore, aut ſine ſexu
Pars habet. Unde ergo illi quem quærat Oſirim,
Atque ubi quærat eum neſcit Dea?

Jam ante Cel. *Muratorius Anecdotorum Tomo I* emendationem tentaverat, quæ tamen nimis a veteri ſcriptura recedit. Hinc valde nobis placuit Cl. Autoris criſis:

Ergo Dea eſt Iſis? mulier Dea? Si Dea corpus
Non habet & ſexum; ſine corpore, nec ſine ſexu,
Natum habet; unde ergo illi quem quærat Oſiris,
Atque ubi quærat eum, neſcit Dea?

Sed quid, ſi verſus ultimos ita interpungeres:

- - - *unde ergo illi, quem quærat, Oſiris?*
Atque ubi quærat eum? neſcit Dea?

Et, ſi eliſionem ante *illi* evitare vis, inſere: *unde ergo eſt illi quem.* Sed ſine dubio eliſin neglexit *Paulinus*, ut ſolent Poetæ recentiores. Ita quoque *Antonius* ſupra. Mallemus
88. etiam legere: *quem quærat Oſirim?* Jam loco *Silii Italici Lib. II verſ. 372* medicas manus Noſter admovet. Poeta inquit:

Di procul, o, (merita eſt ſi nunquam talia plecti
Karthago,) probibete nefas!

Sic habent vulgatæ editiones. Ecce autem, urit & ſecat Vir doctus. Nam legendum putat:

Di

Di procul, o, meritus qui numquam talia, plecti
Karthago prohibete nefas.

Hæc verba ſic interpretatur, (interpretatione certe opus habent,) *Dii, tuque Karthago, tantum prohibete nefas, eo modo plecti, qui talia nunquam eſt promeritus.* Quibus ultimis ad *Hannibalem* ait reſpici. Nodum in ſcirpo. Sana erant atque integra omnia. Planiora etiam, quam uti Autor correxit. Et quare *Hannibalis* jam mentio fieri debebat, ubi Poeta ſtatim adjicit

noſtrique ſolutas
Ductoris ſervate manus.

Nec parentheſis omittenda, quæ elegans eſt hoc loco. Similiter *Virgilius* paſſim loquitur. Et inter alia *Æneid. II, 536:*

Di, (ſi qua eſt cœlo pietas, quæ talia curet,)
Perſolvant grates &c.

Ad *Plinii* junioris *Epiſt. Lib. X pag. 782* ſic habent editiones Cel. *Gesneri* & *Longolii: Nolo, exiſtimet quisquam, quæ alio Principe vel privatim, vel publice, conſecutus, ideo ſaltem a me reſcindi, ut potius mihi debeat, ſi illa rata & certa, nec gratulatio ullius inſtauratis eget precibus.* Noſter, verba: *ſi illa rata & certa,* putat, ſenſu carere, atque ſic conſtituit: *ut potiùs mihi debeat. Sint illa rata & certa.* Dein pergit emendando, & novum plane vocabulum procudit: *nec ratilatio ullius inſtauratis egit precibus.* Ait, *ratilatio,* ſimili modo dici poſſe, quo *acceptilatio,* aut *expenſilatio.* At recte ſe hæc cuncta habeant; nullibi tamen vox *ratilatio* legitur, neque ſic *Plinius* emendari debet. Praeterea commodam interpretationem locus admittit, abſque correctione. In Præfatione *Libri II Diſtichor. moral.* quæ *Dionyſio Catoni* tribuuntur, legitur: Pag. 91. 94.

Si Romana cupis & Punica noſcere bella,
Lucanum quæras.

Sed neſciuntur *Lucani* bella *Punica.* Interpretes itaque *civica* repoſuere. At probat Noſter ex Codice MSto, qui apud ſe eſt, *Lucani* clariſſime ibi in Indice ſcriptum eſſe:

Digitized by Google

Lucani liber de Bellis Punicis. Titulus nempe primitus fuerat *Lucani liber de Bellis Civicis.* Inde facile ſciolus effingere *de Bellis Punicis* potuit. Atque ita vitium in alios deinceps libros irrepſit. In *Juſtini Lib. XXXII cap. 2* bene

Pag. 79. transmutat Noſter *fugare* in *figere. Aſſuetus feras*, Epitomator de *Mithridate* ait, *curſu aut figere*, (legebatur *fugare*,) *aut perſequi, cum quibusdam etiam viribus congredi.* Nam *fugare* & *perſequi* vix ſibi recte opponuntur. Nec res eſt tanti *fugare feras.* Longe majus eſt *curſu feras figere.* Apud *Virgilium* in *Eclogis*, ut meminimus, eſt & *figere cervos.*

103-107. Quæ Autor *de Jure Quiritium* diſputat in *Cap. XXIV*, docta ſunt, atque ſatis accurate expoſita. Bene enim *Jus Quiritium* a *Jure Civitatis* ſeparavit. *Jus Quiritium* explicat per *jus Civitatis, omnibus privilegiis, Quiritibus, ſive civibus ingenuis, id eſt, Romæ natis & domicilium habentibus, tantum propriis, munitum.* Sed clare *Sigonius* ac *Spanhemius* oſtenderunt, non omnes, qui cives Romani fuerunt, eodem jure gaviſos eſſe. Nam, qui in *Coloniis Romanis* erant, deteriori civitatis jure fruebantur, quam reliqui Quirites. Qui autem *Municipiorum* vivebant legibus, idem jus non habebant cum his, qui in urbe habitabant. Atque hæc cauſa eſt, quare Municipiorum & Coloniarum juribus utentes, nomine *Peregrinorum* contineantur. Vide Cl. *Jo. Henr. Mylii Diſſ. de Prætore Peregrino* §. 5. Optimum itaque & pleniſſimum Civitatis jus, *Quiritium* erat. Hoc *jus Quiritium* re vera quidem comprehendit jus Civitatis, ſed non viciſſim omne jus Civitatis etiam jus Quiritium continet. Ac ſic jus illud cum Civitate & confundi, & ab eadem diſtingui, potuit. Ita v. g. ſervi manumiſſi fiebant quidem Cives Romani, ſed non poterant dici jus Quiritum habere, quoniam in multis a reliquis civibus diſcrepabant. Si vero ab Imperatore jura Civium legitimorum impetraverant, ut nempe natalibus reſtituerentur, jam fiebant Quirites, & Civitatem plenam, adeoque & Quiritium jus, adipiſcebantur. Pertinet ad hoc jus Quiritium, inter alia, *jus Cognationum;* quod niſi quis habebat, Civis quidem Romanus erat, ſed non *optimo jure*, neque

Digitized by Google

neque *Quiris Romanus*; nam ſic dicitur apud *Lucanum Lib. II verſ. 386.* Et *Theophilus* ad §. *ult. Inſtit. de Libertin.* conjungit *jus Quiritium Romanorum.* Apud *Gellium Noct. Att. Lib. I cap. 12* habetur *Populus Romanus Quirites.* Male autem omnino jus Quiritium cum jure Romano confundunt *Ulpianus in l. 1 §. 2 de Rei vindic.* atque alii. Nam, quicunque *quolibet jure* Civis erat, *jus Civitatis* quidem habebat; at, qui *optimo* & *pleniſſimo*, *jus* demum *Quiritium.* Seu, omnis jure Quiritium gaudens, Civitatem, ſed non omnis Civitate gaudens, jus Quiritium, habebat. Bene hæc omnia a Viro Doctiſſ. diſtincta ſunt. Unicum modo reſtat, ut nominatim oſtendiſſet, quonam τὸ *optimum & pleniſſimum jus* conſtiterit. His enim ex dictis ejus generatim quidem, jus Quiritium, conſtat, *melius* jure *Peregrinorum* fuiſſe, ſed, quibus ſpeciatim prærogativis fuerit abſolutum, nemo hinc exſculpere poterit. Nec noſtrum eſt jamjam, eas adjicere. In loco *Eutropii Lib. IX cap. 24* hujus lectionis: *Galerius Maximianus primo adverſus Narſeum adverſum prælium, exin ſecundum, habuit;* in hoc igitur loco *Cellarius* & *Havercampus* τὰ *exin ſecundum* delent, veluti ſpuria, & a Gloſſatore adjecta. At Vir Cl. ſecutus *Vinetum*, verba iſta retinenda eſſe, ſtudet contendere. Enimvero, quoniam illa ſequentibus nullo modo adhærent, evidens eſt, omnino abjicienda eſſe, præſertim ubi *Capite XXV* alterum ac fortunatum *Galerii Maximiani* bellum ex inſtituto enarratur. Frigidum plane contextum reddit, quando *exin ſecundum* retinetur. Apud *Valerium Flaccum Lib. I verſ. 149* legitur: Pag. 110. 114.

Hæc quanquam miranda viris ſtupet Æſone natus;
Et ſecum: Heu miſeros noſtrum notosque patresque.

Sententia prorſus nulla. Nec ipſi *Broukhuſius* & *Burmannus* quidquam extricant. Noſter itaque ſic tentat:

Hæc quanquam miranda viri ſtupet Æſone natus,
Sic ſecum? Heu - -

Viri, id eſt, *Argi*, qui navi, a ſe fabricatæ, & toti expeditioni, nomen indidit. Optime. Pro *natosque patresque* legendum cum *Burmanno*: *matresque patresque.* Tantum ſufficiat.

Digitized by Google

Lucani liber de Bellis Punicis. Titulus nempe primitus fuerat *Lucani liber de Bellis Civicis*. Inde facile ſciolus effingere *de Bellis Punicis* potuit. Atque ita vitium in alios deinceps libros irrepſit. In *Juſtini Lib. XXXII cap.* 2 bene
Pag. 79. tranſmutat Noſter *fugare* in *figere*. *Aſſuetus feras*, Epitomator de *Mithridate* ait, *curſu aut figere*, (legebatur *fugare*,) *aut perſequi*, *cum quibusdam etiam viribus congredi*. Nam *fugare* & *perſequi* vix ſibi recte opponuntur. Nec res eſt tanti *fugare feras*. Longe majus eſt *curſu feras figere*. Apud *Virgilium* in *Eclogis*, ut meminimus, eſt & *figere cervos*.
103-107. Quæ Autor *de Jure Quiritium* diſputat in *Cap. XXIV*, docta ſunt, atque ſatis accurate expoſita. Bene enim *Jus Quiritium* a *Jure Civitatis* ſeparavit. *Jus Quiritium* explicat per *jus Civitatis*, *omnibus privilegiis*, *Quiritibus*, *ſive civibus ingenuis*, *id eſt*, *Romæ natis & domicilium habentibus*, *tantum propriis*, *munitum*. Sed clare *Sigonius* ac *Spanhemius* oſtenderunt, non omnes, qui cives Romani fuerunt, eodem jure gaviſos eſſe. Nam, qui in *Coloniis Romanis* erant, deteriori civitatis jure fruebantur, quam reliqui Quirites. Qui autem *Municipiorum* vivebant legibus, idem jus non habebant cum his, qui in urbe habitabant. Atque hæc cauſa eſt, quare Municipiorum & Coloniarum juribus utentes, nomine *Peregrinorum* contineantur. Vide Cl. *Jo. Henr. Mylii Diſſ. de Prætore Peregrino* §. 5. Optimum itaque & pleniſſimum Civitatis jus, *Quiritium* erat. Hoc *jus Quiritium* re vera quidem comprehendit jus Civitatis, ſed non viciſſim omne jus Civitatis etiam jus Quiritium continet. Ac ſic jus illud cum Civitate & confundi, & ab eadem diſtingui, potuit. Ita v. g. ſervi manumiſſi fiebant quidem Cives Romani, ſed non poterant dici jus Quiritum habere, quoniam in multis a reliquis civibus diſcrepabant. Si vero ab Imperatore jura Civium legitimorum impetraverant, ut nempe natalibus reſtituerentur, jam fiebant Quirites, & Civitatem plenam, adeoque & Quiritium jus, adipiſcebantur. Pertinet ad hoc jus Quiritium, inter alia, *jus Cognationum*; quod niſi quis habebat, Civis quidem Romanus erat, ſed non *optimo jure*,

neque

Digitized by Google

neque *Quiris Romanus*; nam ſic dicitur apud *Lucanum Lib. II verſ. 386.* Et *Theophilus* ad §. *ult. Inſtit. de Libertin.* conjungit *jus Quiritium Romanorum.* Apud *Gellium Noct. Att. Lib. I cap. 12* habetur *Populus Romanus Quirites.* Male autem omnino jus Quiritium cum jure Romano confundunt *Ulpianus in l. 1 §. 2 de Rei vindic.* atque alii. Nam, quicunque *quolibet jure* Civis erat, *jus Civitatis* quidem habebat; at, qui *optimo* & *pleniſſimo*, *jus* demum *Quiritium.* Seu, omnis jure Quiritium gaudens, Civitatem, ſed non omnis Civitate gaudens, jus Quiritium, habebat. Bene hæc omnia a Viro Doctiſſ. diſtincta ſunt. Unicum modo reſtat, ut nominatim oſtendiſſet, quonam τὸ *optimum & pleniſſimum jus* conſtiterit. His enim ex dictis ejus generatim quidem, jus Quiritium, conſtat, *melius* jure *Peregrinorum* fuiſſe, ſed, quibus ſpeciatim prærogativis fuerit abſolutum, nemo hinc exſculpere poterit. Nec noſtrum eſt jamjam, eas adjicere. In Pag. 110.
loco *Eutropii Lib. IX cap. 24* hujus lectionis: *Galerius Maximianus primo adverſus Narſeum adverſum prælium, exin ſecundum, habuit*; in hoc igitur loco *Cellarius* & *Havercampus* τὰ *exin ſecundum* delent, veluti ſpuria, & a Gloſſatore adjecta. At Vir Cl. ſecutus *Vinetum*, verba iſta retinenda eſſe, ſtudet contendere. Enimvero, quoniam illa ſequentibus nullo modo adhærent, evidens eſt, omnino abjicienda eſſe, præſertim ubi *Capite XXV* alterum ac fortunatum *Galerii Maximiani* bellum ex inſtituto enarratur. Frigidum plane contextum reddit, quando *exin ſecundum* retinetur. Apud *Valerium Flaccum Lib. I verſ. 149* legitur: 114.

Hæc quanquam miranda viris ſtupet Æſone natus;
Et ſecum: Heu miſeros noſtrum notosque patresque.

Sententia prorſus nulla. Nec ipſi *Broukhuſius* & *Burmannus* quidquam extricant. Noſter itaque ſic tentat:

Hæc quanquam miranda viri ſtupet Æſone natus,
Sic ſecum? Heu - -

Viri, id eſt, *Argi*, qui navi, a ſe fabricatæ, & toti expeditioni, nomen indidit. Optime. Pro *natosque patresque* legendum cum *Burmanno*: *matresque patresque.* Tantum ſufficiat.

cludit, peccandi voluntate deliquiſſe virum, a malitiæ autem conſiliis deſertum, re vera uxori ſuæ vitæ ac valetudinis liberum jus uſumque integrum reliquiſſe, unde etiam capitis abſolutus, ad triremes reus ablegatus fuit. Conſultatio *quarta*, quæ ab eodem Autore Italico ſermone elaborata fuit, oſtendit caſum de infante cum umbilico non ligato ſub acervo ruderum ædificii mortuo reperto. Fœmina junior gravida latere impingit in ſcalam, poſt octo dies puerum mortuum partu elidit, quem ſub acervum ruderum ædificii condit, ubi quidem inventus eſt. Ad judicium delata res fuit. Sectione itaque legali inſtituta, pulmones, fundum aquarum petentes, inventi fuerunt. Cum tamen huic phænomeno, poſt undecimum a morte diem obſervato, non confiderent judices; Autor oſtendit, fœminam, utpote maritatam, non opprobrii cauſa partum ſupprimere debuiſſe; & porro monet, quanta mala in gravidis a caſu & contuſione abdominis oriri queant; umbilici ligaturam non neceſſariam eſſe, &, lac in mammis non fœtum vivum indicare, urget. Tandem, pulmones, in hoc caſu fundum petentes, fœtus, docet, in utero mortui ſignum certum eſſe, cum poſt corruptionem potius in aquis eleventur; ex quibus omnibus concludit, fœtum mortuum in lucem editum fuiſſe. Judices igitur & fœminam & maritum ex carcere dimiſerunt.

L. E. SOLUTIO PROBLEMATIS CATOptrici, in his Actis A. 1745 Menſe Septembri P. I pag. 523 propoſiti.

Problema hoc, quo quæritur curva circa datum punctum lucidum deſcribenda, ut ſinguli radii poſt geminam reflexionem ad curvæ perimetrum paſſi in ipſum punctum lucidum revertantur, ad id genus pertinet, ut ex data relatione, quæ in bina curvæ puncta æqualiter competat, eruantur lineæ curvæ continuæ, hac ipſa proprietate præditæ. Ex quo genere jam plura exſtant Problemata in his *Actis* propoſita & ſoluta; inter quæ inprimis numerandum eſt Problema trajectoriarum recipro-

TAB. II ad Nov. Act. Erud. A. 1746 Menſ. April. pag. 231 et 232

Fig. I





Fig. II



Digitized by Google

reciprocarum, cujus plurimæ ſolutiones his *Actis* reperiuntur inſertæ; ex quibus Analyſis non contemnenda augmenta accepiſſe jure videtur. Plures autem in ſolutione hujusmodi Problematum occurrunt difficultates; quarum præcipua in conſtitutione continuitatis verſatur; cui etiamſi ſatisfiat, tamen plerumque ad æquationes differentiales adeo complicatas pervenitur, ut difficillimum ſit, ex iis curvas ſimpliciores, Problemati ſatisfacientes, atque inprimis algebraicas, elicere; quæ difficultas altera potiſſimum in Problemate trajectoriarum reciprocarum ſeſe obtulit. Quodſi autem præſens Problema catoptricum cum illo conferatur, hoc multo magis abſconditum videtur, cum formulæ analyticæ, quas natura reflexionis pro binis illis reflexionum punctis ſuppeditat, admodum fiant intricatæ, elementisque differentialibus inquinatæ, ut vix via patere videatur, eas ad aliquam curvæ continuitatem accommodandi; unde longe magis arduum videri debebit, curvas algebraicas, quæ Problemati ſatisfaciant, exhibere. Interim tamen peculiaris methodus, qua hoc Problema ſum aggreſſus, non ſolum me ad cognitionem omnium curvarum ſatisfacientium manu duxit, ſed etiam curvas algebraicas omnes, quibus Problema ſolvi poteſt, formulis analyticis non nimis complicatis involutas, ſuggeſſit; quas hic, celata tamen analyſi, communicabo, ne aliis occaſionem adimam, vires ſuas in hoc Problemate elegantiſſimo, & cujus enodatio plurimum utilitatis Analyſi polliceri videtur, exercendi, ſuamque teſſeram ad augmentum ſcientiæ conferendi.

Quæruntur ergo curvæ AMBN (Fig. 1) circa punctum radians C deſcribendæ, ut ſinguli radii CM, ex C emanantes, poſtquam in M & N duplicem reflexionem ſint paſſi, in idem punctum C revertantur. Ad has curvas inveniendas ſumta variabili u capiatur ejus functio quæcunque v ita comparata, ut, ſi loco u ponatur $-u$, functio v abeat in $-v$, cujusmodi functiones ſunt αu; αu^3; αu^5; &c. item $\frac{\alpha+\beta uu}{u}$, $\frac{\alpha u+\beta u^3}{\gamma+\delta uu}$ &c. quas functiones impares appellare ſoleo: atque TAB. II Fig. 1.

ex

ex his quantitatibus u & v ſumtis pro lubitu duabus conſtantibus a & c coordinatæ orthogonales $CP = x$, & $PM = y$, curvæ ſatisfacientis cujuscunque ita exprimentur, ut ſit:

$$CP = x \frac{-u(a-v)}{c} + \frac{2dv(cc-uu)}{cdu} + \frac{udv^2(cc-uu)}{cdu^2(a-v)}$$

$$PM = y = \left(a - v + \frac{2udv}{du} - \frac{dv^2(cc-uu)}{du^2(a-v)}\right)\frac{\sqrt{(cc-uu)}}{c}$$

eritque $CM = a - v + \frac{dv^2(cc-uu)}{du^2(a-v)}$.

Factis autem u & v negativis, hæ eædem formulæ exhibebunt coordinatas CQ & QN, alteri puncto reflexionis N reſpondentes, ſiquidem & ipſi $\sqrt{(cc-uu)}$ valor negativus tribuatur; unde ſimul intelligitur, hæc bina puncta M et N in eadem curva continua eſſe poſita. Si igitur pro v accipiatur functio algebraica ipſius u, curvæ prodibunt algebraicæ, tranſcendentes vero habebuntur, ſi v capiatur functio tranſcendens ipſius u. Notandum hic eſt, ſi ponatur $v = u$, curvam quæſitam fieri ellipſin, alterum focum in puncto C habentem, quæ eſt ſolutio obvia & ſimpliciſſima, hocque caſu radius reflexus MN axem AB conſtanter in eodem puncto R interſecabit; reliquis vero caſibus hi radii reflexi MN cauſticam quandam formabunt, cujus figuram aſſignaſſe, operæ pretium eſt, quoniam viciſſim ex idonea harum cauſticarum forma ipſas curvas, Problemati ſatisfacientes, definire licet.

Omnes quoque has curvas, quibus quæſtioni ſatisfit, generatim per conſtructionem geometricam deſcribere licet, ſequenti modo: Conſtruatur (*Fig. 2*) curva quæcunque DCD, circa punctum C habens ramos, alternatim oppoſitos, CD, CD' ſimiles & æquales, cujusmodi eſt parabola cubicalis $y^3 = aax$ vel linea recta $y = nx$, vel etiam ſectio conica quæcunque, centrum in C habens, in hunc finem adhiberi poterit. Tum centro C radio arbitrario deſcribatur circulus $AEBF$, ductaque ad quodvis curvæ aſſumtæ punctum K tangente KT, huic per F recta parallela agatur FR axi AB occurrens in R. Deinde per K ducatur axi AB parallela KL, circulum in L ſecans,

TAB. II Fig. 2.

Digitized by Google

ſecans, per quod punctum L producatur radius CL, in eumque ex R perpendicularis demittatur RV, quæ producatur in O, ut ſit recta $RO = GT$, exiſtente G puncto conſtante in axe AB pro lubitu aſſumto; denique conſtituatur angulus $OCM =$ ang. O, ut ſit $CM = OM$, erit M punctum in curva quæſita, cujus cum recta AB futura ſit diameter orthogonalis, ſufficiet, ejus portionem ad alteram tantum axis AB partem deſcripſiſſe. Si loco curvæ DCD ſumatur linea recta quæcunque per C ducta, punctum T perpetuo in ipſo puncto C erit poſitum, ideoque recta GT erit conſtans, cui recta $RO = RM + CM$ erit æqualis. At punctum R ob FR ipſi KT parallelam pariter erit fixum, unde hoc modo formabitur ellipſis, focos habens in C & R & axem transverſum $= GC$. Ceterum hic in genere monendum, per hanc conſtructionem, qua curvæ punctum M determinavimus, rectam RM ſimul definire poſitionem radii reflexi, qui radio CM reſpondeat; ſicque rectam, angulum CMR biſecantem, fore normalem ad curvam in puncto M. Demonſtrationem hujus conſtructionis tum facilis dabo, quando totius ſolutionis meæ analyſin communicabo.

Conſtructio ſuperior ſequenti modo concinnior reddi poteſt. Poſtquam tangenti KT parallela eſt ducta FR, & ex R ad CL perpendiculariter acta $RVO = GT$, Juncta recta CO biſecetur in S ad eamque ex S normalis ducatur SM, rectam RO in M interſecans, erit cum M punctum in curva quæſita, tum recta SM tangens hujus curvæ in M; ſicque non ſolum ſingula curvæ puncta M, ſed etiam tangentes curvæ, ubique determinantur. Unde perſpicitur, ſi curva aſſumta DCD fuerit algebraica, curvam, hoc modo deſcriptam, quoque fore algebraicam. Deinde ex eadem curva DCD, pro lubitu aſſumta, ob quantitates CA & CG arbitrarias infinitæ curvæ ſatisfacientes elici poſſunt, quin etiam, manente poſitione curvæ DCD, rectam quamvis, per C ductam, pro axe aſſumere licet. Unde denuo infinita varietas naſcitur.

ACTII SYNCERI SANNAZARII, NEA-

Digitized by Google

politani Patricii, de partu Virginis Libri tres, Etruſco carmine redditi a Comite JO. BARTHOLOMÆO GESAREGIO, nunc primum collati cum Vaticano & Mediceo Codice, adjectis eorum Notis; cum obſervationibus in quatuor veterum Chriſtianorum monumenta, quæ exhibent nati Domini præſepe, cura & ſtudio ANTONII FRANC. GORII.

Florentiæ, ex typographia Cajetani Albizinii, 1740, 4.
Alph. 1 plag. 12, cum Fig. æn. 1.

Divinum Poema, quod *Sannazarius Clementi VII*, Pontifici Maximo inſcriptum ediderat olim in lucem, nunc denuo prodit, & Latino, quo prima ſcriptura conſtat, & Etruſcó interpretis, ſtilo auguſtum. *Eraſmi* cenſuram, in id emiſſam in *Ciceroniano*, *Franciſcus Floridus Sabinus Lib. III Lectionum* ſuarum *Cap. 6* caſtigavit. Inficiari quidem nolumus, fictionibus poeticis ac appellationibus Numinum extraneorum *Sannazarium* fuiſſe uſum, nec munus hiſtorici in carmine illo expleſſe. Illud tamen præ nobis ferimus, Poetam muneri ſuo pro ætatis illius indole omnino feciſſe ſatis, ac *Gregorii Nazianzeni* veſtigia preſſiſſe. Carmen id, manu Autoris ſcriptum, *Alphonſus Cambius*, Importunus, Bibliothecæ Ducis *Coſmi* Medicei Florentinæ intulit, defunctus A. 1549 id. Jan. Viginti annorum lima *Sannazarius* Poema iſtud perpolivit, judice *Paulo Jovio*, cui *Criſpus* in *Vita Sannazarii* conſentit. In Vaticana æque illud manu Autoris in folii forma ſcriptum exſtat. Non ubique congruit Codex uterque. Cel. Autori eapropter libuit diſcrimen id in annotationibus ſubjectis ſignificare. In tribus monumentis, quæ Cel. Editor æri incidenda curavit, ſuisque commentariis perfudit, apparet Jeſus recens natus, faſciis involutus, ac ſuper menſa ac præſepi jacens, adſtante bove aſinoque. In Carminis editione hac recentiſſima legitur *v. 6 ab orgine* pro *ab origine*. De reliquo ſplendent in ea univerſi pulchritudinum & ornamentorum radii. Dabimus ſpecimen translationis Etruſcæ, præmiſſis verſiculis Latinis, ut Lector ex hac fimbria poſſit de texto judicare. En illud:

Naſcere.

Digitized by Google

Naſcere, magne Puer: noſtros quem ſolvere nexus Pag. 28.
Et tantos Genitor voluit perferre labores.
Magne Puer, cui ſe hac tandem ſpolianda reſervant
Regna, tot heu miſeris hominum ditata ruinis;
Naſcere, venturum ſi te mortalibus olim
Pectore veridico promiſimus.

Italica metaphraſis:

Naſci, o gran Figlio, che diſciorre i noſtri
Legami, e tanti ſofferir travagli
Per le voler del Genitor dovrai;
Gran Figlio, a cui da ſpopolare al fine
Serbanſi queſti regni, abimè, da tante
Fatti ricchi dell' uomo alte ruine;
Naſci, ſe già con veritieri accenti,
Noi promettemmo all' uom la tua venuta.

Adjunxit Poemati verſiculorum 513 Editor Carmen *Sannazarii* lyricum in villam Mergillinam, *Horatianam* odarum indolem referens, eique ſubjecit hoc, quod *Sannazarii* marmoreo tumulo inſcripſit *Bembus*, epitaphium: 158.

Da ſacro cineri flores, hic ille Maroni
Syncerus Muſa proximus, ut tumulo.
Vixit annis LXXII, obiit anno MDXXX.

REFLEXIONS POLITIQUES SUR LES FINANces & le Commerce.

id eſt,

COGITATA POLITICA DE FISCI REDItibus & commercio.

Tomi II.

Hagæ Comitum, apud Antonium de Dole, 1740, 8.
Alph. 1 plag. 14.

Prædicavimus loco ſuo libellum Anonymi, cui index eſt præfixus: *Eſſai politique ſur le Commerce.* Autori illi placuit contendere, ex uſu Regis reique publicæ eſſe, ſi pretium

 mone-

Digitized by Google

monetæ eiusdem evehatur, ampliusque ſtatuatur. Sententiam adeo haud probat Autor *Cogitatorum*, ut potius in alia eat omnia. Utriusque Autoris & exiſtimatio & accurata ſtatus publici Galliarum notitia eſt tanta, ut judicium ipſis noſtrum haud interponere debeamus. Si quid tamen ſuſpicando aſſequimur, Cogitatorum Autor nobis perſuaſiſſe videtur, variationes monetæ pretiique conſueti amplificationem obeſſe ſaluti Regum reique publicæ, ac tributi incrementa, urgente neceſſitatis telo, illis viciſſitudinibus eſſe præferenda. Illuſtrat ſententiam hic Autor ſuam ex hiſtoria regni Gallici tam luculenter, ut nihil ſupra. Demonſtrat mentem ſuam tabulis calculorum accuratis. Reditus eorum, qui Regibus ſunt ſubjecti, re vera decreſcunt variationibus illis, commercioque vis infertur exinde. Quo ipſo non poteſt non ærarium publicum, quod in bonis ſubditorum conſiſtit, decreſcere. Nec ea, quæ ad tempus videntur utilia, ſucceſſu ipſo talia deprehenduntur. Id ipſum, ni fallimur, evidentiſſimis in hoc argumento Autor argumentis comprobavit. Non poſſumus libri ſummam dare copioſam, argumento eam reſpuente. Dimittimus itaque lectores, quorum intereſt hæc accuratius noſſe, ad Autorem ipſum, qui ſolide & copioſe tractationi ſuæ fecit ſatis.

EVERHARDI FEITHII ANTIQUITAtum Homericarum Libri IV. Editio nova, prioribus multum emendatior, Notis & Indicibus aucta, atque figuris illuſtrata.

Argentorati, impenſis Henrici Leonardi Steinii, 1743, 8. Alph. 1 plag. 22.

Licet Poeſeos Græcæ ſtudium ſatis hodie frigere videatur; de Poetis tamen Græcis, non deſunt, qui bene mereantur. Et quidem horum principis, *Homeri*, inde a perpaucis annis vitam apud Scotos conſignavit *Blakwellus*, carmina ediderunt *Clarkius* & *Hagerus*, diſputationes *Homericas* publicæ luci donavit *Angelus Maria Riccius*; neque deeſt, qui, in Germania,

mania, eodem tales tempore promiſit, ut alias aliorum occupationes literarias taceamus. Inter hos jure quoque ſuo, quanquam jam diu ſcriptum librum ad publicam lucem revocat, Cl. *Elias Stæberus* numerari meretur. Non enim revocat ſolum, ſed & emendat, amplificat, exornat. Autores igitur, quos ad concinnandum hoc opus ſibi familiares reddiderat, quorumve teſtimoniis in opere ipſo uſus eſt, *Feithius*, ſedulo evolvit, & loca, quibus emendatione opus erat, correxit. Quæ ex Græcis allegata ſunt, ea Latine reddidit, & characterum forma a reliquis diverſa, in gratiam eorum, qui linguæ illius non admodum gnari ſunt, adjecit. Locorum ultra duo millia inveſtigavit, & capitibus, in quibus eorum ſedes eſt, accurate notavit. Capita cujusque libri in ſegmenta minora diſtinxit, eorumque ordinem & argumentum ; in ipſa capitum fronte, exhibuit. Acceſſit inſuper animadverſionum ſpecimen, earum maxime, quibus hæc editio, perfectior & emendatior, carere non poterat. Paucæ ſunt, ob compendii cancellos. Sunt tamen, in quibus quædam antiquæ Græciæ monumenta vel clarius indicata, vel deſcripta, reperiamus. Maximam harum partem ſtudio & operæ celeberrimi in Argentoratenſi quondam Academia Philologi, ac præceptoris ſui, *Jo. Iſaaci Heupelii*, ſe debere, ingenue profitetur. Indices adhæc ſubjunxit locupletiſſimos, alterum locorum, tum ab ipſo *Feithio*, tum in notis, illuſtratorum, & paſſim allegatorum, alterum vero maxime notabilium verborum & rerum. Nec minus antecedentium editionum Præfationes ac Dedicationes hic reperiuntur, & temporis quidem habita ratione. Notabilis hic eſt ea potiſſimum, quæ, a *Jacobo Gronovio* lucubrata, in Præfatione *Theſauri Antiqu. Gr. Vol. VI pag. 15 ſeq.* legitur ; ubi quædam ſimul obſcuritatis arguuntur, a Noſtro ex parte inventa atque emendata. Annotationes, ut ad illas vel tantisper revertamur, dum, excerpere quasdam, vel inutile foret extra contextum, vel difficile propter æquale pretium, ſive potiſſimum fontes aperiunt, ex quibus, plura qui cupiunt, ſitim levare queant, ſive ſunt paulo fuſiores, ſimulque inprimis antiquitatum quædam capita exponunt, e. g. ad

Digitized by Google

pag. 37 de luſtrationibus, ad *pag. 39* de vaſis uſui ſacro deſtinatis, ad *pag. 66* de aris, ut alias, alibi obvias, nunc taceamus.

OBSERVATIONUM PHILOLOGICARUM in Palæphatum περι Απιςων periculum. Accedunt aliæ animadverſiones in nonnulla Muſæi & Achillis Tatii loca.

Lipſiæ, apud hæredes Lankiſianos, 1743, 8, Plag. 11 ½.

Doctiſſimus harum obſervationum Autor, *Jo. Ben. Carpzovius*, A. M. non jam primum, licet adhuc junioribus annis, eruditionis periculum facit, libellum edens doctum & bonæ frugis plenum. Neque parum merita ipſius auget hoc opus, quippe quo lectiſſimæ varii generis annotationes veluti per lancem ſaturam proponuntur. Fidem nobis faciet ipſa ſummorum capitum eorum, quæ obſervationibus
Pag. 5 seq. illis concluduntur, vel exigua percenſio. Ita primæ, ad Præfationem *Palæphati*, ineſt potiſſimum conſideratio differentiæ atque oppoſitionis verborum ὄνομα & λόγος, quorum illud eſt nudum vocabulum ſine re ſubjecta, vel ſignificatione, hoc ſemper ſignificans deſignat, atque etiam ἀποδείξει opponitur, qua occaſione varia ſanctiſſimarum literarum loca, ut & placita Stoicorum & *Platonis*, ad iſtorum verborum vim ac ſen-
13 ſeq. ſum quod attinet, expenduntur. Secunda obſervatione refutatur
16 ſeq. temeraria ſententia: *Quicquid hodie non eſt, nec olim fuit.* Tertia docetur, *Meliſſum Palæphati* non eſſe Euboicum, ſed Eleaticum, Philoſophum, ut & quo modo Deus cum mundo fuerit confuſus, nec minus quid de opinione ſentiendum: *Quod olim fuit, erit in ſequentibus denuo*; qua occaſione κύκλωσις, ἐωθὼς δρόμος, περιοδικὴ παλιγγενεσία veterum Philoſophorum, Judæorumque rotæ circumvolutio in rebus humanis, expen-
23. duntur. Ad *Caput primum*, Centaurorum origines & hiſtoriam complectens, obſervatur primo, quid fuerint Centauri, ſimulque *Clerici* etymologia, *Luciani* deſcriptio, variæque de

monſtris

monſtris iſtis tartareis opiniones, exponuntur. Hinc ipſum Pag. 32.
Palæphati argumentum, *Galeni* itèm, qui pro figmento Centauros habuit, *Maimonidis*, & aliorum, loca ſuper ea re conſiderantur. Inde de montibus, hic notabilibus, Oſſa, Pelio, Olympo, Pelethronio, atque aliis, agitur. Poſtea vocabula *καρπὸς*, 38.
ζεῦγος, ut & grex & armentum, non ſemel commutata, indicantur. Obſervatione quinta non niſi variam lectionem, ut alias 39.
ſæpe, acute ſatis perpendit. At ſexta ſiſtuntur *Κέλητες* pluri- 42.
bus verbis atque accurate, ſimulque indicatur, quis artem 44.
equitandi docuerit primus, eſſe incertum, quis victor primus in equo ſingulari, quis ſcriptor primus de re equeſtri, quo modo *ταυροκαθαψίας* hiſtoria ex marmore Arundelliano ſit explicanda; item quod Celeres, ſeu Celetes, equeſtris ſint ordo, Gereni autem equorum domitores. Octava dicata eſt tauro- 54.
rum furori, ſubigendorumque modo. Illum eſſe libidinem, docetur, & quatuor, *Plato* quæ ſtatuit, furoris genera conferuntur; hoc per ſtimulos factum dicitur, verbaque *ἀκονεῖζειν*, *κέντρον*, *κεντρίζειν*, *κεντριοάδαι*, explicantur. Sequens conſiderat 64.
vocabula *ἔργον* & *ἰδέα*, quorum illud prælium pariter atque ingenium; hoc faciem, vultum, os, deſignat. Decima confir- 68.
matur, ſuperbiam plerumque cum felicitate eſſe conjunctam, quidque ſit *ὕβρις* cum ſuis derivatis, præter alia, docetur: e. g. *ὕβριν* & ſtuprum indicare, *ὑβρίζειν* eſſe petulanter & libidinoſe ſe gerere, contumelia afficere, *ὑβριστὴν* maritum, qui nocte *τὴν χάριν* nimis flagitet, item quæ ſacra fuerint Hybriſtica Argivorum, quale fanum *τῆς ὕβρεως καὶ ἀναιδείας* Athenis, quale diſcrimen inter *τὸ ὑβρίζειν τινα* & *ὑβρίζειν εἰς τινα* conſtituat *Lucianus*, &c. Lariſſa urbs argumentum præcipuum 78.
exhibet ſequenti, quippe cujus origo, nomen Lapithe, autor munitionis *Acriſius*, ejuſdemque natales, quam magna & potens fuerit Lariſſa, quod indidem *Jupiter* Lariſſeus, *Apollo* Lariſſenſis, *Achilles* Lariſſeus, *Timolaus*, *Philo* Lariſſenſes, quodque Theſſali & Lariſſenſes antiquiſſimis temporibus Ἕλληνες dicti, indicatur. Excipit hanc de Centauris agens vinoſis, ju- 82.
gioſis, mulierum inter nuptias raptoribus, inſolentibusque, unde & Lariſſenſes & Lapithæ ob eoſdem formidabiles. Tertia

Digitized by Google

Pag. 87. tia ſuper decimam occupatur bello Lapitharum & Centaurorum, cujus tempus, theatrum, conditio, definiuntur. Poſtre-
93. ma Centaurorum alia nomina ſpectat. Dicebantur enim Gigantes, Titanes, ac prius Nephilæi, cujus nominis Ebraica origo a, cadere quod notat, verbo affertur, vel ob ſtupra, vel quod latrones fuerint, aut venatores, cum laus veterum heroum ex occiſis feris nominatim eſſet inſignis, unde & *γίγας* ſit homo audax, bellicoſus, fortis. Porro ſonus vocabuli Nephilim νεφέλην, nebulam, peperit, ex qua Centauros ortos eſſe, opinio ferat; nubes autem cælum apud antiquos idem valére. Quo oſtenſo, quis *δικαιότατος κενταύρων*, inquiritur, ſcriptoresque de Nephileis laudantur. Sequuntur animadverſiones in *Muſæi* & *Achillis Tatii* quædam loca. Quamvis enim, anno vix ante, integro *Muſæus* Commentario a *Jo. Schradero* illuſtratus, & paucis ante præclaram *Matthiæ Roveri* diligentiam fuerit expertus; largiſſimam tamen meſſem & hic ſibi relictam habuit Cl. *Carpzovius*. Loca ſelegit ea, in quibus vel ab horum interpretationibus, vel a lectione ipſius *Kromayeri*, atque aliorum, diſceſſit. *Kromayeriana* enim editio a ſola *Roveriana*, uti per ſe, ita per ſtramineum ante Scholiaſten ineditum, & elegantiſſima Cel. *Dorvillii*, licet pauca ſint, obſervata, vincitur. *Schraderi* autem illam ptiſanarium orizæ cum rapulis aſſis appellat. Ad *Achillem* porro *Tatium* quod attinet, ante centum annos, & quod excurrit, a *Salmaſio* editum, hunc illis Noſter inprimis locis, in quibus ſive interpretem Latinum anonymum correxit, ſive ad quæ ex priſcis Autoribus ſimilia invenire potuit, explicavit. Præſertim ex aliis eroticis ſcriptoribus loca non pauca adduxit, quæ cum *Achille Tatio* communia loquuntur. Iſtas reliquorum fabulas manibus terere hoc etiam propter juvat, quod doctiſſimus periculi Autor, de quo jam *Salmaſius* olim, *Gilbertus Gaulminus*, atque alii, cogitarunt, ſcriptores eroticos omnes, omnium cum notis, ſuisque, in unum aliquando corpus redigere apud ſe conſtituit. Cui inſtituto, quod omni commendatione dignum eſt, ſucceſſus precamur exoptatiſſimos.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ,
Calendis Maji Anno MDCCXLVI.

DE ASTRONOMICA SPECULA, DOMEſtico & organico apparatu Aſtronomico, Libri duo, Reginæ dicati a JO. JAC. MARINONIO, Patricio Utinenſi, Cæſareo antehac, nunc Regio, Mathematico & Conſiliario, inclytorum Statuum inferioris Auſtriæ Mathematico, Scientiarum Academiis, Bononienſi & Neapolitanæ, adſcripto.

Viennæ Auſtriæ, 1745, fol.
Alph.2 plag. 9, Tab. æn.43.

Illuſtre jam inter Obſervatores nomen adeptus Cel. *Marinonius*, in egregio hoc Opere, quo obſervatorio, quibusque organis, utatur, tam plene luculenterque exponit, ut pateat, poſſe eum cum inſtructiſſimis in exteris regionibus aſtrorum conſultis de palma contendere. Qua de re ne dubitare quis poſſit, jam, quantum inſtituti noſtri ratio permittit, operis æque ac obſervatorii contenta ſumus enarraturi. Dividitur vero Opus hoc inſigne in *duos Libros*, quorum ſinguli quid contineant, titulus jam indicavit. *Alter* enim ſpeculam ipſam, *alter* organa, deſcribit. Itaque *primo primi Libri Capite* de illis agit Autor, quæ ante conſtructionem ſpeculæ conſideranda fuerunt. Non omnibus impedimentis, liberum cœli proſpectum adimentibus, caret Metropolis Vindobonenſis. Amplitudinem ſolis ortivam patentem habet, atque patentia etiam bina fere integra illius ad orientalem ſemicir-

 culum

Digitized by Google

culum ſupplementa. Ad auſtrum eminet clivus, vulgo *Wiener-berg* dictus, ab extremo ſuburbio leniter adſcendens, cujus faſtigium vix editiores urbis turres altitudine æquant. Majus adhuc occidentale plagæ impedimentum afferunt montes, ultra terminos occiduæ ſolis amplitudinis hinc ad Vindobonam amnem, illinc ad Danubium, protenſi. Inſignis inter hos Cetius (*Kalenberg*), Pannoniam olim a Norico dirimens, in varia faſtigia elatus, cœlum obtegit ad altitudinem graduum duorum. Proſpectum denique borealem alius mons limitat, *Biſenberg* dictus infimumque cœli gradum operiens. Itaque integro horizonte præditus locus Vindobonæ non occurrebat, præter montem Cetium, in quo templum exſtat, cum manſionibus ſacerdotum ſecularium, quos poſſet loci opportunitas ad Aſtronomiam excolendam allicere, ſi aliis requiſitis eſſent inſtructi. Autori vero in urbe degendum erat, conſultumque, ut maneret in area, nuper acquiſita, quam *Leander* Comes *Anguiſola*, egregius Mathematicus & urbis Vindobonenſis Architecturæ militaris præfectus, ad ædificandam ſibi domum elegerat A. 1690, quando fere vacua adhuc erat ſtatio vallaris. Favebat altitudo hujus areæ, tum propugnaculo, tum ſuggeſtui ſuperſtructo, dominantis, adeoque ſecundam contignationem plerarumque domuum excedentis. Favebat & locus in angulo urbis, ab ædificiis altioribus haud parum remoto, & a ſuburbanis omnibus plane diſſito, ita ut non multa opus eſſet altitudine, ut idonea ſpecula fieret. Hujus itaque pavimentum ſatis elevatum iri judicabat, ſi æquaretur domeſtici tecti faſtigio, ex quo videbat pauca ædificia magis exſtantia, eaque parum obſtare, præter turres & templa, non evitanda, niſi per aliam turrim, qualem, utut intra vetuſta mœnia civitatis, in vicinia tamen valli, erigere non licebat. Nec ſubibat animum cauſa ulla, cur de altiori pavimento eſſet ſollicitus, niſi levis quædam ſuſpicio cujuſpiam phænomeni raro contingentis, & dubiæ obſervationis, cujus modici fructus ſpes incerta remotaque manebat. Feneſtris autem ſpeculæ nulla inveniebatur in muris lateralibus altitudo ſufficiens, niſi per alias, inclinato in tecto patentes. Data itaque erat poſitio domus,

Digitized by Google

domus, in declinatione graduum 45, cui ſpecula octogona apte poterat accommodari, ut Bononiæ in Inſtituti ſcientiarum palatio optimo ſucceſſu factum Autor viderat. Jam plaga meridiani, quæ uranicæ ditionis primaria eſt, peculiariter ſibi exigebat ſpeculam, in tota communi ſectione ſimul, aut ſucceſſive, patentem, ſol autem, nec non planetæ & fixæ inſigniores, interdiu culminantes, obſcuram poſtulabant, & quædam inſuper inſtrumenta majora atque fixa requirebantur, parietibusque firmata. Sed has conditiones, præter univerſalem obſervationum uſum, & organa mobilia, una eademque ſpecula non patiebatur. Itaque in ejusdem veſtibulo exigua camera erigenda fuit, (in dato ſpatio, quod veteres muri concedebant,) & aliorum more a Meridiano nuncupanda. Denique, cum oporteret etiam interdum ſub dio eſſe, ad majorem cœli partem conſpiciendam, ad diſtinguenda loca & nomina ſtellarum, & ſimilia, ſpatium, huic negotio quoque aptum, addendum fuit, inſtar pergulæ externæ. His igitur partibus, ſpecula ipſa, camera meridiana, & pergula, Obſervatorium abſolvitur. Pavimentum firmum ſpeculæ ſubſtrui curavit Autor, in cujus medio hiatus eſt, hieme aperiendus, ut per eum tantum caloris adſcendat, quantum ad ſpeculæ aerem tepefaciendum, & oſcillatorium horologium a nimio frigore præſervandum, ſufficiat. Neque enim licebat hiemalem fornacem ſpeculæ addere, ne ſcilicet calidi vapores, tubos opticos perrepentes, & ad ſuperficies lentium, frigori expoſitarum, pervenientes, ipſarum uſum adimerent, vel infirmarent. Feneſtræ verticales, altitudinibus usque ad 60 gr. inclinatæ, in tecto, usque ad zenith & ultra, capiendis ſufficiunt. Spatium, ſub tecto ſpeculæ inter feneſtras inclinatas reſiduum, occupatur a circulo, horizontem referente, nominibusque ventorum inſignito, qui ope indicis nomen plagamque venti flantis oſtendit. Sunt præterea appendices hujus ſpeculæ; quo ſpectant obſervatorium inferius, cum duobus quadrantibus, muro affixis, altero borealibus ſideribus, altero auſtralibus, deſtinato, item camera obſcura, meridianæ contigua. His abſolvitur, quod de ipſo ædificio dici poteſt. Jam ex *altero Libro* organa recen-

Digitized by Google

ſebimus, initium facturi a linea meridiana, de qua Autor *Sectione I* hujus *Libri* agit. Adhibet autem meridianam filarem, cujus umbra ſpeciem ſolis in meridie bifariam ſecat. Cum enim antiqui vel umbra uterentur, vel radio ſolis, in ductam jam lineam meridianam incidente; animadverſum deinde eſt, neutram methodum perfecte ſufficere, quia umbra non diſtincte ſatis terminatur, radius ſolis per rotundum foramen transmiſſus, ſi plano horizontali, aut verticali, oblique ſecetur, ellipſin exhibet. Primus radii & umbræ uſum conjunxit *Nicolaus de l' Isle* in præclara ſua methodo, quam legimus in *Commentar. A. R. S. Anni 1719 pag. 59* ed. Pariſ. quam, cum ab Aſtronomis quoque Bononienſibus adhibitam A. 1729 vidiſſet Autor, in uſum ſuum traduxit, hicque dilucide, additis etiam exemplis, deſcripſit. Deinde explicat, quibus artibus poſitio lineæ meridianæ examinetur, &, ſi opus fuerit, corrigatur, praxinque adeo, altitudines, quas correſpondentes vocant, capiendi, exhibet. Obſervantur autem ſingulis fere diebus ſerenis in ſpecula hac plerumque decem, vel duodecim, ſolis altitudines mane, totidemque veſpere, tum ut plurium correſpondentium habeatur conſenſus, tum ut, ſi forte nubes, quod ſæpius accidere ſolet, aliquam ex veſpertinis impediant, reliquarum uſum ſperare liceat. Deinde meridiei corrigendæ ex his altitudinibus methodum *Hireanam*, geometricis demonſtrationibus munitam, tradit, tabulas, illi negotio expedite perficiendo neceſſarias, ſubjiciens. Sequitur hæc *altera Sectio* de Inſtrumento a culminationibus, ſive de tubis dioptrico teleſcopicis in plano Meridiani mobilibus. His olim *Ræmerus* uſus eſt, & poſt eum utitur Cel. *Horrebovius*, addito circulo, cujus ope poſſit ſimul declinatio haberi. Idem *Marinonius* initio fecit, ſed, cum res non apte ſuccederet, melius cenſuit cum *Manfredio*, declinationes ex altitudinibus quadrante obſervatis deducere, multum jam præſtitum exiſtimans, ſi illo inſtrumento culminationes ſaltem exacte obtineantur. Unico autem tubo, quem olim Aſtronomi ad hoc negotium adhibuerunt, addidit alium, ſed ſitu inverſo, pro illis ſideribus, quæ, fere ſimul meridianum attingunt, ſed in partibus, eis oppoſitis. Erant autem plurimæ con-

ditiones

Digitized by Google

ditiones combinandæ; difficillimum Problema in hac organica praxi reddentes. Requirebatur enim, ut lineæ dioptricæ utriusque teleſcopii uni plano, vel duobus contiguis, inter ſe parallelis, adhærerent, ut ambæ normales eſſent ad axem rotationis, ut hic axis horizontalis eſſet, quo planum dioptricarum linearum, revolutione genitum, fiat verticale, ipſi meridiano congruens, denique ut poſſet machina in ipſo loco, ubi uſus ejus eſt, examinari atque rectificari. Hæc omnia quibus artibus obtinuerit, Autor luculenter exponit. *Sectio tertia* deſcribit quadrantem fixum, pro altitudinibus meridianis capiendis radii 9 ped. *Sectio quarta* alium quadrantem auſtralem fixum, aliumque adhuc borealem; *quinta* quadrantem ampliatum mobilem, præcipue deſcribit. Is azimuthalis eſt, vel potius azimathali ſimilis. Volvitur enim ſuper circulo horizontali, ad modum azimuthalium, ſed magis tamen ad faciliorem quadrantis motum, quam ad uſum azimuthalium angulorum, comparato, qui jam, commodioribus methodis inventis, rarius obſervari cœperunt, quanquam & uſui eſſe poſſint, ad ſtellas diurno tempore inveniendas. Quadrans ipſe radium habet 30 unciar. pedis Vindobonenſis, ampliatusque eſt addito alio arcu, alhidadæ prælongæ conjuncti. Deinde in eadem *Sectione* agitur adhuc de quadrante paullo minore, radii unciar. 20, ſed ſimilis cum priore ſtructuræ, de verticali majore itidem ampliato, denique de aliis adhuc hujusmodi minoribus & mobilibus organis, puta de alio adhuc quadrante, ſemicirculis, ſectoribus, & ſimilibus. *Sexta Sectio* micrometrum contemplatur. Lineæ, quibus in eo opus eſt, aptiſſimæ videntur primo intuitu, quæ adamante in tabula vitrea ducuntur. Tunc vero, ut hæ lineæ perquam exiles & nitidæ prodeant, non manu ducendus eſt cuſpis adamantinus, ſed tenui chorda trahendus, ope curſoris inter duas parallelas craſſiuſculas regulas mobilis, & ab iisdem in eadem continuo directione detenti; utque linea pro lubitu craſſior evadat, ipſi curſori ſuperadditur aliquod pondus, quod ſulcum adamantinæ cuſpidis profundiorem efficiat. Ambæ regulæ, inter ſe quidem fixæ, motum tamen habent ſimul, utrinque in acceſſum

 & re-

& receſſum, ab alia quadam regula prius in apta poſitione firmanda, ut per certam cochlearum circumvolutionem ipſæ parallelæ regulæ, reſpectu fixæ, promoveantur, aut retrahantur, donec cuſpis adamantina utrique puncto ducendæ lineæ congruat. Hoc artificio, ad longiores regulas extenſo, utuntur jam artifices Autoris in ſcalis conficiendis, radiis lineisque ducendis per puncta data. Nævi autem ejusmodi vitrorum hi ſunt, quod nunquam ſatis munda, etſi deterſa, ſed fæculenta ſemper, inveniantur, ob pulviſculos, ipſis adhærentes, & a lente oculari, cujus in foco conſtituuntur, enormiter auctos, &, licet poſſint haud difficulter extrahi atque purgari, id tamen non fit absque tædio & moleſtia remedii ſæpius applicandi. Proinde *Marinonius* non niſi unum ex micrometris ſuis vitris ejusmodi inſtruxit, reliquis vero crines argenteaque fila oppoſuit, quæ ſericis præferri merentur. Crinibus quidem objicitur craſſities, qua partem objecti haud exiguam, pluribus nempe minutis ſecundis æquivalentem obtegant, tenſio ob mutationes aeris inconſtans, denique inſultus vermium, crines corrodentium, ut ipſi Autori, præcipue equinis uſo, contigit. Sed hæc dilui exiſtimat acumine oculi, diſcernentis genuinum punctum contactus, aut interſectionis, etſi lineæ, ſe ſecantes, vel tangentes, fuerint craſſiuſculæ; deinde, non ſemper conſtare, dicit, an crinis curvaturam ipſi ceræ, qua plerumque firmatur, vel crini ſicciore in aere flacceſcenti, adſcribi debeat. In capillis humanis, ante octennium priori ſuo micrometro aptatis, nullam unquam variationem ſe inveniſſe, teſtatur. Itaque glutini, aut ceræ, quibus ad firmandos tendendosque crines utuntur, ſubſtituit in aliquibus micrometris clavos cylindricos exiles, quadri lateribus inſitos, & externe repercuſſos, vi tamen huc vel illuc tantillum convertibiles. Argentea fila crinibus adhuc præfert, quod & tenuiora ſint, vel ſaltem æque tenuia, & a vermium inſultibus plane immunia. In tendendis illis laudat artificium *Grahami*, qui elaſticam vim applicuit, Mathematicis Pariſienſibus in libello, *la Figure de la terre* inſcripto, editoque Pariſiis A. 1738, *Cap. V pag. 9* deſcriptum. Neque vero unica forma micrometrorum contentus fuit

Autor,

Digitized by Google

Autor, ſed earum plures enumerat, alia fixa, quorum partes fixæ, vel ſtabiles, manent, tubo teleſcopico conſtanter adſtrictæ, nec niſi cum ipſo tubo moventur, alia mobilia, quæ ita tubis aptantur, ut circa eorum axes moveri poſſint, & ſingulis horariis ſucceſſive applicari, quorum omnium conſtructionem uſumque docet. *Septima Sectio* agit de fixis dioptris teleſcopicis, ad inerrantia ſidera, eaque culminantia, directis. Prælonga teleſcopia fixa utilia eſſe ad collocanda, examinanda, ſtabiliendaque organa, ad eliciendam menſuram temporis medii, nec non horologii motum explorandum, notum eſt; neque dubium exiſtit, ea multum conferre poſſe ad nobiliſſimam hodiernam indaginem, quæ annuas ſtellarum inerrantium aberrationes proſequitur. Itaque, fixum verticale teleſcopium eximiæ utilitatis fore, præviderat Autor, neque tamen ad unicum zenith reſpiciendum cenſebat, ſed & ad alia quædam puncta, in ejus vicinia & in noſtro meridiano jacentia, ut non ſimplex verticalis linea prodeat, ſed exiguus quidam verticalis ſector meridiani. Nullam enim inveniebat ſtellam præciſe in vertice culminantem, &, ſi qua inveniretur, præſertim ex agmine minorum, non niſi nocte per aliquot menſes, perque dies aliquot in crepuſculis ob diurnam accelerationem in hoc tubo appareret, ipſaque poſt paucos annos mutata declinatione ſe a verticali culminatione ſubduceret. Nulla quoque primi ordinis reperiebatur prope verticem culminans, ſiquidem *α* capræ reliquarum proxima diſtat adhuc 2° 31′. Itaque inter alias 2. 3. 4. magnitud. eligebat lucidam Perſei, cujus alt. bor. 89° 18′, aliasque in eadem conſtellatione propinquas, duas in anteriore pede ſiniſtro urſæ majoris, quarum auſtralior non niſi 4′ diſtat a vertice, unam lacertæ in educt. caudæ, ita ut toto fere anno duæ, vel plures, obſervari poſſint, noctu, vel in alterutro crepuſculo, culminantes, & quidem in arcu meridiani, ſemialterum gradum non excedente. Talem itaque ſectorem obtinuit tubo verticali, cujus poſitum, aliaque, huc ſpectantia, deſcribit. Præterea utitur aliis taleſcopiis oblique fixis, ad Capram, Sirium, lucidam Lyræ, & Fomahand, directis, pro obſervandis illorum culminationibus. Poſt hæc, vix operæ pretium, monere, quam

inſtru-

Digitized by Google

inſtructus ſit Autor tubis mobilibus, tum communibus 8. 10. usque ad long. 18. ped. tum teleſcopiis Anglicanis catadioptricis, 3, 4, 5, ped. Hæc autem & omnia a ſe viſa catadioptrica, ſtructuræ artificio, claritatisque & imaginis augmento ſuperare longiſſime dicit, quod Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix, *Eliſabetha Chriſtina*, ſcientiarum præſidium & columen, cuſtodiæ Autoris commiſit. Appendix hujus *Capitis* lignea fulcra tuborum prægrndium deſcribit; *octava* vero *Sectio* horologia, quorum aliqua Vindobonæ conſtructa ſunt ſtilo Londinenſibus ſimillimo, unum Pariſienſe eſt. *Nona*, eaque ultima, fructum aliquem obſervatorii hujus apparatusque exhibet, obſervatis tranſitibus ſiderum per Merid. Vindobonenſem diebus 13, 14, 15, Dec. anni 1741. Ad imitationem enim *Ræmeri* triduum aſtronomicis laboribus exigere voluit Autor. Notæ in hoc triduum, cum plerarumque fixarum ordine tranſituum per meridian. Vindobonenſ. & altitudinibus viſis, colophonem imponunt libro. Ex hoc, quem Lectoribus dedimus, præclari Operis guſtu facile quivis perſpiciet, quantum deceat de conatibus illuſtris Autoris gratulari ipſi, prætereaque Germaniæ noſtræ, quæ ea felicitate fruitur, ut tantum Aſtronomum in ſua veluti metropoli jam detineat.

DISSERTATIONES HOMERICÆ, HABITæ in Florentino Lyceo ab ANGELO MARIA RICCIO, Græcarum Literarum Profeſſore; quibus accedunt ejusdem Orationes pro ſolenni inſtauratione ſtudiorum.

Volumina III.

Florentiæ, ex Typographia Cajetani Albizinii, 1740, 4.
Vol. I Alph. 1 plag. 21, Vol. II Alph. 1 plag. 21, Vol. III Alph. 2 plag. 1.

Semper hoc fuit de *Homero* judicium, hæc exiſtimatio, ut omnes, non ſolum Claſſicorum principatum ei concedendum, exiſtimarent, ſed etiam totum *Homericum* opus quaſi Palladium aliquod de cœlo delapſum, & tam diu literas apud nos remanſuras, arbitrarentur, donec illud Palladium nobis ſupereſſet, eique ſua laus, ſuusque honos, conſtaret. Itaque, etſi plurimi ſemper fuerunt, qui ejus explicandi, illuſtrandique

dique laborem in ſe ſuſceperunt, & felici etiam ſucceſſu perfecerunt, tamen rem faciunt etiam nunc maximopere laudandam, qui ſua eum opera vindicandum, aut explicandum, illuſtrandumque, ducunt. Inprimis vero utile erat, maximeque e re literaria, futurum, ſi quis, quæ alii ſparſim *Homeri* illuſtrandi vindicandique cauſa dixerunt, ea conferret in unum locum, & de ſuis quoque adderet ea, quæ adhuc deeſſent. Vidit hoc *Angelus Maria Riccius*, Vir doctiſſimus, & Græcarum literarum Profeſſor Florentinus. Itaque Diſſertationes ſuas *Homericas*, hortatore inter alios multos & autore *Muratorio*, Viro in his literis primario, ſub certa capita redactas, & in unum corpus collectas, in lucem emiſit; in quibus nunc, quid præſtitum ſit, quantum quidem ratio noſtra patietur, commemorabimus.

In his igitur Diſſertationibus eam rationem ſecutus eſt, ut multa loca inſignia ex *Homero* illuſtraret, difficilia & impedita expediret, *Homerum* a criminibus atque adeo calumniis defenderet, & inprimis de moribus antiquis ageret, quibus exponendis hoc ſciebat fieri poſſe, uti homines melius & magnificentius de *Homerico* ingenio ſentire inciperent. In quibus omnibus ita verſatus eſt, ut cum *Homericis* locis interdum alia ſimilia, tum ex ſacris, tum ex profanis, ſcriptoribus deſumta, compararet, eodem conſilio, quo uſus erat antea *Huetius* & *Calmetius*. Inprimis etiam, quantum ſacræ literæ ex *Homero* lucis capere, & viciſſim huic afferre, poſſint, documentis luculentis oſtendit. Sed, quo omnibus etiam Græcæ linguæ ignaris hæ Diſſertationes prodeſſent & placerent, fecit, ut a Græcis verbis pæne ſemper abſtineret, ſed interpretatione Latina uteretur. Antequam vero eas luci committeret homo ſui laboris non nimis amans, ſed modeſtus & humanitatis ſuæ memor, communicavit eas cum Viris duobus celeberrimis ac doctiſſimis, *Ant. Fr. Gorio* & *Thoma Monelia*, ut, in quo offenſum a ſe titubatumque reperiſſent, illud corrigerent, atque emendarent; id quod feciſſe eos prædicat. Ceterum, cum *Jo. Lamius*, Vir Clariſſ. eum admonuiſſet, ut indicem hiſtoriamque *Homeri* Codicum ſcriptorum, qui in Bibliothecis Florentinis aſſervantur, adjungeret, id conſilium eximium, & rationibus

Digitized by Google

eruditorum accommodatum, ratus, eum in Præfatione exhibuit; præſertim cum ſciret, quanta Florentinæ civitatis in *Homero* demerendo opera fuiſſet, & quanta ei laus ſit & gratia tribuenda; quod paucis in Præfatione perſequitur. Adjecit quoque quasdam Orationes, a ſe habitas pro ſolenni ſtudiorum inſtauratione, ſed ita tamen, ut, cum totum ſuum opus *tribus Voluminibus* comprehendi vellet, ſingulis Voluminibus aliquot Orationes adjungeret. Deinde Cl. Autor dicit, ſe lætari, quod reperiſſet, ſe interdum cum acutiſſimo *Popio* conſentire, quo nemo unquam felicius *Homerum* illuſtravit, explicavit, aut vindicavit, cujus interpretationem *Homericam* & animadverſiones demum poſt expreſſas has Diſſertationes ab amico aliquo legendas acceperit. Denique imago *Homeri*, in fronte operis expreſſa, depromta eſt ex inedita antiqua ænea protoma Muſei Medicei, quæ paucis abhinc annis in littore parvæ inſulæ Meloriæ, prope portum Labronis, recedente mari, reperta eſt.

In *primo Volumine* continentur XX Diſſertationes & Narratio de ſtudio Græco, & Orationes IV. Ac Diſſertatio quidem *prima* veluti ceterarum procemium eſt; 2) de *Homerica* apud *Virgilium* & *Taſſum* imitatione; 3) de *Homero* totius antiquitatis omniumque doctrinarum parente; 4) de *Julii Cæſaris* in *Homerum* cenſura; 5) de *Platone*, *Homerum* e republica ſua dimittente; 6) de repetitionibus *Homero* familiaribus; 7) de *Iliadis* exordio, *Achillis* ira, Deique voluntate, hominibus mala immittentis; 8) de cauſa iræ *Achillis*, de ſomniis, & de periculoſa Regis increpatione; 9) de Heroibus *Homericis*; 10) de *Achillis* conviciis, & Latina *Homeri* ad verbum verſione; 11) de iisdem conviciis, Latinisque *Homeri* verſionibus, tum ad ſententias, tum ad ſingula verba, conflatis; 12) iterum de *Homeri* verſionibus; 13) de Heroum, ac præſertim *Achillis*, lachrymis; 14) de Heroum mendaciis; 15) de laudatione, qua *Homerici* heroes interdum ſe ipſi extollunt; 16) de armis æreis; 17) de cibo potuque heroum; 18) de ſtatura ac robore priſcorum heroum; 19) de voce ſtentoris; 20) ſummam totius Iliadis nonnullis animadverſionibus illuſtratam

exhibet.

Digitized by Google

exhibet. Narratio autem *de ſtudio Græco* duobus ἀποσπασμάτιοις continetur, deſumtis illis ex Commentariis, ad V. C. *Gabrielem Riccardinum* ſcriptis, uno A. 1730, 1739 altero; in quibus primo oſtendit ſuorum diſcipulorum exemplis, quam operam ipſe in docendis Græcis literis navaverit, quos alumnos habuerit, qui denique quantusque juvenum, Græcæ linguæ ſtudia æmulantium, in Italia & favor & concurſus exiſtat. Unde apparet, ex ejus ſchola, tanquam ex equo Trojano, multos in literarum ſcientia egregios viros exſtitiſſe. Præterea quoque commemorat, quo conſilio, quibus artibus, juvenes ad Græcæ linguæ ſtudium alliciat, & allectos teneat.

Oratio prima, pro ſolenni ſtudiorum inſtauratione habita, oſtendit, eos, qui literas Græcas calleant, longe ampliorem ſibi jucundioremque ſapientiam comparare, quam qui Græce neſcientes aliunde eam expetere neceſſe habeant; *ſecunda*, diſcipulorum ſocordia optimorum præceptorum virtutem frangi, ſtudio vero eorum ac ſedulitate mediocribus addi virtutem, ut optimi fiant; *tertia* profanarum doctrinarum ſtudioſis neceſſariam eſſe ſacram doctrinam, contraque ſacræ doctrinæ cultoribus neceſſarias eſſe profanas literas. Ultimo loco reperitur Epiſtola ad *Petrum Franc. Fogginium*; in qua cum multa ad Hiſtoriam litterariam, tum inprimis de ſtudio Græco Florentiæ, & literarum Græcarum ſtudioſis, commemorantur.

In *altero Volumine* reperiuntur primum Vita *Homeri*, ab ipſo *Riccio* ad *Scipionem Maſſæum* ſcripta; inde Diſſertatio 21), ſeu potius Cohortatio ad Græcæ linguæ ſtudium; 22) de *Achillis* aliorumque memorabili velocitate; 23) de *Achillis* cithara canente, veterique Græcorum Muſica virili, & effœminata, nonnulliſque aliis, ad cognitionem Muſicæ pertinentibus; 25) an Muſica curentur morbi; 26) de Diis; 27) de phyſicis allegoriis, in Deorum fabulis abditis; 28) de allegoriis, ad mores pertinentibus, ſub Deorum fabulis contentis; 29) in qua ea loca expenduntur, ubi Poetam theologum ſe præbet *Homerus*, ſed ſub figuris & ænigmatibus; 30) 31) 32) de eodem argumento; 33) in qua ea loca expenduntur, in quibus luculentiſſime Theologus eſt; 34) de veſtibus, re-

Digitized by Google

liquoque corporis ornatu, de lectis, & de conviviorum ritibus; 35) in qua (quæſtione illa expenſa, utrum e bonis ſtrenuisque parentibus conſimiles ſæpius progenerentur filii, an deteriores,) Florentini adoleſcentes ad Græcum ſtudium excitantur; 36) de Sacrificiis; 37) de ritu, cornua victimæ inaurandi, eorumque honore atque ignominia apud veteres; 38) in qua quidam ex *Iliade* ſermones a criminationibus vindicantur; 39) de nonnullis *Homericis* comparationibus, & ſimilitudinibus, a Cenſoribus temere improbatis, & quomodo Olympus cum catena *Jovis*, ex eo dependente, intelligendus ſit; 40) an, quæ de *Helena Homerus* habet, ſint fabuloſa; an advenerit in Italiam *Æneas*; & alia quædam ad examen revocata; 41) in qua plura ſimul ex *Iliade* collecta breviter explicantur; 42) de *Euſtathiana* Cl. *Politi* editione, ac verſione; 43) de funerum antiquorum ritibus, cadaverum combuſtione, ac ſepultura. Orationes autem, pro ſolenni ſtudiorum inſtauratione habitæ, ſunt hæ: 4) Florentinos adoleſcentes cum ingenii dexteritate, tum majorum exemplis, in literarum ſtudium impelli; 5) ſtudioſis adoleſcentibus non multa volumina, ſed ſcriptores doctrinarum principes legendos eſſe; 6) conducatne, an officiat, doctrinarum adeptioni Latinæ linguæ ſtudium, quomodo nunc in plerisque Gymnaſiorum pertractatur; Epiſtola ad *Muratorium*; Diſſertatio 44) *de labore Græci ſtudii emolliendo*; quæ Diſſertatio ideo ſejuncta a ceteris hic locatur, quod præcedentis Orationis veluti eſt appendix.

Tertium Volumen ad *Odyſſeam* proprie pertinet; in qua brevior eſſe potuit, quod multa cum *Iliade* communia habet, quæ occupata ſunt prioribus *Voluminibus*. Itaque hoc *Volumen XVII* Diſſertationibus abſolvitur. Prima eſt numero 45) *de Odyſſeæ propoſitione: & an ſit peregrinandum*; 46) *de Penelope adverſus Gravinam*; 47) *de Telemachi præfatione ad Neſtorem ac Menelaum; de criminibus in eum conjectis; deque Odyſſeæ Chronologia*; 48) *de equo Trojano; de Helena, alienarum vocum imitatrice, & de Nepenthe*; 49) *de Ulyſſis ab Inſula Calypſu diſceſſu, naufragio, & ad Phaeacas appulſu*; 50) *de Ciconibus*

Digitized by Google

nibus & Lotophagis; 51) *de Polyphemo, aliiſque Cyclopibus*; 52) *de Inſula Æolia*; 53) *de Læſtrigonibus*; 54) *de Circe*; 55) *de Cicumeriis*; 56) 57) *de Sirenibus, Planetis, Scylla, & Charybdi, bobusque ſolis*; 58) *de Telemacho, ſontes puellas in ædibus regiis ſuſpendente*; 59) *de patris in filios lenitate*; *& an pueri cadendi ſint*; 60) *de puellis, hoſpites lavantibus, aliisque mulierum exercitiis*; 61) *complura ſelecta & lectu neceſſaria ex Odyſſea*. His acceſſerunt Orationes, quibus *Joſephi Averanii*, *Ant. Caſp. Franchii*, *Alb. Ughetti*, & *Joſ. Clarii*, laudationes continentur; Appendix porro *Homericarum* Diſſertationum, Epiſtola ad *Picchiantum* cum Epilogo Operis totius.

Sed, quo magis ratio *Riccianarum* Diſſertationum conſtet, age, unum & item alterum ſpecimen ex iis proponemus. Sæpe multumque *Homero* crimen ταυτολογίας objectum eſt, quod multos frequentiſſime repetit verſus; magnamque in hoc crimine contemtores *Homeri* ſpem & fiduciam ponunt. *Riccius* igitur, V. C. non alienum duxit ab ſuo conſilio eſſe, ſi, hoc crimen in *Homero* hærere non poſſe, & repetitionem iſtam non tam vitii numero, quam laudis, ponendam oſtenderet. Ταυτολογίας vitium eſt in eo, ſi quod verbum, aut ſi qua ῥῆσις, ſine omni idonea ratione, atque inſulſe, repetitur. Quod vitium, cum ſit valde ridiculum, quomodo in *Homero*, brevitatis ſtudioſiſſimo, & elegantiſſimo, hærere poſſit? Sunt ſane, (negari enim non poteſt,) multa in *Homero* ſæpius repetita. Quid igitur? Repetitiones illas eſſe concinnas, aut temporibus *Homericis* conſentaneas, demonſtrat Vir Cel. Ac primo quidem, ſive linguæ ingenio, ſive priſcæ conſuetudini, attribuendas eſſe, neque adeo ſine magna venuſtate ac lepore adhibitas, cenſet, propterea quod nemo veterum reprehendere eas ſit auſus. Reprehenderint vero? Immo laudarint. *Macrobius* enim, *Neſcio quomodo*, inquit, *Homerum repetitio iſta unice decet*, & *eſt antiquo Poeta digna*. Et, vetuſtis temporibus hanc repetitionem non invenuſtam habitam fuiſſe, vel ipſas ſacras literas, inprimisque a *Moſe* relictas, docere, in quibus frequens iſtarum repetitionum numerus appareat. Neque profecto ipſos Romanos abhorruiſſe, ut ex *Cicerone* autor ſit

Quintilianus Libro VIII. Virgiliana porro illa nota ſunt: *Vix ea fatus erat; talia fatur; talia dicta dabat;* ut integræ ῥήσεις *Virgilianæ*, bis poſitæ, taceantur. Niſi, elegantiam afferre, exiſtimaſſet, aut uſitata iſta repetitio fuiſſet, *Homerum* non tam ſtudioſe eandem formam retenturum fuiſſe, qui maxima dicendi varietate & copia abundaret, & Græca lingua, una omnium locupletiſſima, uteretur. Huic argumento addit hoc, ut, veteres, tamquam *Homerum* & *Moſen*, iteratione verborum ac ſententiarum diligentius rem lectoribus ſuis inculcare voluiſſe, dicat. *Homerum* & varietatis & repetitionum plenum eſſe; quorum illud laudatur, hoc reprehenditur. Utrumque vero bonum eſſe dicit, modo utriusque rei quædam ratio modusque ſit. Cavendum, ne ſimplicitatis affectatio ad iteranda ſæpius eadem, ſine ulla venuſtate, rapiat, aut immoderata variandi cura in ineptam ac putidam diligentiam, omnia, vel maxime communia, ſemper diverſa ratione exprimendi, injiciat. Nihil enim Poeſeos impetum magis cohibere, æſtum ingenii refrigerare, aciem mentis retundere, orationisque ſublimitati officere, quam tam exilem omnium rerum diligentiam, nemo eſt, qui neſciat. Pictorem nemo reprehendit propter parvarum rerum repetitionem; modo rem principalem omni ſtudio elaboraverit. Quid igitur? Cum poeſis ut pictura eſſe debeat, *Homerum*ne adeo reprehendi oportere, qui, grata quadam negligentia, utatur repetitione, non tamen in locis præcipuis & inſignibus, qui ſummam *Homericæ* laudem poeſeos continent, ſed in parvis ac tenuibus, in tranſitionibus, in communibus quibusdam rerum affectionibus, in familiaribus quibusdam aſſiduisque imaginibus, tanquam ſacrificiis, conviviis, multisque aliis deſcribendis, quæ, cum ſemper eadem ratione fiant, natura ſua videntur nolle alia ratione efferri, & enuntiari. Diſplicent vulgo hominibus delicatulis iterationes *Homeri* in nuntiis perferendis; quod ad voluptatem humani ingenii non adhæreſcunt. Verum antiquiſſimis temporibus legationem aliquam, nullo pæne verbo mutato repetitam, concinnam elegantemque habitam eſſe, etiam ex ſacris literis conſtare

Digitized by Google

ſtare poſſe, contendit. Neque vero eas repetitiones diſplicere, quas amplexa ſit conſuetudo, tanquam in carminibus bucolicis, & in cantilenis muſicis. Denique epitheta, Deorum, aut heroum, tam ſæpe repetita, quædam velut affixa attributa eſſe, aut agnomina, aut titulos, docet, tanquam apud *Virgilium Æneas pius* appelletur; qui mos recentiorum temporum conſuetudinem non deficiat, quando Reges ac Principes per epitheta notari ſoleant, tanquam *Philippus Pulcher*, *Carolus Craſſus*, *Carolus Calvus*, velut ſuis cognominibus notabiles perpetuo diſtinguunt.

Non minus in reprehenſiones recentiorum incurrere ſolet robur ac ſtatura heroum *Homericorum*; quod non veriſimile ullo modo ſit, terram nunc quidem homines educare tam puſillos, tanquam effœta virtute parentium, cum antea tam robuſtos ac magnos produxerit. *Homerus Il. V* de *Diomedis* robore ait: Diſſ. XVIII.

- - - ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ᾽ ἄνδρε φέροιεν
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι.

Atque hoc multis locis dicit, Trojanis temporibus homines multo majores fuiſſe, quam ſuis eſſent. Hoc itaque fabulis annumerandum cenſent plerique. Sed, non omnia, quæ fabulis ſimilia ſunt, falſa eſſe, docet Vir Cl. quod probabile ſit, multa veriſimilia non eſſe, quæ vera ſint. Nam primo, antiquis temporibus gigantes fuiſſe, ſine dubio cum ſacrarum literarum autoritate, tum aliis exemplis, docet; tanquam *Phlegontis*, *Adriani* liberti, *de reb. mirab. Cap. 12* ex *Apollonii* exemplo deſumto, ex *Thoma Facello*, Hiſtorico Siculo, *Dec. I Lib. I Cap. 6*, pluribus ex *Plinii H. N. VII, 16*, *Jac. Phil. Bergomenſis Suppl. Chron. Lib. III*, & denique *Auguſtini de Civ. D. XV, 23*, quibus omnibus egregie confirmari *Homericorum* heroum robur magnitudinemque putat. Sed, cum tamen dubitari poſſit, qui factum, ut ſtatura hominum tam in anguſtum redierit, ut jam *Homeri* ætate longe a proceritate ſuperiori defecerit; ita occurrit, ut dicat, veriſimile eſſe, victum frugalem, laboris ſtudium, vitam a vitiis integram, corpus ita affeciſſe,

Digitized by Google

feciſſe, ut cum ſanius, tum procerius, ac robuſtius, exiſteret, quam quod ſequens ætas luxurie intemperantiaque debilitaverit, cum his vitiis non corpora ſolum frangi, ſed etiam morbis implicari, ſoleant, quos veteres, ut apud *Homerum* aliosque, niſi a Deo ob iram immiſſos, ignorarent. Autorem hujus rationis etiam *Celſum Lib. I* citat. Quid? quod ſeneſcens rerum natura forte corpora debilitat. Si quis tamen inſtet & urgeat, non credibile eſſe, tam brevi vix centum annorum ſpatio tantopere decreviſſe magnitudinem hominum; dandum eſſe aliquid exaggerationi poeticæ fatetur; qua ſuis heroibus, ut majorem admirabilitatem dignitatemque faceret *Homerus*, ſtaturam ſui temporis maximam ac fortiſſimam induendam putaverit.

Scriptores antiquos a calumniis criminibusque defendendi, cum multæ aliæ viæ patent, tum maxime hæc, ut locum, quo de agitur, aliter interpretetur, ſi quidem facultatem habere res videatur. Hac igitur ratione uſus eſt Cel. *Riccius* in defendendo illo *Homeri* loco:

Diſſ. XXXVIII.

Πολλάκι μοι κατέδευσας ἐπὶ ςήθεσσι χιτῶνα
Οἴνϛ ἀποβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ.

Quod ad verbum Latini Interpretes verterant:

Sæpe mihi rigaſti in pectoribus veſtem
Ex vino evomens in infantia, quæ cura indiget.

Hic viſus eſt *Homerus* tam indecoram rem commemorare, ut nullo modo abſolvi poſſit. Verum tamen videbimus, quomodo eum Vir doctiſſ. tueatur. De induſtria *Homerum* arbitratur voluiſſe rei naturam aſſimulare ſimplicitate illa, qua maxime veteres oblectabantur, & rem tanquam in tabula quadam proponere. Jam, ſi tabula ea placere poſſit, in qua pictor eximius Phœnicem, genibus geſtantem puerulum, eique potum ac cibum præbentem, exhibeat; neque reprehendatur pictor, ſi quid epoti liquoris faciat ex ore pueri in ſinum ſenis effluere; quomodo tandem *Homerum* poſſe reprehendi, qui præclara imagine naturam exhibuerit ipſam? Sed, inquiet aliquis, *evomere* vocabulum tamen eſt turpe, indecorum, & indignum poeſi

Poeſi heroica. Etiam huic reſpondet Vir Cel. vocem *ἀποβλύζειν* non ſignificare *evomere*, ſed *effundere*, *emittere*, aut etiam *effluere*, *lenique murmure exilire*, quod nullam ſpeciem ſordidam, aut indecoram, afferre putat. Ita locum hunc liberare calumnia conatus eſt.

Omnium autem ampliſſime & nova ratione Vir Clariſſ. tractavit locum de theologia *Homeri* Diſſertationibus octo, lectu ſane digniſſimis. *Daciería* putabat, loca *Homeri* de Diis omnia revocari ad tria genera poſſe. Primum genus eſſe eorum, ubi de rebus naturalibus ſub allegoriarum ambagibus diſſerat, alterum, ubi documenta, ad mores pertinentia, tradat; tertium denique, ubi ſerio theologum agat. Hanc rationem ſecutus Vir Cl. omnem de theologia *Homeri* diſputationem ad iſta tria capita retulit. Perplacuit etiam nobis Diſſertatio XVI, quæ oppoſita eſt iis, qui in *Homero arma ærea* aut reprehendunt, aut pro ferreis habent, ut alias taceamus.

Ex his igitur ſpeciminibus, a nobis allatis, quivis facili negotio cognoſcet, quod pretium his Diſſertationibus ſtatuendum ſit. Ceterum ſcribendi ratio Latina, ſi a paucis non ſatis caſtigatis verbis & dicendi formis receſſeris, ita elegans eſt & enucleata, ut ea quoque legentem ſuavitate ſua facile tenere poſſit.

Nos quidem harum Diſſertationum lectionem ſtudioſis Græcæ linguæ, inprimisque *Homericæ* poeſeos, vehementer commendatam cupimus, etſi non negamus, Virum Cl. interdum ſtudio *Homeri* defendendi ad interpretationes eas delabi, quæ vix probari poſſe videantur: ut cum *Lib. V Iliad. v. 388* καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο Ἄρης &c. verbum ἀπόλοιτο interpretatur metaphorice, ne accuſatio in *Homero* hæreat, quaſi ille Deos mortales fecerit; cum tamen in eodem *Libro v. 311* eadem verba de *Ænea* dicantur, καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο ἄναξ ἀνδρῶν Αἰνείας, neque in altero loco aliter explicari poſſint: item cum *Lib. VI v. 234* ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς verbum ἐξέλετο, poſt *Porphyrium* & alios, interpretatur, *extulit*, *ad magnificentiam evexit*, ut ſe *Bellerophonti* jactaret, ne *Jupiter* videatur induci minime decoram Deo rem

 faciens:

faciens: cum tamen, quoties *Homerus* verbo ἐξέλετο utitur in ſimili contextu, ut: χόλον ἐξέλετο Ζεὺς, *exemit* ſignificet, nunquam *extulit*; quo loco, miramur, Virum doctum non ea potius ratione uſum eſſe ad defendendum *Homerum*, qua ipſe in aliis ſimilibus locis uſus eſt, ut diceret, Deo tribui poetica ratione, quod non impedivit. Humani aliquid paſſus eſt etiam Vir doctiſſimus & in *Homero* verſatiſſimus, cum *Diſſ. XLI* ſcripſit, ſibi jam diſplicere, quod ante *Diſſ. XVII* poſuerit poſt *Feithium*, aurea & argentea vaſa in conviviis heroum Græcorum paſſim adhibita fuiſſe; nam *Athenæum Lib. VI* autorem eſſe, ditiſſimos tum æneis poculis bibiſſe propter raritatem auri. Itaque, quod *Iliad. Lib. IV v. 3* dicantur convivæ ſe χρυσέοις δετάεσσι excepiſſe, id forte non de ſolido auro, ſed poculis aurea bractea inductis, capiendum. Nempe Vir doctus non cogitabat, ibi de Diis ſermonem eſſe, quorum omnia apud Poetas aurea ſunt. Commemorandum potius erat *Achillis* & *Hecubæ* aureum poculum ex *Il.* Ψ & Ω, quæ tamen ſingula ſunt, neque huc magnopere ſpectant.

VITA NICOLAI V, PONTIFICIS MAXIMI, AD fidem veterum monumentorum a DOMINICO GEORGIO conſcripta. Accedit ejusdem Diſquiſitio de Nicolai V erga literas & literatos viros patrocinio.

Romæ, ex typographia Palearinorum, 1742, 4.
Alph. 1 plag. 10½.

Diſcimus cum e Dedicatione, tum e Præfatione, Cl. Autorem, pluribus jam ſcriptis inclytum, qui nunc unus eſt e Papæ Sacellanis intimis, ejus juſſu conſcripſiſſe hanc hiſtoriam, multasque ejus partes hauſiſſe e Bibliothecæ Vaticanæ MStis Codicibus. *Nicolaus* hic, de quo agitur, dictus quondam *Thomas Sarzanenſis*, ac poſtea *Cardinalis Bononienſis*, ea felicitate uſus eſt, ut anno ſuæ ætatis 48, qui ſeculi quadrageſimus ſeptimus erat, præter opinionem ſuam Pontifex crearetur Maximus, cum paucis diebus antea orationem habuiſ-

Digitized by Google

habuiſſet de futuro eligendo Pontifice. Natus videlicet erat Sarzanæ, quod Thuſciæ oppidum eſt, patre Medico rei familiaris peranguſtæ. Bononiæ literis, maxime ſacris, operam navavit ſtrenuam; ac ibi quoque *Magiſter* creatus fuit *Theologiæ*. Conciliarat ſibi hic loci ſummam benevolentiam *Nicolai Albergati*, Epiſcopi Bononienſis, ac paulo poſt Cardinalis; a quo comes & ſimul omnium conſiliorum particeps adſcitus eſt in variis legationibus, iiſque omnibus, per annos prope viginti. Cujus poſt mortem *Eugenius IV* eum fecit Sedis Apoſtolicæ Subdiaconum, quod magnæ dignitatis tum erat munus, itemque Canonicum Bononienſem, nec ita multo poſt Vicecamerarium ſuum, tandemque A. 1444 Bononienſem Epiſcopum. Poſtea idem Papa in Germaniam eum ablegavit, & ſub finem anni 1446 creavit Cardinalem. Subſequenti anno ipſe noſter *Nicolaus* Papa factus, ante omnia id egit, ut Baſileenſis Papa *Felix* ſuo exueretur titulo; eaque in re fautores nactus eſt Imperatorem & Galliæ Regem. Acta reliqua hujus Papæ tanta brevitate deſcribit Noſter, ut fere dici poſſit exhibuiſſe eorum diarium ordine chronologico. Nec enim ipſas vel epiſtolas, vel diplomata, exhibet, ſed tantummodo, qua de re agant, ediſſerit; id tamen operam dans ſedulo, ut errores ſuperiorum ſcriptorum indicet, atque e juſtis veritatis fontibus, quos & ipſos diligenter nominat, refutet. Illud ex toto opere apparet, præſtitiſſe ſe hunc Papam non ſolum initio, ſed toto tractu, ſacri ſui regni clementem erga omnes, pacificum, placabilem, benignum, & ſimul virum prudentiſſimum. Ex actis ejus, noſtrum eſt, decerpere quædam ſingularia. *Pag.* 62 legimus, cum Boſniæ regnum hæreticorum plenum eſſet, quos Manichæos vocabant, adverſus hos ad arma vocaſſe *Nicolaum* Catholicos, adjecto promiſſo largarum indulgentiarum. *Pag.* 63 *ſeq.* deſcribitur, quem in modum Antipapa Baſileenſis, *Felix V*, autoritate ſua exutus fuerit, & poſtea ornatus dignitate Cardinalis primi. Ex ipſius *Nicolai V* Regeſtis, ſive commentariis, hoc deſcribitur, adeoque paulo aliter, quam a ceteris ſcriptoribus. *Pag.* 95 *ſeq.* memoratur Jubilæum magnum, A. 1450 celebratum ſplendide; & *pag.* 89 refertur,

Digitized by Google

refertur, Papam tunc remotarum gentium hanc rationem habuiſſe, ut Jubilæas indulgentias, ſive pleniſſimam peccatorum veniam, pœnitentibus largiretur omnibus, qui domi per triduum viſitarent aliquot eccleſias, & ſimul pecuniam exhiberent, quam inſumturi fuiſſent, ſi Romam eſſent profecti, atque ibi per quindecim dies commorati. *Pag. 92* docet, *Nicolaum de Cuſa* Cardinalem, tanquam Legatum Apoſtolicum, habuiſſe A. 1451 Moguntiæ Concilium, cujus acta perierint. Quod A. 1452 ab eodem habitum eſt Coloniæ & Bambergæ Concilium, de eo inferius differit ſuo loco. *Pag. 93 ſeq.* memorat, etiam *Joannem Capiſtranum* A. 1451 miſſum eſſe in Germaniam, titulo *Commiſſarii Pontificii & Inquiſitoris generalis* inſignitum, data ipſi poteſtate abſolvendi eos, qui ſub utraque ſpecie communicaſſent ejuratis hæreſibus; ſed non receptum fuiſſe in Bohemia. Qua occaſione & eorum adjicit brevem mentionem, quæ eodem tempore in Bohemia egit *Æneas Sylvius*. *Pag. 102 ſeq.* deſcribit adventum Imp. *Friderici* in Italiam ad ſuſcipiendam a Papa coronam; non tacens *pag. 101*, Pontifici injectum fuiſſe metum, ne Imperator urbem Romam ſuæ ditionis faceret, Papamque in captivitatem daret. Quomodo exceptus fuerit a Papa Imperator cum ſponſa ſua, ſatis fuſe exponitur; dumque etiam docetur, Papam indulſiſſe Imperatori preces primarias, laudat Noſter *pag. 117 Conradi Oligenii, JCti*, librum, Romæ A. 1706 editum, *de primariis precibus Imperialibus*, ac ſimul docet, iſto ſub nomine latere *Petrum Marcellinum Conradinum*, Cardinalem adhuc ſuperſtitem. Quæ A. 1453 nata eſt *Stephani Porcarii* in Papam conſpiratio, ea *pag. 128 ſeq.* deſcribitur. Ceperat is conſilium, Papam una cum Cardinalibus in templo obtruncandi, Romanumque populum vindicandi in libertatem. At non ſucceſſit ſcelerati hominis conſilium, quippe capti a Papa, & ſupplicio affecti. Poſtea moroſiorem factum eſſe Papam erga omnes Romanos, nec facile quemquam eorum ad alloquium admiſiſſe, refertur *pag. 131*. Supereſt, ut e *pag. 162* doceamus, exſtinctum eſſe hunc Papam A. 1455 d. 24 Maji, ætatis anno quinquageſimo ſeptimo. Laudandus & hoc nomine Noſter eſt,

quod

Digitized by Google

quod *pag. 171* non præterit ſilentio, Papam hunc pronum fuiſſe ad iram, natura quippe bilioſum; quanquam, eum facile rediiſſe ad benevolentiam, adjicit. Nec tacet, tradi eum, nimio vini amore captum, undique conquiſiviſſe ſelecta vinorum genera. Ac ſupra quoque *pag. 155* quondam Italum illius ævi ſcriptorem nominarat, a quo accuſatus fuit hic Papa temulentiæ. *Ceterum* (ita pergit Noſter,) *mores ejus per omnem vitam caſtigatiſſimi fuerunt, & præterea literas & viros doctos ita coluit & fovit, ut nullus antea Pontificum maximorum majorem ſit gloriam conſecutus.* Ac ſane nec Proteſtantes plura, quam duo illa, in eo notarunt vitia, ejusque libenter laudant ſtudia, literarum ſtudiis præſtita, præſertim cum hac via cordatiſſimus quisque poſtea pervenerit ad agnitionem errorum, tam longa ingeniorum nocte invectorum in Eccleſiam. Sed redimus cum Cl. *Georgio* noſtro ad inſignia *Nicolai V* in literas merita, quæ ſingulari Diſſertatione proſequitur *pag. 175-204.*

Narrat initio, quot viros doctos excitarit hic Pontifex ad Græcorum libros Latine reddendos, & ad ſui quoque ipſorum ingenii fœtus edendos: *Poggium*, (quo jam ante Pontificatum familiariter uſus erat,) *Flavium Blondum*, Trapezuntium, *Joannem Tortellium*, Aretinum, *Janottum Manettum*, *Nic. Perottum*, *Franc. Philelphum*, *Vallam*, (& hos quidem omnes fecit ſcribas, ſive Secretarios, Apoſtolicos,) *Guarinum*, *Gregorium Tifernatem*, *Petrum Candidum Decembrium*, *Theodo Gazam*, *Lilium Ægidium Libellium.* Ac fide digniſſimo conſtat teſtimonio, Papam hunc *Franciſco Philelpho*, ſi *Iliada* & *Odyſſeam* traduxiſſet Latinam in linguam, promiſiſſe non ſolum *domum in urbe Romana pulcherrimam*, *ſed etiam prædium in agro Romano, quod ſatis eſſet ad opipare & pro dignitate alendam univerſam ipſius familiam, prætereaque aureorum nummorum, ſive ducatorum, decem millia.* Ab eodem Papa hic legimus *Rinutium Aretinum* juſſum eſſe Latine reddere *Æſopi vitam & fabulas*, itemque *Hippocratis Epiſtolas*; & *Joannem Auriſpam* Commentarium *Hieroclis in carmen Pythagoræ aureum.* *Jannotto* vero *Manetto*, viro Græcæ, Latinæ, & He- Pag. 194.

 braicæ,

Digitized by Google

braicæ, linguæ peritiſſimo, mandavit, ut libros viginti ſcriberet adverſus Judæorum & ethnicorum religiones, itemque totum ſacrum Codicem ex Hebræa & Græca in Latinam transferret linguam: qui quidem id etiam præſtitit in *Pſalterio Davidis*, inque toto *Novo Teſtamento*. Ejusdem Papæ impulſu *Joannes Turrecremata*, Cardinalis, *Gratiani Decretum* illuſtravit commentariis, iisque eruditiſſimis. Ejus item juſſu *Antonius Allius*, Presbyter Florentinus, *Acta Sanctorum* compoſuit; quod opus adhuc aſſervatur in Bibliotheca Vaticana. Omittimus *Rodericum Zamorenſem* & *Petrum de Monte*, qui & ipſi hoc impulſore nonnullos emiſerunt libros; & ad merita ejus properamus bibliothecaria. Ac hic quidem Noſter eum appellat *conditorem & parentem Bibliothecæ Vaticanæ;* docetque, ad eam locupletandam miſſos ab eo fuiſſe in Græciam & in omnes Occidentis terras, qui & Græcos & Latinos coemerent Codices, nulli parcentes ſumtui. Hactenus hæc Diſſertatio. Accedunt *pag.* 205 - 215 monumenta aliquot inedita ejus ævi, hiſtoriam hujus Papæ illuſtratura, maxime literariam.

TRAITE' DES OPÉRATIONS DE CHIRURGIE, &c.

hoc eſt,

TRACTATUS DE OPERATIONIBUS CHIrurgicis, Autore HENRICO FRANCISCO LE DRAN, Chirurgo jurato S. Coſmi, Præpoſito Societatis ſuæ, Chirurgo primario noſocomii, la Charité *dicti, Academiæ Chirurgorum Socio, & Conſiliario chirurgico Exercitus Regii.*

Bruxellis, apud Georgium Frick, 1745, 8.
Alph. 1 plag. 1.

In operationibus chirurgicis dextre adminiſtrandis Cel. Autor tantam famam aſſecutus eſt, ut ejus libellus, cum Pariſiis in lucem prodiret, magno cum applauſu exceptus fuerit. Tum temporis vero nullam ejus mentionem in *Actis* noſtris

ſtris fecimus, ideoque, nova jam Bruxellis editione publicata, non poſſumus, quin pauca de egregio hoc Tractatu commemoremus. Poſtquam Cl. Autor quatuor modos generales, quibus Chirurgia ſuas operationes perficit, ſcilicet Syntheſin, Diæreſin, Exæreſin, & Protheſin, explicavit, regulas quasdam generales, ad quamlibet operationem perficiendam neceſſarias, præmittit. E. g. Chirurgus morbum, quem curare ſuſcepit, cognoſcat, &, ſi curatio non niſi operatione manuali perfici poteſt, accurate perpendat, an non inde poſt operationem pejus malum oriri poſſit; ægri ætatem, vires vitæ, animi diſpoſitionem, & reliqua, perpendat Chirurgus, antequam ad operationem ſe accingat; ante operationem ſuſcipiendam Chirurgus ſitum partium naturalem, circa quas operatio verſatur, & ſimul caſus fortuitos poſſibiles, qui ipſi in operatione perficienda remoras injicere poſſent, examinet, quo illos evitare, vel corrigere, diſcat; præparatio apparatus chirurgici, diſpoſitio ægri, & eorum, qui Chirurgo adſtant, apte ſunt inſtruenda, quo in operatione ipſa promte & accurate verſari queat. In ipſa tractatione Autor noſter agit 1) de inflammatione, ejusque mutationibus; 2) de ſuturis chirurgicis; 3) de Herniis; 4) de operationibus, in diverſis Hydropis ſpeciebus occurrentibus; 5) de operationibus circa pudenda ſexus potioris; 6) de fiſtula ani & hæmorrhoidibus; 7) de calculo, in diverſis partibus viarum urinarum hærente, ejusque extractione; 8) de Cancro; 9) de operationibus, in pectoris cavo ſuſcipiendis; 10) de Angina; 11) de Labio leporino; 12) de Polypo narium; 13) de fiſtula lachrymali; 14) de vulneribus capitis; 15) de Anevriſmate; 16) de Panaritio; 17) de amputatione membrorum in genere & in ſpecie. Hæc cuncta ab Autore adeo concinne & eleganter pertractantur, ut, Compendium hoc integrum perlegere, præſtet, quam de eo particulatim dicere. Selegimus itaque ex pluribus, quæ hic proponuntur, Calculi hiſtoriam, quæ a *pag. 158* ad *245* accuratius proponitur, ita ut quartam ferme totius libelli partem conſtituat. Plurima ſunt loca corporis noſtri, in quibus calculi generantur, formatio vero calculi fit, quando particulæ ſolidæ, ſpeciatim ſalinæ, ſulphureæ, & terre-

Digitized by Google

terreſtres, propius ſe attingunt & conjunguntur, quod non fieri poteſt in canalibus, per quos liquor rapidiſſimo flumine tranſit, ſed in iis, qui lentum fluidi motum tantum admittunt. Calculi vero initia ſucceſſive incruſtantur, ita, ut lamina laminæ inducatur; ſi calculus unicus invenitur, ſuperficies nunquam polita eſt; ſi vero bini ſunt, ſuperficies alterantur, & quasdam partes politas oſtendunt; ſi quilibet quasdam ſuperficies politas habet, maxima cum probabilitate concludere poſſumus, plures dari calculos. His præmiſſis, calculos veſiculæ felleæ, pulmonum, ſacci lachrymalis, præputii, juncturarum in podagricis, & glandularum quarundam, breviter recenſet, & tandem ad calculum renum accedit. Urinam, jam in tubulis excretoriis ſubſtantiæ renum interioris motam, lentius fluere, quam ipſum ſanguinem arteriæ emulgentis, probabile eſt; hinc & calculi in his ſe generare poſſunt, quod experientia confirmatur. Tales calculi minimi ſæpius impetu urinæ copioſioris in pelvim renum expelluntur; ſæpius vero hærent, & inflammationem aliaque mala cauſantur. Calculus, in uretere hærens, ſpaſticam ejus contractionem efficit, & inflammationem, aliaque incommoda, producit. Diſſuadentur itaque hoc in caſu fortiora diuretica, ſed potius poſt venæſectionem, ad avertenda inflammationis incommoda præmiſſam, cataplaſmata, & alia medicamenta emollientia, lumbis imponenda ſunt. Sabulum & calculi minores, ex renibus per ureteres ad veſicam ducti, ſi concreſcant, calculum veſicæ formant. Nephriticis ideo ſuadendum eſt, ut, ſi, tale quid in veſicam intraſſe, ſentiant, urinam quodammodo retineant, donec tanto impetu effluere poſſit, ut calculoſas partes ſecum rapiat, quod optime fit, ſi genubus inſiſtentes, abdomine antrorſum pendente lotium emittunt. Calculos veſicæ adhærere, ex obſervationibus conſtat; hæc vero adhæſio nunquam ita comparata eſt, ut extractionem ejusdem impediat, quod non tantum in levioribus caſibus, ſed in calculo, late & fortiter adhærente, cognovit Cl. Autor, & ideo ejusdem calculi delineationem addidit. Figura veſicæ in diverſis hominibus diverſa eſt, ita, ut ſæpius quædam cavernæ laterales in ea inveniantur. Hinc evenire ſolet, ut calculus, in tali

parte

Digitized by Google

parte hærens, intus orificium veſicæ in emiſſione urinæ urgere nequeat. Poſitus igitur calculi ad orificium veſicæ eſt primaria doloris cauſa in calculoſis. Signa hujus rei partim incerta, partim certa, ſunt. Si urina effluit, & ſubito retinetur, ſed tamen iterum effluit, ſignum eſt minoris calculi, quod non amplius obſervatur, ſi moles calculi augetur. Imitationes & titillationes urethræ ſunt ſignum aut morbi veſicæ, aut calculi præſentis viſcidum cum urina excretum, continuus urinam reddendi conatus, & pus cum urina effluens, ſigna quoque incerta ſunt calculi, cum ſæpius etiam ab aliis morbis viarum urinariarum dependeant. Qui, equo & curru vecti, ſanguinem cum urina mingunt, calculum in veſica continent. Hoc inprimis fit, ſi calculus aſperior eſt; ſi vero adhæret, vel in cavo laterali includitur, tunc hoc phænomenon non obſervatur. Dolores acuti in exprimendis ultimis urinæ guttis ſignum ſatis certum calculi veſicæ inveniuntur, ſed exceptiones indicatæ hic quoque valent. Cum vero & alii veſicæ morbi & calculus ſimilia ſigna producant, obſervationibus crebrius & accurate inſtitutis, Chirurgus in ſignis colligendis certior reddetur. Talem obſervationem, quæ Chirurgum ad hæc attentum inſtruit, Autor annexuit. De Catheteriſmo, ſive methodo inquirendi in præſentiam calculi, fuſius diſſerit, lithotomiam in viris & fœminis adminiſtrandi rationem amplius deſcribit, & fiſtulas, quæ lithotomiæ ſuccedunt, nec non incontinentiam urinæ, conſiderat, & curationis vias oſtendit. Nos vero, qui hæc brevibus non indicare poſſumus verbis, pauca adhuc de calculo urethræ addimus. Cauſæ, quæ calculum, ex veſica expulſum, in urethra ſubſiſtere faciunt, ſunt volumen calculi majus diametro urethræ, & figura ejus irregularis & anguloſa; in utroque caſu, aut in collo veſicæ, aut in cavitate moniculari, eidem proxima, aut in canali urethræ, hæret. Quomodo vel inſtrumento, vel inciſione facta, educi debeat, longius deſcribit Autor, qui in toto hoc Tractatu inprimis quidem ob concinnam & accuratam operationum manu perficiendarum deſcriptionem laudandus eſt, ſed præterea quoque in cauſis, ſymptomatibus, & ſignis morborum accurate recenſendis, haud contemnenda proponit.

Digitized by Google

Neue Grundſätze der Artillerie, ꝛc.

id eſt,

PRINCIPIA NOVA REI TORMENTARIÆ, continentia determinationem vis pulveris pyrii, cum diſquiſitione de differentia reſiſtentiæ aeris in motibus celerioribus atque tardioribus; ex Anglico ſermone BENJAMINI ROBINS in Germanicum translata, pluribusque annotationibus aucta, a LEONHARDO EULERO, Profeſſore Regio.

Berolini, apud A. Haude, 1745, 8.

Alph. 2, Tabb. æn. 8.

Scientia rei tormentariæ, prout vulgo tractari ſolet, ita comparata eſt, ut vix ac ne vix quidem ſcientiæ mathematicæ nomen mereatur. Quemadmodum enim omnia fere, pauciſſimis exceptis, ſola experientia duce ibi determinantur; ita contra de eo, quod primarium eſt, vi nempe pulveris pyrii, celeritate globi, inde reſultante, ejusque vero motu in aere reſiſtente, altum eſt ſilentium; quippe quæ omnia haud vulgarem ſublimioris Matheſeos cognitionem requirunt. Cum igitur inter paucos, qui hiſce enodandis ſeſe accinxerunt, emineat Cl. Anglus, *Benjamin Robins*, isque theoriam ulterius, quam ab ullo huc uſque factum, protulerit, plurimisque egregiis inventis auxerit; anſam hoc præbuit Cel. *Eulero*, ad promovendam hanc etiam cognitionis mathematicæ partem, Tractatum illum Autoris ex Anglico ſermone in Germanicum convertendi, in quo quidem ita verſatus eſt, ut non ſolum Annotationibus plurimis mentem Autoris diſtincte explicaverit, atque, omnibus ad expreſſiones analyticas reductis, egregie illuſtraverit, ſed etiam quamplurima, quibus theoria latius promovetur, de ſuo addiderit, variosque interdum, ab Autore admiſſos, errores emendaverit, id quod ſemper fecit inſigni cum modeſtia, qualis decet viros vere magnos. In Præfatione refutare conatur Cel. *Eulerus* præjudicium quoddam, noſtris diebus communiſſimum, quaſi Matheſis ſublimior non niſi circa

ſubtiles

Digitized by Google

ſubtiles inutileſque ſpeculationes verſetur, totiusque Matheſeos, ſi quæ ſit, utilitas tantum ad vulgares ejus partes eſſet referenda. Oſtendit igitur, eam perfectionem, quæ in Mechanica, inprimis machinarum ſcientia, in Hydroſtatica & Hydraulica, item in Aſtronomia, deſiderari poſſit, ita eſſe comparatam, ut non niſi a ſublimioris Matheſeos cognitione exſpectanda ſit. Seqnitur Præfatio Autoris Angli ſat longa, quæ de origine munimentorum recentiorum, eorumque variis emendationibus & uſibus, de optimis artis muniendi autoribus, de inventione rei tormentariæ, de inventis Autorum circa motum globorum, agit, & inprimis oſtendit, quantos errores ob neglectam aeris reſiſtentiam admiſerint; plurimasque ſolidas atque utiliſſimas obſervationes continet.

Tractatus ipſe in *duo Capita* diſtinguitur, quorum *primum* de vi pulveris pyrii, *alterum* de motu globi in aere, agit. In *primo Capite*, *Prop. I* & *II*, indubiis experimentis evincit Autor, ex pulvere pyrio ope inflammationis produci materiam ſubtilem, elaſticam, permanentem, atque generatim ita comparatam, ut omnibus proprietatibus aeris gaudeat, adeoque haud dubie pro ipſo aere haberi poſſit. Cum igitur omnis vis pulveris pyrii a ſubitanea expanſione iſtius materiæ elaſticæ oriatur; in *Prop. III* & *IV* tam quantitas ipſius, quam leges elaſticitatis, accurate examinantur. Elaſticitates quidem inveniuntur ceteris paribus denſitatibus proportionales, (quod tamen non niſi in compreſſione haud adeo magna exacte locum habere monet Cel. *Eulerus*, creſcentibus elaſticitatibus in majori ratione, quam denſitatibus,) ipſa vero quantitas materiæ elaſticæ tanta, ut, ſi in eandem denſitatem cum aere communi expanſa ſit, occupet ſpatium circiter 244 vicibus majus ſpatio pulveris, in quo contenta fuit, ejusque pondus ſit $\frac{3}{10}$ ponderis pulveris æquale. Quamvis itaque elaſticitas iſtius materiæ, in eodem ſpatio cum pulvere incluſæ, ſit circiter 244 vicibus major elaſticitate aeris; hæc tamen elaſticitas propter inſignem caloris gradum, quem facta inflammatione recipit, admodum augetur. In hoc augmentum inquirit Autor *Prop. V* & *VI.* Inſtitutis nimirum cum aere communi

Digitized by Google

experimentis, invenit, elaſticitatem ejus, ad calorem ejusdem gradus cum ferro candente redacti, fere quadruplo majorem fieri, quam eſt in ſtatu naturali. Cum igitur materia illa ejusdem ſit naturæ cum aere; ſequitur, elaſticitatem ejus in ipſo inflammationis momento circiter 1000 vicibus majorem fieri elaſticitate aeris naturalis, ſeu preſſione atmosphæræ; quam tamen multo majorem eſſe poſſe, ex monito Cel. *Euleri* jam allato patet. Hiſce principiis præmiſſis, aggreditur Autor determinationem motus globi, ex cognita vi pulveris reſultantis, & primo *Prop. VII* ex datis tormenti longitudine & diametro, quantitate pulveris, & elaſticitate materiæ incluſæ in primo inflammationis momento, invenire docet celeritatem, quacum globus e tormento propellitur. Hoc Problema analyticis expreſſionibus ſolutum dedit Cel. *Eulerus*, ſimulque varias circumſtantias, ab Autore neglectas, accuratius conſideravit, quibus ſolutio ejus paulum immutatur; qualia ſunt reactio & reſiſtentia aeris, a globo propulſi, frictio globi contra interiorem tormenti ſuperficiem, egreſſus materiæ elaſticæ inter globum & ſuperficiem iſtam, diverſa celeritas particularum hujus materiæ, earumque mutua reactio; maxime autem inflammatio pulveris ſucceſſiva, quam etſi Autor in ſolutione ſua tanquam momentaneam ſuppoſuerit, talemque re vera exiſtere evincere voluerit, oſtendit tamen Cel. *Eulerus* tam ratiociniis, quam experimentis, Petropoli inſtitutis, tempus, quo pulvis ſucceſſive incenditur, nequaquam negligendum eſſe; ex quibus omnibus ſimul concludit, vim elaſticam pulveris primo inflammationis momento pluribus, quam 1000, vicibus, imo forſitan ſecundum Cel. *Dan. Bernoullium* in *Hydrodynamica Sect. X*, 10000 vicibus, majorem eſſe preſſione atmosphæræ. Ut vero ſolutionem præcedentem etiam cum experientia congruere oſtendat Autor, deſcribit *Prop. VIII* inſtrumentum, cujus ope experiundo determinari poteſt celeritas globi in data a ſclopeto diſtantia. Conſtat illud ex pendulo ligneo, ab una parte lamina ferrea valida munito, fulcro firmo innitente, intra quod libere oſcillari poſſit, cujusque elevatio determinatur longitudine lori, ei affixi, & per retinaculum

tinaculum tranſeuntis, atque intra illud mobilis. Quodſi enim globus dati ponderis ex ſclopeto contra partem ejus inferiorem ligneam explodatur, & menſuretur longitudo lori, ex retinaculo extracti, dabitur exinde elevatio penduli, ſeu angulus, quo facta colliſione extra verticalem dimotum eſt, atque ex hoc porro per principia mechanica invenietur celeritas, quacum globus contra illud irruit. Hanc ipſam inveniendi methodum, ab Autore abſque demonſtratione oſtenſam, adhibita Analyſi perſpicue expoſuit Cel. *Eulerus*. Quærantur enim primo centra gravitatis & oſcillationis penduli, ex quibus invenietur pondus, in ipſo colliſionis puncto ſubſtituendum, tale, ut a reliqua totius penduli maſſa poſſit abſtrahi; quo facto, per regulas colliſionis corporum non elaſticorum, ex dato adſcenſu penduli, ſeu velocitate ejus in momento colliſionis, invenietur ipſius globi celeritas. Hac occaſione etiam *Eulerus* errorem quendam, ab Autore in motu penduli determinando commiſſum, emendavit, ſimulque aliam circumſtantiam, ab eo neglectam, reſiſtentiam nempe aeris, conſideravit, qua fit, ut celeritas globi paulo major prodeat. Deſcripta igitur hujus inſtrumenti conſtructione & uſu, enumerat Autor ſequenti *Prop. IX* experimenta, cum eo inſtituta, tabulasque exhibet, quibus adſcenſus penduli pro variis tam ponderibus globi, & pulveris, quam ſclopeti longitudinibus, cum theoria comparatur, atque aberrationes non niſi perexiguæ deprehenduntur. In adjectis vero Annotationibus Cel. *Eulerus* hæc experimenta paulo accuratius examinat, & tam in ipſa (ut jam monuimus) theoria, quam in ejus ad experimenta applicatione, admiſſos errores, multo majorem aberrationem producturos, oſtendit, niſi hi cum aliis erroribus, in *Prop. VII* allatis, ſe mutuo compenſarent; ſimul etiam de uſu hujus doctrinæ ad inveniendam tormentorum firmitatem vi pulveris ſuſtinendæ neceſſariam, & de figura cameræ tormenti, cui pulvis immittitur, egregia quædam affert. Hiſce principiis primariis ad determinandam globi velocitatem excuſſi, pergit Autor ad conſiderationem variarum circumſtantiarum, ad quas in perficienda hac theoria neceſſario attendendum eſt. In *Prop. X* diſquirit, quidnam

 diverſus

Digitized by Google

diverſus atmoſphæræ ſtatus ad variandam pulveris vim conferre poſſit, ibique oſtendit, humiditatem aeris vim pulveris, eam in ſe recipientis, permultum imminuere, ita quidem, ut globus, tempeſtate ſicca per 1700 pedes 1″do propulſus, eadem quantitate pulveris, ſed tempeſtate humida tantum per 1200 pedes, prolatus ſit. In *Prop. XI* conſideratur, quanta velocitate ipſa flamma in tormento moveatur, ſi nec globus, nec aliud impedimentum externum, ipſi applicetur. Nimirum celeritas globi non a ſola vi materiæ inflammatæ elaſtica, ſed inſuper ab ipſa flammæ inſequentis velocitate, pendet, quod facile exinde poteſt colligi, quod, quantacunque ſupponatur vis illa, celeritas globi tamen nunquam major eſſe poſſit ea, qua movetur flamma inſequens. Hanc igitur ex theoria determinari poſſe, deſperans Autor, ex experimentis ope machinæ ſupra deſcriptæ elicere conatur, eamque invenit tantam, ut flamma motu libero tempore 1″di 7000 pedes deſcribere poſſit. Iſta vero altius repetiit *Eulerus* in annotationibus, atque ex principiis motus fluidorum determinavit velocitatem flammæ tantum circiter 3200 pedibus 1″do æqualem, conſiderata ſimul aeris reſiſtentia, adeoque etiam velocitatem globi multo minorem, quam ex Autoris experimentis prodierat; quæ omnia arguunt vim pulveris multo majorem, quam Autor invenit eam ex hypotheſi, elaſticitates denſitatibus eſſe proportionales; quapropter *Eulerus* ex theoria ſua aeris (in *Comment. Petrop. Tom. VII* tradita) rem aliter deduxit, atque tam vim pulveris flammæque celeritatem, quam motum globi inde conſequentem, elicuit, ſimul etiam quantitatem pulveris, pro dato tormento requiſitam, ut maxima inde globi velocitas prodeat, determinavit; denique duas circumſtantias notabiles, inflammationem flammæ ſucceſſivam, atque egreſſum materiæ elaſticæ per lumen accenſorium & inter ſuperficiem tormenti internam & globum, in computum duxit, & quantitatem effectus, ex ipſis prodeuntis, quam proxime definivit, ita ut, conſideratis his omnibus circumſtantiis, tandem motus globi determinari poſſit. Sequens *Prop. XII* conſiderat caſum, quo ſpatium admodum notabile inter pulverem & globum relinquitur, quoque

celeritas

Digitized by Google

celeritas globi a colliſione materiæ elaſticæ, continuo ſe expandentis, atque in ſingulis partibus diverſa velocitate præditæ, pendet, quam igitur ſubtiliſſimam quæſtionem tantum quam proxime reſolvere licuit. Denique in *Prop. XIII* varia pulveris pyrii genera, eaque examinandi modus, oſtenduntur, plurimæque obſervationes hanc in rem utiliſſimæ afferuntur.

Pergimus ad *Caput ſecundum*, quo motus globi, e tormento egreſſi, in aere, accuratius, quam unquam hactenus factum, conſideratur. *Prima* igitur *Prop.* Autor generatim de legibus reſiſtentiæ, quam corpora in fluidis mota experiuntur, diſquirit. Conſiderat primo caſum facillimum, ſi nempe fluidi partes ponantur a ſe invicem ſejunctæ, nec in ſe mutuo agentes, quo itaque motus corporis ex ſola doctrina de colliſione corporum determinari poteſt. Cum vero caſus ille in rerum natura locum habere nequeat, ſed fluida omnia conſtent partibus, ſibi invicem adjacentibus, ac in ſe agentibus; patet, huic reſiſtentiæ longe aliam ex motu partium iſtarum pendentem accedere. Offerunt autem hic ſeſe duo caſus, probe a ſe invicem diſtinguendi. Vel enim corpus movetur in fluido, cujus partes ſibi invicem apprimuntur, idque celeritate minori, quam eſt ea, qua partes hæ in ſpatium vacuum, a corpore relictum, irruere conantur; hoc ergo caſu clarum eſt, æquilibrium reſtitui a partibus, hoc ſpatium implentibus, partemque corporis poſteriorem continuo urgentibus, ideoque reſiſtentiam corporis multo minorem fieri; vel contra corpus movetur tanta celeritate, ut partes fluidi vacuum, a corpore relictum, haud ſtatim implere poſſint, unde a preſſione partium harum contra anteriorem ejus ſuperficiem multo major oritur reſiſtentia; ex quibus patet, quam notabilis ſit differentia inter reſiſtentiam corporum, vel tarde, vel celeriter, motorum, quantoque errore ea in conſideratione motus globorum in aere neglecta ſit. Hæc omnia ulterius proſecutus eſt Cel. *Eulerus*, oſtenditque primo, omnem mutationem in motu corporum, ac in ſpecie reſiſtentiam, quam in fluidis patiuntur, ex vi ipſorum inertiæ proficiſci; dein conſiderat caſum ſimpliciſſimum de fluido, cujus partes a ſe invicem ſeparatæ exſtant, poſito fluido vel elaſtico, vel

Digitized by Google

vel non elaſtico, & ſuperficie corporis quavis; inprimis vero de reſiſtentia aeris diſquirit, & ea quidem duplici, altera ex alliſione corporis ad partes aeris, altera ex diverſa preſſione partium aeris, corpus ambientium, oriunda, quæ omnia ſubtiliſſimæ motus fluidorum theoriæ haud parvam lucem accendunt. In *Prop. II* Autor in reſiſtentiam aeris, experimentorum, per machinam, ſupra deſcriptam, inſtitutorum, ope, inquirit, & oſtendit, reſiſtentiam pro motibus celerrimis quam maxime aberrare a theoria pro motibus tardioribus, qua reſiſtentia quadratis celeritatum proportionalis ponitur, ita quidem, ut, poſita celeritate globi 1700 pedum 1″do, reſiſtentia deprehendatur circiter triplo major ea, quæ juxta theoriam hanc prodire debuiſſet. Hæc tamen omnia neutiquam impediunt, quo minus theoria iſta in motibus tardioribus ſatis exacte locum habeat, prout ex comparatione ipſius cum experimentis accuratiſſimis, circa lapſum corporum gravium inſtitutis, *Eulerus* demonſtrat. In *Prop. III* exhibetur regula, qua ex data reſiſtentia pro velocitate parva, de qua per theoriam ſatis conſtat, aliaque pro velocitate maxima, (quam 1700 pedibus 1″do non majorem pro globis ponit Autor,) per experientiam cognita, inveniri poterit reſiſtentia pro gradu quovis velocitatis intermedio quam proxime, quamque ideo methodo interpolandi tantum niti, facile patet. In *Prop. IV* Autor theoriam ſuam, in *Cap. I* pro globis minoribus ſclopetorum traditam, & experimentis penduli confirmatam, applicat ad globos majores tormentorum, atque e. g. celeritatem globi 24 ℔, ex tormento 10 pedum, quantitate pulveris = 16 ℔ propulſi, ponit 1650 pedum 1″do, eandem vero pro quantitate pulveris = 12 ℔ tantum 1490 pedum eodem tempore. Hæc omnia latius expoſuit, adhibita methodo analytica, *Capite* præcedente tradita, *Eulerus*, addiditque tabulam, qua pro omnibus tormentorum generibus, & pro quantitate pulveris æquali $\frac{1}{2}$, $\frac{2}{3}$, $\frac{3}{4}$, vel toti ponderi globi, quam proxime reperiri poteſt celeritas globi primo momento; ex qua patet, poſita eadem ratione pulveris ad pondus globi, globum eo minori velocitate propelli, quo majus eſt tormentum, quod paradoxum videri

videri poſſet, niſi reſiſtentia aeris non tam e quantitate ipſius abſoluta, quam potius ex relatione ad pondus globi, dijudicanda eſſet, quo fit, ut globus tormenti majoris minori quidem velocitate moveatur, ſed contra minorem reſiſtentiam reſpective experiatur, ideoque multo longius propellatur. Hanc tabulam, conſiderato ſpatio inter ſuperficiem tormenti & globum, emendatiorem & ampliorem reddidit, ſimulque, quid longitudo tormenti ad augendam minuendamve globi celeritatem faciat, diſquiſivit, tabulamque exhibuit, qua pro data celeritate globi inveniri poteſt expeditiſſima cum tormenti longitudo, tum pulveris quantitas, ad imprimendum globo tantum celeritatis gradum. Porro de firmitate tormenti in quovis loco requiſita ad preſſionem pulveris ſuſtinendam egit; denique quæſtionem de invenienda quantitate pulveris, qua ex dato tormento globus maxima cum celeritate propelli poſſit, reſolvit, & hanc quantitatem pro longitudine tormenti a 2 usque ad 60 diam. globi tabula repræſentavit. In *Prop. V* Autor oſtendit ipſam quantitatem reſiſtentiæ, quam globi in aere experiuntur, eamque tantam eſſe demonſtrat, ut globus 24 ℔, quantitate pulveris 16 ℔ exploſus, atque inde celeritatem 1650 pedum 1″ do acquirens, patiatur ab aere reſiſtentiam ad minimum 23 (quin imo fere ultra 25) vicibus majorem pondere ipſius globi; ex quo nunc abunde patet, quam inſigni cum errore hæcce reſiſtentia reſpectu ponderis globi pro nihilo reputetur. Pergit Autor ad conſiderationem viæ, quam globus, poſita aeris reſiſtentia, deſcribere debet, antea autem, ut melius aberratio ejus a ſententia communi de motu globi in Parabola pateat, præcipuas motus parabolici proprietates enarrat; quas ex primis motus principiis perſpicue & concinne eruit, & analyticis expreſſionibus complexus eſt, *Eulerus*. His poſitis, in ſequenti *Prop. VI* per experimenta plurima Autor oſtendit, motum globi in aere aberrare mirum quantum a motu in Parabola, niſi celeritas ejus ſit perquam exigua. Dabimus hujus rei exempla quædam, eo notabiliora, quo minus hæc reſiſtentia aeris a plerisque in computum ducitur, & quo magis motus globorum in Parabola a ſcripto-

Mm ribus

Digitized by Google

ribus artis baliſticæ in vulgus notis pro vero atque indubio venditari ſolet. Globus diametri $\frac{3}{4}$ poll. ex ſclopeto propulſus eſt ex calculo Autoris velocitate 1700 pedum 1''do, ex quo prodiret, poſito motu parabolico, amplitudo jactus pro angulo 45° circiter 17 mill. Angl., quæ autem tantum $\frac{1}{3}$ mill. Angl. deprehenſa eſt, unde vera amplitudo tantum $\frac{1}{51}$ eſt ejus, quam motus parabolicus requirit; quod eo minus mirum videri debet, quod reſiſtentia aeris ſit hoc caſu 120 vicibus major pondere corporis. Dein globus 24 ℔ e tormento exploſus acquirit velocitatem 1650 pedum 1'' do, unde in Parabola pro angulo 45° fieret amplitudo circiter 16 mill. Angl. quæ vero ab Autoribus inventa tantum eſt 3 mill. Angl. unde vix $\frac{1}{5}$ eſt ejus, quæ ex hypotheſi communi prodit. Eodem modo globi alii, quorum amplitudines ex hypotheſi parabolica prodire debuiſſent 1050, 566, 1400 pedum Anglic., dederunt tantum amplitudines 448, 320, 690, pedum reſpective. Quamvis autem Autor hoc modo oſtenderit aberrationem motus veri globorum a motu parabolico; tamen eo non proceſſit, ut ipſam Curvam, quam ex legibus reſiſtentiæ aeris globus deſcribere debet, definiret, ſed hanc diſquiſitionem in aliud tempus reſervavit. Quod cum hactenus executus non ſit; defectum hunc ſupplere conatur *Eulerus* in Annotationibus. Primo conſiderat jactus horizontales, ibique tam deviationem globi ab horizontali, quam celeritatem pro quavis diſtantia, determinat. E. g. globus 24 ℔ celeritate 1500 pedum 1''do exploſus in diſtantia 900 pedum aberrat ab horizontali $\frac{1}{2}$ gradu, globus diam. $5\frac{1}{2}$ poll. celeritate 1600 pedum propulſus in diſtantia 1000 pedum aberrat 27' 37'', ex quibus patet, in ejusmodi diſtantiis hanc deviationem in praxi vix conſiderari poſſe. Dein jactus verticales pertractat, & altitudinem, ad quam globus adſcendit, velocitatem ejus in puncto quovis, tempusque totius jactus, definit. Ita e. g. globus diam. circiter $\frac{1}{5}$ ped. Anglic. verticaliter exploſus in terram recidit tempore 34'', & adſcendit ad altitudinem 4478 pedum Rhen. (cum in ſpatio vacuo ad 26014 pedes adſcendiſſet,) tempusque adſcenſus invenitur $13\frac{3}{4}$'', deſcenſus

ſcenſus 20″ circiter. Denique jactus horizonti obliquos conſiderat; quo vero caſu ob æquationes differentiales intricatiſſimas, quæ haud aliter, quam pluribus approximationibus, reſolvi poſſunt, vix ac ne vix quidem certi quidpiam elici poteſt. In *Prop. VII* Autor mentionem facit ſingularis circumſtantiæ, in motu globorum obviæ, qua fiat, ut non ſolum in directione verticali deorſum trahantur, ſed etiam extra ipſum planum verticale verſus dextram ſiniſtramve declinent; quam vero non ex motu globi rotatorio circa axem, ſed tantum ex figura ejus non perfecte ſphærica, oriri, Cel. *Eulerus* perſpicue demonſtrat. Denique in *Prop. VIII* determinatur effectus percuſſionis, quem globi in corpora ſolida, in quæ impelluntur, edunt. Quippe, cum globus, in corpus non elaſticum intrans, reſiſtentiam patiatur conſtantem a firmitate particularum, poterit motus ejus haud aliter conſiderari, quam corporis, contra directionem gravium adſcendentis; ex quo elicitur, profunditates, quibus globi in corpora firma intrant, eſſe in ratione compoſita ex directa ſimplici ponderum globorum, & duplicata velocitatum, nec non reciproca duplicata diametrorum, & ſimplici firmitatis corporum; quod inſtitutis circa lignum experimentis Autor confirmat, atque unde ſimili modo experiundo firmitates aliorum corporum, ideoque effectus percuſſionis in iis, determinari poſſent.

Ceterum ex iis, quæ attulimus, patet, quam multa nova, & a nemine hactenus excuſſa, in hoc Tractatu reperiantur, quæ, ut generatim Mechanicam, præſertim haud adeo excultam theoriam motus fluidorum, atque reſiſtentiæ corporum, in fluidis motorum, egregie illuſtrant atque promovent; ita inprimis rei tormentariæ novam lucem accendunt, tam ob præcipua ejus capita, hactenus fere neglecta, hic expoſita, quam etiam propter permultas obſervationes ſolidas, hinc inde interſperſas, quas exponere, per inſtituti noſtri rationem non licuit, quæque iis etiam, quibus omnia, ad theoriam ſpectantia adire non datur, ſubſidia in praxi utiliſſima afferre poſſunt. Fatendum eſt quidem, in theoria ſæpius approximationes plures adhibitas eſſe, quæ conjunctim ſumtæ aberrationes quaſdam notabiles producere poſſent, ſed cuivis, ea

Mm 2 propius

Digitized by Google

propius inſpicienti, patebit, rei naturam id aliter non permittere, quin potius, rem, tot difficultatibus, tot circumſtantiis perplexis, involutam, extricaſſe, atque plurima ad tantum perſpicuitatis gradum perduxiſſe, id ipſum inſignem laudem mereatur. Hoc tantum inprimis optamus, ut ii, quibus hujus ſcientiæ perfectio curæ cordique eſt, inſtitutis pluribus cum cura experimentis, qualia exequendi ſatis expedita hic via aperta eſt, rem eo deducant, ut ex eorum cum præſenti theoria comparatione hæc ipſa magis emendari, ejusque uſus expeditior reddi, poſſit.

DAN. WILHELMI TRILLERI, PHILOS. & Medic. Doct. Archiatri Naſſav. Obſervationum criticarum in varios Græcos & Latinos Autores Libri IV.

Francofurti ad Mœnum, apud Franc. Varrentrapp, 1742, 8. Alph. 1 plag. 16.

EJUSDEM HESYCHIANARUM EMENDATIOnum Specimen novum, ſive Appendix Obſervationum criticarum ad Virum Summe Reverendum atque Celeberrimum JOANNEM ALBERTI, Lexici Heſychiani editorem & reſtitutorem digniſſimum, Theologum atque Philologum apud Batavos præſtantiſſimum.

Francofurti ad Mœnum, apud eundem, 1742, 8. Plag. 3.

Ea eſt doctrina Cel. *Trilleri* noſtri, ea literarum interiorum peritia, ea judicandi & conjectandi felicitas, diverſis, iisque elimatiſſimis, lucubrationibus comprobata, ut non vulgare quid ab eo exſpectari poſſe videatur. Has virtutes Obſervationibus, quas in præſentia manibus noſtris verſamus, ita teſtatas fecit, ut haud exigua acceſſio gloriæ, quam ſibi jamdum in hoc literarum genere conciliavit, ei accedat, & orbem lite-

Digitized by Google

literatum ipſe ſibi de novo obſtringat. Ingreſſus opuſculum hoc, (de diverſis enim Græcis & Latinis Autoribus optime meretur,) videaris tibi in amœniſſimo viridario, pulcherrimis floribus ubique ornato & diſtincto, verſari, ut, quo oculos flectas, quosque præ aliis decerpas, in ambiguo hæreas. Faciemus noſtra induſtria, ut obſervationes, quæ præ aliis notatu dignæ ſunt viſæ, in arctum compulſæ, Lectoris noſtri judicio exhibeantur.

In Præfatione docet Autor, literarum elegantiorum ſtudium cum virtute ac moderatione conjungendum eſſe, quam ipſe Vir egregius, ut verbis dilaudat, ita ipſo opere ſectatur. Non ſecat, non urit pro lubitu, non in alios, a ſententia ſua alienos, quod multis Criticis eſt ſolenne, debacchatur, non illis cum imperio ſuas hariolationes obtrudit. Sed agite, in ipſum elegantiſſimum hoc opus, variis, iisque eruditiſſimis, obſervationibus diſtinctum, nos immittamus. In *Vopiſci Aureliano Cap.* 36 pro *timore* legi vult *tumore*, quæ vox apud probæ notæ ſcriptores ſæpe *iram* & *indignationem* ſignificet. In locum Pag. 4.
παντοραίκτας, quod nomen de Cynicis adhibet *Julianus* Imp. *Orat. VI fol.* 369, reponi vult *παντορέκτας*, *omnia appetentes*, ab *ὀρέγεσθαι*. *Æl. Lampridius* in *Antonino Elagabalo* 5, 6.
verbis illis: *Cum eadem terra & venena ferat, & frumentum, atque alia ſalutaria, alia contraria*, reſpicere videtur ad illa *Homeri Odyſſ. IV*, 230:

Πλεῖςα Φέρει ζείδωρος ἄρουρα

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Ariſtæneti verba *Ep.* 1 *Lib. I*: Σὺ δὲ ὀφθεῖσα Φλέγεις, 11-13.
καὶ ἐκ ἐσα τιτρώσκεις, mendoſa jamdum viſa ſunt *Mercero*. Noſter pro ἐκ ἐσα reponit: καὶ ἀκτῖσι τιτρώσκεις. Sed forte cuidam facilior cenſeatur emendatio Cl. *de Pauw*, qui legit: καὶ ἐκ ἧσσον τιτρώσκεις. Lectionem *Dio-* 19.
genis Lib. I ſegm. 59: Θέσπιν ἐκώλυσε τραγωδίας ἄγειν, ſollicitaverat *Caſaubonus*, &, qui ei pollicem preſſerat, *Menagius*, pro ἄγειν, ᾄδειν legentes. Noſter, nullum mendum loco ineſſe, ex *Horatio*, & quidem rectiſſime, quantum nos judicare poſſumus, oſtendit. *Athenæus* affert locum *Menandri*: ἐπιθυμή- 23, 24.
σας τῷ Βορέα ἥδιον ὀψάριον, ἐδὲν λαβὼν, ἐψήσω Φακῆν,

cum

Digitized by Google

cum cuperem, borea flante, ſuavius obſonium, nihil nactus eli-xabo lentem. Trillerus, rejecta emendatione *Caſauboni* ac aliorum, legendum cenſet: ἐπιθυμήσας τῇ βορεᾷ ἥδιον ὀψάριον, id eſt,
Pag. 28, *cum deſiderarem ego eſu ſuave & jucundum obſonium.* Verba
29. *Ennii, ædes phagitica,* nullius ſunt ſenſus. Subſtituit igitur *addephagia,* vel *addephagica.* Ἀδδηφαγία enim, vel ἀδδηφαγικὰ, vel ἀδηφαγιὰ, interprete *Heſychio* ac aliis, notat *guloſitatem*, ſive *voracitatem*, *modum tenere neſciam*, & *gulæ luxuriantis furorem.* Niſi quis legi malit *hedypathia*, aut *hedypathica*, quo titulo librum inſignitum ſcripſit *Archeſtratus*,
31, 32. Poeta luxurioſiſſimus. *Iſidorus* in Gloſſis habet *Duſius dæmon;* quem locum tentarunt *Reineſius* & *Bodinus*, ſed minus feliciter. Noſter retinere vult *Duſius*, aut *Daſus*, *dæmon*, ex Græco δασὺς, *hirſutus*, *villoſus*, quales nonnulli dæmones dicuntur
35-37. Ebræis שעירים. Emendationem *Acidalii*, in *Curtii Lib. V Cap. 12*, pro *velut a rege*, legentis, *velut a tergo*, longe præferendam eſſe judicat illi *Modii*, *velut a rogo*, quam pariter approbat *Gronovius Obſ. Lib. II Cap. 12 pag. 307;* arbitratur tamen, commode etiam legi poſſe, *vultu irriguo*, vel *riguo*,
47-51. intueretur. *Michaelis Apoſtolii* locus *Cent. XIX, 99:* ὑπηνέμια ὀνείρατα καὶ ἐπαινῶν σκιαὶ, *ventoſa ſomnia & laudum umbræ*, feliciter ex *Luciano T. I pag. 589* edit. *Græviana* reſtituitur, ubi hæc leguntur: πάντα ἐκεῖνα ὑπηνέμια ὀνείρατα καὶ ἐπῶν σκιαὶ, *omnia illa ſubventanea ſomnia & verborum*
51, 52. *umbræ.* Locus *Ciceronis de Nat. Deor. Lib. III Cap. 35*, ubi ſermo eſt de *Dionyſio* patre, Siciliæ tyranno, in quo habentur verba, *in tympanidis rogum*, pro inſanabili fere adhuc eſt reputatus, qui ita refingitur: *vita impunitus, in rogum eſt illatus.* Vox *impunitus Ciceroni* eſt uſitata, & convenit lectio intentioni ipſius. Diſcutiendum quippe ſibi ſumſerat hoc, cur, ſi datur providentia, bonis in hac vita male, malis contra bene,
62-70. ſit. Tangit locos aliquot ex *Phile de proprietate animalium*, a Doctiſſ. *Pauw* in poſtrema editione ſollicitatos, quos vel ſanos eſſe oſtendit, vel alia quadam via vulnera illorum obliganda eſ-
102-106. ſe demonſtrat. *Antiphronis* loco *Lib. II Ep. IV pag. 266*, in quo nominantur ἄγρια φῦλλα ἀνθρώπων, & in quo emen-

dando

Digitized by Google

dando jamdum *la Crozius* & *Berglerus* occupati fuerunt,
ita medetur: *ἄγρια φύλλα τῶν ἀνθερίκων, agreſtia folia Antberiæ*, ſive *Aſphodeli.* Ἀνθερικὸς enim & caulis & ipſa ſæpius herba eſt *Aſphodeli.* Hic *antbericus*, ſive *aſphodelus*, ſacris faciundis olim deſtinabatur, quod ex *Luciano*, illiusque explanatore, ſpeciatim *Homero Odyſſ.* Ω, *13*, ac inde *Luciano de Luctu pag. 301*, probat. Defunctorum tumuli ipſo illo con-
ſerebantur, & *Proſerpinæ* imagines eodem coronabantur, quod te- 106-111.
ſtatur *Suidas*, & alii. *Quintilianus Inſtit. Orat. Lib. VIII Cap. 2 pag. 364* hæc habet: *ſicut in bis, quæ homonyma dicuntur, ut, Taurus -- an radix arboris.* Illud *radix* homonymum tauri minus eſſe poſſe, quisque intelligit. Igitur ſanare locum tentarunt viri eruditi, in quorum tamen emendatione non acquieſcit Vir egregius. Quare
legit *radius amoris*, vel *ardoris*. In *Juſtini Martyris Apol. II* hæc 151-156.
occurrunt verba: *ἔςι δὲ ἡμῶν -- εἰ δὲ μὴ, κἂν σωταδείοις, καὶ φιλαινιδείοις, καὶ ὀρχηςικοῖς, καὶ ἐπικουρείοις κ. τ. λ.* in quibus quoniam illud *ὀρχηςικοῖς* cum antecedentibus & conſequentibus non bene conſiſtere poteſt, Ἀρχεςρατικοῖς, vel Ἀρχεςρατείοις, reponit. Fuit autem *Archeſtratus* laſcivus & impudicus, omnisque luxuriæ magiſter, qualis nobis deſcribitur ab *Athenæo Lib. VIII Cap. 3 pag. 335.* Pro *ποιητικοῖς* legi contendit *γοητικοῖς*, quam vocem *Heſychius* interpretatur per *ἀπατηλὸν, μαγικὸν*, id eſt, *quod ſeducit, allicit, & faſcinat*, niſi quis vocem *ποιεῖν* eo ſenſu capiat, ut rei venereæ exer-
citium exprimat. Locum *Æliani H. V. Lib. XIII Cap. 11* 157-164.
pag. 848: κακοὶ μνηςῆρες σὺν ὕβρει καὶ ἄντρῳ τὰ ἕδνα τῶν γάμων προεκτελοῦντες, in mendo cubare, omnes eruditiores cenſuerunt, neſcientes, quid illud *ἄντρῳ* ſibi velit. Poſt aliorum igitur curas locum aggreſſus Autor, voci *ἄντρῳ* ſupponit *ἀράδῳ*, hoc ſenſu: *σὺν ὕβρει καὶ ἀράδῳ*: notat enim *tumultum, ſtrepitum*; vel etiam emendari hunc in modum putat: *σὺν ὕβρει καὶ ἐν θρῷ*, vel *ἅμα θρῷ, cum contumelia, &*
in, vel *cum, tumultu, clamore, & ſtrepitu.* Locum *Laertii Lib.* 169-172.
IX ſegm. 84 in *Pyrrbon.*: *καὶ τὸ ἡμέτερον χρῶμα ἀλλοῖον ὑπὸ τῇ μεσημβρίᾳ φαίνεται, καὶ ὁ ἥλιος*, quem *Mericus Caſaubonus* pro depravatiſſimo habet, levi additione ita refingit:

καὶ

καὶ τὸ ἡμέτερον χρῶμα ἀλλοῖον ὑπὸ τῇ μεσημβρίᾳ φαίνεται, ὡς καὶ ὁ ἥλιος, hoc eſt, *& noſter color diverſus ſub meridiem apparet, quem ad modum etiam ipſe ſol.* Habere autem ſolem alium colorem in ortu, alium in meridie, alium denique in occaſu,
Pag. 188, experientia conſtat. Apud *Ælianum de Nat. anim. Lib. II Cap.*
189. *26* hæc occurrunt: ἐπεὶ αὐτῷ πῦρ τὸ ὀυράνιον ἡ τῦ γένους ἀδέκαςος τε καὶ ἄπρακτος ἀληθῶς ἐγγραφή ἐςιν. Vocem ἄπρακτος jamdum corruptionis inſimulaverat Cl. *Pauw* in Notis ad *Philen pag. 12*, quem ita legendum eſſe conjectaverat: πρακτικὸς ἀληθῶς ἐγγραφεὺσ, vel ἀτάρακτος ἀληθῶς ἐγγραφεὺς, vel denique ἄπρακτος ἀληθῶς ἐγγραφή. Sed, quoniam hæ ſuſpiciones textum nimium mutant, longius præterea ſunt petitæ, ita lectionem conſtituit *Trillerus* noſter: ἀδέκαςος καὶ ἀπλάκητος, vel ἀπλάκητος ἀληθῶς ἐγγραφή, ut ſic indicetur, eſſe *argumentum & indicium incorruptum & vere ſincerum & falli neſcium.* Ἀπλάκητος enim, ἀμπλάκητος, vel ἀμπλάκιος, notat *non fallendum, peccare & errare neſcium, nullis erroribus obnoxium, juſtum.* Quæ vox ubi per ſcribendi compendium ἄπλακτος, vel ἄμπλακτος, fuit exarata, facile inde per errorem librarii, vel Criticorum importunam correctio-
231-235. nem, ἄπρακτος enaſci potuit. Verſum illum *Virgilianum Ecl. I, 60: Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi*, quoniam ἀδύνατον non æque appareat, cum *cervi* omnino in *æthere*, ſive *aura*, paſcantur, & absque æthere vitam trahere non poſſint, ita legit: *Ante leves ergo paſcentur in æquore cervi. Æquor* autem pro *mari* paſſim ſumi, eſt notiſſimum, &, lectionem hanc cum ſequentibus optime ſtare poſſe, declarat Au-
276-278. tor. In verbis *Phædri Fab. Lib. III Fab. 8*: *Tu* (filia) *faciem ut iſtam moribus vincas bonis*, illud *vincas* durum & minus appoſitum eſſe videtur. Quare levi mutatione legit: *Tu faciem ut iſtam moribus pingas bonis.* Sumitur autem vox καταγράφειν apud *Epictetum*, cujus verba *Stobæus Serm. V pag. 74* refert, & *pingere* apud ſcriptores Latinos, pro *ornare.* Qua occaſione de virtute, fœminarum præcipuo ornamento, quædam in me-
278-283. dium adducit, & ad *1 Tim. II, 9*, accommodat. Τερέβινθος, πόλις Ἰώβ, reperitur apud *Heſychium pag. 901.* Quoniam autem

autem nulla urbs *Jobi* hoc nomine eſt cognita, locus vero, vel oppidum, Palæſtinæ a terebinthi arbore, ſub qua *Jacobus* idola *Labanis* occultavit, nominatur, ita verba exhibet: Τερέβινθος πόλις Ἰακώβ. Locum *Æliani H. V. Lib. XII Cap 57*, his conceptum verbis: Ἡ μὲν γὰρ ἐν Ογχηςῷ λίμνη φοβερὸν ἦχον ἀνέδωκε, καὶ συνεχῆ καὶ τὰ ὁρμήματα ἐώκει, corruptiſſimum, nec ſyntaxeos regulas ſervantem, nec ſanum ſenſum fundentem, *Janus Rutgerſius*, fultus loco *Diodori Siculi Lib. XVII*: τὴν ἐν Ὀγχηςῷ λίμνην μυκήματι παραπλήσιον φωνὴν ἀφιέναι, ita reſtituerat: τὰ ὁρμήματα ἐώκει, vel ταύρε μυκήματι ἐώκει. Conjectura hæc adeo felix eſt viſa viris ſummis, ut eam communi conſenſione comprobarint, imo *Jac. Perizonius*, & poſt eum *Abrah. Gronovius*, in ipſum textum receperint. Monet tamen Noſter, ſi ita legantur, verba reddi hiulca, nec cum antecedentibus cohærere. Igitur verba ita exhibet: ἡ μὲν γὰρ ἐν Ὀγχηςῷ λίμνη φοβερὸν ἦχον ἀνέδωκε καὶ συνεχῆ καὶ τὰ ὠρυώματα ἧκε. Ταύρε in emendatione *Rutgerſiana* ſupervacuum ducit, quia μύκημα non boum ſolum mugitum, ſed & reliquorum animalium terribilem, vel mugientem, ſonum, deſignet, ὠρύωμα autem idem ſignificet. Ἧκε, *emiſit, extulit*, poſitum eſt pro ἀφῆκε, vel ἐπαφῆκε, quod, *Heſychio* interprete, reſpondet ſimplici ἧκε. *Seneca Lib. III Cap. 18 Quæſt. natural.* verba ſunt de mullo morituro: *ubi multum diuque laudatus eſt. Gronovius* in ea eſt opinione, verba, *laudatus eſt*, bene ſe habere. Aliter videtur Noſtro, qui, legendum eſſe, pertendit, *luctatus eſt*, quod tum ex ipſa vocis indole, quæ ſpeciatim de morientibus ſumitur, ac verbo Græco ἀγωνίζεσθαι reſpondet, tum ex contextu, accurate oſtendit. In *Apuleji Apol. pag. 98* ad verſum Comici cujusdam provocatur, qui tamen in vulgatis editionibus deſideratur, unde viri quidam eruditi aliquem ex *Menandro*, vel *Philemone*, ſubſtituerunt; ſed inventus ille tandem eſt in Codice Florentino, corruptus tamen admodum: ΠοαωΝ CΠαΡΟΓΟΗΙ ΗΙCΙΟΝε ΗΙCΝΟΡεΙ, quem ita refingit: ΠοαωΝ ΕΠ' ΑΓΡΩ Η ΗΔΟΝΗ CΚΗΝΟΠΟΙΕΙ, h. e. Ποάων ἐπ' ἀγρῷ ἡ ἡδονὴ σκηνοποιεῖ, *in agro herbarum*, ſeu *herboſo*, *voluptas*

Pag. 295, 296.

299-311.

316, 317.

Pag. 318. *luptas tabernaculum facit.* De *Calphurnia Trebellius Pollio* in
323. *de XXX Tyrannis Cap. XXX* habet: *Cujus ſtatuam in templo*
Veneris adhuc videmus Argolicam; ſed auratam. Vocem *Ar-*
golicam ſanam non eſſe, quisque videt. *Salmaſius* legit *acro-*
litham; Dairvallius argolitham. Utriusque conjecturam exa-
minat ſagaciſſimus Criticus noſter, nec locum tueri ſuum poſſe,
accurate docet. Levi igitur mutatione legit *argillaceam*, ſive
argilloſam. Statuas autem Deorum antiquitus ex *argilla* con-
fectas, poſt auro obductas, fuiſſe, priſcorum autoritate con-
323-334. firmat. Vocem *Phallonicroboli* apud *Jul. Capitolinum* in *Vit.*
Pertinacis Cap. 8 quidam pro conclamata, cui medela nul-
la parari queat, pronuntiarunt. Noſtro, diverſas emendandi vias
circumſpicienti, præ aliis placet *phiala e vitro Beli.* Erat autem
Belus fluvius Syriæ, vel Palæſtinæ, qui arenas volutabat, ex
quibus puriſſima olim ac præſtantiſſima vitra conflabantur,
338-352. quod idoneis teſtimoniis firmatur. *Jul. Pollux Onom. Lib. II*
Cap. 4 hæc profert: Χυμὸς, δυσχερεῖς, ἀηδεῖς, γλυκεῖς, ἡ-
δεῖς, εὐμενεῖς, ἐκλυσῶντας, h. e. *ſapores moleſtos, inſuaves,*
dulces, ſuaves, mites, & diſſolutos. Vocem ἐκλυσῶντας mi-
nus recte ſe habere, ex Criticorum familia plures judicant;
quæ vero eidem vox ſubroganda, variant multum. Noſter,
legendum eſſe, conjectat, ἐκ δισσῶν ὄντας, *ſuccos ex duplici ſapo-*
re conſtantes. Rationem hujus ſuæ divinationis dat ex ipſo
contextu. In proxime enim ſuperioribus recenſuerat ſapores
ſimplices. His igitur ſubjicit *compoſitos*, &, ubi vox ΕΚΔΙΣ-
ΣΩΝΤΑΣ majuſculis literis fuit ſcripta, in ΕΚΛΥΣΩΝΤΑΣ
386-389. facile converti potuit. *Heſychius* ad vocem Ἀρδανίαι ſub ſi-
nem notat, οἱ πρὸς ἐμφανισμὸν ἐξιόντες. Mendum voci ἐμφα-
νισμὸν ſubeſſe, ſubodorati ſunt multi; *Trillerus* noſter legi vult
393, 394. ἐπιφημισμὸς, *lamentatio, luctus, ejulatus. Athenæus Deip-*
noſ. Lib. XII Cap. 7 pag. 529 Sardanapalum deſcribit, μετὰ
παλλακίδων ξαίνοντα πορφύραν, ἀναβάδην τε μετ' αὐτῶν
καθήμενον τὰς ὀφρῦς, γυναικείαν δὲ στολὴν ἔχοντα, *cum pellici-*
bus carminantem purpuram, ac cum illis ſedentem pedibus por-
rectis, in altumque ſublatis, ſupercilia, muliebrem vero ſtolam
habentem. Locum jam tractaverat *Caſaubonus*, ſed hujus con-
jectura

Digitized by Google

jectura non arridet Noſtro. Loco igitur ὀφρῦς legit ὄφεις, *armillas muliebres, dracunculorum*, ſive *ſerpentium, in ſpeciem formatas*, quas deſcribit *Heſychius*, alii. *Ælianus H. V. Lib.* Pag. 410-
XII Cap. 41 de *Apelle*, in *Protogenis* tabulam mente atten- 413.
ta & defixa intuente, hæc commemorat: Ἀπελλῆς ἰδὼν, τὸ μὲν πρῶτον ἔςη ἄφωνος, ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τῇ παραδόξῳ θέᾳ, εἶτα ἀπιδὼν ἔφη, κ. τ. λ. Illud ἀπιδὼν *Schefferus* mutaverat in ἀπιὼν, quem ſecutus *Jac. Perizonius.* Contra ſenſerat *Kühnius. Trillerus* in ea eſt ſententia, locum ſuum commode tueri poſſe, cum ſignificet, *attente aliquid atque acute inſpicere*,
quem ſignificatum ex aliorum probatorum ſcriptorum luculen- 447-450.
tis locis comprobat.

Hæc igitur ſunt, quæ ex his *Obſervationum*, bonæ frugis plenarum, libris enotare fuit viſum. In *Heſychii Lexicon* emendationes paſſim interſperſerat. Jam vero Appendicis loco adjicit congeriem locorum aliquot corruptorum, quibus ſuſpicionibus ac conjecturis ſuis medelam affert, ex quibus aliquas tantum ſpeciminis loco afferemus. Verba, quæ leguntur *pag. 613* edit. *Schreveliana*, omnium depravatiſſima & deploratiſſima cenſentur. Illa hujus ſunt tenoris: Λώτ. ἐτυμπανίσθησαν, ἐπρίσθησαν, ὕπερον, μεμαρὰς θυΐσκη, ἐμφρε ωμένος, ἀντισήκωσις, ἀσπάλαξ, ἄσβεςος μοιχαλίς. μῦς. τυφλὸς ὁ τὴν γῆν τρυπῶν. Quæ ita emendat: Λὼτ, ὑπερὼν, ὅταν τὰ Γομόῤῥας, vel Γομόῤῥα, ἐτυμπανίσθησαν, ἐπρήσθησαν, ἐκ μέθης ἀφραινόμενος, vel ἔκφρων γενόμενος, ἀντισήκωσις ἄσβεςος μοιχαλὶς (aut μοιχάλης, ſive μάχλος,) (Λώτ) ἀσπάλαξ, μῦς, τυφλὸς, ὁ τὴν γῆν τρυπῶν. *Lot, ſuperſtes adhuc, cum Gomorrhæ regio ſevere* puniretur, *& ultricibus flammis exureretur, ex temulentia demens factus, quam mox ſecuta retributionis*, vel *compenſationis, pœna, nempe indelebile & inexpiabile adulterium. Lot autem ſecundum etymologiam idem eſt, ac talpa*, ſeu *mus cæcus, qui terram perfodit.* Ubi autem *Heſychius* vocem *Lot* interpretatur *talpam*, vult reſpexiſſe Ebraicam vocis originem לוט, *abſcondit, operuit, occultavit*, unde לט, *abſconſio*, item לטאה, *lacerta, ſtellio*, ſive *ſalamandra*, ita dicta, quod terræ adhæreat, & latibula atque cavernas petat. *Pag. 646* legitur 23-26.

 Μολο-

Digitized by Google

Μολοβόβαρ, ὁ τοῦ Διὸς ἀστὴρ παρὰ Χαλδαίοις. Locum corruptum eſſe, jamdum vidit *Sopingius*; quare ſuffecit Μολοχβασιλ. Noſter legi vult Μολοχκόκαβ, quaſi מלך כוכב a מלך, *Molech, rex, Jupiter*, & *ſupremus Deorum*, & כוכב, *ſtella, aſtrum*; vel, quod magis ipſi placere videtur, Μολοχοῦβαρ, vel Μολοχαβάρ. *Cabar* enim, *Cubar*, & *Chubar*, Arabibus idem eſſe ac *ſtellam Veneris luciferam*, ſeu *phoſphorum*, accurate oſtendit *Seldenus de Diis Syris Syntagm. II Cap. 4 pag. 285*, *Joſ. Scaliger de emendat. temp. Lib. V pag. 530.*

LIBELLUS DE ELLIPSIBUS LATINIS, ad ductum Sanctii in Minerva, ejusque Commentatorum, Perizonii potiſſimum, politioris Latinitatis ſtudioſorum uſui faciliori accommodatus, & Præfatione dupliceque Indice inſtructus a JOANNE FRID. GRIMM, Gymnaſii Iſenacenſis Conrectore.

Francofurti & Lipſiæ, impenſis Mich. Gottl. Griesbachii, Bibliopolæ Iſenacenſis, 1743, 8.

Plag. 20.

Tria in eleganti hoc atque utili libro digna, quæ commemorentur, videntur, Præfatio, prodromus, ipſa tractatio. In Præfatione confirmatur, dari ellipſes, ſive grammaticas, ſive logicas, easque eſſe obſervatu neceſſarias. Prius, quod & *Sanctius* ſubtilius tractat, ſi quis negare voluerit, is naturæ vocabulorum loquendique modorum plurimorum contrarius eſſet. Quodſi dantur omiſſiones, jejuna atque imperfecta ſine ſtudio illarum lingua foret, cujus plenior ac ſolidior cognitio decet eruditos. Prodromus agit tam de natura & regulis, quam de locis & fontibus, ellipſium. Ad illud pertinet quoque definitio, *ellipſin* eſſe *defectionem, ſive omiſſionem, dictionis, genio linguæ convenientem*. Id autem genio linguæ convenire cenſetur, quod lectoris, linguæ quidem non imperiti, animo ſeſe offert ſupplendum: dum vel conjunctionis ratio plenius docet, vel

vel alibi expreſſe legitur; vel ſtructura ſermonis; vel denique ſymbolum, ſeu imago, quod deſideratur, exhibet. Regulæ autem, tanquam omiſſionum characteres, habentur potiſſimum ſequentes: Nominativus ante verbum finitum ſæpe omittitur; idem ſtatuendum de accuſativo verbi infiniti, pronomen perſonale ſæpe reſpicientis; genitivus partitivorum eſt ellipticus, formatus a vocabulis *unus ex numero* etc.; ſubſtantivum, per appoſitionem alteri ſubſtantivo aptandum, omittitur ante genitivum nominis proprii; ſubſtantivum, præpoſitioni debitum, omittitur; omittitur itidem a[illegible]tivus poſt verbum finitum activum; omittitur ſubſtantivum, adjectivo aptandum, ſequente genitivo; adjectivum, pronomen, & participium, abſolute poſitum, ſubſtantivum reſpicit, ex contextu, vel re nata, ſupplendum; verba occurrunt, quæ nomen, & nomina, quæ verbum, reſpiciunt, ſenſu cognatum; non unum, ſed plura interdum verba, atque integrum orationis membrum, ſeu propoſitio, eſt repetenda; quinque reliquas ut taceamus. Quemadmodum igitur, ubi characterum ejusmodi nullus apparet, ellipſis non eſt; ſic etiam hujus figuræ nomine indignum eſt, quicquid probatæ latinitatis Autoribus non eſt probatum. Nec agitur hic de occultis in oratione, quæ olim quidem perſpicua, quorum autem hodie perveſtigatio caret ſucceſſu. Iſtiusmodi ignorantiæ minime turpis tot habentur exempla, quot in Comicorum ſcenis perſonæ prodeunt. Quis enim ſapientes iſtos auditores ſuos incertos & indoctos reliquiſſe credat, cum vel hodie videas, quibus iſta commode applicentur? Sic &, certos homines Autoribus illis occaſionem dicendi dediſſe, creditur. Itaque æqualium affectus, quia, quæ volebant, non audebant dicere, tecto nomine eluſerunt. Inter fontes omiſſionum refert doctiſſimus Autor noſter primo brevitatis ſtudium, *Horatio* quondam laudatum, non ſolum ad vitandam *κακοφωνίαν*, ſed & ut tempori parcatur. Ut autem, hunc fontem de laconico quorundam dicendi genere accipi, non vult, ita nec Aſiaticum ſermonem cupit impugnatum. Non enim, ex ipſius opinione, elliptice ſemper loquitur, qui Laconice, nec Aſiatici ellipſes ubique negligunt. Alterum illi fontem

metrum

metrum poeticum præbet, unde & apud Poetas ellipſes frequentiſſimæ exſtent. Non paucæ porro tribuendæ ſunt affectuum vehementiæ, qua ſupprimuntur modo, modo cumulantur ſua ſponte, partes orationis. Interdum nec minus, quæ eſt prudentia oratoris, ſignum modo ſermonis edunt, vel aliqua parte propoſitionis, vel ſibilo duntaxat, paucis multa in memoriam revocando, ubi, rem clarius exponere, minus conſultum erat. Lapſus tandem memoriæ ſequitur, quem, qui imbecillitate hujus facultatis laborant, non ſoli experiuntur, etiam tenaciori præditi, quorum mens, dum rerum ſeriei intenta eſt, verborum compagem obliviſcitur. Nos, nihil his immorantes, tractationem ipſam tangamus. In *duas* hæc *Partes* diſpeſcitur. *Altera* de ellipſibus grammaticis agit, de logicis *altera*. Illa *tribus* conſtat *Capitibus*, prout nomina, vel verba, vel particulæ, deſunt; hæc habet quatuor, cum vel ſubjectum, vel prædicatum, vel objectum, vel propoſitiones, omittantur. Ad primum pertinent formulæ: oderint, dum metuant; ſero ſapiunt; ferendum ac ſperandum; aut miles, aut monachus, aut mendicus; procul a Jove, procul a fulmine; de plano & ſimplici; aliis inſerviendo conſumor; ſemper idem; dum ſpiro, ſpero; vires acquirit eundo; abiit, exceſſit, evaſit, erupit; tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant; ſpectatum veniunt, veniunt, ſpectentur ut ipſæ; veni, vidi, vici; non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes; etc. Ad alterum referuntur: fulgur ex pelvi; ſus Minervam; aſinus ad lyram; hinc illæ lachrymæ; mali corvi, malum ovum; unus pro multis; multorum manus, paucorum conſilia; aut mors, aut vita decora; poſt nubila Phœbus! ne ſutor ultra crepidam; ſapienti ſat; ne *Hercules* adverſus duos; lucri bonus odor ex re qualibet; figulus figulum; ad corvos; ex ungue leonem; ſolus cum ſola; pacem cum hominibus, cum vitiis bellum. Ad tertium caput ſpectare putantur *Nepos* in *Att. XVIII, 4: Pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum*, id eſt, *Marcelli Claudii* familiam enumeravit de *Marcellorum* origine; *Apulejus: Hic ei ſumma cum voluptate viſenti* (ſcil. regiam domum) *offert, ſeſe uxor*; item *Curtius IV, 1, 3, & 19, IV, 2, 1, Cicero ad Div. VII, 13.*

Poſtre-

Digitized by Google

Poſtremo denique capiti ſubjunguntur exempla: plus ultra; ſurſum corda; ad aſtra, ad raſtra; in nomine Jeſu; a capite ad calcem; ab ovo usque ad mala; ad lectum; ſat cito, ſi ſat bene; candore & amore; quantum ſatis; bono cum Deo; ne quid nimis; ad calendas Græcas; ne γρῦ quidem; pedetentim, paulatim; quod tibi, hoc alteri; non acerba, ſed blanda; prope ad ſummum, prope ad exitum; non mihi, ſed populo; non quam diu, ſed quam bene; pauca cum aliis, tecum multa; conſilio & induſtria; amore & timore; ut reliqua taceamus, plura enim huc referri ſymbola poterunt. Ideo nec interpretationem ac ſupplementum addere voluimus, quippe quæ partim per ſe patent, partim ambiguitate laborant, partim & pro re nata, proque contextu, poſſunt mutari ac variari. Id igitur ſolum ſub finem monemus, duplicem adjectum eſſe Indicem, tam luculentum, quam utilem, alterum Autorum ſecundum loca, accuratius allegata, dictionum alterum ellipticarum.

MISCELLANEA GRONINGANA.
Tomus III.

Groningæ, apud Hajonem Spandaw, 1740 & 1742, 8. Alph. 2 plag. 2.

Pergit Maxime Reverendus Academiæ Groninganæ Theologus, D. *Daniel Gerdeſius*, exhibere orbi literato, ac potiſſimum theologico, doctiſſima *Miſcellanea.* Hoc in *Tomo*, quatuor & ipſo habenti *Faſciculos*, quæ inſint meditationes, paucis docebimus. In *primo* ſcilicet exhibentur *pag. 1-12 F. A. Lampii Notæ exegeticæ ad Pſalmum primum; pag. 12-23 Petri Zornii* Diſſ. *de Baptiſmo Judæi per arenam, ejusque cauſis; pag. 24 - 42 H. Bruyningii* Obſervationes in *Jeſ. XXXVI, 16, & XLIV, 11; pag. 43 - 57 Henrici Antonidis van der Linden*, primi Theologi Archipalatini, *Epiſtola* ad Conſulem Groninganum, *Menſonem Altingium;* in qua docet, ſe paratum eſſe reverti in Academiam Groninganam, in quam iterum evocatus erat; *pag. 60 - 64 Joannis Frobenii*, typographi, *Epiſtola ad Lutherum*, A. 1519 ſcripta; in qua narrat, ſe *Lutheri* librorum plurima exemplaria miſiſſe in Galliam, Hiſpaniam,

niam, Italiam, Brabantiam, & Angliam, eaque ubique excipi applauſu maximo. Illuſtravit eam Editor aliquot annotationibus. Ignoravit autem, hanc Epiſtolam jam exhibitam eſſe in *Lutheri Operum Latinorum* editione Jenenſi *T. I f. 883 ſeq.* Sequitur *pag. 65-123* Continuatio *Spicilegii librorum rariorum.* Qua occaſione multa de allatis libris proferuntur ſingularia, & *pag. 80 ſeq. Joannis a Laſco* libri, qui rari ſunt omnes, ordine enumerantur chronologico. *Pag. 123-147* recenſentur monumenta, quæ a fratribus *Puteanis* exhibita ſunt in *Actis Gallicanis Concilii Tridentini*, opere rariſſimo. Subnectitur *pag. 147-155* catalogus eorum ad Hiſtoriam Concilii Tridentini pertinentium ſcriptorum, quæ poſſidebat & edere parabat *Struvius.* *Pag. 156-172* exhibetur *Jac. Chriſtoph. Iſelii*, Theologi Baſileenſis, liber, nunc primum editus, *de Canone Novi Teſtamenti.*

In *Faſciculo ſecundo* prima Diſſertatio eſt *pag. 173-194* *Seb. Mangeri de angelo, aquam Bethesdæ commoventi, Joan. V, 4.* Hanc *pag. 194-219* excipit *Petri Zornii* diſquiſitio, *cur Numina falſa in ſacris litteris vocentur* גלולים; *pag. 220-236 F. A. Lampii Notæ ad Pſalmum ſecundum*; *pag. 237-285* Continuatio *libri Iſeliani de N. T. Canone*; *pag. 285-309 C. A. Heumanni Explicatio teſtimonii Paulini 1 Cor. XV, 5, 6, 7, de reſurrectionis Chriſti teſtibus*; *pag. 310-316 Dan. Gerdeſii* Obſervationes ad *Phil. I, 19, & II, 15, & 30*; *pag. 317-352 Jacobi Gilloti ad Joſ. Scaligerum Epiſtolæ.*

Tertio in *Faſciculo* hæc ſunt: *Pag. 353-365 F. A. Lampii Notæ ad Pſalmum tertium*; *pag. 363-374* Continuatio *libri Iſeliani de N. T. Canone*; *pag. 374-382 Danielis a Buren*, Conſulis Bremenſis, *Epiſtola*, nunc primum edita, *ad Melanchthonem de Alb. Hardenbergio*; *pag. 383-454* Continuatio *Epiſtolarum Gilloti ad Scaligerum*; *pag. 454-538 Nova literaria theologica.*

In *Faſciculo quarto* primum occupant locum *F. A. Lampii Notæ ad Pſalmos quartum, quintum, & ſextum*, *pag. 539-555.* Tum ſequitur *Iſeliani* libri *de Canone N. T.* Continuatio, *pag. 555-598*; *C. A. Heumanni* Diſſ. *de vero ſenſu nominis* Iſcariotes, *cognominis Judæ proditoris*, *pag. 598-608*; *Danielis Gerdeſii Hiſtoria nuperi Crypto-Socinismi Friſici*, *pag. 609-642*; *Petri Zornii* Diſſ. *de Cinædis ſacris Phœnicum*, קדשים, ad illuſtrationem ſacri Codicis, *pag. 643-662*; *Nova literaria theologica pag. 662-707*; *Decas Obſervationum*, ex *Jo. Lud. Freyi*, Baſileenſis Theologi, *Notis ad Clementis Epiſtolam ad Corinthios* excerptarum, *pag. 708-724.*

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Junii Anno MDCCXLVI.
Pars I.

ORIENS CHRISTIANUS, IN QUATUOR Patriarchatus digeſtus, quo exhibentur Eccleſiæ Patriarchæ ceterique Præſules totius Orientis, ſtudio & opera R. P. F. MICHAELIS LE QUIEN, *Morino Bolonienſis, Ordinis Fratrum Prædicatorum. Opus poſthumum.*

Tomi III.

Pariſiis, ex Typographia Regia, 1740, fol.
Alph. 24.

Egregium ſane & inſigni eruditione refertum hoc Opus eſt, quod Reverendo P. *Quienio*, variis doctrinæ ſpeciminibus, & inprimis præſtantiſſima *Operum Jo. Damaſceni* editione, de qua fuſe in his *Actis* diximus *A. 1713 Menſ. Jan. pag. 1 ſeq.* celeberrimo, orbis literatus debet. Cum Pag. 1.
enim ad conſtitutionem primitivæ eccleſiæ cognoſcendam quamplurimum faciat, ejus directionem & inſpectionem, quæ Epiſcopis, Exarchis, & Patriarchis, incumbebat, noſſe; ſumma profecto eorum omnium, qui ſunt harum rerum periti, laude dignus judicandus eſt Rev. Autor, qui, orientalis eccleſiæ hierarchiam illuſtraturus, quotquot hinc inde in libris, ſive editis, ſive ineditis, aliove quovis modo, reperire poſſet orientalis eccleſiæ Antiſtites, colligere, ſingulosque in diœceſes, provincias, ſedesque ſuas diſtribuere, aggreſſus eſt. Magno quidem literarum commodo accidiſſet, ſi ipſemet Rev. Autor opus, quod omnibus eruditis applaudentibus ſuſcepit, ad umbilicum perducere potuiſ-

Digitized by Google

potuiſſet; ſed inviderunt fata tantam literis felicitatem, cum ſummo Muſarum detrimento, 4 idus Martii A. 1733 Pariſiis vitam cum morte commutaverit. Et hæc etiam cauſa eſt, cur Africa Chriſtiana, quam una cum Oriente evulgaturum ſe ſpoponderat Autor indefeſſus, tanquam nondum ſatis elaborata, adhuc deſideretur ab eruditis. Multas interim grates doctiſſimo hujus Operis Editori, cui nomen ſuum reticere placuit, habemus, quod tanti theſauri, in tenebris hucdum latentis, copiam nobis facere nullus dubitavit. Ut autem Lectoribus eo melius conſtet, quale pretium huic Operi ſtatuendum ſit, ejus nunc conſpectum more noſtro dabimus. Conſtitutum erat Rev. Autori, Patriarchatuum, in quos orientalis eccleſia deſcripta erat, accuratiorem, quam hucdum habebamus, notitiam ſuppeditare. Hinc unicuique diœceſi ejus deſcriptionem præmiſit, qua primordia illius, acceſſiones, appendices, primariæ ſedis dignitatem, poteſtatem, jurisdictionis rationem, uſum, conſuetudinemque, enarravit. In *tres Tomos* univerſum Opus diſpeſcuit. *Primus* diœceſes Thracicam, Aſianam, & Ponticam, Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectas, complectitur. Decebat enim Conſtantinopolin primum obtinere locum, quæ, pro regiæ illius urbis, quæ nova Roma appellabatur, dignitate, primum & præcipuum inter Orientis urbes locum ſibi vindicavit, & obtinuit. Prius vero, quam de illius primordiis & inſtitutione ageret, de vocabulo Patriarchæ nonnulla præmiſit. Vocem illam a Judæis Helleniſtis ad Chriſtianos derivatam eſſe, rectiſ-
Pag. 3. ſime obſervat, cum Græci ſacrarum literarum interpretes, ad ſignificandum familiæ cujusdam, vel tribus, Iſraeliticæ caput, ea voce uſi ſint. Poſtea, inde ab Hieroſolymorum excidio usque ad quintum poſt C. N. Seculum, Synagogarum apud Judæos præfecti idem nominis tulerunt. Epiſcopi tandem Chriſtianorum, Patriarchæ nomine nonnunquam καθ' ὑπεροχὴν inſigniti ſunt, cujus rei varia ex veterum Patrum ſcriptis exempla adducit, qualia etiam a *Suicero* in *Theſauro eccleſiaſtico* jamjam allata Lector deprehendet. Propria tamen Patriarcharum
4. compellatio Seculo V demum invaluit, quales dici conſueverunt, qui multarum ſedium & Metropolitarum curam gerebant,

ſive

Digitized by Google

ſive hæc in perpetuum, ſive ad tempus, illis eſſet concredita. In Occidente tamen aliquamdiu a quinto Seculo adulto Metropolitas quosvis Patriarchas fuiſſe dictos, obſervat. Longe aliter primis poſt C. N. Seculis res ſe habuit, ubi Pag. 5.
quarumcunque ſedium Præſules æquali omnes nomine Epiſcopi, imo etiam Papæ, dicebantur. Quarto Seculo Alexandrinus Præſul *Archiepiſcopi* nomine ab Ægyptiis cohoneſtatus eſt, quam compellationem honorificam ſubſequenti Seculo & primarii gentium quarundam antiſtites, qui Patriarchæ nulli ſuberant, nacti ſunt. Seculo quarto omnes provinciarum eccleſias gubernantium Epiſcopos *metropolitanos* eſſe dictos, cum Latinis *primates* dicerentur, obſervat, variaque adhuc notatu digniora de Archiepiſcopis adſtruit. Quod ſpeciatim ad Conſtantinopolitanum Patriarcham attinet, urbis iſtius Præſulem, cui multæ jam Metropoles ſubjectæ erant, Patriarcham inde a Seculo quarto eſſe dictum, loco *Socratis* fretus, ſtatuit, imo eodem tempore Hieroſolymitanum Præſulem, excuſſa Metropolitæ Cæſareenſis autoritate, hoc cognomen ſibi vindicaſſe, contendit. Seculo quinto Romanum Præſulem hoc nominis tuliſſe, comprobat. In Canone autem 18 Concilii Chalcedonenſis, Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano, Conſtantinopolitano, quin etiam Romano, Patriarchæ compellatio, quamvis 7.
non ſine diſcrimine quodam, conceſſa eſt, id quod locus *Balſamonis*, a Rev. Autore adſcriptus, omnium optime declarat. 8.
Byzantinorum Præſulum primus, *Acacius*, per Imperatoris *Baſiliſci* literas, quibus ei inſpectio trium, diœceſium commiſſa eſt, hoc nomine cohoneſtatus deprehenditur. Harum vero trium diœceſium, Ponticæ nimirum, Aſianæ, & Thracicæ, præſides, Conſtantinopolitano Patriarchæ nunc ſubjecti, *Exarchorum* nomine decorati ſunt, quamvis re ipſa nulla gauderent in illas diœceſes inſpectione. Conſtantinopolitanum Antiſtitem initio ſimplicem Epiſcopum fuiſſe, Heracleenſi ſubjectum, ubi vero ſecundus ei locus poſt Romanum aſſignatus eſt, in Archiepiſcopum & *αὐτοκέφαλον* creviſſe, oſtendit, & Græcorum quorundam 9.
de hoc Epiſcopo ſomnia eleganter diſcutit. Ante tempora *Severi* nullos fuiſſe peculiares Byzantii Epiſcopos, variis argu-

 mentis

Pag. 12. mentis demonſtrat, ejusque rei rationem hanc fuiſſe, quod in Eu-
ropæ Thraciæque provinciis olim duo, vel tres, Epiſcopatus ab
uno adminiſtrari ſoliti fuerint, oſtendit. Occaſiones deinde, quæ
Conſtantinopolitanæ ſedi Patriarchatus honorem attulerunt, ſum-
ma eruditione ediſſerit, &, hoc facto, ipſa Patriarchatus initia ex-
13-17. ponit. *Joannem Chryſoſtomum* nempe non urbem duntaxat,
quæ imperii ſedes erat, adminiſtraſſe, verum etiam totius
Thracicæ, Aſianæ, & Ponticæ, diœceſeos curam in ſe ſuſcepiſſe,
19. *Theodoretus* autor eſt. Ea res ſucceſſoribus occaſionem dedit,
ut in Aſia & Ponto ordinationes Epiſcoporum tentarent, &
hoc pacto viam ſibi ad illas diœceſes regimini ſub adaptandas
ſternerent; cujus quidem rei quamplurima exempla Rev. Au-
23-30. tor ſuppeditat. Tandem in Concilii Chalcedonenſis Canone 28
Conſtantinopolitani Præſulis jura in hoſce tres ampliſſimos tra-
ctus confirmata ſunt. Hunc ipſum Canonem integrum adſcripſit,
longisque ac eruditiſſimis commentariis illuſtravit, atque, poſt
multas turbas hac de cauſa excitatas, Imperatorum *Zenonis* & *Ba-
ſiliſci* beneficio Conſtantinopolitanum hoc jure quiete frui cœ-
60. piſſe, oſtendit. Sed ne quidem hoc honore contentus, Antioche-
nam quoque & Alexandrinam ſedem ſibi ſubjicere tentavit *Aca-
61-63. cius*, Antiochenum certe Patriarcham, *Calendionem*, ordinavit,
id quod multis diſſidiis anſam præbuit. *Petrum Mongum* etiam
pro legitime ordinato in fraudem *Joannis Talajæ* declaravit. *Pau-
lum Tabenneſiotam Menna* Conſtantinopolitanus Alexandrinum
Præſulem conſecravit, & multa alia hujus generis fecit, quæ Rev.
Autor recenſet. Turgidi autem faſtu tanta potentia Conſtantino-
poleos Præſules, *Epiſcopi œcumenici* compellationem, quæ Ponti-
fici Romano hucdum tributa erat, uſurparunt. Circa medium
68. enim Seculi ſexti *Mennas* œcumenicus Patriarcha dictus depre-
henditur. Immo *Joannes Jejunator*, qui eam ſedem ſub *Tiberio II*
capeſſivit, poteſtatem, Synodos univerſales totius potiſſimum
Orientis Conſtantinopolin convocandi, ſibi arrogavit. Hoc cum
Illyrici Præſules, a Romanæ curiæ partibus ſtantes, ægerrime fer-
rent, multæ & graves contentiones inter Romæ & Conſtantinopo-
leos Præſules natæ ſunt, inprimisque contra œcumenici Epi-
ſcopi compellationem *Gregorius M.* vehementer detonuit. Sed
his

Digitized by Google

his omnibus iris nihil actum, usque dum *Phocas*, ad imperiale faſtigium admotus, ſolemni lege ſtatueret, uti Conſtantinopolitanus ab hoc titulo in poſterum abſtineret, quemadmodum *Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum Lib. IV Cap. 2* prodidit memoriæ. Poſt *Phocæ* obitum tamen, illi Præſules & obedientiam Romano Pontifici, quam ipſis *Phocas* injunxerat, iterum denegarunt, & œcumenici titulum veluti poſtliminio ſubinde in uſum revocarunt. Eam rem ſchismati inter eccleſiam orientalem & occidentalem, quod Seculo undecimo recrudvit, occaſionem inprimis dediſſe, Rev. Autor aſſeverare & demonſtrare annititur, multaque notatu digna de Epiſcopi œcumenici appellatione ſubjungit. In Chalcedonenſis Concilii Canone 28 eccleſiæ etiam, inter barbaras nationes inſtitutæ, urbis regiæ præſidi ſubditæ fuerunt; quod de illis intelligendum veniebat, quæ Thraciæ vicinæ eſſent, puta Scythiæ cis Iſtrum, quæ hodie Bulgaria audit, & complurium aliarum, quas recenſet *Evagrius*. Quando controverſia de imaginum cultu agebatur, Calabriam, Siciliam, Illyricique provincias, quæ Romano hucdum ſubfuerant, ditioni ſuæ, *Leonis* Imperatoris beneficio, ſubjecit. Seculo decimo varias adhuc alias eccleſias, Romanis ereptas, ſibi adjudicaſſe Conſtantinopolitanum, ex *Luitprando* oſtenditur. Sub *Leone Iſauro* etiam Seleuciam, Pamphyliæ, imo Iſauriæ, caput & metropolin, cum viginti tribus ejusdem provinciæ Epiſcopatibus, a diœceſi orientali Antiochena avulſam eſſe, Rev. Autori videtur veriſimile. Hujus rei cauſam fuiſſe putat, quia Antiochia, cui Iſauria antehac parebat, cum majore diœceſeos ſuæ parte, Saracenorum imperio tunc ſubdita erat. Cum omnia poteſtatis Conſtantinopolitani Præſulis incrementa fuſe & accurate recenſuiſſet, jura ejus & privilegia perſequitur. Ejus nimirum erat, uniuscujusque provinciæ ſui tractus Metropolitas ordinare, aut ſaltem electionum decreta approbare & confirmare. Ordinationes neutiquam gratis faciebat, ſed inſignis pecuniæ ſumma tributi loco ipſi erat exſolvenda. Qua de re cum multæ lites exiſterent, quibusdam Epiſcopis in hanc tributi oblationem, veluti ſimoniam, invehentibus, *Juſtinianus* in *Nov. 123 Cap. 3* contentiones illas compoſuit. Cauſas graviores

Pag. 88.
89.
90-94.
98.

Pag. 113. viores omnes Conſtantinopolitanus Præſul ad ſe evocabat, & componebat. *Stauropegii*, id eſt, crucis in templis, ubi
115. altare fieri debebat, ponendæ, jure gaudebat, de quo erudita multa Rev. Autor profert in medium. Extructas extra urbem ſtauropegio ſuo eccleſias, per *luſtratores*, ſeu *exarchos*, ſuos luſtrabat. Unguenta ſacra, uti & reliqui Orientis Patriarchæ, ſolus conficiebat & conſecrabat, ac per omnes eccle-
120. ſiæ ditiones diſtribuebat. A clero, uti & alii Epiſcopi, eligebatur Conſtantinopolitanus Patriarcha. Ob dignitatem loci & muneris tamen invaluit, ut Epiſcopi, qui in urbe agerent, pariter ac vicinarum regionum Metropolitæ atque Archiepiſcopi, in ejus conſtitutione partes ſuas haberent. Quocirca, mortuo, aut amoto, Patriarcha, Imperatoris literis, annuente clero, duodecim ad minimum Epiſcoporum Synodus cogebatur, ut eccleſiæ de novo provideretur antiſtite. Ritum electionis ex
122. *Codino* ediſſerit, &, quæ Imperatorum fuerit in tali conſtitutione autoritas, commonſtrat. Ritus etiam *promotionis*, ſeu, ut no-
123 ſeq. ſtro more loquamur, *inveſtituræ*, nec non Patriarchæ inſignia, accuratiſſime & doctiſſime exponit. Jura Imperatorum Conſtantinopolitanorum in Patriarchas etiam ediſſerit, ſectæ tamen ſtudio
136. nonnihil indulgens, non ſatis dextre de juribus Principum circa ſacra opinatur. His vero abſolutis, ſtatum quoque ho-
145. diernorum Patriarcharum, poſt captam a Turcis urbem, exponit. *Mahomedes II* nempe, cum eam vi expugnaſſet, &, occiſis tantum non omnibus, qui eam inhabitarant, vacuam fere reddidiſſet, ne incolis urbs deſtituta maneret, multos ad eam inhabitandam acceſſivit colonos, quos inter & Chriſtiani fuerunt. Ut igitur ſibi eorum favorem conciliaret, ſolennes conventus ſacros de more priſtino agi permiſit. Cumque reſciſceret, a multo jam tempore ſedem patriarchalem vacare, magnæ eccleſiæ Clero & Epiſcopis facultatem eligendi Patriarchæ indulſit. More ergo antiquitus recepto, *Gennadius* quidam, monachus, invitus & reluctans eligitur, quo ad Sultanum perducto, cum quæſiviſſet, quænam olim Imperatorum in electione Patriarchæ partes fuerint, debito modo reſpondiſſet, ex more recepto inauguratus eſt. Literas

etiam

Digitized by Google

etiam ſecuritatis a Sultano accepit, quas ex *Georgio Phranza* integras Rev. Autor appoſuit. Rebus ita compoſitis, *Gen-* Pag. 147.
nadius, ejusque ſucceſſores, priſtino more eccleſiaſtica negotia geſſerunt, omnesque Epiſcopi, qui Turcicæ dominationis jugum ſubierant, conſuetas, ut olim, celebrarunt Synodos. Vocatio tamen ad ejusmodi eccleſiaſticos conventus, quæ quondam ab Imperatoribus fiebat, a ſolis Patriarchis, aut, ubi ſedes vacabat, a clero Conſtantinopolitano, ſuſcepta eſt. Expoſitis hiſce omnibus, de decrementis ejusdem Patriarchatus verba facit
Rev. Autor. Ob incurſiones nimirum barbarorum, quæ ultra 152.
Propontidem Orientem verſus ſæpiſſime accidebant, eccleſiæ, Ponticæ quondam & Aſianæ dioeceſium, penitus interierunt. Nihilo melior etiam fuit occidui tractus, Thraciæ, Macedoniæ, Græciæ, vicinarumque illis eccleſiarum, conditio, atque Byzantini imperii imminutione & decremento, Patriarchatus etiam decrevit. Bulgari inſuper & Servii ſe Byzantini Pontificis inſpectioni ſubduxerunt. Ruſſia major & minor, quæ uni Principi Moſchorum parebat, perinde a Byzantinæ ſedis jurisdictione immunis evaſit. Ut vero ea, quæ de Conſtantinopolitano Patriarcha Rev. Autor dixerat, eo firmius pro-
baret, excerpta ex quibusdam ſcriptoribus Græcis, huc fa- 161.
cientia, appoſuit, & vitas Patriarcharum usque ad eum, qui
A. 1732 ſedit, quantum potuit, accuratiſſime enarravit. His 204 ſeq.
autem abſolutis, Orientis dioeceſes exponit. Primo loco de
Pontica agens, eam ideo hoc nominis tuliſſe, tradit, quod 351.
omni illa regione, quæ Pontus dicebatur, ad Euxinum mare poſita, finiretur. Ea vero a Bosphoro ad Colchos usque pertinebat, ubi Bithynia, Paphlagonia, Helenopontus, Polemoniacusque pontus, provinciæ numerabantur. Facta nova a *Conſtantino M.* orientalis imperii diviſione, Pontica dioeceſis inſtituta eſt, cui provinciæ Galatia, Bithynia, Cappadocia, Armenia minor, Pontus uterque, & Paphlagonia, aſſignatæ ſunt, & ad hanc civilem provinciarum partitionem eccleſiaſtica eſt compoſita. Inde de Cappadocia, ejusque metropo-
li Cæſarea, differit, &, quando religio Chriſtiana ibi introducta 353.
fuerit, exponit. Ponticæ, ut & Aſianæ, dioeceſeos mentio-

nem

nem primum feciſſe *Conſtantinum M.* comprobat. Pro variis etiam temporibus diverſam fuiſſe Ponticæ diœceſeos diviſio-
Pag. 355 seq. nem, demonſtrat, cum *Theodoreti* ævo undecim comprehenderet provincias, quæ tandem poſt tempora Concilii Chalcedonenſis, Cæſareenſi nequicquam refragante, Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubjectæ ſunt, ita ut *Gregorii Nazianzeni* tempore, prout ipſemet in carmine de vita ſua teſtis eſt, non niſi quinquaginta Chorepiſcopi, qui primi generis pagos admi-
366. niſtrabant, Cæſareenſi ſubeſſent. Cæſaream hodie non amplius exſtare, monſtrat, & in proximo loco aliam quandam, quæ *Tſaria* Turcis audit, exſtructam eſſe, in qua perpauci Chriſtiani comparent, vulgoque Conſtantinopoli moratur Archi-Epiſcopus. Præſulum jam Cæſareenſium catalogus ſequitur, qui a *Primiano*, quem primum loci iſtius Præſulem fuiſſe, ex *Gregorio Nyſſeno* comparet, ad recentiſſima usque tempora de-
368 ſeq. ductus, vitas horum Antiſtitum exhibet. Cumque etiam urbs, *Thermæ baſilicæ* dicta, & in Cappadocia prima ſita, in notitiis Epiſcopatuum Græciæ obvia ſit, ejus etiam loci Epiſco-
390. pos appoſuit. Excipiunt eos Epiſcopi Nyſſæ, Camulianorum, & Circiſii, de quibus etiam urbibus docte præfatus
.1 eſt. Immo, omnium hujus diœceſeos Præſulum vitas, maximo ſane labore deſcripſit. Catalogo hoc ſatis operoſo ad fi-
663. nem perducto, ad Aſianam diœceſin pedem promovit. Ejus Metropolin Epheſum quondam poſt Romanam, Alexandrinam, & Hieroſolymitanam ſedem, quintum obtinuiſſe locum, demonſtrare annititur. Eximiam autem Epheſinæ urbis præcellentiam, ejusque in varias Aſiæ provincias autoritatem, non ex hoc ſolummodo natam eſſe putat, quod *Johannes*, Apoſtolus & Evangeliſta, ſpecialem eccleſiæ iſtius curam regimenque in ſe ſuſceperit, ſed etiam, quod Apoſtolus gentium *Paulus*, qui eam primus fundaverat, & per integrum biennium inſtituerat, eam quoque minorum, quæ per regiones illas erectæ erant, eccleſiarum caput eſſe voluerit, ad cujus rei probatio-
664. nem locum ex *Actis Apoſtol. Cap. 19* excitat. Epheſum ſub primis Imperatoribus alterum præter Smyrnam Aſiæ lumen fuiſſe, *Plinius V, 29,* jam tradidit. Poſt Chriſtianæ religionis initia

Digitized by Google

initia Proconſulis Aſiæ ſedes fuit, & Aſiæ metropoleos inſtar habebatur. Ad diœceſin Aſianam quod attinet, *Onuphrius Panvinius*, qui imperium Romanum, uti ante *Conſtantini* tempora diſpoſitum erat, deſcripſit, Aſiano tractui Lydiam, Ioniam, Cariam, Myſiam majorem, Phrygiam, & Helleſpontum, aſſignat. Has tamen provincias in plures alias a *Conſtantino*, ejusque ſucceſſoribus, diviſas eſſe, Rev. Autor contendit, ita, ut ſub *Conſtantio*, ejusque filio, decem eſſent, ſub *Theodoſio* ſeniore undecim, imo duodecim ſub juniore. Harum regionum eccleſias Epheſinus gubernabat. Hoc ideo factum eſſe, Rev. Autor cenſet, quod *Paulus*, Epheſi per biennium agens, Aſiam omnem cœleſti doctrina imbuerit, quod bis feciſſe fertur *Act. XVIII*, *19*, & *XIX*, *1*, eoque poſtea ad alias provincias profecto, *Joannes* Apoſtolus, eandem in urbem veniens, ibique ad obitum usque commoratus, cunctas, ut *Hieronymus* loquitur, Aſiæ fundaverit eccleſias, easque Epheſini Præſulis diſpoſitioni reliquerit. Non igitur Epheſiorum duntaxat eccleſia, verum integra nationis Aſianæ inſpectio, ad eum pertinebat, prout loca *Chryſoſtomi* & *Palladii*, a Rev. Autore adducta, declarant. Quomodo autem poſtea Conſtantinopolitanæ ſedi omnes illæ eccleſiæ fuerint ſubjectæ, ſimiliter exponit. Cumque Cæſareenſis Præſul, prior Epheſino, Conſtantinopolitani Patriarchæ in ſe ſuamque diœceſin inſpectionem admiſerit; ea ipſa ratio videtur, cur apud Byzantinos Epheſinus Epiſcopus Cæſareenſi prælatus ſit, id quod ex imperii orientalis diſpoſitione, qualem notitia *Hieroclis* nobis exhibet, intelligitur. Pag. 667.
Ne tamen Epheſinæ ſedis dignitatem in totum depreſſiſſe viderentur Conſtantinopolitani Præſules, ejus metropolitæ *Exarchi* compellationem indiderunt, cujus nominis quænam ſignificatio et vis fuerit, ſuccincte declaratur. Hiſtoriam Epheſinæ eccleſiæ 668.
ad hodierna usque tempora Rev. Autor exhibet, & Epiſcoporum iſtius loci, ut & omnium Aſianæ diœceſeos, vitas ſubjungit. De Thracica diœceſi non tam multa, quam de aliis, dicenda ſuppetebant, cum rari ſcriptores apparerent, qui res illius tractus eccleſiaſticas, primi præſertim Chriſtianæ religionis ævi, narraverint. Quin imo, ex quo Byzantium, Conſtantinopolis factum,

 orien-

Digitized by Google

orientalis imperii caput evaſit, regiæ hujus urbis antiſtite, vicinarum, Thraciæque adeo, eccleſiarum ordinationem regimenque ſibi vindicante, priſcæ illarum gerendarum rationis veſtigia fere omnia ſenſim obliterata deletaque fuerunt. Quod ad Thracicæ diœceſeos ſtatum & adminiſtrationem civilem attinet, in diviſione imperii Romani, quam *Hadrianus* inſtituit, Thraciæ nomine deſignabatur tractus, ſex provinciis minoribus conſtans. Illæ erant Thracia, provincia Hæmimontis, Mœſia inferior, Scythia, Rhodope, & provincia Byzantium. Sub *Conſtantino* idem provinciarum numerus, ordine duntaxat, uniusque earum vocabulo immutato, ita, ut provincia Byzantium Europa audiret, retentus eſt, uti ex *Hieroclis* notitia Rev. Autor
Pag. 1096. oſtendit. *Severi* Imperatoris tempore Heracleam iſtius diœceſeos fuiſſe metropolin, locus *Ammiani Marcellini*, qui totus hic appoſitus eſt, declarat. Ejus loci Præſul Archiepiſcopi nomine inſignitus eſt. Poſt *Conſtantini* adhuc tempora Conſtantinopolitani Præſules ab Heracleenſibus ordinari ſueverunt. De ipſa autem Heraclea curatius diſſerens, ejus ſitum ex *Plinio* & *Diodoro Siculo* exponit. Quamobrem Heraclea dicta fuerit, & quo tempore hoc nominis tulerit, non ſatis liquere profitetur. Quodſi tamen conjecturis aliquid dandum, eam a *Maximiano Herculeo*, dum in illis partibus ageret, ita dictam eſſe,
1100. conjicit. More deinceps ſuo, omnium eccleſiarum et Præſulum Thracicæ diœceſeos catalogum exhibet, cui & Ruſſicæ
1257. atque Moſcoviticæ eccleſiæ deſcriptionem adjecit. Ad Illyricum orientale poſtea accedens, geographicam primo ejus notitiam ſuppeditat. Illyrici veteris partes regiones, verſus Orientem poſitæ, erant, Mœſia utraque, Macedonia, atque Theſſalia, id quod locus *Strabonis Lib. VII*, quem totum appoſuit, declarat. In nova imperii Romani diviſione, ab *Hadriano* facta, quam *Onuphrius Panvinius* in ſua imperii iſtius deſcriptione refert, quot provincias comprehenderit, etiam obſervat. Poſtremas tamen ſeptem ex illis in ditione Macedoniæ fuiſſe, idem monuit *Onuphrius*, quem hac in re *Sexti Ruſi*
T. II *Breviarium* exſcripſiſſe, Rev. Autor obſervat. Thraciam *Sextus*
pag. 1. pariter ac *Onuphrius* omiſit, quæ tamen Seculo Chriſti tertio Illyrici

Illyrici præfecto ſuberat. Quo ordine in præfecturæ Illyricianæ notitia iſtæ provinciæ fuerint recenſitæ, ſubjungit. Erat autem hæc præfectura inde a *Conſtantini* tempore in duos vicariatus, Macedoniæ et Daciæ, deſcripta. Antequam hoc modo divideretur, caput ejus & metropolis Sirmium fuit. Poſt *Attilæ* in Illyricum invaſionem, ſedem præfecti prætorio Theſſalonicam fuiſſe translatam, *Juſtinianus Novella XI* ſtatuit; quam tamen ſententiam falſam eſſe, & longe ante hæc tempora hoc accidiſſe, ex loco quodam *Theodoreti* Rev. Autor oſtendit. *Paulum* Apoſtolum religionem Chriſtianam per Illyricum prædicaſſe et diſſeminaſſe, ex *Rom. XV, 19*, probare ſatagit. Hunc ipſum quoque Apoſtolorum principem, Romam profectum, eccleſias illas, a ſe fundatas, Romanæ ſedi adminiſtrandas tradidiſſe, cenſet, variosque veterum locos in partes ſuas pertrahere laborat, immo ſubjectionis erga Pontificem Romanum veſtigia bene multa ſe inveniſſe putat, de quibus quid ſentiendum, ipſimet eruditi lectores judicent. Illyricum quidem, etiam Græcum, antiquitus ad Occidentem pertinuiſſe, *Socrates* & *Sozomenus* docuerunt. Theſſalonicenſem vero Præſulem non niſi ex delegata a Romano Antiſtite poteſtate jurisdictionem ſacram per Illyricum exercuiſſe, multis verbis commonſtrare annititur. Negare tamen non poteſt, Seculo quinto Conſtantinopolitanos Præſules hanc curiæ Romanæ arrogatam autoritatem deteſtatos eſſe, & *Theodoſium* juniorem ſanxiſſe, ut non niſi a novæ Romæ Epiſcopo de dubiis, per Illyricum exiſtentibus, judicaretur. Male habuit, uti facile eſt ad exiſtimandum, ea res Romanos, qui *Honorium*, cui Occidens parebat, ad literas ea de re ad *Theodoſium* dandas inſtigarunt, quas ipſas literas ex *Holſtenii Collectione Romana* integras appoſuit. Commotus his literis Imperator, conſtitutionem, quam fecerat, antiquavit, a quo tempore Romanus in quieta juris ſui per Illyricum poſſeſſione remanſit, ad cujus rei probationem quamplurima collegit Rev. Autor documenta. Poſt Concilii Chalcedonenſis celebrationem, Romanum adhuc Antiſtitem jura ſua in Illyricum conſervaſſe, contendit. Duraſſe hoc, ait, uſque ad *Leonis Iſauri* tempora, qui, ubi *Gre-*

Pag. 4.

12.

Digitized by Google

gorium primum & ſecundum, Romanos Pontifices, imaginum cultui deditos eſſe videret, regiones Illyrici orientalis, quæ ipſi parebant, ab Apoſtolicæ ſedis jurisdictione avulſerit, & Con-
Pag. 24. ſtantinopolitanæ attribuerit. Tandem etiam obſervat, Macedoniam dudum jam antea in duas abiiſſe partes, ac ſecundæ caput *Philippos* civitatem fuiſſe. Ceterum, non ſolum in notitia *Hieroclis*, cum ea diviſio nondum exſtaret, *Philippos* ſub Theſſalonica cenſeri, ſed etiam Epheſini Concilii temporibus introducta jam illa partitione, Philippenſem eccleſiam Theſſalonicenſi obnoxiam manſiſſe, dictitat. Paulo poſt vero, cum Bulgari, transmiſſo Danubio, multas Illyrici provincias occupaſſent, ac ſubinde tandem Chriſtianæ religioni nomen dediſſent, factum eſſe, ut Archiepiſcopo ipſorum Achridenſi omnes illæ regiones ſubditæ fuerint. Quin & de Macedonia atque Theſſalia, ut & de Thracica diœceſi, quamplurimæ civitates epiſcopales ditionis illius evaſerunt, illeque primarius Bulgariæ Præſul, excuſſo tum Romanorum, tum Byzantinorum, jugo, αὐτονομίαν ſibi vindicavit. Sequiori tamen ævo magna pars illarum urbium ad Byzantinum imperium rediit, ex quo *Baſilius* Imperator, vulgo *Bulgaricida* dictus, gentem illam Byzantinis graviſſimam delevit, & intra parvos limites coercuit. Hiſtoria deinde eccleſiarum & Præſulum Illyrici, ex more addita, illam tractationem claudit. Excipit eam Patriarchatus Alexandrini deſcriptio, de cujus metropoli, Alexandria, ut &
330. Ægypto, generatim quædam præmittit Rev. Autor. *Alexandriam* ab *Alexandro M.* fuiſſe conditam, tralatitium eſt. Situm ejus *Strabo Lib. XVII*, nec non *Ammianus Marcellinus XXII*, *16*, deſcripſerunt. Ab *Auguſto* Romanorum imperio adjecta Ægyptus, a præfecto Auguſtali adminiſtrata eſt, cum eam Auguſtorum & Cæſarum, non ſenatus Romani, nomine regeret. De hoc ipſo præfecto erudita multa ex Autoribus antiquis hac occaſione afferuntur. Ægyptum antiquitus in tres provincias fuiſſe diviſam, *Ammianus Marcellinus* narrat. Poſt *Marcellini* ætatem alia iterum facta eſt Ægyptiacæ, quam vocant, diœceſeos diviſio, ut ſubinde novem ejus numeratæ ſint provinciæ, a qua *Hieroclis* notitia, *Ammiano* recentior, in eo duntaxat

Digitized by Google

duntaxat recedit, quod ſecundam Ægyptum a prima non diſcernat, unicamque provinciam, Ægyptum dictam, recenſeat. Religionem Chriſtianam inde ab ejus primordiis ſtatim in Ægyptum & Alexandriam penetraſſe, Rev. Autor pro certo affirmat. Certe, ipſis Pentecoſtes ſolennitatibus, ubi Spiritus S. in Apoſtolos effuſus eſt, Chriſto nomen Hieroſolymis Judæos Ægypti & Cyrenaicæ dediſſe, ex D. *Luca Actis Apoſtolorum* diſcimus. Quod ad Cyrenaicam regionem ſpeciatim attinet, *Simonem* illum, qui Chriſti crucem portabat, ex illo loco oriundum, & *Alexandri* ac *Ruffi*, Chriſtianorum, patrem fuiſſe, ex *Marci* Evangelio comparet. Multa præter hæc alia documenta, quæ, religionem Chriſtianam primis ſtatim temporibus per dioeceſin Ægyptiam floruiſſe, evincunt, Rev. Autor affert. Extra Alexandriam, ad Nili partem Libycam, ſive occidentale littus, montem Nitriæ, in eoque Therapevtarum, de quibus *Philo de vita contemplativa* ſcripſit, domicilium fuiſſe, obſervat. Hos Therapevtas Chriſtianos fuiſſe, contendit. *Marcum* primum Alexandrinæ eccleſiæ paſtorem & Epiſcopum fuiſſe, ſtatuit. Eum vero *Petri* Apoſtoli nutu atque juſſu Chriſti religionem Ægyptiis tradidiſſe, negat, et locum *1 Petr. V, 13*, ad quem diſſentientes provocare ſolent, aliter capiendum eſſe, ita nempe, ut ibi per *Babylonem Roma* denotetur, exiſtimat. Secundum a Romana eccleſia locum tenuiſſe Alexandrinam ſedem, affirmat. Autoritatem etiam ejus Præſulis admodum fuiſſe inſignem, ſtatuit. *Athanaſium* enim, e Galliis ad eccleſiam ſuam redeuntem, per omnes Aſiæ & Orientis provincias Epiſcopos ordinaſſe, tanquam ſecundæ ſedis antiſtitem, quamvis hoc facinus ei ab adverſariis crimini verſum ſit. *Petrus II*, *Timothei* Alexandrini deceſſor & frater, *Gregorium Nazianzenum* Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, miſſis ad eum præſulatus inſignibus, præfecit, quæ Alexandrini præſulatus jura Canon 2 Concilii Conſtantinopolitani nequicquam labefactatum ivit. Aliquot annis poſt illam Synodum coactam, *Theophilus* Alexandrinus, *Joannem Chryſoſtomum* ſuis ipſe manibus conſecravit; quod certum argumentum fuit illius in eam ſedem poteſtatis, cujus rei varia adhuc alia ſpeci-

Pag. 331.
336.

 mina

Digitized by Google

mina afferuntur. Conſervaſſe illos Præſules hæc jura, uſque dum nonnulli eorum, a catholica fide deſciſcentes, hæretica alebant dogmata, ſtatuit, &, hoc facto, Pontificum Rom. decretis ſancitum eſſe, ut Byzantinus Patriarcha proximum a Romano Papa locum teneret, & Alexandrinus duntaxat tertium, lectoribus
Pag. 340. perſuadere laborat. Neutiquam vero ad normam diſpoſitionis imperii Romani Alexandrinam ſedem dignitate hac, & totius Ægypti adminiſtratione, ornatam fuiſſe, affirmat. Inferiorem enim inter imperii præfectos locum obtinebat Auguſtalis Ægypti. Inſuper, cum Ægyptus omnis ab Imperatore regeretur, atque provincia Cyrenaica a ſenatu Romano per Cretæ inſulæ procuratorem adminiſtraretur, utramque nihilo minus provinciam Alexandrinus Epiſcopus eccleſiaſtica jurisdictione ſua continebat. Falſum proinde exiſtimat, priſcis illis temporibus in Oriente & per Romanum orbem ad formam ſecularis ſtatus eccleſiarum ordinem & diſtributionem fuiſſe compoſitam. Certe, talem conformationem non prius, quam Concilio generali ſecundo A. C. 381 celebrato, accidiſſe, ei videtur certiſſimum. Regionem Cyrenaicam, Lybiam utramque, præter Ægyptum omnem, Alexandrino Præſuli obnoxiam fuiſſe, affirmat, &, hoc ideo factum eſſe, cenſet, quod S. *Marcus*, Alexandriam profectus, curam earum geſſerit. Quomodo ille ipſe D. *Marcus* res eccleſiarum per illas regiones ordinaverit, ex Actis Sanctorum, variisque veterum monumentis, Rev. Autor
349. docet. Quomodo Alexandrinus Patriarcha eligi conſueverit, exponit, atque, a ſolo clero Alexandrinæ urbis talem electio-
352. nem factam eſſe, contendit. Quanta fuerit Presbyterorum in illa urbe autoritas, exponit. Solum vero Alexandrinum Præſulem metropolitico jure per Ægyptum eſſe uſum, demonſtrat.
356. Ejus autoritatem etiam in civilibus maximam fuiſſe, ſtatuit,
360. quam tamen poſtea Alexandrinæ eccleſiæ noxiam & exitialem exſtitiſſe, obſervat. Varius etenim fuit hujus eccleſiæ pro variis temporibus ſtatus. Orthodoxæ doctrinæ, quam D. *Marcus* ſuggeſſerat, tenaciſſima fuit, uſque ad *Timothei Æluri* præſulatum, quippe a quo tempore Monophyſitarum ſucceſſio perſeveravit continua, nec niſi *Juſtiniano I* imperium tenente

ortho-

Digitized by Google

orthodoxus Patriarcha Alexandriæ ſedere cœpit, promoto nimirum *Paulo*, ex Tabennenſium monaſterio, cui ſex alii ſucceſſere, ad *Cyrum* uſque, qui, Monophyſitas ſecum conciliandi vana ſpe deluſus, Monotheliticum errorem in Ægyptum induxit, quem ejus ſucceſſor, *Petrus*, mordicus quoque tenuit. Is, deceſſoris exemplum ſecutus, Conſtantinopolin ſeceſſit, utpote Saracenis, qui Ægypti provincias omnes occupaverant, ſuſpectus. Hi Jacobitis, qui Byzantinis Imperatoribus infenſiſſimi erant, cunctas Alexandriæ eccleſias, exceptis duntaxat paucis minoribus, tradiderunt, immo etiam prohibuerunt, ne, qui Melchitæ audiebant, & catholicam Chalcedonenſis Synodi fidem amplectebantur, Patriarcham eligerent. *Athanaſio* ſedem Alexandrinam tenente, in Abyſſinos etiam, S. *Frumentii* beneficio ad ſacra Chriſtiana perductos, ejus poteſtatem protenſam fuiſſe, obſervat. De Homeritarum quoque, aliarumque gentium, Ægypto vicinarum, ad Chriſtum converſione varia adjungit. Palæſtinam, Cyprum, & Africam, Alexandrinæ ſedi obnoxiam olim fuiſſe, negat, & diſſentientes erudite convellit. Alexandrini Patriarchæ jura ſingularia & prærogativas, quas nondum recenſuerat, adſtruit. Hac etiam occaſione data, de ſchola illa Alexandrina diſputat, & fragmentum *Philippi Sidetæ*, quod *Dodwellus* jam evulgavit, cum eruditis annotationibus integrum Græce & Latine cum lectoribus communicat. Tandem accuratam Patriarcharum iſtius loci notitiam, quam eccleſiarum atque Præſulum univerſi iſtius tractus longa deſcriptio comitatur, adjungit. Antiochenus Patriarchatus ab Antiochia urbe nomen ſortitus eſt. Ut hæc civitas ab aliis, idem nomen habentibus, diſcerneretur, vel ab Oronte fluvio, cui adjacet, vel a vicina ſylva, Daphne dicta, cognominari conſuevit. Inter præcipuas orbis civitates eam olim fuiſſe numeratam, loca veterum, a Rev. Autore adducta, declarant. Conditorem ejus *Seleucum Nicatorem* fuiſſe, qui eam ex *Antiochi* patris nomine Antiochiam vocavit, & campos vicinos (*Daphnen* ſcilicet) *Apollini* conſecravit, *Juſtinus* autor eſt. Alia quamplurima adhuc notatu digna ex *Strabone*, aliisque ſcriptoribus antiquis, de Antiochia profert in medium

Pag. 365. 378. 383. 669.

Digitized by Google

medium Rev. Autor. Cum *Pompejus*, Romani exercitus per Syriam imperator, illam regionem in provinciæ formam redigeret, Antiochiæ tamen αὐτονομίαν conceſſit, quod privilegium poſtea *Julius Cæſar*, *Pompejo* devicto, confirmavit. Ex inſigni Judæorum multitudine, quæ illam urbem incolebat, quamplurimi ſub ipſis eccleſiæ initiis Chriſtiana ſacra amplexi ſunt. *Petrum*, *Paulum*, atque *Barnabam*, Evangelium de
Pag. 672. Chriſto illis in locis prædicaſſe, Rev. Autor fuſe declarat, quin imo, *Petrum* primum Antiochiæ Epiſcopum fuiſſe, evincere laborat. Chriſtianam religionem maxima tunc temporis in hoc loco cepiſſe incrementa, affirmat, quamvis eos, qui, *Ignatii* tempore ducenta millia Chriſtianorum ibi exſtitiſſe, dictitant, confutet. Antiochia tertium inter Patriarchas Orientis locum obtinebat, quamvis ſæpe jura illa ab aliis violarentur.
677. Curabat Antiochenus Præſul Syriam omnem, Phœnicen, atque Ciliciam, uti vel ex Concilii Hieroſolymitani, quod ab Apoſtolis celebratum eſt, epiſtola compertum fit. Ciliciam Antiochenæ eccleſiæ plane non ideo ſubjectam fuiſſe, quod ea provincia ſub præfecti Syriæ diſpoſitione fuerit, Rev. Autor cenſet, ſed quod, cum *Paulus* Tarſi, in patria ſua, Ciliciæ metropoli, multos ad Chriſtianam fidem perduxiſſet, deindeque Antiochiam reverſus, hac in urbe diutiſſime verſatus eſſet, fideles Ciliciæ, Apoſtolis Antiochenæ eccleſiæ, quibus quidem valde abundabat, utpote vicinos, tradiderit. Præter haſce provincias, Syriam nempe omnem, Phœnicen maritimam & mediterraneam, atque Ciliciam, Arabiam quoque, Meſopotamiam, & Iſauriam, ad hunc Patriarchatum ſpectaſſe, contendit. Cyprum etiam ſibi Antiocheni quondam vindicarunt, quæ tamen poſthac libera & ſui juris declarata eſt. An etiam in Perſidem, ubi Chriſtiani quamplurimi fuerunt, jus aliquod Antiochenis competierit, cum admodum obſcurum ſit, in ſuſpenſo Rev. Autor relinquit. In Iberiam ſibi nonnullam jurisdictionem vindicaſſe eos, ex *Balſamonis* quodam loco oſtendit.
686. Palæſtinam omnem Antiochenæ ſedis diſpoſitioni ſubfuiſſe, nonnulli ſtatuerunt. Quod falſum eſſe, & nullo fundamento niti, oſtendit. Antiocheni autem Patriarchæ in eccleſias,

cleſias, ſuæ ditioni ſubjectas, non eadem fuit, atque Alexandrini, poteſtas. Ad Alexandriæ enim antiſtitem omnes & ſingulæ diœceſeos ſuæ ordinationes ſpectabant, cum contra Antiocheni Patriarchæ ditio, uti confertiſſimis provinciis conſtabat quamplurimis, ita ſinguli metropolitæ ſingulis præerant, qui, cum eſſent ab Antiocheno Archiepiſcopo ordinati, ſubjectarum ſibi civitatum Epiſcopos conſecrabant. Poſt tempora tamen Epheſini Concilii, Antiochenos etiam Præſules, in fraudem metropolitanorum, Epiſcopos in provinciis ordinaſſe, *Joannis Antiocheni* exemplo Rev. Autor docet, &, illud ideo Pag. 689.
factum eſſe, quia metropolitani partium *Neſtorianarum* ſtudioſiores erant, inculcat. Inter alios antiſtitis Antiocheni ſingulares honores numerari meretur, quod κατ' ἐξοχὴν Patriarcha fuerit dictus, uti ex loco *Balſamonis* docetur. Et, quamvis *Theodoretus*, aliique ditionis Antiochenæ Præſules, nunquam Patriarchæ, ſed Archiepiſcopi ſemper, nomine eum inſigniverint, in ſcriptis tamen atque monumentis, Seculo VI confectis, illum perinde, ac Hieroſolymitanum, Patriarcham dici, in propatulo eſt. De calamitatibus, quas eccleſia Antiochena quondam perpeſſa eſt, quædam adjecit Rev. Autor. Tyrum a Romanis 691.
Pontificibus Antiocheno antiſtiti ereptam, & Hieroſolymitano Patriarchatui addictam, fuiſſe, eo tempore, quo Franci Palæſtinam occupaverant, docet. Tyrum etiam Hieroſolymitanæ 696.
diœceſeos metropolin deinceps evaſiſſe, ex *Wilhelmo Tyrio* oſtendit. Antiochiæ Patriarchas pallium à Romanis Pontificibus accepiſſe, ubi a Latinis ea urbs capta eſſet, declarat. Hodiernum iſtius eccleſiæ ſtatum ex *Martini Cruſii Turco-* 697.
Græcia depingit, &, Antiochiam hodie fere totam vaſtatam eſſe, exceptis quibusdam pagis, inter quos unus Chriſtianorum eſt, obſervat. Patriarcham Damaſci ſedere, monet. Cumque Epiſcopi Syriæ alii ſedi Romanæ addicti ſint, alii nequaquam, hinc factum eſſe cenſet, ut, quem Romanæ communionis ſocii eligi curaverant, a ſchismaticis Damaſco ſecedere, atque Halepum ſe recipere, coactus fuerit, cum illi alterum habeant, qui Damaſci commoratur. Patriarcharum Antiochenorum deinceps notitiam ſubjungit, eaque ad finem perducta, de 699.
omnibus

Digitized by Google

Pag. 649. omnibus reliquis iſtius dioeceſeos eccleſiis, nec non de Epi-
777 ſeq. ſcopis, qui ibi floruerunt, diſſerit, atque etiam de Cypri eccleſia, ejusque Præſulibus, quos olim Antiocheni jurisdictioni ſuæ ſubjicere, quamvis nequicquam, ſtuduerunt, verba facit.

1038. Sedis Antiochenæ veluti appendicem fuiſſe Chaldæorum dioeceſin, obſervat, quippe cujus ſedis olim ordinationi primates illius ſeſe obnoxios ultro profitebantur. Dioeceſis *Chaldæorum* ideo nominata eſt, quod in regione Chaldæorum & Babylonia primordia illius fuerunt, ubi & primaria numeroſæ hujus eccleſiæ ſedes conſtituta eſt. Chriſtianæ religionis ſemina in illis locis *Thaddæum*, ejusque ſocios, *Marim* & *Achim*, quos ambos Chaldaicæ eccleſiæ Apoſtolorum appellatione donaverunt Chriſtiani, ſparſiſſe, contendit. Chriſti cultum poſthac eſſe auctum, cum Reges Perſidis, Romanorum arvis Antiochiam usque vaſtatis, complures inde Chriſtianos captivos in Perſiam abduxiſſent, iique per varias iſtius regni provincias diſperſi, gentes illas verum Dei colendi ritum docuiſſent, ex ſcriptoribus antiquis pateſcere oſtendit. Primos in illis regionibus Præſules Antiochiæ ordinatos fuiſſe, obſervat. Non tamen diu hic mos perſeveravit. Cum enim *Abud-Aborvia* quidam ea in urbe ordinatus fuiſſet, *Demetrius*, ſive *Demetrianus*, Antiochenus Præſul, apud Romanum Syriæ Præfectum delatus fuit ut reipublicæ proditor. *Abad-Abovia* quidem ſaluti ſuæ fuga conſuluit, ſed, ne Chriſtiani amplius ejusmodi calumniam tolerarent, ab Epiſcopis Antiochenæ dioeceſeos indultum eſt, ut Seleucienſis antiſtes in poſterum apud ſuos ordinaretur, remotioresque orientalis tractus eccleſias Antiocheni Pontificis vice curaret. Propter quam delegationem Catholicum eum vocatum eſſe, quæ vox procuratorem generalem ſignificat, obſervat. Seleuciæ Præſules *Archiepiſcopi* a *Sozomeno* dicti ſunt, quæ quidem compellatio quarto quintoque Seculis, illis duntaxat, quorum ſollicitudini ac regimini commiſſæ plurimarum regionum eccleſiæ erant, tribuebatur. Perſidis univerſæ eccleſias Antiochenæ ſedi, tanquam Orientis totius primariæ, fuiſſe obnoxias, Rev. Autor probare annititur. Seleuciæ & Cteſiphontis ſigillatim

Digitized by Google

ſtatim antiſtites αὐτοκεφάλυς & ſui juris ab initio non fuiſſe, vel ex eorum compellatione, quando catholici conſtanter dicti ſunt, colligi poſſe, exiſtimat. In more autem fuiſſe apud illas gentes, ut metropolitæ ibi ex ipſarum indigenis non eligerentur, ſed in illo loco, ubi Catholicus ſedebat, conſecrati, ad illas mitterentur, obſervat. In quibusdam illarum regionum unus duntaxat Epiſcopus erat, ipſe ſcilicet metropolita. Propter Chriſtianorum Præſulum paucitatem, cum illi eccleſias, ſibi creditas, rariſſime inviſerent, ne religio hoc pacto apud illas gentes obſoleſceret, moribus invaluiſſe, Rev. Autor obſervat, ut ad Diaconatus, nec non ſacerdotii gradum, cujus- Pag. 1089. libet ætatis homines, immo pueri etiam, admoverentur, quamvis ante annum ætatis vigeſimum eis, officiis ſacris fungi, haud liceret. Hinc etiam factum eſſe contendit, ut Chriſtiani Principes atque Reges ſacerdotio initiarentur, quem morem hodienum apud Malabaricos Chriſtianos vigere, Luſitani, qui inter eos verſati ſunt, declarant. De diſciplina, in illis eccleſiis recepta, deinceps agit, eamque ſæpe mutatam eſſe obſervat. Connubia Clericorum ibi fuiſſe licita, tradit. Ritus electionis & ordinationis Catholicorum depingit, eorumque in ſubditos poteſtatem enarrat. Diœceſeos Chaldæorum quasdam notitias haberi quidem, profitetur, eas tamen veterem 1092. ejus amplitudinem, vel integrum ſedium ejus numerum, non ſatis referre, queritur. Proinde ex earum monumentis, quæ Rev. Autori delibare contigit, præter duas, quas doctiſſimus *Aſſemannus*, Maronita, ipſi ſuppeditavit, longiorem alteram ſe exhibiturum eſſe, ſpondet, etſi omnibus numeris nondum abſolutam. Caput diœceſeos Chaldæorum Seleucia fuit, quæ, quoniam proxima Cteſiphonti erat, in unam urbem cum ipſa coaluit, quam, cum Caliphæ Arabes obtinuiſſent, *Al-Modain* vocitarunt, qua voce duæ urbes ſignificantur. Babylone ſcilicet vaſtata, *Seleucus Nicator* ex illius ruderibus in confluente Euphratis, quem foſſa deduxerat, & Tigritis, civitatem ampliſſimam condidit, deque ſuo nomine Seleuciam appellavit. Cumque ea urbs ad occidentale Tigritis latus poſita eſſet, ad orientale paulo infra ſtabat urbs altera

 Cteſiphon,

Digitized by Google

Cteſiphon, quæ poſtea cum Seleucia ita unita eſt, ut una urbs haberetur. Ubi autem deinceps *Almanſor*, de Abbaſidarum genere Chalifa, urbem alteram haud procul ædificans, Bagdadam nominavit, Seleuciam dein dirui curavit. In hanc noviter conditam urbem Chaldæorum Catholicus, exſtructo ibidem monaſterio, tranſiit. Indiviſam manſiſſe illam dioeceſin usque ad Seculi decimi ſexti medium, obſervat. Eo autem tempore partem ejus, catholica fide ſuſcepta, ſe Pontifici *Julio*
Pag.1095. *III* ſubjeciſſe, pronuntiat. Quod qua occaſione factum ſit, & quinam Catholici Romæ a Papa ordinati fuerint, fuſe ediſſerit. Reliqua pars dioeceſeos *Neſtorianis* erroribus infecta erat, quæque eorum hodie fata ſint, Rev. Autor enarrat. Scripturam S. & quidem veteris Inſtrumenti libros, a *Thaddæo* in Syriacam linguam converſos, eos accepiſſe, & ea verſione adhuc hodie uti, aſſeverat. Tandem catalogum & vitas Catholicorum ma-
1101. gnæ Seleuciæ adjungit. Quem enarratio Præſulum iſtarum provinciarum, qui Seleucienſi Catholico ſuberant, excipit.
1163. De Jacobitarum etiam dioeceſi, hac occaſione data, diſſerit. Non quidem horum hominum Eccleſia orientalis dioeceſeos appendix fuit, ſed hæreticorum ſecta, quorum Epiſcopi primarium ſibi antiſtitem præſtituerunt, atque Antiocheni Patriarchæ titulo honorarunt. Proſcripto nimirum in Concilio Epheſino priori errore, *Neſtorianarum* nonnulli, in alterum extremum prolapſi, unicam duntaxat in Chriſto naturam eſſe, ſomniarunt. Quorum imbutus errore *Eutyches*, Conſtantinopolitani monaſterii præfectus, eo usque progreſſus eſt, ut Chriſtum Deo patri quidem conſubſtantialem profiteretur, at non item matri, & nobis, ac ſi ſola divinitas, & neutiquam humanitas, ejus natura eſſet. Ex quo errore quantæ turbæ
1344. in Eccleſia natæ ſint, erudite Rev. Autor exponit. Inter præcipuos autem iſtius aſſeclas *Severus* fuit, monachus, acephalorum Ægypti quondam anteſignanus, qui *Anaſtaſii* juſſu Antiochenam ſedem *Flaviano III*, legitimo Patriarchæ, eripuit, qui tamen poſtea, ubi *Juſtinus*, orthodoxus Princeps, poſt *Anaſtaſii* fata ſummam rerum adeptus erat, pœnas graviſſimas veritus, in Ægyptum fugit, ibique latuit. *Severi* ſectator

Digitized by Google

ſectator & diſcipulus præcipuus, *Jacobus* quidam fuit, natione Syrus, cœnobii Phaſiltæ prope Niſibin monachus. Is cum omnes Orientis plagas circumcurſaret, factum eſt, ut hæretici illi ab orthodoxis *Jacobitarum* nomine inſignirentur. *Jacobum* illum Edeſſenæ Eccleſiæ Epiſcopum dederat *Severus*, Cum autem ab illo loco abeſſe Imperatorum edictis cogeretur, œcumenicum Archiepiſcopum agens, paſſim alios ſui generis, Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos, aliosque miniſtros, ordinavit. *Severo* Alexandriæ, ubi delituerat, exſtincto, ei *Sergium* quendam ſucceſſorem dedit, & conſecravit, qui titulo Patriarchæ uſus eſt, & a quo Jacobitarum Patriarcharum ſeries ad hunc usque diem propagata, perſeverat. Cum autem iſti Patriarchæ Antiochiæ per interdicta Imperatorum morari non poſſent, Amidæ, quæ urbs hodie *Diarbechir* audit, ſederunt. Italiæ tamen in monaſterio Zapharenſi, ſive S. *Ananiæ*, haud procul ab urbe *Marde* eos utplurimum morari, Rev. Autor monet. Epiſcopatus, hiſce Patriarchis ſubjectos, non quidem ſigillatim recenſuit; monuit tamen, omnes, quotquot a Meſopotamia & Oſroene, Occidentem verſus, per omnem Syriam & Ciliciam ſedebant, illis ſubfuiſſe. Ubi ſtatum eccleſiaſticum Jacobitarum omnem accuratiſſime delineaverat, vitas etiam horum ipſorum Patriarcharum usque ad illum, qui A. 1721 ſedit, nec non reliquorum iſtius ſectæ metropolitanorum, more ſuo ſubjungit, & nonnulla, quæ adhuc ſupererant, notatu digna, circa Epiſcopos Jacobitas addit. Excipiunt illos *Maronitæ de monte Libano*, qui Syriam mari mediterraneo conterminam incolunt. Varii Autores varios illis errores attribuerunt, diverſaque eorum converſionis tempora ſtatuerunt. Monophyſitarum & monotheliſmi errores eos foviſſe, nonnulli, a Rev. Autore citati, exiſtimarunt. Nomen Maronitarum hiſce hominibus hæſiſſe a S. *Marone*, Abbate, *Chryſoſtomi* coævo, ex *Fauſti Naironi Diſſertatione de origine Maronitarum* oſtendit. Multa notatu digna, dummodo non fabuloſa ſint, de hoc S. *Marone* profert in medium. Maronitarum vocabulum hæreticos non denotaſſe, *Aſſemanno* duce affirmat. Seculo ſeptimo, & initio ſequentis, *Joannem* quendam, monachum

Pag. 1348. | 1357 ſeq. | T. III pag. 1. | 4.

 nachum

Digitized by Google

nachum cœnobii S. *Maronis*, qui & ideo S. *Maro* dicebatur,
floruiſſe, obſervat. Illum *Joannem*, ex caſtello Sirimi,
quod in territorio Antiocheno ſitum eſt, oriundum, & in S.
Maronis monaſterio ſumma ſanctitatis laude florentem, conti-
nuo adiiſſe Francos, qui etiam *Latini* ſcriptoribus nonnullis
audiunt, &, uti notum eſt, inde ab *Hieronymi* ævo in Syria
& Palæſtina domicilium fixerunt, dictitat. Illos igitur Lati-
nos, Antiochiæ commorantes, Romanæ ſedis Cardinali legato
Joannem præſentaſſe, eumque poſtea Botrenſem, Phœnices
regionis Epiſcopum creatum fuiſſe, ut Libaniotas in Romana
fide retineret, affirmat, eamque rem, adducta inſigni teſtimo-
Pag. 7. niorum copia, comprobare annititur. De S. *Maronis* ſcriptis,
tam genuinis, quam quæ falſo ſub ejus nomine circumfe-
17. runtur, fuſe etiam diſputat. A Monotheliſmi labe, Ma-
ronitis impacta, eos abſolvit, orthodoxis eos accenſet,
& argumenta, ab aliis in contrarium prolata, operoſiſſi-
me diſcutit. Diſciplinam & ritus eccleſiaſticos eorum
recenſet, ipſorumque horum Patriarcharum ac Præſulum
49. vitas tandem ſubjungit. Ad Hieroſolymitanum deinceps
Patriarchatum accedens, ejus metropolin, *Hieroſolyma*, cete-
ras Eccleſias per Palæſtinam omnes ob loci ſanctitatem ſibi
101. ſubjectas habuiſſe, obſervat, quamvis Chriſtiani vulgo apud
Judæos *Nazaræi* a Chriſti patria dicerentur. Everſis Hiero-
ſolymis, eorum etiam eccleſia alio demigravit. Occiſo nimi-
rum pro Chriſti nomine a Judæis *Jacobo* minore, primo Hie-
roſolymorum Epiſcopo, cum tota natio adverſus Romanos
arma ſumeret, conjicientes Chriſtiani, illius urbis obſidionem
inſtare, in montana trans Jordanem cum *Simone*, ſuo Præſule,
qui *Jacobo* ſucceſſerat, ſe contulerunt. Dirutis tandem Hiero-
ſolymis, & ſuper illorum rudera, uti Rev. Autor, neſcimus ta-
men, quo fundamento, ſtatuit, ducto aratro, Chriſtianorum
cœtus in Peræa regione, ac Pellæ præſertim, conſtitit. Prio-
res quindecim ejus loci Epiſcopi natione Hebræi fuerunt,
quoniam ex Hebræis ſolis, ad Chriſtum converſis, Eccleſia il-
la eo uſque coaluerat. Certe, ubi ab Imperatore *Hadriano*
nova urbs, *Ælia*, in Hieroſolymorum locum exſtructa eſt,
trede-

Digitized by Google

tredecim poſt *Simonem* Epiſcopos ibi ſediſſe, ex *Euſebio* &
Epiphanio conſtat, quos ἐκ περιτομῆς, id eſt, non tantum ge-
nere, ſed & vivendi ratione, quippe qui legum *Moſaicarum*
quarundam, & inprimis circumciſionis, ſe tenaces præbebant,
fuiſſe, iidem ſcriptores affirmant. In hac autem Epiſcopo-
rum ſucceſſione definienda, dubia quædam occurrunt, quæ
Rev. Autor non intacta prætermiſit. Judæos, qui fidem Chri- pag. 103.
ſtianam amplexi erant, poſt Hieroſolymorum interitum eo re-
verſos eſſe, rudera dirutæ urbis incoluiſſe, ibique vitæ ſancti-
monia ita inclaruiſſe, ut inde motus *Aquilas* Ponticus, Chri-
ſtianæ religioni nomen dederit, *Epiphanius* tradidit. Quæ
Epiphanii narratio quamvis quibusdam non arrideat; eam ta-
men Rev. Autor, variis argumentis in medium prolatis, re-
ſpuendam non eſſe, conſtituit. Judæos civitatem novam 105.
juxta Hieroſolymorum rudera exſtruxiſſe, poſtea ab *Hadria-
no* everſam, contra *Scaligerum* evincit. De originibus etiam
Æliæ Capitolinæ, quam *Hadrianus* exſtrui curavit, hac data
occaſione, erudita multa affert. Eam urbem a Judæis & Chri-
ſtianis Hieroſolyma dictam fuiſſe, ſtatuit, immo promiſcue
ſæpius & Æliam, & Hieroſolyma, dici, acta Synodi Hieroſo-
lymitanæ, A. 536 habitæ, evincunt. Cum autem ea urbs ab
initio a gentilibus ſolis incoleretur, Judæis penitus ab illa exu-
lare juſſis, ad Chriſtiana ſacra a paganiſmo converſi, Epiſco-
pum, *Marcum* nomine, ſibi elegerunt, qui adeo primus fuit
Æliæ Præſul, ab illis, qui Judæorum converſorum curam ge-
rebant, & aliunde commigrarant, diverſiſſimus, Judæis, qui
eccleſiam ſpecialem Hieroſolymorum antea compoſuerant,
horum deinceps gubernationi ſeſe ſubjicientibus. Poſt Hie-
roſolymorum interitum, *Cæſarea*, quæ antea *turris Stratonis*
dicebatur, Judææ & Palæſtinæ metropolis facta eſt. Per qua-
tuor fere Secula Ælienſes Cæſareenſibus paruerunt, quamvis,
ob loci creditam ſanctitatem, quibusdam præ illis juribus
gauderent. Antiochenis Patriarchis Palæſtinam paruiſſe, uti
Hieronymo viſum eſt, Rev. Autor negat, Cæſareenſem me-
tropolitam ab Ælienſi antiſtite ordinari conſueviſſe, obſervans.
Quanta fuerit erga hanc ſedem veneratio, multis exemplis 108.
oſtendit,

Digitized by Google

oſtendit, eamque rem anſam præbuiſſe, ut de primatu cum
Pag. 109. Cæſareenſi Metropolita contenderet Ælienſis, obſervat. *Juvenalis* inde primus omnem dedit operam, ut, poſthabita Cæſareenſis jurisdictione, ſedis ſuæ autoritatem amplificaret, brevique univerſam Palæſtinam ſibi ſubjecit. Qua ratione votorum compos evaſerit, in communi ſcriptorum ſilentio haud facile explicare liceat. Inſita ſane plurimorum mentibus opinio, Æliam ſedem vere Apoſtolicam eſſe, quia urbi Hieroſolymitanæ ſucceſſerit, *Juvenali* permultum profuit. Rationi enim conſentaneum videbatur, jura antiquioris eccleſiæ in Æliam transfundi, quam, non ut civitatem de novo exſtructam, ſed ut veterem reſtitutam, ſpectabant. Summam igitur autoritatem Ælienſis antiſtitis erudite & ample Rev. Autor exponit, atque turbas, quæ ideo per eccleſiam exortæ ſunt, recenſet.
112 ſeq. Territorium, Patriarchatui Hieroſolymitano ſubditum, Palæſtina nuncupabatur. Ejus terminos, *Carolo a S. Paulo* duce, Rev.
117. Autor definit. Ante *Theodoſii* imperium in duas iſte tractus provincias jamjam erat diviſus, poſtea in tres abiit, & unicuique ſua metropolis aſſignata eſt, ſcilicet Cæſarea primæ, Scythopolis ſecundæ, ac Petra tertiæ. De Palæſtinæ antiqua diviſione & ſtatu erudita multa in medium profert, & hac occaſione de ejus urbe præcipua, Hieroſolymis, pariter, ac de Ælia Capitolina, in ejus locum exſtructa, diſputat, multosque nummos coloniæ hujus Ælienſis adducit. Ordinem civitatum & regionum, quem tres Palæſtinæ, prout ſedi patriarchali Hieruſalem ſuberant, ſervarunt, a priori Palæſtinæ diviſione di-
126. verſum, diligentiſſime exponit. Epiſcopos Hieroſolymitanos nullis, vel pauciſſimis, exceptis, fidei catholicæ tenaces fuiſſe, uſque ad ſchisma illud, quo orientales a ſede Romana diviſi
127. ſunt, aſſeverat. Patriarcham Hieroſolymitanum non ſolum in Epiſcopos Palæſtinarum, ſed & in ipſos cœnobiorum monachos, immediatam jurisdictionem exercuiſſe, Rev. Autori perſuaſum eſt. Seriem etiam Patriarcharum conſtituere laborat,
129. quamvis, eam multis tenebris involutam eſſe, queratur. Cum omnem hiſtoriam hujus Patriarchatus operoſiſſime expoſuiſſet,
137. vitas etiam horum Præſulum more ſuo addit, & prius varia adhuc

Digitized by Google

adhuc de Hieroſolymis atque Ælia, quæ ſuperius prætermiſſa erant, hic loci ſupplet. Præſules etiam Palæſtinæ omnes eadem ratione recenſet, tandemque de eccleſiis minus notis, vel recentius additis, nonnulla diſputat. Cum autem inde a Seculi XI exitu, & deinceps per aliquot Secula, occaſione bellorum ſacrorum, Patriarchæ Latini ritus variis Orientis eccleſiis præfuerint; de illis etiam data opera diſputavit Rev. Autor. Patriarchæ nimirum Latini ritus in Orientis partibus, poſt expugnatam a Francis A. 1098 Antiochiam, creari cœperunt. Præerat tunc temporis huic eccleſiæ *Joannes III*, Græci ritus Patriarcha, qui, cum Latinorum mores & cerimoniæ ipſi non arriderent, eam ſedem intra biennium reliquit, & Conſtantinopolin ſeceſſit. Ipſi igitur Principes, expeditionis cruciatæ autores, Latinum Patriarcham in ejus locum ſuffecerunt, quod item & Hieroſolymis, Conſtantinopoli, multisque aliis in locis, eandem ob cauſam factitatum eſt. Non autem eadem fuit ſub Latinis eccleſiarum diſpoſitio in Patriarchatibus Antiocheno & Hieroſolymitano, quæ antea ſub Græcis obtinuerat. Ab antiquo enim Tyrus, cum omni Phœnice prima, cujus hæc metropolis erat, Antiochenæ diœceſeos prima ſedes numerabatur. At, ubi hæc a *Balduino II*, Hieroſolymorum Rege, Venetæ claſſis auxilio Latinis ceſſit, Hieroſolymitanæ ſedi eſt ſubdita, *Innocentio II* Pontifice ea conditione aſſenſum præbente, uti tres Epiſcopatus, Byblus nempe, Anteradus, & Tripolis Syriæ, Antiocheno Patriarchæ & in poſterum manerent ſubjectæ. Conſtantinopoli A. 1204 a cruce ſignatis capta, Latini ſui ritus Patriarchatum ibi conſtituerunt, cujus juriſdictioni, regionum, quæ tunc eorum armis ſubactæ fuerunt, eccleſiæ aſſignatæ ſunt, exceptis duntaxat illis, quæ antea non fuerant ſedi Conſtantinopolitanæ ſubjectæ, & quas Rev. Autor ex Chronico *Alberici* exhibet. Duravit hæc Latini Patriarchæ juriſdictio ad annum uſque 1261, quo *Michael Palæologus* regiam hanc urbem recuperavit. Achajam vero, Peloponneſum, & inſulas Ægæi maris, Latini nihilo ſecius uſque ad *Tamerlani* tempora retinuerunt. Jura horum Patriarcharum multo minora fuiſſe, quam olim Græcorum

Pag. 529. 774. 785. 788.

Rr fuerant,

fuerant, oſtendit. Pallium a Pontifice Romano petere tenebantur. Præcipuum eorum jus in eo conſiſtebat, ut ſuarum diœceſium Metropolitanos & Archiepiſcopos ordinarent, & pallio donarent, accepto prius ab illis ſacramento, quo ſponderent, non Patriarchæ duntaxat ſuo, ſed Romanæ inprimis ſedi, ſe futuros obedientes. Epiſcoporum adeo & Metropolitanorum electio ad eccleſiarum capitula de priſco jure ſpectabat, cum contra confirmandi & conſecrandi eos poteſtas Metropolitanis eſſet propria. Duravit hæc conſuetudo, quamdiu Patriarchæ ſinguli ſuarum regionum eccleſias reliquiasque tenuerunt. Poſt Syriam atque Palæſtinam Turcorum armis ſubactam, atque Latinos ejectos, Antiochenæ atque Hieroſolymitanæ eccleſiæ Canonicos Latini ritus alio ſe recepiſſe, atque, ut apparet, in inſula Cypro conſediſſe, Patriarcharum ejusdem ritus, qui nuper occubuerant, ſucceſſores more priſtino eligentes, Rev. Autor monet. *Bonifacius* vero *VIII*, A. 1301 cavendum ducens, ne aliqui minus habiles Patriarchæ fierent, & Patriarchatus munus hoc pacto vileſceret, illorum electionem Capitulis ademit, ſibique & ſucceſſoribus, quamdiu illæ regiones in infidelium & ſchiſmaticorum poteſtate manerent, unice reſervavit. *Innocentius III* etiam poteſtatem transferendi Epiſcopos ab una ſede ad aliam Patriarchis Latini ritus negavit. Quando complures Orientis regiones in Francorum poteſtatem veniebant, multos Græcorum Præſules, Latini nominis odio, ſuas ultro ſedes reliquiſſe, Rev. Autor obſervat. Nonnulli tamen, ſolum vertere nolentes, Archiepiſcopis Latini ritus ſeſe ſubjecerunt, & communionem Romanam amplexi ſunt. Quid de unctionibus eorum præceperint Pontifices Romani, etiam ſubjungit. Patriarchas denique pariter ac inferiores Epiſcopos Latini ritus recenſet, qui vel re ipſa Epiſcopales orientalium regionum ſedes occuparunt, vel ad eas aliquando regendas deſtinati erant, quamdiu ſpes, eas iterum Latinorum armis ſubigendas fore, aderat. Indices enim tot Epiſcoporum, qui hodie ſine clero & populo ſub eccleſiarum orientalium titulis ordinati, in aliorum Præſulum Occidentis diœceſibus vice ipſorum pontificalia munera obire ſolent, ſcribere, ſupervacuum

Pag. 791.

vacuum ipſi videbatur. Cum Seculo XIII res Chriſtianorum in Syria & Palæſtina in dies peſſum irent, viri Apoſtolici, quos inter complures exſtiterunt Ordinis Prædicatorum & Minorum alumni, in terras infidelium per Orientem Evangelium Chriſti invexerunt, novasque condiderunt eccleſias, quas ſub beneplacito Romani Pontificis gubernarunt. De his igitur eccleſiis Appendicis loco Rev. Autor diſputavit. Literas Pontificum, eam ob cauſam ſcriptas, appoſuit, illisque etiam temporibus, in utroque ordine, Prædicatorum & Minorum, congregationes Miſſionariorum inſtitutas eſſe, qui *fratres peregrinantes propter Chriſtum* dicebantur, obſervat. Inter illos Miſſionarios etiam Archiepiſcopos & Epiſcopos fuiſſe, ex *Joannis XXII* Epiſtola colligi poſſe, contendit. Metropolitanos harum regionum Romanos Pontifices renuntiaſſe, & illis ſimul poteſtatem feciſſe, ob diſtantiam locorum ſubditos ſibi Præſules ordinandi, & epiſcopales ſedes erigendi, ubi ſufficiens Chriſtianæ plebis multitudo reperiretur, ſtatuit. Eccleſiarum, hoc pacto per Orientis quasdam regiones conditarum, deſcriptionem & catalogum, tanquam coronidem hujus Operis, ſuppeditat. Singula ejus *Volumina* Indicibus locupletiſſimis inſtructa ſunt, ut eo commodius illis uti poſſint lectores. Neque opus eſt, has ipſas Rev. Autoris lucubrationes multis exornari laudibus, cum, omnes omnino antiquitatum Chriſtianarum ſtudioſos, quando illis utentur, de earum dignitate & præſtantia, ſpes ſit, certiſſimos futuros. Et, ſi quidem a nonnullis capitibus, ubi nimia proditur erga Romanos Pontifices reverentia, & partium ſtudio plus, quam veritati, tribuitur, diſceſſeris, hunccce librum inter optimos, quos hoc ſeculum vidit, numerare, & pro abſolutiſſimo hiſtoriæ Chriſtianæ per Orientis tractus theſauro habere, nulli dubitamus. Pag. 1341.

LEXICON DIPLOMATICUM, ABBREVIATIONES ſyllabarum & vocum, in Diplomatibus & Codicibus a Seculo VIII ad XVI uſque occurrentes, exponens, junctis Alphabetis & ſcripturæ ſpeciminibus integris; ſtudio JOANNIS LUDOLPHI WALTHERI,

Digitized by Google

THERI, S. R. Majeſt. M. Britann. in Archivo Electorali a Secretis. Cum Præfatione JOANNIS DAVIDIS KOELERI, in Georgia Auguſta Hiſtoriarum Profeſſoris.

Pars I.

Gottingæ, apud Jo. Pet. & Jo. Wilh. Schmidios, fratres, 1745, fol. maj.

Alph. 1 plag. 6.

Ingens in rem criticam beneficium, præclarumque prorſus meritum, exiſtit Viri ampliſſimi, *Jo. Ludolphi Waltheri*, quod quidem tanto pluris faciendum putamus, quanto longius a conſimili aliorum inſtituto diſcedit, quantoque majori cum utilitate, in viros etiam doctiſſimos redundante, eſt conjunctum. In id enim omnes ingenii animique vires contulit Vir eruditiſſimus, ut inſolentiſſima illa ſcriptionis compendia, quæ vel in Diplomatibus, vel Codicibus antiquioribus, cernuntur, ſuæ feliciter integritati reſtitueret, & vocibus, multa obſcuritate ob ductuum perplexitatem laborantibus, eam, quam expetunt, lucem afferret. Atque in *Diplomatum* quidem *Chartarumque* numero habentur genuina illa, fideque non indigna, Imperatorum Avtographa, Diplomata Regum, Bullæ Pontificum, Romani proceſſus Rotæ, præterea & Epiſcoporum, Principum, Comitum, Monaſteriorum, chartæ, quales in omnibus Europæ regnis conſpiciuntur. Codicum vero ac librorum alii chartacei ſunt, alii membranacei, alii theologici, alii juridici, alii medici, alii philoſophici, atque aſtronomici, argumenti. Eadem Codicum claſſe comprehenduntur & Liturgiæ, Miſſalia, Calendaria, Rationumque libri, ut vulgo dicuntur. Hæc omnia antiquitatis monumenta, ſive Codicum, ſive Diplomatum, nomen mereantur, temporibus, Seculum VIII ac XVI intercedentibus, exarata fuerunt, exceptis Notariorum Inſtrumentis, quorum ætas in Seculum XVI incidit. Incredibili igitur labore, atque aſſiduitate plane mirabili, chartas illas diurna nocturnaque manu verſavit Vir doctiſſimus, ex iisque primum voces, compendiaria ratione inſolentes ſcriptas, excerpſit, poſtea earum ſe interpretem,

quo

quo doctiorem ac ſagaciorem, hoc profecto feliciorem, exhibuit. Ætatem tam Codicum, quam Diplomatum, explorandam hic ſibi eſſe, recte duxit *Waltherus*. Quod quidem negotium, ſi Diplomata ſpectentur, cum magna adeo difficultate conjunctum non eſt, cum annus adſcribi iisdem conſueverit, quæ tamen major exiſtit in Codicibus. Hic enim vel ſcriba Codicis, vel alia manus antiquior, ætatem quidem adjecit ad finem Codicis, ſed, quod ſcite indicat Noſter, ſæpenumero ita, ut non tam anni, quam ſeculi, ratio fuerit habita, ſolis duntaxat literis diſcriminis cauſa adjectis, *i. m.* vel *f.* quibus, Codicem vel in medio Seculi, vel in fine ejus, exaratum eſſe, indicare ſcriba voluit. Ubi autem, Codices ſe verſare, *Waltherus* intellexit, omni temporis nota deſtitutos, tum critica opus eſſe ſagacitate judicavit, idque divinando aſſequi eundem oportuit, quod a deſcriptore Codicis prætermiſſum erat. Nil ſuo tantum excogitavit ingenio, aut mente præcipitata, aut calamo, mentem præcurrente, cum interpretem ageret, ſcripſit, ſed ſenſim pedetentimque, atque obſervatis prudentiæ legibus, in inveſtigandis literarum ductibus, vocumque ſignificatu eruendo, proceſſit, nec facile quid definire prius auſus eſt, quam, aliquod ſcriptionis compendium, repetita vice, eodem in Codice, vel Diplomate, occurrere, intellexit, aut ſerie totius orationis, aliisque mediis, quibus hic Viri eruditiſſimi uti ſolent, ad veri ſenſus cognitionem perductus fuit. Neque tamen perſequi omnia voluit, ſed facilioris inveſtigationis voces plures prætermiſit, ne liber præter neceſſitatem mole gravaretur. Potiores autem comprehenſas ab eo fuiſſe, docuit ipſum, confecto jam Opere, aliorum quorundam Diplomatum collatio, quorum ex ſiglis paucæ occurrerunt, quæ non in libro apertæ jam ab ipſo ſolutæque fuiſſent. Ordine uſus eſt alphabetico, ut liber Codices hujus generis terentium uſui hoc rectius inſerviret. Compoſitus eſt ex Tabulis, nitidiſſime in æs inciſis, quarum quælibet quatuor columnas ſiſtit. Earum prima vocem ipſam compendiariam oculis ſubjicit, accuratiſſime deſcriptam. Altera literas, quæ in inſolentibus figuræ ductibus reconduntur, exprimit. Sequens vo-

Digitized by Google

cem ipſam, de qua controverſia exiſtit, exhibet. Ultima temporis aperit intervallum, quo ſcriptio illa recepta fuit. Literarum ſeries ubi ſic ad finem decurrit, ſigna quædam obſcuriora panduntur, quibus voces *con*, *contra*, *eſt*, *eſſe*, conſimilesque aliæ, non literas inflexas, ſed ſingulares plane figuras, exhibentes, olim latuerunt. Exhibentur etiam characteres numerorum, ſignaque Calendariorum, interpunctionum, punctorum, & hujus generis alia. Adjunguntur notæ muſicæ, prout earum uſus in Eccleſia vetere inde a temporibus Seculi XI conſpicuus fuit, quæ quidem primum ſine lineis, per ſolos characteres, vocibus earumque ſyllabis adſcriptos, poſtea cum quatuor, aut quinque, lineis, ſcribi ſolebant. Et, tametſi hac in parte multa jam præſtiterit *Nicol. Staphorſtius*, tantum tamen abeſt, ut is argumentum illud exhauſerit, ut potius, ſpicilegium inſigne, *Waltherus* viderit, ſibi eſſe relictum. Hæc ita ſe habere, quemadmodum a nobis jam relata ſunt, intelligent, quotquot librum hunc, inſigni laude digniſſimum, adire voluerint, & luculentiſſimam Præfationem, a fratribus *Schmidiis*, Bibliopolis Academiæ Gœttingenſis florentiſſimis, præmiſſam, excuſſerint, in qua non tantum inſtituti præſentis rationem, verum etiam obſervationes quasdam, in evolvendo libro neceſſarias, offendent. Huic alteram illam Celeberrimi *Koleri* Præfationem, vel nobis haud monentibus, aut commendantibus eam, ſponte ſua adjungent. Nihil jam ſupereſt, quam ut Ampliſſimo *Walthero*, ad telam, quam orſus eſt, eximiam feliciter pertexendam, conſtantem virium uſum, proſperosque laboris, multis difficultatibus ſepti, ſucceſſus, ex imo pectore comprecemur.

SEPULCRALIA CARMINA, EX ANTHOlogia MSta Græcorum Epigrammatum delecta, cum Verſione Latina & Notis. Accedunt ad Græcas MURATORII Inſcriptiones, in Miſcell. Lipſ. T. I P. III explicatas, Curæ ſecundæ & novæ Emendationes.

Lipſiæ,

Lipſiæ, in taberna J. F. Gleditſchii, 1745, 4 maj.
Plag. 13.

Eſt in Bibliotheca Ampliſſimi Senatus Lipſienſis Codex MStus *Anthologiæ* papyraceus, ex *Uffenbachiana* emtus, qui e Palatino quondam, nunc Vaticano, Codice ductus creditur, deſcriptus autem eſt e *Salmaſii* apographo, *Iſaaci Gruteri* manu. Ejus libri inſpiciendi, & inde, quæ luberet, excerpendi, facultas cum data eſſet *Leichio*, Viro Clariſſ. a Bibliothecæ illius Præfecto, Ill. *Maſcovio*, inde is delegit XXII Epigrammata e ſepulcralium numero, nondum, quoad tum ſciebat, edita, quæ ſuis obſervationibus illuſtrata publicaret. In illo delectu rationem habuit duorum, nempe XI & XII, quæ, poſtea intellexit, jam a *Dorvillio*, V. C. in *Vanno Critica* edita, & doctiſſimis obſervationibus illuſtrata eſſe. Interpretationem Latinam addidit duplicem, alteram proſaicam, alteram poeticam. Notæ ſunt breves plerumque, multum bonæ frugis habentes, & ad intelligenda Græca ſatis idoneæ. In iis interdum etiam proponuntur conjecturæ de textu Græco emendando, non usquequaque felices. Sed Lectores in rem præſentem deducemus, propoſitis duobus Epigrammatis. *Ep. XIII* verſus primus hic eſt:

Μαστεύω τις εὐαγὴς ἐπὶ σταλήτιδι πέτρα. &c.

Ad hunc verſum nihil annotationis dedit Vir doctus. Atqui numeros ſuos non habet, neque quisquam, ad numeros revocans, hexametrum agnoſcet. Erat itaque emendandus. *V. 4 Gallus Tanagræus* vocatur *θοῦρος, ἐγερσιμάχας*, quod eſt monſtroſum verbum. *Εγρεμάχος, & ἐγερσιμάχος*, aut *ἐγερσίμαχος*, novimus, non autem illud. Et tamen explicatur in verſione, quaſi eſſet nominativi caſus adjectivum. Neque regulæ grammaticæ patiuntur, *v. 5* legi *ὑπωροφίαισι γυναιξὶν*, ſed *ὑπωροφίοισι*. Nam, etſi in quibusdam talibus etiam fœminina forma occurrit, tamen ea ſine autoritate non eſt admittenda; & videtur ſane hic Vir Clar. ut in ſuperiori verſu lectionem Codicis MSti non aſſecutus eſſe, in quo forte *τὸ ο* ita ſcriptum eſt, ut cum *α* confundi poſſit. Tum verſus ſequens: *ἀλλὰ τάδ' ἠλακάτας ἔργα, τάδ' ἱστοπόδων*, non erat vertendus:

ſed

ſed colus illis & lanificium unum opus ſunt; ſed ſic potius: *ſed lanificium & textura*, int. ex antecedente verſu ἐπέοικεν, *decet* fœminas. In notis autem ad hoc Epigramma male reprehendit *Salmaſium*, quod pro ταναάγρας legerit πανάγρας, *in reti*, cum non ſit Græcum, ſed πανάγρῳ: quod miramur, cum Lexica utrumque habeant, & πανάγρας eadem analogia dicatur, qua γυλεάγρας & alia huic ſimilia. *Ep. XVI* eſt *Antipatri*, & ſic ſe habet:

Εἰς νυμφίον τινὰ ἐπὶ τῆς παςάδος τελευτήσαντα.

Αὔσονος Ηγερίȣ με λέγω νέκυν, ᾧ μετιόντι
  Νύμφην ὀφθαλμȣ̀ς ἀμβλὺ κάτεχε νέφος.
Ὄμμασι δὲ πνοιὴν συναπέσβεσε μȣ̃νον ἰδόντος
  Κȣ̃ρον· Φεῦ κείνης, ἥλιε, δυσμορίης
Ἐῤῥοι δὴ κεῖνο φθονερὸν σέλας, εἴθ' ὑμέναιος
  Ηψέ μιν ȣ̓κ ἐθέλων, εἴτ' ἀΐδης ἐθέλων.

Hæc Latine ſic verſa ſunt:

In ſponſum quendam in thalamo exſtinctum.

Auſonis Egerii corpus ſum, cui relinquenti
  Sponſam oculos atra caligo occupavit.
Cum oculis vero ſimul ſpiritum exſtinxit, unum videntis
  Natum. Væ miſerum, O! ſol, fatum
Perit certe cum invidia ſplendor ille: ſeu hymenæus
  Invitus ipſum exſtinxit, ſeu volens Pluto.

Hanc verſionem facile vitioſam intelligat, qui cum titulo contulerit. Primo μετιόντι νύμφην vertitur *relinquenti*, pro *adeunti*. Porro μȣ̃νον ἰδόντος κȣ̃ρον vertitur, *unum videntis natum*. Quomodo autem hoc cadit in eum, qui in nuptiis ipſis in thalamo eſt exſtinctus? Non videbat Vir doctus, legendum eſſe κȣ́ρην, & vertendum: *cum tantum vidiſſet ſponſam*, ſeu *puellam*; quod eſt ſane miſerum amanti. Ultimum Diſtichon autem plane non intellexit, quod ſic vertere debebat:

Pereant ſane invidioſæ illæ (nuptiales) *faces: ſive hymenæus*
  Illas accendit invitus, ſive lubens orcus.

Si orcus accendit facem, aut Hymenæus invitus, intelligi poteſt, quare tam miſerum exitum nuptiæ habuerint.

Ceterum

Digitized by Google

Ceterum Vir doctus adjecit primum *Secundas Curas* ad Græcas *Muratorii* Inſcriptiones quasdam, in *Miſcellaneis Lipſ. Novis* nuper vel emendatas, vel explicatas, quibus locum fecere *P. Weſſelingius*, Vir Cel. literis ad Autorem ſcriptis, & *J. C. Hagenbuchius*, Vir doctiſſimus, in Diatribe de Græcis Theſauri *Muratoriani* marmoribus quibusdam; deinde etiam *novas emendationes* Græcarum Inſcriptionum *Muratorianarum*, in quarum nonnullis non male ſucceſſit Viro docto. Sunt tamen & hic quædam, in quibus non ſatis attendiſſe videtur. Sic *pag. 57* in *Inſcr. ſexta pagina CCXXVIII*, quam recte aliquot locis e facili ſupplevit, reliquit *ὁ τειμητὴς*, cum illud *ὁ* quod ex antecedente *τὸ* repetitum eſt, delendum ſit, & ſcribendum *τιμητής*. *Pag. 64* *πολήση* pro *πωλήσῃ*, & *pag. 66* ex *ἀλεξανδροπολίτης* fecit *ἀλεξανδροιοπολίτης*. Neque videmus, quare *pag. 69* in Inſcriptione Catanenſi e *σαββάτοις* faciat *σαββάτω*, & e *χαίρισον*, *χαίριζε*. Sine cauſa etiam *pag. 65*, *ἀνεξοδίαςον*, dicit, difficile eſſe interpretari. Male porro interpretatur, *nec aditum, nec egreſſum, habens*, quod, nemo intelligat, quale ſit, *vel, cui, præter expreſſos in titulo, inferre neminem licet*; eum & ſequentia: *ὡς δ' ἂν πωλήσῃ* &c. & ipſum verbum, planiſſime oſtendant, *ἀνεξοδίαςον* eſſe, *quod vendere non liceat*. Nam *ὀδᾶν* & *ἐξοδᾶν* eſt *vendere*, (vid. *Barneſ.* ad *Eurip. Cycl. pag. 266*) & *ἐξοδιάζειν*, pecuniæ, omninoque rei ſuæ, ad alium quacunque ratione transferendæ vim habet, adeoque etiam vendendi æque ac impendendi.

EPISTOLA AD EMINENTISSIMUM AC Reverendiſſimum D. D. ANGELUM MARIAM tituli S. Marci Cardinalem QUIRINUM, Brixiæ Epiſcopum, & Bibliothecarium Vaticanum, &c. qua, occaſione edendi Dionis Caſſii, ad Nicolai Carminii Falconis, J. U. & S. T. D. & Proton. Apoſt. editionem trium ultimorum Dionis Librorum, ex antiquiſſimo Codice reſtitutorum, animadverſiones nonnullas ſummi Viri judicio ſubmittit HERMANNUS SAMUEL REIMARUS, P. P. Hamb.

 Hambur-

Hamburgi, apud Jo. Carolum Bohnium, 1746, 4.
Plag. 5½.

Excellentiſſimus *Jo. Alb. Fabricius*, non unius quondam Hamburgi, ſed univerſæ Germaniæ literatæ, magnum ornamentum, præter immortalia alia munera, quibus auxit omne fere eruditionis genus, etiam ad novam *Dionis Caſſii* editionem applicaverat animum. At vero parantem hanc, uniceque in ea occupatum, mors repentina oppreſſit, maximo, ut tum exiſtimabant omnes, reipublicæ literariæ damno. Sed inanis hæc fuit, quod merito nunc triumphamus, ſuſpicio, & motus. Suſcepit enim has in ſe partes eruditiſſimus *Reimarus*, gener, ſocero ſuo hoc in literarum genere non minor, ſed par, omnino cenſendus, quemadmodum præſens teſtatur Epiſtola, miſſa ad Eminentiſſimum Cardinalem *Quirinum*; cujus argumentum his *Actis* noſtris propterea inſerere volumus, quod & cauſas retardati laboris oſtendit, & guſtum dat exquiſitiſſimarum epularum, in *Dione Caſſio Reimariano* futurarum. Purpuratus Vir, ad literas augendas natus, Cel. Autorem non
Pag. 3. tantum muneribus eruditis variis ornavit, ſed varietate etiam lectionum ex duobus Bibliothecæ Vaticanæ Codicibus humaniſſime inſtruxit, & deinceps literis ſæpe ad edendum *Dionem* excitavit ſuis. Tanta humanitas, eaque in tam excelſo collocata faſtigio, ſtimulos addidit Cl. Autori, ut apud eum potiſſimum univerſam laboris inſtitutique rationem publice diſ-
4. putaret. Injecerant autem frænum ad finem properanti duæ potiſſimum cauſæ, quarum una eſt valetudo, qua utitur, quod vehementer dolemus, plurimum adverſa, altera vero in progrediendo objectarum ſalebrarum fere infinita multitudo, quas neque ſocer optimus, neque *Falco* diligentiſſimus, ſuperaſſent. In exemplum affert extrema *Dionis*, in quibus ſuperioribus
5. annis *Falconis*, Viri doctiſſimi, induſtria verſata erat. Hujus prædicat diligentiam, qua *Dionem* ex vetuſtiſſimo Codice acceſſionibus nonnullis, *Urſino* neglectis, voluiſſet auctiorem dare; fatetur tamen, non tam occaſionem ſibi relictam eſſe, quam impoſitam neceſſitatem, refingendi & reſcribendi quamplurima. Exminat igitur ponderibus ſuis potiores *Falconis* animadverſiones; in quo omni ex parte ſe egregium omnibus & ſingulis haud dubie

bie probavit Criticum atque editorem. Verſionem enim Græco contextui accuratius aptat, loca corrupta feliciter emendat, vocum veras eruit notiones, lectionem receptam aptamque defendit, atque antiquos evolvit ritus, de quibus ſingulis pauca afferre, ut doctis fidem faciamus, animus eſt. Sic contra *Falconem* recte monet, illa (*Wechel. pag. 881, A,*) *ὅτι ὐκ ἠθέλησαν αὐτῷ ὁ Ἀρτάβανος τὴν θυγατέρα μνηστευσαμένῳ συνοικίσαι*, Pag. 7.
ita eſſe transferenda: *quod Artabanus ei filiam, quam ambiverat, nollet uxorem dare.* Μνηστεύεσθαι quidem utrumque ſignificat, & *deſponſari* & *procare*; atque *Herodianus Lib. IV* autor eſt, *Artabanum Antonino* filiam promiſiſſe. Verum contendenti 8.
Xiphilinum cum *Herodiano* facile apparet, poſterius *Artabani* promiſſum eſſe omiſſum a *Xiphilino.* Rurſus non multa tantum tollit menda forte typographorum, ſed etiam lacunas ſup- 9.
plet. Sic, cum *Falco pag. 5* poſt init. fugientibus literis ſui 10.
Codicis hanc lacunam reliquiſſet: *ἐν παντὶ δέο . . . . . ντο*, ipſeque ita reddidiſſet: *in omnibus, quæ opus erant*; recte Cl. Autor ſuſpicatur legendum: *ἐν παντὶ δέους ἐγένοντο, in ſummo metu verſabantur.* Eſt enim hæc & *Dioni* familiaris formula, & huic loco perapta. Conferri hic multæ aliæ poſſunt emendationes fere ſingulis in *paginis.* Similiter vocum veras ſiſtit notiones. Sic, cum ſuperiores *Dionis* Autores χλαμύδα 11.
μεσόλευκον & *μεσοπόρφυρον* confudiſſent, oſtendit utriusque diſcrimen. Μεσόλευκος ſimul addito πορφυρᾶς deſignatur. Erat autem chlamys primum *ὁλοπόρφυρος*, *tota purpurea*, & *ὁλόλευκος*, *tota alba.* Μεσόλευκος autem ex utroque colore tenens aliquid purpura, fimbriam habens in circuitu albam, 12.
quales fimbrias deſcribit *Pollux*, & a pellibus ovium ὦα quoque dictas eſſe oſtendit. Μεσοπόρφυρος denique eſt chlamys, ſive alba, ſive auro intexta, ſive alterius coloris, quæ purpura ambitur, quæ & *παραπόρφυρος*, *περιπόρφυρος*, & *πλατυπόρφυρος*, item *παρυφὶς* & *εὐπάρυφις* vocatur apud *Pollucem.* *Αἱ τοῦ ἥπατος πύλαι* cum a *Falcone* per *alas jecoris* eſſent redditæ; Noſter accuratius ad veterum morem, ipſiusque *Ciceronis de N. D. Lib. II Cap. 55*, per *portas iecoris* reddit. Eadem quoque 14.
pagina bene obſervat, *Ἄγαλμα πομπεῦον* non eſſe ſimulacrum *habitu triumphali*, ſed *in pompa ductum.* Non enim in

 trium-

triumphali tantum pompa, ſed & in ſupplicationibus, funeribus, ludis, circenſibus maxime, Deorum ſtatuæ in theuſis ſuis traducebantur. Porro, cum *Falco* in illo difficili loco *pag. 883 Wecbel. C*, qui agit de praſinis militibus, vel potius aurigis, ter
Pag. 15. ſine neceſſitate a recepta idoneaque receſſerat lectione, oſtendit ex ipſa rerum natura, & ἡττημένοι pro ἡττόμενοι, & ςρατιῶται pro ςρατιῶται, & κρώζοντες pro κρώζοντα, reponendum eſſe. Sequentem locum putat mutilum *pag. 872* in *Wecbel. D*, quo fertur *Anton. Caracalla* ad Senatum dixiſſe, πάντες οἱ Φυγά-
19. δες, οἱ καὶ ἐφ' ὁτῳοῦν ἐγκλήματι καὶ ὁπωσοῦν καταδεδικασμένοι κατελθέτωσαν. Τὰς μὲν οὖν νήσους οὕτω τῶν Φυγάδων κενώσας, καὶ τοῖς κακίςοις τῶν καταδεδικασμένων ἄδειαν δεδωκὼς, εἶτ' οὐ πολλῷ ὕςερον ἀνεπλήρωσε. *Omnes exules, cujuscunque criminis & quomodocunque damnati, reſtituantur. Quo pacto cum inſulas exulibus evacuaſſet, & ſceleratiſſimis quibusque damnatorum impunitatem conceſſiſſet, eas non ita multo poſt replevit.* Exiſtimat, vocem κρατίςοις excidiſſe, atque ita eſſe ultima ponenda: εἶτ' οὐ πολλῷ ὕςερον κρατίςοις ἀνεπλήρωσε, quod ex *Plinii Panegyrico Cap. 35* illuſtrat. Nam, cum inſulas, inquit elegantiſſimus Autor, exulibus, iisque ſceleratiſſimis, κακίςοις, evacuatas dixiſſet, poteratne ſimpliciter eas iterum repletas dicere? Nonne ſceleratiſſimis etiam, quibus liberatæ ſunt inſulæ, viros optimos, quibus repletæ fuerint, opponeret? Hactenus Cl. Editor. Commendatur hæc emendatio ab ingenio, ſed neceſſaria admodum, noſtro judicio, non videtur. *Dio* enim *Caſſius* non tantum nihil dicit de *Caracalla*, optimum quemque in inſulas deportari curante, ſed e contraria parte autor eſt, crudeliſſimum Imperatorem potius clariſſimos illuſtresque viros *occidi* illico juſſiſſe. Sic *pag. 873, B*, ipſe *Dio* fatetur, infinitam occiſorum virorum, eorumque optimorum, fuiſſe multitudinem, adeo, ut urbs Roma privata bonis viris, comminuta, & mutilata fuerit. Rurſus *pag. 884, B*, *Dio* addit, mortuo *Caracalla* cognitum, hunc magnum numerum veneni cujusvis generis ab iis, qui ſuperiorem Aſiam incolant, partim adduci curaſſe, partim emiſſe ingenti pretio, ut quamplurimos, quos collibitum fuiſſet, variis modis venenis tolleret, eaque omnia reperta igni fuiſſe exu-

Digitized by Google

exuſta. Ex hoc *Dionis* loco apparet, *Caracallam* ſuſpicioſiſſimum, bonosque inprimis metuentem, hos celeri exſtinxiſſe potiſſimum morte, in huncque uſum paraſſe venena. Quid igitur? Nobis adeo nihil mutandum in hoc *Dionis* loco videtur; ſed potius ἀπὸ κοινῦ, quod Critici dicunt, explicanda ῥῆσις: quæ figura una omnium frequentiſſima eſt tum in omnibus Græcis Autoribus, tum præſertim in *Dione*. Nimirum ſubintelligit *Dio* in poſterioribus nonnulla verba, quæ in prioribus poſuerat hunc in modum: εἶτ᾽ ἐ πολλῷ ὕϛερον τοῖς καπίϛοις ἀνεπλήρωσε. *Caracalla* nimirum, imperio admotus, ex inſulis reduxerat exules ſceleratiſſimos, ut ſocios forte haberet crudelitatis; rurſus hos, nimium ferocientes, tanquam malorum autores, vel ſerio, vel ad ſpeciem, in inſulas reduci curaverat. Sed nihil hac noſtra explicatione detractum volumus præſtantiſſimis laboribus doctiſſimi Autoris, qui excellentiſſimam Græcæ linguæ cognitionem, incredibilemque diligentiam, omnibus in aliis rebus ante oculos lectorum exponunt. Sic *Falconis* multas emendationes, ſine neceſſitate factas, recte rejicit, ut *Wechel. 895, D,* τὸν σύγκλητον, ubi ipſe ſenſus τῷ σύγκλητον & MStorum ratio exigit, uti jam vidit *Urſinus.* Cum idem *Falco* verba *Wechel. pag. 897, C,* ὥςε καὶ ἐκείνες, μηδ᾽ ἀρχὴν ἔτι εἶναι, λ. vertiſſet: *non putarent amplius eſſe Principes;* recte monet, μὴ εἶναι ἔτι, uti aliis in locis, ſic & hic, quin pluribus in linguis, eſſe *non vivere amplius*, ἀρχὴν vero ſive τὴν ἀρχὴν, particulæ inſtar uſurpari. Hujus verus uſus latuit multos & fefellit interpretes, ut vel ad *magiſtratus* notionem confugerent, vel *ſtatim*, aut *ab initio*, vel *primum*, interpretarentur. Significat autem, ut recte monet Cl. Autor, non tantum *ſtatim*, & ab *initio*, ſed etiam *plane* & *omnino*. Idque exemplis nonnullis ex ipſo *Dione* comprobat. Quanquam vero *Falconis* auſus ingenii æſtu ſæpe extra veriſimilitudinis fines vagantur, atque interdum inſignem Græcæ linguæ ignorantiam produnt; tamen in animadvertendo & corrigendo humanitatis leges minime negligit Cl. Autor. Sic in ſequentibus verbis *Wechel. 901, A:* καὶ σφᾶς, ἥτε τῆς μισθοφορᾶς συντομὴ, καὶ ἡ τῶν γερῶν, τῶν τε ἀτελειῶν τῶν ἐν τοῖς ϛρατιωτικοῖς ὑπηρετήμασιν, ἃς παρὰ τῦ Σεβήρου εὕρητο, ϛέρησις. Pag. 20. 23, 24.

 καίπερ

Pag. 28. *καίπερ μηδὲν αὐτοὺς μέλλοντας ἀπολαύσειν ἐπικαρώξυνεν.* Ad hæc *Falco*, quod nemo a Græcæ linguæ perito exſpectaſſet, *ἤγειρτο*, inquit, *ita recte Codex, non ut Urſinus, qui falſo legit ἤγειρντο, immemor, neutra pluralia verborum regere ſingularia.* Recte igitur Cl. Autor: *Nonne bonus Falco ipſe hic videbitur immemor fuiſſe, ἤγειρντο non eſſe paſſivæ ſignificationis, ut ἃ ἤγειρτο, ſingularis numeri verbo, dici debeat: ſed activæ, ut intelligantur milites, ἃ οἱ ςρατιῶται ἤγειρντο, quo ſenſu ſingulare ἤγειρτο plane ineptum eſt.* Elegans porro eſt obſervatio Cl. Autoris, ubi oſtendit, Λοῦπον Imperatorem in ΛΟΥΠΙΤΟΝ, id eſt, Λοῦιτον, eſſe mutandum. Pro A enim ſæpiſſime in Latinis Græciſque monumentis occurrit Λ, evane-

30. ſcente ductu transverſo; & IT arctius conjunctæ, præſertim linea transverſa literæ T longius ad I præcedens producta, ſpeciem literæ Π mentitur. Sæpe porro interpunctiones feliciter ſiſtit. His enim deſtituti ſunt, uti inter omnes conſtat, antiquiſſimi Codices. Sequens locus ſolius interpunctionis beneficio, & levi alia mutatione, luci redditus eſt. *Falco* (*Exc.*

31. *Urſini 435*) ita *pag. 55* fin. & ſeq. curaverat exprimenda: *αὐτὸς δὲ ἀπολεμήσας περαιτέρω χωρὶς, τοῦ Μακρίνου προχωρῆσαι μετεπέμψατο αὐτὸν, καὶ ὃς ἔς τε τὴν Απαμείαν ἐς τοὺς Αλβανίους ςρατιώτας διὰ τειχέων ἦλθε, καὶ υἱὸν αὐτοκράτορα καίπερ τὸ δέκατον ἔτος ἄγοντα ἀπέδειξεν*: atque ita reddiderat: *Ipſe vero hoſtiliter ulterius & ſeorſim progreſſus, Gannym contra Macrinum miſit, qui, ubi Apameam inter Albanios milites per ipſa mœnia inductus eſt, Imperatorem filium, etſi decimum annum ageret, renuntiavit.* Hæc, adeo pugnantia, interpunctionis ope emendat ita: *αὐτὸς δὲ οὐ τολμήσας περαιτέρω, χωρὶς τοῦ Μακρίνου, προχωρῆσαι, μετεπέμψατο αὐτόν. καὶ ὃς ἔς τε τὴν Ἀπάμειαν ἐς τοὺς Ἀλβανίους*

32. *ςρατιώτας διαταχέων ἦλθε, καὶ τὸν υἱὸν αὐτοκράτορα, καίπερ τὸ δέκατον ἔτος ἄγοντα, ἀπέδειξεν*, meliusque ſequentem reddit in modum: *Ipſe vero, abſque Macrino ulterius progredi non auſus, illum arceſſivit: qui, ubi Apameam ad milites Albanios confeſtim venit, filium Imperatorem, etſi decimum modo annum agentem, renuntiavit.* Adjicit deinde Cl. Autor nonnulla loca, quæ ipſi in mendo cubare videntur. His expoſitis,

ſitis, pergit ad *Falconem*, atque ejus Latinam *Dionis* primum reprehendit verſionem, idque non injuria, uti jam ſupra comprobavit, & porro comprobat, atque inter alia obſervat ex *Dione*, apud hunc ſæpe εἰπεῖν eſſe *accuſare*, ſicut εἰπεῖν & Pag.
λέγειν *defendere*. Rurſus oſtendit exempla, ubi *Falco*, quæ 39, 40.
alii bene, præpoſtero emendandi ſtudio male convertit. Alia ejus peccata his exprimit verbis: *Vellem, ad Græca recte edenda* 41, 42.
plus Græcitatis attuliſſet; vellem, Dionis ſtilum ſibi ante reddiſſet magis familiarem; vellem, Codici ſuo non ſubſcripſiſſet ſuperſtitioſius; vellem, in ejus lectione exhibenda plus judicii adhibuiſſet, & magis ſibi conſtaret; vellem, Xiphilinum non 43.
tam temere & frequenter deſeruiſſet, aut doctas & probas emendationes virorum eruditorum ſpreviſſet; vellem, non tam multa, ſine ratione & neceſſitate, ex ſuo ingenio, præter indolem linguæ Græcæ, & præter nexum ac ſcopum Dionis, mutaſſet. Sed ohe! ſatis eſt deſideriorum, quorum unum Critici conatus infringere poteſt. In ſequentibus Cl. Autor dicta a ſe, & *Falconi* objecta, uberius comprobat.

Ad finem Epiſtolæ gratias agit Cl. Autor Eminentiſſimo Cardinali, magno omnino literatorum Mæcenati, pro tranſmiſſis variis lectionibus Vaticanis, & excellentiſſimo politiſſimoque noſtro *Friderico Menzio*, quod editionem *Dionis Rober-* 44–47,
tinam ad ipſum miſerit, quæ fuiſſet quondam *Adriani Turnebi*,
non paucis elegantibus in margine emendationibus inſignem, 48. 49.
& elegantiſſimo *Abrahamo Gronovio*, Viro non majorum magis, quam ſuis, in literas meritis clariſſimo, quod cum ipſo communicare cœperit varias lectiones ex Codice Mediceo; rogatque ceteros doctiſſimos viros, ut ne dedignentur ea conferre ad exornandum Autorem, variis in locis mutilatum & corruptum, quæ ipſis forte ad manus eſſent, atque ex Bibliothecis publicis privatisque ad perficiendum *Dionem* ſubminiſtrare poſſent. Tam juſto deſiderio Cl. Autoris & noſtra jungimus vota, & pro eo ac debemus compellamus eadem de cauſa tantis poſſeſſionibus divites viros, ut excellentiſſimus Autor Græcus tandem aliquando priſtino ſplendori reſtituatur.

DISSERTATION PRATIQUE SUR LES MAUX Veneriens, &c.

id eſt,

Digitized by Google

id eſt,

DISSERTATIO PRACTICA, EPISTOLARI ſcribendi genere concepta, de Morbis venereis, Autore GUISARD, Med. Doct. in Academia Montis Peſſulani. Editio altera, correcta & aucta.

Pariſiis, apud de Bure, le Breton, & Durandum, Bibliopolas, 1743, 8.

Alph. 1 plag. 7.

Non ſemper nova tantum, ſed etiam jam nota, cum applauſu excipiuntur, ſi ordo doctrinæ, & aptum ſcribendi genus, ſcripta, ad incrementum ſcientiarum evulgata, ornat atque commendat. Placuit Autori noſtro, epiſtolare ſcribendi genus eligere, & ita ſuas de morbis venereis obſervationes & meditationes cum erudito orbe communicare. Licet vero hoc a vera docendi ratione alienum eſſe videatur; cum tamen methodus proponendi cuilibet Autori libera relinquenda ſit, nos ea, quæ in ficto hoc commercio literario propoſita ſunt, breviter recenſebimus. In *Epiſtola 1* junior quidam Medicus Londinenſis ab Autore noſtro exigit, ut ſibi veram ideam mali Neapolitani, ſeu luis venereæ, exhibeat. In reſponſoria itaque, nullam hujus mali completam definitionem dari poſſe, aſſerit Noſter, cum tantos morbos, tantaque ſymptomata, comprehendat, ut varia ſub forma ſe ſiſtat, id quod cum multis morbis complicatis & variantibus commune habet. Lues vero venerea, licet in quibusdam tantum partibus ſedem figat, e. g. in ulcuſculis cancroſis præputii & glandis, tamen & in hoc ſtatu non negligenda eſt, cum non raro virulenta labe inficiat, quæ licet ægrotos non adeo afficiat, tamen in progenitis infantibus ſatis apparet, quale malum parentibus adhæreat. *Epiſtola 2* hoc, quod in præcedenti dictum erat, confirmat, ſed tamen obſervationem adducit de fœmina octavo menſe gravida, cujus vagina ulcuſculis cancroſis ſcatebat, & quæ gonorrhœa virulenta infecta erat, quæ tamen prolem ſanam edidit, & paulo poſt convaluit. Reſponſoria ſigna luis venereæ recenſet, & primo quidem genitalia morbo affecta, & ficus, aliaque circa

anum

Digitized by Google

anum poſita recenſet, addit dolores graviores & inprimis capitis nocturnos, ulcera, paſſim in corpore orta, tandem cariem veneream. Hæc morbo quaſi propria ſunt; ſæpius tamen ſub ſpecie aliorum morborum ſe ſiſtit, ut e. g. in ulceribus naſi & ophthalmiis, ubi mali indoles majori attentione diſquirenda eſt, inprimis cum ægri ſæpius veras morbi cauſas reticeant. Cujus rei exemplum in *Epiſtola 3* recenſetur. Reſponſoria de ſymptomatibus luis venereæ ulterius diſſerit, & ulcera, optimo cum regimine non conſolidantia, macilentiam ſine manifeſta cauſa, defectum ſomni, & dolores nocturnos, ad primaria ſymptomata refert, quæ virus venereum deliteſcens indicant, & explicationis ergo ulcera venerea, morbum viginti annorum alentia, in obſervatione proponit. Reſponſoria ad *Epiſtolam 4* de fluore albo mulierum, tum benigno, tum maligno venereo, diſſerit, & ſimul docet, quatenus abortus ad ſigna mali venerei referri poſſit. Varia tandem de variis excreſcentiis circa anum & pudenda annectit, quæ ſigna omnia tamen adeo dubia pronuntiantur, ut, niſi propria confeſſio ægrotantis, vel ſucceſſus infauſtus curationis, ſuſpicionem augeant, nihil certi ex his concludi poſſit. *Epiſtola 5* in cauſam proximam luis venereæ inquirit. Virus quidem vel coagulum & cauſticum, vel verminoſum, vel acidum ſalinum fixum, videtur, ſed nulla proſtant indicia, quæ unum alterumque adeo evidenter prodant, remedium tamen mercuriale adeo certum eſt, ut in praxi cum ſucceſſu exhibeatur, licet neſciamus, quomodo ſuam efficaciam præſtet. Reſponſoria non contradicit, ſed exemplo febrium acutarum declarat, Medicum optime curationem abſolvere poſſe, licet cauſa proxima eum lateat. Qua de cauſa *Epiſtola 6*, & reſponſoria addita, de praxeos excellentia & diſquiſitione ſymptomatum in morbis acutis porro diſſerunt. *Epiſtola 7* & reſponſoria ad prognoſin luis venereæ accedunt, quæ pro ægrorum differentia, & inprimis ſymptomatum gravitate, diverſiſſima eſt. *Epiſtola 8*, & reſponſoria, methodum, morbum venereum per mercurium curandi, qua in urbe, Mons peſſulanus dicta, utuntur, explicat. Veneſectio & purgatio conſueta præcedit, poſtea balnea matutino & veſpertino tempore, vel ſemel tantum de die, adhibentur, & juſcula vel hac ſuperbibuntur, numerus balneorum a duodecim ad

viginti usque variat, quo facto, iterum venæſectio & purgatio inſtituitur, & accuratius diætæ regimen præſcribitur. Uſus carnis vel plenarie interdicitur, vel parcior conceditur. Decoctum herbæ capillorum Veneris, vel florum papaveris erratici, cum pruxillo mihi pro uſu diuretico exhibetur. Victus ex lacte ovis & pane bis cocto, & quidem parcior, injungatur, ut Mercurius melius per corpus diſtribuatur, nec febris gravis ſuperveniat. Unguentum mercuriale applicandum ex una parte mercurii therebinthina extincti, & duabus pinguedinis porcinæ, conſtat, per triduum, ut bene miſceatur, in mortario vitreo agitandum. Æger a miniſtro eo in loco corporis, ubi unguentum applicari debet, quodammodo fricatur, poſtea Medicus adſtans miniſtro eam copiam unguenti, quæ neceſſaria eſt, ut frictione, per quartam horæ partem continuanda, applicetur, donec pars injuncta ſicca fiat. Numerus frictionum & copia unguenti pro differentia ægrorum definiatur. Prima frictio a planta pedis ſupra malleolos in uno pede, altera ſimili ratione in altero pede, tertia & quarta ſupra genua; quinta & ſexta ad media femora, adſcendit. Antequam ſeptima & octava, quæ crura ad anum usque tangit, inſtituatur, per aliquot dies acquieſcendum, ne quotidiana frictione incommoda excitentur. Nona frictio natibus applicatur, decima ad mediam ſpinam, undecima ad nucham usque, adſcendit, duodecima vero & decima tertia brachia inungunt. Induſium, femoralia, & tibialia linea, quibus æger in tota curatione utitur, non mutentur, quo id mercurii, quod adhæret corpori, demum applicetur, & miniſter unguentum, quod forte manibus adhæſerit, his linteis affricat, quo illud, dum æger poſt frictionem in tutelo quieſcit, a corpore tibulo reſorbeatur. Abdomen & thaux non tanguntur, reliquis tamen partibus, in quibus dolor obſervatur, pauxillum unguenti affricatur. *Epiſtola 9*, & reſponſoria, varia ſymptomata, quæ hiſce morbis accidere poſſunt, inprimis ſalivationem, perpendit, &, hanc parciori uſu unguenti, vel mercurii, in eo contenti, præcaveri poſſe, docet, niſi forte in alio caſu venæſectio & purgatio requiratur. *Epiſtola 10, 11, 12*, & reſponſoriæ, de gonorrhœa agunt, & reliquæ uſque ad *17* varias res, quæ ad morbos venereos ſpectant, pertractant, quibus paſſim obſer-

vationes

vationes de morbis ſingularibus inſperſæ ſunt, quæ tamen imperfectas tantum morborum hiſtorias ſiſtunt.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, ad incrementum ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per partes publicata.

Voluminis III Pars IV.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchii hæredes, 1745, 8.
Plag. 12.

Exhibere conſuevimus ex hoc opuſculo, quod vires acquirit eundo, potiora argumenta, ne exteri, quid apud nos agatur, ignorent. Judicium Lectoribus permittere ſolemus, ratione haud una adducti. Hanc conſuetudinem in præſens conſervabimus illibatam. In fronte hujus *Partis* prodit Viri Pl. Rev. *Gottlobii Friderici Gudii de Chriſto, & diſcipulis ejus, decori ſtudioſis, Commentatio philoſophico-hiſtorica.* Cynici & Quackeri, hominesque mentis minus defæcatæ, aliis placere haud ſtudent, decori rationem habent nullam, ac ſocietati humanæ ſeſe præbent inimicos. *Decorum* eſt *externarum* Pag. 565.
actionum, naturali lege non definitarum, & ab uſu excellentiorum ac bene moratorum hominum profecta, forma, ad aliis placendum, & ad felicitatem noſtram non repugnante voluntate divina promovendam, compoſita. Seponenda eſt aliorum imitatio perverſa. Decorum alii dividunt in politicum, quod legibus eſt magiſtratuum circumſcriptum, & in liberum; in publicum
& privatum; in generale & loco adſtrictum. Datur etiam im- 568.
putatio neglecti decori in foro divino. Jeſus non neglexit decorum in celebrandis feſtis, quæ antiſtites ſacrorum ſerius invexerunt. Ipſe encænia Judæorum obſervavit, eisque interfuit, *Jo. X, 22.* Interfuit ſolenni aquæ effuſioni, in feſto ta-
bernaculorum fieri ſolitæ, *Jo. VII, 37 ſeq.* Ad veſtitum Judæo- 570.
rum, ad civiles ritus, ſeſe accommodavit. Decorum eadem elegantia plurimi fecerunt Jeſu legati. *Paulus* jubet Epiſco-
pum eſſe *κόσμιον, 1 Tim. III, 2.* Præcepit idem, ut mulieres 574.
intereſſent ſacris concionibus velatæ, *1 Cor. XI, 8–15.* Nec

 obſtat

obſtat huic decoro locus *Rom. XII, 2.* Hæc hujus Commen-
Pag. 576. tationis eſt ſumma. Succedit ei Cl. *Caroli Henrici Zeibichii*
Diſſertatio hiſtorico-theologica de Porticu Salomonis ad Jo. X, 23,
Act. III, 11, V, 12. Exponit Autor de natura & partibus por-
581. ticus, & de piſcina Betheſdæ, quinque porticus habente, pro-
pe ovariam portam ſita, *Jo. V, 2.* Addit, porticui *Salomonis*
585. a Rege hoc adhæſiſſe nomen, eamque non tam ad modum,
formam, ſtructuram porticus, quam *Salomo* in priori templo
conſtruxerat, fuiſſe ædificatam, quam ex deflagratione tem-
pli prioris ſuperſtitem manſiſſe. Partes templi enumerat &
594. recenſet. Situm hujus porticus deſcribit. Non modo Tal-
mudicorum magiſtrorum, ſed etiam *Joſephi*, doctrinam de
partibus templi, literis commendatam, exponit. Porticus ſin-
gulas ediſſerit, & de eis commentatur. Porticum *Salomonis*
quærit in *1 Reg. VI, 3.* Eam olim dictam fuiſſe אולם, oſten-
dere ſtudet. Sita erat ipſa *in facie templi*, id eſt, in plaga
orientali. In hac porticu, olim atria cingente, *Salomo* duas
illuſtres collocavit columnas. Pars porticus per *Nebuſar-Ada-
nem* fuit deſtructa, pars remanſit. Caruit templum poſterius
columnis. Porticus *Salomonis* profundæ incubuit valli, ac ex-
teriorem templi aditum firmavit & coercuit. Ipſa fuit admo-
607. dum pulchra, ſpatioſa, multoque populo repleta. In ea 40
annis ante templi excidium conſidere collegium LXX Senio-
rum conſuevit. Locum Judæi vocant בחנויות, *in tabernis*, id
eſt, prope mercatorum & nummulariorum tabernas. Ovium
balatu, columbarum pipitu, mugitu boum, ementium ven-
609. dentiumque garritu, locus ille perſonabat. Inde Jeſus mer-
cantes vendenteſque proturbavit & ejecit *Luc. XIX, 45, Marc.*
611. *XI, 15, Matth. XXI, 12.* Porta, ad porticum *Salomonis* fe-
rens, orienti ſoli obverſa, vocabatur Suſan & *πύλη ὡραία*, *Act.*
614. *III, 2, 10.* Alii, portam *Nicanoris* deſignari per *ὡραίαν*, exiſti-
mant. Ab hiſce ſententiam Cl. Autor ſuam ſejungit. Sedit
enim claudus ille, mirifico effectu ſanatus, ad portam *ὡραίαν*,
ipſamque porticum *Salomonis.* Sanatus eſt a *Petro*, portam
616. nondum ingreſſo. Poſtea demum ipſe cum utroque Apoſto-
lorum porticum *Salomonis* intravit. Succincte & parce ſumma
ſaltem Diſſertationis, per ſeſe commendabilis, delibavimus ca-
pita.

Digitized by Google

pita. Progrediendum enim eſt ad *Petri Zornii Diſſ. de. de Superſtitioſa plagarum cœli antiquitus apud varias gentes obſervatione in ſepeliendis mortuis.* Ex hac, more noſtro, nonnihil decerptum dabimus. Athenienſes cadavera ad orientem ſolem converſa humarunt. Judæi direxere ſepeliendorum in tumulo facies pedesque verſus Hieroſolymam. Muhammedani, facie Pag. 617.
Meccam verſa, terra teguntur. Græci Chriſtiani corpora demortua, facie ad Orientem converſa, tumulare ſolent. De ſitu corporis Chriſti in ſepulcro ea afferuntur plerumque, quæ ſunt incerta. Succedunt *J. C. Harenbergii Emendationes in Julii Cæſaris libros criticæ, iterum continuatæ.* Eæ ſunt argumenti ſatis minuti, ac e particulis compoſiti, quod a com- 650.
pendiaria recenſione abhorret. *J. C. Schwarzii*, præſtantiſſimi Collegæ noſtri, cura produxit eam, quæ ſequitur, breviorem Diſſertationem. Exhibetur hic *Explanatio verborum Nepotis: T. Pomponius Atticus ab ultima origine ſtirpis Romanæ generatus*, &c. *Adduntur nonnulla ad Cæſaris Germanici Arati verſ.* 689.
38. Sunt, qui verbo *Romanæ* ſine ulla MSti Codicis autoritate ſubſtituerunt vocem *regiæ*. Faſtidiebant Romani ætate *Nepotis*, quicquid *regium* vocabatur. *Octaviani* conſiderantiam in ſumendo *Principis* nomine ipſi fuerant mirati. Glorioſum ipſis erat, habuiſſe progenitores, jam olim Romæ commoratos ac 671
florentes. *Nepos* ſignificavit, *Atticum* fuiſſe ſtirpis Romanæ, & quidem tam antiquæ, quam ipſa erat Roma. Legitur vulgo verſus *Arat. 38* ita: *Dictæi texere Atydis famuli Coribantes.* Hunc ex MSto ſic reſtituit Noſter: *Dictæi texere Attis famuli Corybantes.* Poſthæc ſuppeditantur amatoribus Latinitatis ſelectæ *Voces aliquot Latinæ, quæ in vulgaribus Latinæ linguæ* 673.
Lexicis fruſtra quæruntur, ex priſcis Autoribus collectæ a Frid. Ottone Menckenio, quarum nunc miſſus *octavus* ſiſtitur. En illas! *Tragacanthum*, plantha, Medicis nota, *tranquillum*, Subſt. *triangulum*, Subſt. *triennia*, feſtum, *Baccho* ſacrum, ac tertio quoque anno recurrens, *trietericus*, Adj. *trieteris*, ſpatium trium annorum, *tryphera*, medicamentum compoſitum, idque delicatum, *Troglodytis*, Troglodytarum regioni propria, *vicanus*, vici incola, *violatrix*, *umbratice*, *Caſſiodori* adverbium, *utrinſecus*, *xylocinnamum*. Epiſtolis *Giſberti Cuperi*,

Digitized by Google

Pag. 690. *peri*, ad *Theodorum Janſſonium ab Almeloveen* ſcr ptis, denique locus eſt relictus. Numerantur earum octo, a decima computandarum. Veteres in lectis, vel grabatis, apertis recubaſſe, novis *Cuperus* comprobat argumentis. Stragula eis fuiſſe, quibus tori ſternebantur, pretioſiſſima, ſignificat idem. In *toralia*
692. veterum inquirit. De *conopeis* exponit, hoc eſt, de tegminibus, ad arcendos culices reticulato opere confectis. Miniatulas ceras locis nonnullis Diſſertationis *de Poculis veterum Almeloveeniana*
695. *niana* apponit. Veſtem *fulguritam*, qua ſacra celebraturi minime conſueverant uti, illuſtrat. *Fulguritum* eſt *fulmine tactum*.
703. Literæ ΑΛ in ſtatua Ægyptia quid notent, diſqu rit. Latere in eis nomen ἀλήθεια, *veritas*, negat, cauſatus, veritatem ab an-
711. tiquis pro Dea cultam haud eſſe. Putat, ſcorpium a Chriſto opponi ovo, quia ille mortifer, hoc ſaluberrimum, eſt. Literas ΑΛ *Alexandrum* notare, conjectat. De voce *Medioximis* in
719. antiqua Inſcriptione agit. Deam *Diam* in veteri Inſcriptione eſſe *Junonem*, docet. Varias Inſcriptiones antiquas explicat.
725. Faſtos conſulares auget & emendat. *Pomponii de Origine Juris* loca duo exponit. An duæ Tragœdiæ, *Medea* inſcriptæ, ab
733. *Ovidio* ſint compoſitæ, inquirit. In variis Inſcriptionibus antiquis unum duntaxat Conſulem nominari, docet. In Faſtis conſularibus augendis, aut emendandis, multum operæ ponit. Quæſtiones paſſim varias amico ſuo proponit. Ad Faſtos conſulares eruditas animadverſiones ſubminiſtrat. *Caracallam* chlamyde uſum ſemialba & ſemipurpurea, notat. Tandem *Cu-*
743. *peri* Epiſtolis ſuccedunt *Addenda ad Chriſtophori Saxii Stricturarum in nuperum Franci cujusdam de Incerto Hiſtoriæ Romanorum antiquiſſimæ libellum Sectionem tertiam*, *quæ legitur in Miſcell. Lipſ. nov. Vol. III P. II pag. 235 ſeq.* Suffiguntur huic *Parti* Indices duo, ac errores nonnulli operarum, accurate emendati. Propediem ad *Volumen IV* delibandum accedemus.

NOVA LITERARIA.

Non injucundum fortaſſe fuerit Lectori, ea hic legere, quæ nuper publico Programmate de conjunctim a ſe edendis Cel. *Jo. Gottlieb Heineccii* Operibus nos docuerunt typographi in Genevenſi urbe nobiles, *Crameri* hæredes & fratres *Philiberti*. Ea hæc ſunt:

Doctorum

Doctorum virorum opera in unum cogi, utilis non minus, quam gratus, labor dici meretur, nec, niſi inepte ſtultus, vocabit in dubium. Quam facile pereunt Opuſcula minora, vel in alia regna non vehuntur, quæ ab omnibus legi, quam maxime intereſt rei publicæ literariæ. Hiſtoriæ literariæ nobis enarrare ſolent vel libros deperditos, vel rariores; utrumque vero caput vel plane non, vel ſaltem minutiſſimum, appareret, ſi ita cum doctorum hominum ſcriptis ageretur. Immo ipſe eventus hactenus noſtram ſententiam firmavit ſatis, atque, ſperamus, in poſterum firmabit amplius. Quodſi, quæ diximus, vera ſunt, nemo facile vituperabit inſtitutum noſtrum, quod cepimus, in unum quaſi cogere, & conjunctim exhibere, Viri toto orbe celeberrimi, Jo. Gottlieb Heineccii, *Pot. Pruſſ. Regis nuper a Conſil. ſanctior. Jurium ac Philoſ. in ill. Frideric. Profeſſ. Publ. Ord. jam vero immatura morte nobis erepti*, Opera omnia, ad univerſam Jurisprudentiam, Philoſophiam, atque literas humaniores, pertinentia, *de quibus pauca in præſentia monebimus. Ad formam quod attinet, elegimus commodiſſimam tractantibus libros, nempe quartam, quam vocare ſolemus; quæ vero res effecit, ut plures Tomi fiant, quorum primus jam tibi, honoratiſſime Lector, ſiſtitur. Id vero incommodum maximum habet commodum, ut, qui unum emere velit, non neceſſe habeat, reliquos ſimul ſibi comparare, eaque re apud multos magnam gratiam nos inituros confidimus. Ex eadem cauſa, quæ Præfationis loco eſſe debebat, Commentatio* de vita ac ſcriptis *divi Viri ſeparatim excudetur, eadem tamen forma, ut vel Tomo alicui jungi, vel ſeparatim legi, poſſit. Chartæ nitor, typorum elegantia, atque impreſſio emendatiſſima, diligentiam noſtram adhibitam, & ipſum opus adeo, commendabunt quam maxime. Ad primum huncce Tomum quod attinet, in eo comparent* Fundamenta ſtili cultioris, *quorum undecima impreſſio indicium luculentiſſimum eſt, avide ea emtores reperiſſe. Retinuimus annotationes celeberrimi Gœttingenſium Profeſſoris*, Jo. Matthiæ Geſneri, *ut & Præfationem, quam Lipſienſis bibliopolæ nomine ſcripſerat juvenis doctiſſimus*, Georgius Guilielmus Oederus. *Additas præterea hinc vides notulas quasdam, quas debemus benevolentiæ amici cujuſdam noſtri, cujus*

nomen

Digitized by Google

nomen apponere non licet. Inſequuntur Hiſtoria philoſophica, *atque* Elementa Philoſophiæ rationalis ac moralis, *ſæpius itidem recuſa; ac denique* Iuris naturæ ac gentium elementa, *tertium impreſſa, de quibus omnibus in laudata Commentatione plura dicta reperies notatu digna. Tu interim vale, benevole Lector, atque alterum Tomum propediem a nobis exſpecta. Scribebamus Genevæ Cal. Jul. 1744. Ut emtoribus, vel ſubſcriptoribus, innoteſcat hujus noſtræ editionis pretium, hæc adjungenda cenſemus. Scilicet in omnium arbitrio reliquimus, vel integra opera, vel ſingulos Tomos, aut Tractatus, ſuo quemque cum Indice emere; dummodo ſubſcriptionis pretium ſolverint, cum in lucem prodibunt Volumina, hoc modo: charta maxima pro centum foliis, L. 5 Genev. vel L. 8, 5 Gall. charta ordinaria ſcriptoria pro 100 fol. L. 4 Genev. vel L. 6, 12 ſ. Gall. Charta ordinaria non-ſcriptoria, 100 fol. L. 3 Genev. ſeu L. 5 Gall. At, poſtquam confectum erit & editum opus integrum, non minus, quam tertia parte, augebuntur pretia ſuperius dicta, adeoque pro L. 3 ſolvenda erunt L. 4. Et eadem erit ratio chartarum omnium. Liber conſtabit octo Tomis & octingentis foliis circiter, a Clar. quodam Viro auctis, nempe* Tom. I. 1) *Fundamenta Stili cultioris,* 2) *Elementa Philoſophiæ ration. & moral.* 3) *Elementa Juris Naturæ & Gentium;* Tom. II. 1) *Antiquit. Roman. Jurisprud. illuſtrant. Syntagma;* 2) *Hiſtoria Juris Civilis Romani ac Germanici;* Tom. III. 1) *Elementa Juris Civilis ſecundum ordinem Inſtitutionum;* 2) *idem ſecundum ordinem Pandectarum;* Tom. IV. 1) *Elementa Juris Germanici, tum veteris, tum hodierni;* 2) *Elementa Juris Cambialis;* Tom. V *Opuſculorum variorum* Sylloge I; Tom. VI *eorundem* Sylloge II; Tom. VII *Opuſcula minora varii argumenti, Præfationes, & Diſſertationes Academicæ;* Tom. VIII. 1) *Comment. ad Legem Juliam & Papiam Poppæam;* 2) *Opuſcula poſthuma, ſcilicet* a) *Hiſtoria Edictorum usque ad Edictum perpetuum,* b) *Vita Salvii Juliani J. C. conditoris Edicti perpetui,* c) *Specimina Edicti perpetui reſtituti, cum notis & probationibus,* d) *Trias reſponſorum illuſtrium,* e) *Notæ in Vinnium; Commentarius de Vita ac ſcriptis Heineccii.*

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCXLVI.

Pars II.

FRANCISCI ARISII, PATRIÆ SUÆ ORdinum Conſervatoris jubilati, Cremona literata. Tomus tertius, ab anno 1601 ad 1741.

Cremonæ, apud Petrum Ricchini, 1741, fol. Alph. 4 plag. 8.

Autor hic (cujus A. 1743 d. 24 Junii ætatis anno octogeſimo ſexto defuncti, vita nuper exhibita eſt in *Tomo XXXI* Sylloges illius, quæ *Raccolta d' Opuſcoli ſcientifici e filologici* inſcribitur,) jam A. 1702 *duos Cremona literatæ Tomos*, Parmæ excuſos, ediderat; quorum *primum* in his *Actis Menſ. Mart. A. 1706 pag. 134* recenſuimus. Ex eo tempore cum *Tomum tertium*, itemque *quartum*, compoſuiſſet, accidit A. 1727, ut ii abſumerentur incendio. Nec tamen gravatus eſt, ſe iterum accingere ad hunc laborem. Quæ tum congeſſit, in hoc uno *Tomo* exhibet omnia. Non quidem placebit elegantibus lectoribus ejus ſcribendi genus; iisdemque gratius futurum erat, ſi vitam cujusque ſcriptoris expoſuiſſet diligentius, nec ipſos emortuales annos plerumque præteriiſſet ſilentio. Tamen, cupide exceptum iri, credimus, hoc opus, cum, ut *Plinius* ait, *hiſtoria quoquo modo ſcripta delectet*. Ceterum, cum ſuperioribus in *Tomis* ordinem ſecutus ſit chronologicum, merito ei nunc placuit alphabeticus, & quidem ſecundum prænomina, quod ſi quibus incommodum eſt, ii ſubjunctum *Indicem nominum* inſpiciant. Nos quidem e tanto doctorum

Cremonenſium numero eos duntaxat commemorabimus, quorum notitia exteris quoque jucunda eſt atque utilis. En horum pleroſque: *Alexander Capra*, cujus libri *de Architectura* omnes A. 1717 in *duobus Tomis* recuſi ſunt; *Alexander Sicnus*, qui edidit *Hymnodiam eccleſiaſticam*; *Antonius Agellius*, ſcriptor Commentariorum in *Pſalmos*, in *Jeremiæ threnos*, in *Habacucum*, in *Proverbia Salomonis*; *Auguſtinus Romanus de Floribus*, qui præter alia edidit (in *folio*) *Eccleſiam in triplici ſtatu, legis naturalis, legis veteris, & legis novæ*; *Bartholomæus Platina*, de quo cum jam primo in *Tomo* egiſſet, hic nonnihil adjicitur; *Carolus Felix Matta*, m. A. 1701, qui opus quinque librorum *de Canonizatione* emiſit; *Carolus Franciſcus Cogroſſus*, Medicus adhuc Cremonæ, qui multos edidit medici argumenti libros; *Cæſar Carena*, qui A. 1655 magnum opus edidit *de officio ſanctiſſimæ Inquiſitionis*; *Cæſar Cremoninus*, cujus ſcriptorum catalogus exhibetur, prætereaque docetur, falſo tradi, eum ſepulcro ſuo inſcribi juſſiſſe hæc verba: *Hic jacet totus Cremoninus*; *Deſiderius Ariſius*, Noſtri frater, m. A. 1725, qui A. 1695 denuo excudi curavit *Andreæ Guarnæ Bellum grammaticale*, & opus nondum editum reliquit, ducentos triginta quinque Cremonenſes pictores, ſculptores, & architectos, exhibens; *Deſiderius Scalea*, m. A. 1639, qui *Seriem* edidit *cauſarum, ad S. Officium ſpectantium*, itemque *Inſtitutionem de modo formandi proceſſus in cauſis ſtrygum*; *Dominicus Pueronus*, qui A. 1666 in *Bullam Cœnæ Domini* Commentarium edidit, & cujus *Inſtitutionum de Regularium ariſtocratia Tomi IV* A. 1632 prodierunt; *Franciſcus Ariſius*, noſter Autor, qui ne ſuam quidem vitam ſatis bene deſcripſit, quippe nec illud indicans, quo fuerit anno natus. Illud tantum ex eo, quod jam A. 1677 & 1678 edita carmina ſua memorat, colligere poſſunt lectores, grandævorum eum eſſe in numero. Quæ ſcripſit, ſunt vel Carmina Italica, vel libri, hiſtoriam Italiæ literariam illuſtrantes. *Franciſcus Rederaſcus*, ICtus, cujus *Conſilia & Reſponſa* A. 1652 emiſſa ſunt. *Gabrielis Faerni*, de quo jam in *Tomo I* actum, hiſtoriæ aliquid adjicitur. *Gaſpar Aſellius*, Anatomicus celeberrimus,

Digitized by Google

berrimus, m. A. 1626, cujus hic ſcripta recenſentur ſtudioſe; *Gherardus Cremonenſis*, Medicus, multorum librorum editor; *Guido Grandus*, Mathematicus Academiæ Piſanæ longe clariſſimus, de quo multa docemur *pag.* 87–95. Exhibetur enim perfectus eorum, quæ ſcripſit, catalogus. *Hieronymus Capredonus*, qui initio Seculi XVII tres publicavit libros *de Theologia Ariſtotelis*. *Hieronymus de Novellis*, & Italus & Latinus Poeta egregius, m. A. 1623; *Homobonus de Bonis*, qui A. 1618 *de Caſibus reſervatis* edidit *Commentarium*, A. 1623 tres Tomos *de examine eccleſiaſticorum*, A. 1632 *Reſponſa quæſtionum moralium*; *Homobonus Piſo*, Medicus Academiæ Patavinæ, qui circulationem ſanguinis impugnavit, pluraque ſuæ profeſſionis ſcripta emiſit; *Horatius Guarguantus*, qui A. 1613 edidit *Reſponſa medica*; *Jo. Baptiſta de Raymondis*, linguarum Orientis, & præcipue Arabicæ, peritiſſimus; *Jo. Paulus Melius*, JCtus multis ſcriptis clarus; *Jo. Paulus Nazarius*, cujus opera, partim philoſophica, partim theologica, in ſex maximæ formæ Voluminibus Coloniæ prodierunt A. 1621; *Joſephus Breſſianus*, urbis Cremonæ Hiſtoriographus, qui multa conſcripſit hiſtorica, ſed magnam partem nondum edita; *Joſephus Hieronymus Sementius*, Orator & Poeta percelebris, m. A. 1706, de quo plura infra in *Appendice pag.* 373 *ſeq.*; *Joſephus Maria Breſſianus*, m. A. 1737, qui multis ſcriptis illuſtravit Jus Civile; *Laurentius Legatus*, m. A. 1737, in Academia Bononienſi Græcarum literarum Profeſſor, Poeta & Latinus & Græcus; *Lucretia Vidalenga Campana*, mulier doctiſſima, m. A. 1630, quæ publica e cathedra defendit theſes theologicas, & poſtea *ſeptem Tomos* operum ſuorum ſpiritualium edidit ſermone patrio; *Ludovicus Rodolphinus*, JCtus, multorum Autor librorum; *Manaritanus Chilacmenus*, quo ſub nomine ἀναγραμματικῶς latet *Antonius Maria Leo Macchius*, adhuc vivens, qui omnes *Euripidis* Tragœdias traduxit in linguam Italicam; *Marcus Hieronymus Vida*, de quo proferuntur, quæ in *Tomo ſecundo* fuerunt omiſſa; *Octavianus Picenardus*, Academiæ Ticinenſis JCtus, m. A. 1646; *Paulus Areſius*, qui *Libros quatuor* edidit *de arte concionandi*, *Velitationes de*

Digitized by Google

Cantici Canticorum ſenſu, Velitationes item *in Apocalypſin*, quibus præmiſſa eſt vita ejus, a *Paulo Sfondrato* ſcripta; *Paulus Muſconius*, eximius Poeta, qui *Parthenomachiæ* Libros octo edidit, in quibus laudat virgines, Martyrum in numero claras; *Paulus Valcarengus*, Medicus nunc Cremonæ, qui A. 1737 edidit *Medicinam rationalem*, poſteaque alia, ſuam diſciplinam illuſtrantia; *Petrus Cannetus*, m. A. 1730, Poeta & Orator Latinus laudatiſſimus, cultor item Hiſtoriæ literariæ ſtudioſiſſimus. Exhibetur hic *pag. 264 — 273* ejus Apologia pro *M. Hieronymo Vida. Petrus Antonius Boſellus Vitalengus*, m. A. 1672, qui librum edidit *de poteſtate Pontificis in temporalibus*, multosque reliquit libros, nondum publicatos, partim philoſophicos, partim theologicos, quorum hic profertur catalogus; *Petrus Maria Paſſerinus*, cujus multa ſcripta theologica Romæ ſunt edita; *Theodorus Baronius*, Medicus; *Thomas Maria Botta*, m. A. 1728, qui multa patrio ſermone edidit, & philoſophica, & theologica; *Vincentius Gallus*, Mediolani quondam doctor literarum humaniorum, qui edidit A. 1610 *Libros tres de inſtitutione grammatica*, A. 1618 librum *de elocutione oratoria*, ac poſtea ſingulos libros *de Poemate lyrico*, *de Epigrammate*, *de Oda*, *de Elegia*. Annexa eſt *pag. 325 ſeq. Appendix* ad tres *Cremonæ literatæ Tomos*. Ex hac duos viros producemus, antea non memoratos. Scilicet *pag. 338 ſeq.* exhibetur narratio de *Janello Turriano*, Cremonenſi, qui, quam turpis facie, tam præſtans fuit ingenio. Nulla data literis opera, tamen artium mathematicarum erat peritiſſimus. Fabricabat aves, quæ non ſolum alas quatiebant, ſed ſonum etiam edebant. Imperatori *Carolo V* horologium obtulit, a ſe confectum, quod omnes planetarum motus repræſentabat. Plures de hoc inſigni artifice hic producuntur ſcriptores. Alter, quem ſilentio non ducimus prætereundum, eſt, qui Romæ adhuc vivit, *Joannes Franciſcus a Sorexina*; qui præter alia *Corpus* edidit *Juris Seraphici, in CLXXX titulos diſtributum*. Eſt Minorita monachus, cujus lectu jucunda vita hic ſatis copioſe enarratur.

DE CULTU SANCTORUM DISSERTATIONES

decem,

Digitized by Google

decem, quibus acceſſit Appendix de Cruce, Autore D. JOANNE CHRYSOSTOMO TROMBELLI, Bononienſi, Canonico regulari Congregationis Rhenanæ & Sanctiſſimi Salvatoris Bononiæ Abbate, S. D. N. BENEDICTO XIV, P. O. M. dicatæ. Tomi I Pars prior, complectens Diſſertationes IV.

Bononiæ, ex typographia Laurentii Martelli, 1740, 4.
Alph. 2.

Verſatur Rev. Autoris diligentia in ea, quam Romana eccleſia profitetur, doctrina non ſolum ſtabilienda, ſed etiam adverſus diſſentientes vindicanda. *Diſſertatio I quatuor* abit in *Capita*. *Primo* traditur, quid ſit cultus Sanctorum, & quomodo differant latria, hyperdulia, & dulia. *Secundo* occurrere ſtudet Autor ſententiis, quæ a Proteſtantibus objectari ſolent. *Tertio* exponitur de originatione *adorationis* ac *venerationis*. *Quarto* commemoratur ſumma controverſiæ, quæ Pontificios inter & Proteſtantes agitatur. *Diſſertatio II* occupatur in eccleſiaſticis antiquitatibus excutiendis. Enumerantur *Cap. 1* ii, qui extra eccleſiam Chriſtianam cultum Sanctis denegandum exiſtimarunt, nominatim gentiles, Mahomedani, & Judæi. Pag. 32.
Recenſentur *Cap. 2* ii, qui, Chriſtianam fidem profeſſi, cultui Sanctorum obſtitere. Inquiritur ſimul in ſententiæ hujus autorem. 35.
Perſuadet ſibi Cel. Autor *Cap. 3*, neque *Baſilidem*, neque eos Gnoſticos, quos *Irenæus XX, 3*, reprehendit, neque Manichæos denique omnes, a cultu Sanctis exhibendo penitus abhorruiſſe. Differit *Cap. 4* de *Euſtathio*, cujus in Concilio Gangrenſi damnati ſunt errores; quique omnium primus cultum Sanctorum fertur improbaſſe. Quærit Autor, quisnam ille exſtiterit, & an re vera primus omnium venerationem Sanctis adhibitam luculente oppugnarit. 39.
Ediſſerit *Cap. 5* ſuam opinionem de *Eunomio*, de Arianis, de *Joviniano*, & de *Vigilantio*. 42.
Subtexit tandem *Cap. 6* ſeriem eorum, qui illum Sanctorum cultum poſt *Vigilantium* ad noſtra uſque tempora repudiarunt. 52.
Diſſertatio tertia eſt dogmatica, ac pro

 cultu,

Digitized by Google

cultu, Sanctis tribuendo, tanquam pro aris focisque, pugnat.
Pag. 68. En argumentum primum. Eccleſia univerſa docuit ante Proteſtantium ætatem, Sanctos Angelosque eſſe invocandos, atque homines ope ſua adjuvare. Quis vero dixerit, eccleſiam
69. univerſam poſſe errare? Nonne Chriſtus, ſuis ſe adfore ad finem uſque mundi, *Matth. XXVIII, 20*, promiſit? Ita Cel. Vir ſubducit ſuas rationes. Novit ipſe procul dubio, Proteſtantes hic deſiderare evidentem de cœlitibus invocandis præceptionem & promiſſionem; ipſos exemplum divitis epulonis, in infernum detruſi, ac *Abrahamum* invocantis, ſequi nolle; inniti Deo omniſcio, omnipotenti, ac benigniſſimo; vereri maledictionem Dei, eis prænuntiatam, qui rebus in creatis fiduciam defigunt; ſufficere ſibi exempla Sanctorum, in ſacris literis conſignata; nec dari convictionem de eo, an cœlites nos noſtraque diſtincte & adæquate norint; emendaſſe Romanæ eccleſiæ proceres doctrinam haud unam recentiori ævo, cui ante Proteſtantium ætatem alius fuerat ſenſus; eccleſiam univerſam haud multitudine adſpectabili eſſe metiendam; nec ea, quæ ad eccleſiam univerſalem ſpectant, promiſſa ad unam externam, particularem, & viſibilem, eſſe trahenda. Omittimus reliqua, & id inprimis, Seculo V in univerſa adſpectabili eccleſia euchariſtiam ſacram infantibus fuiſſe datam, & ad Seculum uſque XII ac ultra ſacram Cœnam laicis adminiſtratam fuiſſe ſub utraque. Ut Cel. Autor exemplum ſuppeditet ex V. T. quo, cœlites ab orthodoxis fuiſſe invocatos ex opinione totius eccleſiæ Judaicæ, comprobet, provocat ad *2 Macc. XV, 12*, ubi privata *Judæ* opinio recenſetur in libro, quem eccleſia nec Judaica, nec Chriſtiana per aliquot, imo plura, Secula, habuit pro θεοπνεύςῳ. Confugit etiam ad orationem, quam *Joſephus*
72. *Abrahamo*, filium mactaturo, adfinxit *Ant. I, 22*. Tum provocat ad illa *Jeremiæ XV: Si ſteterit Moſes & Samuel coram me* &c. Simulacrorum cultores jam *Moſis* ætate cœlites Divosque invocaſſe, nemo inficiatur, ſiquidem illi invocationi Deus permultas oppoſuit leges. Viros ſanctos vita defunctos deprecari Deum pro eccleſiæ militantis neceſſitatibus, docet locus *2 Macc. XV, 12, 13, 14*, & ipſe Autor Commentariorum in

Canticum,

Canticum, quem putant eſſe *Origenem Hom. III*, atque id Proteſtantes ipſi probabile exiſtimant. Hi vero ſibi haud perſuadere poſſunt, ex illa cœlitum pro militanti eccleſia deprecatione profluere officium colendi invocandique cœlites. Nam deprecatio illa non innititur cognitioni infinitæ, diſtinctæ, & adæquatæ, multo minus ſingulari, ac individuis coæquandæ; nec patet gradus modusque, per quem homo preces in notitiam cœlitum perducere poteſt, ſiquidem ipſi ſunt nec omniſcii, nec omnipræſentes. Deum cum ipſis communicare omniſcientiam & omnipræſcientiam ſuam, nemo contendet. Locum *Jeremiæ* Proteſtantes de conditione illa, *licet vel maxime Moſes & Samuel adhuc in terris eſſent, & ardentiſſimo conſuetoque more pro Judæis Deum deprecarentur*, exponunt. Cel. Autor porro ex interrogatione Angeli, in viſione apparentis *Zach. I, 12*, Pag. 79.
oſtendere laborat, cœlites, angelos præcipue, pro hominibus ac eccleſia militante ſuas interponere preces. Idem ut confirmet, provocat ad *Dan. X, 21.* Preces piorum ab Angelis ad Deum deferri, docet ex *Tob. XII, 12*, addens, munus id Angelis eſſe impoſitum, ut precibus noſtris ſuas adjungant. Urget inprimis *Job. XXXIII, 23, 24*, ubi de Chriſto eſt ſermo, qui deprecatur pro hominibus, expiatione inventa. *Philo* in 80.
libro de Somniis, *Platonicus* quippe, largitur, Angelos adſcendere & deſcendere ad deſideria hominum Deo commendanda, & mandata Dei ad homines perferenda. Nil addidit *Philo* de Angelorum pro nobis deprecatione. Tum diſſentientium exhibet exceptiones, ac denuo dogmata ſua repetit. Laudat illud *Ambroſii* in *Lucam XVIII, 16: Infirmorum preces* 85.
ad Dominum patrociniis angelorum evehuntur; nemo tentet invalidum, ne angelos lædat. Provocat porro ad *Apoc. VIII, 3, 4*, ubi apparuiſſe dicitur Angelus ſub ſpecie & functione ſacerdotis V. T. ad aram auream ſuffientis. Deinde ad ſuppoſititium *Dionyſium Areopagitam* procedit. *Origenem* laudat, qui *Lib. VIII contra Celſum* putat, ab Angelis adjuvari eos, qui contendunt ad ſalutem, & Deum invocant, ipſosque preces offerre. Quod quis neget fieri, nobis non conſtat. Si *Origenes*, Angelos eſſe invocandos, docuiſſet, id ſane Autoris

Pag. 91. ri[illegible]deſtinationem confirmaret. Notum eſt illud *Ambroſii e Lib. VIII in Lucam n. 96 : Sicut Angeli præſunt, ita & hi, qui vitam meruerint Angelorum.* Inde Autor, nos Angelorum & beatorum precibus apud Deum juvari, noſtrumque eſſe, eos invocare, colligit. Beatos pro vivis fundere preces, it comprobatum ex *2 Pet. I, 15*, ubi docet *Petrus*, ſeſe, quam diuvitam hanc victurus ſit, omni ope contenturum, ut memores eſſent ipſi emendati, ſeſe etiam mortuo doctrinarum, ab ipſo traditarum, ut
93. perſpicitur ex collatione *v. 13* & *11*. *Leo M. Petrum* pro ipſo Deum orare, exiſtimavit. Autori quoque illa cœlitum deprecatio, pro nobis fieri ſolita, videtur illuſtrari poſſe ex *Apoc. V, 8.* Mentes defunctorum pro ſeſe Deum laudant, & aliquid expetunt, *Apoc. V, 8, 9, 10, VI, 10, VII, 15*, &c. Inde autem cum Cel. Autore colligere velle, preces illas cœlitum pro aliis fieri, inconveniens videtur, licet, cœlites generatim pro eccleſia militante Deum orare, nemo facile ſit negaturus. *Auguſtinus XXII, 10, de C. D.: Faciunt iſta* miracula *Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua, eos non Deos eſſe noſtros, ſed unum Deum habere nobiſcum, credamus.* *Auguſtinus* de modo, quo Martyres ſuccurrere nonnulli putabant eccleſiæ, prorſus hic eſt incertus, ut e *Cap. 9* etiam pateſcit. Id quoque incertum, XXIV illi Seniores *Apoc. V, 8, 9*, an preces ſuas, an aliorum, an pro ſeſe, an pro aliis, viſi fuerint Deo offerre. Mirandum ſane, locum hunc a Cel. Autore inter præſidia doctrinæ afferri, quæ faveant deprecationi mentium disjunctarum, pro terrico-
100. lis inſtitutæ. Legitur Epiſtola inter *Ambroſianas* de Paſſione Martyrum *Gervaſii* & *Protaſii*, ac in ea exſtat *n. 18 Actorum* hæc commemoratio: *Ego Philippus abſtuli cum filio meo furtim nocte Sanctorum iſtorum corpora & — — ſepelivi, credens, me orationibus eorum conſequi miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti.* *Tillemontius* negat, *Ambroſii* hanc eſſe Epiſtolam, licet *Damaſcenus*, ita eſſe, crediderit. Ex Actis S. *Ignatii* evincere ſtudet, orare Deum pro eccleſia militante ſancte defunctos. Idem ſibi videtur colligere ex cura, quam geſſerunt fideles ſacri cadaveris S. *Polycarpi*. Quæ quidem ratio argumentan-

menſandi eſt obſcurior. Ex *Irenæo V, 19,* idem it comproba- Pag. 202.
tum, ubi *virgo Maria* vocatur *virginis Evæ advocata*, in trans-
latione Latina. Unicum dari mediatorem homines inter &
Deum, & illum quidem paracletum, & expiationem pro pec-
catis omnium, norunt Chriſtiani omnes. *Maria* non potuit
patrocinari, antequam exſtitit, *Evæ*. *Evam* vero ante *Ma-*
riæ Virginis nondum fuiſſe in cœlos receptam, quis ſacramen-
to contendere auſit? *Virgo Eva* pro poſteris & progenie per
metonymiam ponitur æque ac *virgo Maria* pro ejus progenie,
ſeu Chriſto ipſo. Id enim contextus orationis ſignificat. Et
quis negat, *Mariam*, qua cœlitibus adſcriptam, eccleſiæ mi-
litanti favere, precibusque generatim eſſe adjumento? Profert 204.
poſthæc Autor ad idem comprobandum loca ex Actis Marty-
rum Scillitanorum, *Origene*, *Euſebio*, & Actis *Maximi* Mar-
tyris. Mirum ſane, conquiri loca ab Autore operoſiſſime,
quæ, cœlites pro eccleſia militante Deum orare, docent, ac
ipſum iſthæc Proteſtantibus opponere. At hi in Apologia
Confeſſionis Auguſtanæ aperte largiuntur, Sanctos in cœlis in
genere pro eccleſia orare. Ideo autem, quod defuncti pro
eccleſia militante Deum orant, nondum conſequitur, eos eſ-
ſe invocandos, fatente ipſo *Bellarmino Lib. II de Purgatorio* §. 15.
Revera a ſanctis cœlitibus noſtras actiones conſpici, ipſosque in-
ſpicere vitam noſtram, Rev. Autor teſtimoniis Patrum, quo- 216.
rum antiquiſſimus eſt *Ambroſius*, it comprobatum. *Pruden-*
tium quoque citat ſuffragantem. *Gregorium M.* prædicat,
qui credidit, eos nil neſcire, qui ſcientem omnia ſciant, &
claritatem omnipotentis intus videant, *Lib. XII Moralium Cap.*
14 & *Lib. IV Dialogorum Cap. 33* in fine. An vero omniſcientia
cum homine non θεανθρώπῳ communicetur, vel communica-
ri poſſit, quæſtio eſt, quæ prius diſtincte eſt expedienda. Au- 218.
tor libri *de Vita contemplativa Gregorio* aſſentitur *Lib. I Cap.*
4 hunc in modum: *Nec latebit jam perfecte beatos aliquid ſecre-*
torum, qui, quod eſt longe præſtantius, ipſum viſuri ſunt mun-
dis cordibus Deum. Nec tamen hæc in eccleſia Romana huc
usque deciſa fuit quæſtio. Quare Cel. Autor explicare ſtu- 225.
duit probabiles modos, quibus ſancti cœlites res noſtras noſſe

facile poſſint. Oſtendit præterea, cœlitibus ad ſuffragationem atque opem ferendam nobis, ut ipſi certo ſciant res noſtras quaslibet, neceſſum haud eſſe. Perſuadet ſibi, Sanctos ab Angelis & animis, a terra in cœlos deductis, diſcere poſſe multa. Et quis inficiabitur, Deum utrisque multa poſſe patefacere? Adjungit, miracula edi poſſe, ac edita fuiſſe,
Pag. 230. ad cœlitum deſideria & preces. Tandem vero *Diſſertatione quarta* arcem cauſæ invadere ſtudet, operam dans, ut intelligatur, religioſam in cœlitum univerſos obſervantiam eſſe antiquiſſimam, perpetuo in eccleſia retentam, piam, ac fructuoſam.
240. Contendit ſtatim, ſanctis hominibus vita functis inter Ebræos venerationem redditam fuiſſe. Provocat eo fine ad *Joſ.* V, 13, ubi filius Dei, princeps exercitus Domini, a *Joſua* legitur obſervantiſſime honoratus. Idem plerique pronuntiant de
243. loco *Exod. III, 5*, quem Rev. Autor laudat. Salubriter idem monet, pro diſcrimine perſonarum capiendum eſſe *adorationis* vocabulum. Dum vero ſibi perſuadet, filium Dei non dici potuiſſe principem exercitus Domini, ſententiam fovet ſingularem. Nonne enim Meſſias vocatur *princeps pacis Eſ. IX, 6*? Hinc ad verba ex *Juſtini* Apologia deflectit, ubi La-
245. tini ſic legunt: *Sed & Deum patrem, & ejus filium, & exercitum Angelorum, & ſpiritum propheticum, colimus & adoramus.* *Euſebius* quoque *Dem. Evang. III, 3, pag. 106* ed. Colon. 1688 ita: *Angelos & cognoſcere & venerari pro ratione gradus dignitatis edocti ſumus, ut ſoli Deo, qui Rex eſt univerſi, adorationis honorem tribuamus.* Martyres coli, perhibet *Euſebius* idem *Præp. Ev. XIII. 11*, alias 7. *Theodoretus, de curandis Græcorum affectionibus* commentatus, a Chriſtianis Angelos hono-
247. rari, ſcripſit. Ad *Juſtini* locum *Petavius* oſtendit *Tom. II de Incarnat. Lib. XV Cap. 5 §. 5*, eum ad adorationem Angelo-
250. rum in Græco penitus haud quadrare. Ipſe Rev. Autor ita concludit: *Fateor, poſſe aliter verti ea Juſtini verba, ſed verti etiam commode poſſunt, ut Pontificii & vetuſtæ editiones proponunt.* *Gregorius Nazianzenus Or. 38* hortatur ſuos, ut *adorent præſepe Domini*, ac idem fecit *Hieronymus*, quemadmodum docet ipſe in *Apol. II adverſus Ruffinum*. Reſpondet

porro

Digitized by Google

porro Autor ad ea ſacri Codicis loca, quibus unicum Deum ju- Pag. 253.
bemur adorare, ſed cultus Angelis diſtincte demtus fuiſſe videtur,
e. g. *Col. II, 18, Apoc. XIX, 10, XXII, 9,* apud *Origenem contra Cel-* 262.
ſum V §. 4, VIII §. 5, 6. Reſponſione interpoſita locis illis mederi ſtudet, ac nil inexpertum omittit, ut ſcopo ſuo feciſſe ſatis videatur. Celebramus merito Autoris diligentiam, ordinem, & moderationem, ingenue fatentes, haud facile deprehenſum iri quemquam inter Pontificios, qui telam propoſitam tam plene & tam temperanter detexuiſſe ſit exiſtimandus. Id unum notamus, ſecus ſentientes haud nominatim eſſe deſignatos, nec ſcripta eorum diſtincte indicata.

ANIMADVERSIONES IN HEBRAICUM Exodi Librum, & in Græcam LXX interpretationem.

Veronæ, typis Seminarii, 1744, 8.

Plag. 2.

Vix in manus noſtras venerat hic libellus, Autore *Joſepho Torellio* confectus, & *Scipioni Maffejo*, Marchioni, inſcriptus, cum varia in eo offenderemus, minus exſpectata, quibus movebamur, ut, penitius libelli examen inſtituere, operæ pretium duceremus. Non contradicendi pruritu, non famam aliorum laceſſendi libidine quadam, ſed ſolo veritatem divinam vindicandi ardore, agitamur. Quamobrem, hac cauſæ noſtræ bonitate nixi, cenſuram Autoris doctiſſimi iniquiorem haud nobis metuendam ducimus. Id agit Clariſſ. *Torellius*, ut cum textu Exodi originali Verſionem LXX Alexandrinorum componat. Nec ſingula, quæ ab eo diſputata ſunt, a nobis reprehendi, ex eo facile apparet, quod magnam libelli partem, ubi recte ſentit Autor, intactam relinquimus. Ea tamen, veritatis ducti ſtudio, prætermittere haudquaquam poſſumus, in quibus de Verſione Græca nimis glorioſe loquitur, autoritatem textus originalis extenuat, & varia hujus oracula, velut mendoſa & depravata, ad normam illius emendari jubet. Huc ſumma dicendorum redit.

 Princi-

Digitized by Google

facile poſſint. Oſtendit præterea, cœlitibus ad ſuffragationem atque opem ferendam nobis, ut ipſi certo ſciant res noſtras quaslibet, neceſſum haud eſſe. Perſuadet ſibi, Sanctos ab Angelis & animis, a terra in cœlos deductis, diſcere poſſe multa. Et quis inficiabitur, Deum utrisque multa poſſe patefacere? Adjungit, miracula edi poſſe, ac edita fuiſſe,
Pag. 230. ad cœlitum deſideria & preces. Tandem vero *Diſſertatione quarta* arcem cauſæ invadere ſtudet, operam dans, ut intelligatur, religioſam in cœlitum univerſos obſervantiam eſſe antiquiſſimam, perpetuo in eccleſia retentam, piam, ac fructuoſam.
240. Contendit ſtatim, ſanctis hominibus vita functis inter Ebræos venerationem redditam fuiſſe. Provocat eo fine ad *Joſ. V, 13*, ubi filius Dei, princeps exercitus Domini, a *Joſua* legitur obſervantiſſime honoratus. Idem plerique pronuntiant de
243. loco *Exod. III, 5*, quem Rev. Autor laudat. Salubriter idem monet, pro diſcrimine perſonarum capiendum eſſe *adorationis* vocabulum. Dum vero ſibi perſuadet, filium Dei non dici potuiſſe principem exercitus Domini, ſententiam fovet ſingularem. Nonne enim Meſſias vocatur *princeps pacis Eſ. IX, 6?* Hinc ad verba ex *Juſtini* Apologia deflectit, ubi La-
245. tini ſic legunt: *Sed & Deum patrem, & ejus filium, & exercitum Angelorum, & ſpiritum propheticum, colimus & adoramus. Euſebius* quoque *Dem. Evang. III, 3, pag. 106* ed. Colon. 1688 ita: *Angelos & cognoſcere & venerari pro ratione gradus dignitatis edocti ſumus, ut ſoli Deo, qui Rex eſt univerſi, adorationis honorem tribuamus.* Martyres coli, perhibet *Euſebius* idem *Præp. Ev. XIII. 11*, alias *7. Theodoretus, de curandis Græcorum affectionibus* commentatus, a Chriſtianis Angelos hono-
247. rari, ſcripſit. Ad *Juſtini* locum *Petavius* oſtendit *Tom. II de Incarnat. Lib. XV Cap. 5 §. 5*, eum ad adorationem Angelo-
250. rum in Græco penitus haud quadrare. Ipſe Rev. Autor ita concludit: *Fateor, poſſe aliter verti ea Juſtini verba, ſed verti etiam commode poſſunt, ut Pontificii & vetuſtæ editiones proponunt. Gregorius Nazianzenus Or. 38* hortatur ſuos, ut *adorent præſepe Domini*, ac idem fecit *Hieronymus*, quemadmodum docet ipſe in *Apol. II adverſus Ruffinum.* Reſpondet

porro

Digitized by Google

porro Autor ad ea ſacri Codicis loca, quibus unicum Deum ju- Pag. 253.
bemur adorare, ſed cultus Angelis diſtincte demtus fuiſſe videtur,
e. g. *Col. II, 18, Apoc. XIX, 10, XXII, 9*, apud *Origenem contra Celſum V* §. 4, *VIII* §. 5, 6. Reſponſione interpoſita locis illis 262.
mederi ſtudet, ac nil inexpertum omittit, ut ſcopo ſuo feciſſe ſatis videatur. Celebramus merito Autoris diligentiam, ordinem, & moderationem, ingenue fatentes, haud facile deprehenſum iri quemquam inter Pontificios, qui telam propoſitam tam plene & tam temperanter detexuiſſe ſit exiſtimandus. Id unum notamus, ſecus ſentientes haud nominatim eſſe deſignatos, nec ſcripta eorum diſtincte indicata.

ANIMADVERSIONES IN HEBRAICUM Exodi Librum, & in Græcam LXX interpretationem.

Veronæ, typis Seminarii, 1744, 8.

Plag. 2.

Vix in manus noſtras venerat hic libellus, Autore *Joſepho Torellio* confectus, & *Scipioni Maffejo*, Marchioni, inſcriptus, cum varia in eo offenderemus, minus exſpectata, quibus movebamur, ut, penitius libelli examen inſtituere, operæ pretium duceremus. Non contradicendi pruritu, non famam aliorum laceſſendi libidine quadam, ſed ſolo veritatem divinam vindicandi ardore, agitamur. Quamobrem, hac cauſa noſtræ bonitate nixi, cenſuram Autoris doctiſſimi iniquiorem haud nobis metuendam ducimus. Id agit Clariſſ. *Torellius*, ut cum textu Exodi originali Verſionem LXX Alexandrinorum componat. Nec ſingula, quæ ab eo diſputata ſunt, a nobis reprehendi, ex eo facile apparet, quod magnam libelli partem, ubi recte ſentit Autor, intactam relinquimus. Ea tamen, veritatis ducti ſtudio, prætermittere handquaquam poſſumus, in quibus de Verſione Græca nimis glorioſe loquitur, autoritatem textus originalis extenuat, & varia hujus oracula, velut mendoſa & depravata, ad normam illius emendari jubet. Huc ſumma dicendorum redit.

Digitized by Google

Principio textui Alexandrinorum majus, quam par eſt, a *Torellio* ſtatuitur pretium. Eum enim non confert ſolum cum idiomate Hebraico, quod in interpretibus non culpandum, ſed laude dignum, eſt, verum ita confert, ut eundem textui ſacro multum anteferat, voces *Moſaicas* ad illius normam, veluti vitioſas, emendet, omnesque interpretandi rationes hujus ſolum autoritate fulciat. Non inficiamur, multa laude dignam eſſe Græcorum illam interpretationem. Ea tamen merito habetur inferior, qua a *Torellio* ornatur. Verſio eſt, omnium, quotquot exſtant, translationum V. T. antiquiſſima, eaque a multis viris doctiſſimis compoſita, majorique ſtudio recognita, emendata, atque examinata. Nihilo tamen ſecius manet verſio, quæ nunquam aſſurgit ad autoritatem textus authentici, multo minus eidem ab ullo ſapientiorum antefertur. Non ipſo Deo autore gaudet, ſed ab hominibus proficiſcitur, nec divino quodam afflatu in conficienda illa Senes gaviſi ſunt, ſed vel juſſu *Ptolemæi* Regis, ut vulgaris fert opinio, vel proprio inſtinctu, ad opus illud compulſi. Quamobrem in componenda illa ſæpenumero humani quid potuerunt perpeti, variosque in errores, etiam graviſſimos, incidere, qui noſtris adhuc temporibus ſuperſunt. Hos ne in medium afferamus, amplitudo dicendorum nos prohibet. Non poſſumus tamen, quin ſeptem illas claſſes Lectori erudito commendemus, ad quas revocantur omnes illi errores a Gottlob. *Carpzovio Crit. Sacr. V. T. pag. 513 ſeq.* Magno honore translationem illam Chriſtus ipſe atque Apoſtoli dignati ſunt, quando in transferendis oraculis V. T. eam in medium attulerunt. Id quod tamen ea mente factum non eſt, ut tantam ei conferrent autoritatem, quanta tribuitur a *Torellio*, ſed hoc ſolum fine, ut ſe ad genium gentis, ad quam loquendum, accommodarent. „ Ut lingua Græca dominans eo tempore fuit in toto fere terrarum orbe; ſic multi etiam Judæorum, in Ægypto atque alibi degentes, eadem uſi ſunt. Ab his cum pretium haud exiguum tribueretur Verſioni illi, nec Chriſtus eandem reſpuit. Denique nec Patrum autoritas quidquam hic efficit, cum *Carpzovius*, neque *Origenem*, ne-

 que

que *Hieronymum*, tam magnifice de LXX Senibus locutum eſſe, docuerit, ut in autoritate eorum inniti aliquis commode poſſit. Sed nolumus hanc rem copioſe perſequi, tum quod *Torellius* ſua ſtrictim breviterque ediſſerat, tum quod campus hic, quem ingreſſi videmur, latius multo pateat, quam ut a nobis peragrari poſſit. Progrediamur igitur ad alia. Quantum extollit pluribus inquinatam ſordibus Alexandrinorum interpretationem *Torellius*, tantum deprimit autoritatem Codicis Hebræi, ubi in opinionem delabitur, qua nulla violentior peſtilentiorque exiſtimari poteſt, *mendas*, horrenda dictu voce, ſupereſſe ratus in Codice hodierno. Non conſtitutum nobis eſt, integritatem Hebræis Codicis, a pluribus jam dextre ſatis copioſeque demonſtratam, ſed a *Torellio* perquam infeliciter ſugillatam ac ſolicitatam, denuo vindicare, quo quidem in argumento nemo vel accuratius, vel elegantius, verſatus eſt S. Rev. *Carpzovio*, qui, ut noſtra ætate in Criticorum ſacrorum principibus recte numeratur, ita & hujus capitis examen tam ſolidum, quam circumſpectum, inſtituit. Acquieſcimus potius in hujus aliorumque virorum doctorum ſententiis, in quibus nihil ineſſe videmus, quod culpari ullo jure poſſit. Nec miramur, *Torellium* eam tueri ſententiam, cum partim a Pſeudocriticorum caſtris minus remotus ſit, quibus mos, textum ſolicitandi ſacrum, proprius eſt, partim ipſa confeſſione Romanæ fidei, cui addictus eſt, adigatur, ut a corruptione Codicis Hebræi alienum ſe minus profiteatur. Quid *Mariana* & *Jacobus de Valentia* de peculiari Judæorum Synodo, ad depravandum Codicem Hebræum convocata, confinxerint, eorum ex libris accepimus. Quam expeditus fuerit *Lamius* in ejusmodi colligendis erroribus, quibus noſtri conſpurcati ſint Codices, pariter exploratum non ſine dolore eſt. Largiamur iis, qui a nobis in capite Criticæ ſacræ palmario diſſident, errores quosdam particulares quibusdam adhæſiſſe Codicibus, univerſales tamen, qui & Judæorum & Chriſtianorum Codices omnes invaſerint, conſtanter negamus. Cui quidem rei & Judæorum religio, cui non ſine cauſis graviſſimis tradita

 ſunt

ſunt τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, & Maſorethարum inprimis, tam Tiberienſium, quam adhuc antiquiorum, incredibilis induſtria, & Eccleſiæ veteris Chriſtianæ cura, fortiter obſtitit. Tranſimus pervulgatum dudum, ſed clariſſimum nihilo ſecius, Chriſti teſtimonium, de depravatione, ab omnibus legis literis, omnibusque apicibus, removenda. Mittimus ſilentium Patrum, qui nihil objiciunt Chriſtianis, quo factum fuerit, ut vel ex malitia, vel negligentia, Codex fuerit conſpurcatus. Voces, anomalice ſcriptæ, menda nondum conſtituunt. Nec latent ea in Keri & Kethich, in lectionibus ben Aſcher & ben Naphtali, in lectionibus Babyloniorum ac Palæſtinorum. His enim in lectionibus cum vera adhuc & genuina ſuperſit, quid inde contra nos evincatur, non perſpicimus. Ex quo, menda illa ſine omni neceſſitate confingi, apparet. Adeantur Codices vetuſtiſſimi, in Bibliothecis, maximo Anglicanis, latentes, atque ad normam primorum deſcripti, iique examinentur, utrum menda, quæ Codici noſtro interdum affinguntur, confirment. Apparebit tum, plura dici ab iis, qui ſuæ ſerviunt hypotheſi, verſionumque humanarum amore nimium ducuntur, quam quæ probari ulla ratione poſſint. Cumque glorietur Romana Eccleſia avtographo *Eſræ*, ſibi adhuc ſuperſtite, optandum, ut ad hunc exigerentur menda Codicis noſtri, vel, quod præſtantius foret, integer aliquando Codex ad fidem avtographi deſcriberetur. Sed, ut hic nunquam producetur in medium, ſic facile dici poſſunt multa, pauca probari. Conqueritur *Torallius*, Codices Hebræos, quibus noſtra ætate utimur, diſcrepare multum ab iis, quorum ad exemplar ſuam confecerint interpretationem LXX Alexandrini. Quod quidem ſine multa difficultate largimur. Namque hi interpretes, tametſi non Codice *lacero* uſi ſint, vel *pugione confoſſo*, in quo multa per lituram ablata, ut incommoda ſonat *Ludov. Vivis* ſententia, habuerunt tamen ante oculos Codicem, punctorum vocalium ſignis & characteribus accentuum deſtitutam, quod ex mendoſa vocum lectione, & ſuppoſitione vocalium plane aliarum, recte conſiciunt noſtrates. Quantum igitur Codex non punctatus differt ab

eo,

eo, qui punctis inſtructus eſt, tantum diſtabat Codex Alexandrinorum a Codice hodierno. Nunc vero examinabimus loca quædam, in quibus *Torellius* & textum Hebræum plus, quam par eſt, ſub cenſuram vocat, &, errante Verſione LXX Senum, eidem antelata, ad horum metaphraſin emendationem inſtituit. Quamobrem locum *Exod. XIV, 25*, ſolicitet *Torellius*, nos quidem haud aſſequi fatemur. Pag. 5, 6. Emendari vult ויסר, *& removit*, ut inde fiat ויאסר, *& ligavit*, quia videt, Alexandrinos reddidiſſe: *συνέδησε τοὺς ἄξονας*. Cui lectioni refragatur oppido conſenſus antiquarum verſionum. *Onkelos*, Targumiſtarum princeps, ad normam textus originalis exprimit: ואעדי, *& removit*: *Symmachus*, Græcorum interpretum non poſtremus, eodem modo: *μετέστησε*, *evertit*. Addimus textum *vulgatum*, a quo conferendo facile temperaremus nobis, niſi adverſus *Torellium* diſputandum eſſet. Sed is reddit: *Subvertit*. LXX ſic interpretatos eſſe, ut refert *Torellius*, inficiari nolumus, quod verba clariſſima ſunt. Certiſſime tamen convicti ſumus, eos graviter eſſe hallucinatos; quod jam animadvertit *Cartwright ad Exod. pag. 179.* Intelligitur jam, LXX ſequentium rationem habuiſſe: *Et duxerunt eos* (currus) *cum difficultate*, id quod *alligatis* ſecundum LXX *rotis* fieri neceſſe erat, ad quas ideo rotas hæc verba per vocem *αὐτὰς* referunt. Sed quid, ſi ad currus referatur, quicquid hic dicitur? Remotis rotis & avulſis, currus ipſi difficulter trahebantur. Sic recte *Cartwright* loc. cit. *Clericus* item ad h. l. ubique. Et, quanquam R. *Salomo* rotas igne fabuletur combuſtas, curruum tamen, ob rotarum abſentiam difficulter euntium, rationem ſimul habuit. Unde neque is nobis adverſatur. In loco *Exod. XXVII, 18*, *Torellius* pro מאה 6.
באמה, *centum in cubito*, reſcribi vult מאה במאה, *centum pro centum*, quia Alexandrini reddunt: *ἑκατὸν ἐφ' ἑκατόν*. Sed ecce tibi MStum Oxonienſe, ad quod *Lamb. Bos* provocat: *ἑκατον πήχεων*. Neque hoc ignoravit *Torellius*, dum illud excitat, nihilo minus tamen diſcedit. LXX Senum verſionem ex ſequente phraſi dimanaſſe, *Clericus* conjicit ad h. l. *pag. 136*. Provocat ad *Samaritanum* textum ſubſcribentem, quod

etiam

etiam *Torellium* non præterit. Sed, ubi *Samaritanus* ſtatim
בחמשׁים falſo transfert per בכאמ, ita & hic autoritas il-
lius exigui ponderis erit. Quomodo locus *Geneſ. XLIX*, 5,
irrepſerit inter *Exodi* oracula, nos latere, fatendum eſt.
Tranſeat tamen hoc, & res ipſa tangatur. Hic pro כלי,
vaſa, *Torellius* legit כלו, *conſummarunt*, quia Alexandrini ver-
tunt συνετέλεσαν. Non movetur *Hieronymi* interpretatione,
quæ verbum Moſis *vaſa* expreſſit, quamque adducit. Nos
quidem nihil ſic incongrui cernimus. Quid ſit כלי, omnes
norunt. Sponte etiam ſenſus fluit, ſive מכרתה vertas *gla-
dios*, ſive *pacta*. Profecto *inſtrumentum violentiæ* utrobique
prædicatum, ſubjecto conveniens, ſunt, priorique in ſenſu
7, 8. proprio conveniunt, poſteriori in figurato. *Exod. XIX*, 8,
Moſes, Deo in montem Sinai deſcendente, totum illum
montem motu fuiſſe agitatum, graviter teſtatus eſt. ויחרד
כל ההר, *tremuit totus ille mons*. Alexandrini, ἐξέστη πᾶς ὁ
λαὸς, quod, calamo mentem præcurrente, reddit *Torellius*,
obſtupuit omnis mons. Amplectitur autem ſignificatum τοῦ
λαοῦ, & hic pro ההר legi vult העם, ut de *populo tre-
mente* intelligatur. Rationem addit: *Nam quis unquam audi-
vit, montes obſtupeſcere?* Quæ profecto multum incommodi ſe-
cum ferunt. Tollitur ſic vis miraculi. *Populum obſtupeſcere*,
admirandum dictu non eſt. Montes titubare, præſentiſſimus
Numinis effectus eſt. Rationem, quam addit, nullam eſſe,
putamus. Commotio enim, tanquam præſentiæ divinæ teſtis,
aliis etiam locis compluribus tribuitur. Et quem fugit, an-
thropopathias figuram ſcriptoribus ſacris receptam eſſe, qui
inanimata naturam induunt animatorum? Hoc ſenſu *trepidare
montes*, crebro teſtatur Scriptura. Neque hoc præterit *Torel-
lium*. Legit enim apud *Davidem*: *Et exultarunt montes.*
Quod tamen Poetæ convenire putat, qualis *David*, non vero
Hiſtorico, qualis *Moſes*. At nonne characteres frequentius
permutantur? Nonne libris hiſtoricis & hymni *Deboræ*, *Ba-
raci*, aliorum, inſerti ſunt? Nonne ipſe *Moſes* cecinit ob mare
rubrum, atque ante obitum? Quæ affert effata Codicis de
pavore hominum, de *pavore cordis*, non adverſantur nobis.

Ut

Ut enim *pavor* proprie dicitur de *hominibus*, ſic *montibus* non obſtat *pavor* tralatitius. Et, quanquam homines trepidaſſe dicantur, ob legem in Sinai latam, cum ipſo tamen pavore *hominum* commotio *montis* nulla ratione pugnat. *Gen. XX, 10*, pro Pag. 9.
מה ראית, *quid vidiſti?* legi vult *Torellius:* מה יראת, *quid timuiſti?* Textum Græcum exprimunt LXX, praeter hos etiam *Aquila* ac *Theodotion*, quos tantum indicat. Addemus lectionem eorum: *LXX:* ἐνιδών. *Aquila:* εἶδες. *Symmachus:* ἰδών. *Theodotion:* ἑώρακας. Idem et *Hieronymus* egit. Nihilo minus miratur *Torellius*, neminem adhuc eum produxiſſe ſenſum, qui ſibi ſuccurrat. Absque omni cauſa. *Quid vidiſti* ſenſum parit perquam commodum, quem nec aliæ reſpuunt linguæ, nec *Torellii* aſſequitur interpretatio nova.
Verba *Exod. XII, 41*, non ita verti vult *Torellius*, ut noſtri in- 10.
terpungunt interpretes, ſed ea ratione, qua Alexandrini expreſſerunt, ἐξῆλθε πᾶσα ἡ δύναμις Κυρίου ἐκ γῆς Αἰγύπτου νυκτός. Προφυλακή ἐστι τῷ Κυρίῳ. In quo multa incommoda. Primum vox ליל legenda לילה. Deinde ea a ſequentibus divellenda, & prioribus verbis accenſenda. Sic ordo turbatur accentuum et ſedes Silluki. Quod violentum. At, qui literas, qui vocales & voces, mutat, illum accentuum curam non habere, haud eſt admirandum. Non pœnitebit tamen, ad h. l. legiſſe *Montfauconium* in Hexaplis, et *Cartwrightum* ad Exodum, qui lectionem receptam tuentur, &, veteres Codices Græcos ab hac minime alienos eſſe, liquidum reddunt. Sed ſatis de *Torellianis*, iisque juvenilibus, conatibus.

Bibliſcher Archivarius der Heiligen Schrifft Neuen Teſtaments, &c.

id eſt,

INDEX UNIVERSALIS OMNIUM AUTORUM, libros Novi Teſtamenti recenſentium, ſuisque obſervationibus dilucidantium, Autore M. MICHAELE LILIENTHALIO, V. D. M. Regiomontano, & Bibliothecario.

 Regio-

Regiomonti, impenſis Chriſt. Godofr. Eckhardti, 1745, 4. Alph. 4 plag. 14.

Cum multa quidem præclara ingenia operam atque laborem impenderint omnem, ut, ad explicandam ſacram Scripturam quæ pertinere videbantur, ſedulo conferrent, & undique conquirerent; ingenue tamen eſt fatendum, in ſuſcipiendo atque conficiendo hujusmodi opere non unam eandemque omnes ingreſſos eſſe viam, ſed alium aliis veſtigiis inſtitiſſe, &, modo Autorum, tabulas ſanctiores illuſtrantium, nomina recenſendo, modo varias variorum ex viris doctis cogitationes in ſingulas oraculorum divinorum ſectiones colligendo, ad commoda publica afferre quidpiam ſtuduiſſe. Ex eo factum eſt, ut multi in lucem prodierint libri, quorum Autores id ſibi animo conceptum atque conſtitutum tantum habuerunt, ut nomina ſcriptorum cum orbe literato communicarent, qui de literis ſanctioribus bene fuerunt meriti. Conſtat inter omnes, quantum operæ, ſtudii, atque diligentiæ, in conficiendis *Bibliis numeratis* ſuis quondam *Dorſchæus* adhibuerit, &, qui continua quadam ſerie iſtud opus perficere elaboravit, quantum ipſi tribuerit diligentiſſimus *Grambſius*. Sed illud unum ab omnibus, rerum ſanctiorum peritioribus, in iſtis deſiderabatur laboribus, quod maximam partem Autorum excitatorum, eccleſiæ antiquæ doctores, Patres vulgo nominati, tum Scholaſtici, quin imo alii Theologi, conficerent, quorum ſtudia in explicandis tabulis ſacris minus erant probata, ita, ut ne minimum quidem ad explicandum ſacrum Codicem illorum excitatio conferre videretur. Mederi quidem huic rei cœptum eſt ab iis, qui introductiones in Scripturam ſacram, & ſingulorum librorum Commentarios, in vulgus ediderunt, in quibus id præcipue viri docti anniſi fuere, ut eorum, qui lucem oraculis divinis qualicunque ſua opera offuderunt, diligenter mentionem injicerent. Sed, ut diffuſa ac diſperſa maxime hæc dicenda eſt induſtria, ita & incommoda ac difficilis uſu animadvertitur. Hinc omnis doctrinæ ſuæ elegantiam, Autorum copiam, ingeniique præſtantiam, Cel. *Wolffius* ad literarum ſacrarum explanationem promovendam, atque in illuſtriori

illuſtriori loco ſententias vocesque, quæ ſua claritate prima ſpecie deſtitutæ videbantur, conſtituendas, in præclaris ſuis voluminibus, quorum inſcriptio *Curas Philologicas* oſtendit, præ omnibus reliquis contuliſſe, & rei ſacræ publicæ optime inſerviiſſe, recte cenſetur. Cum vero conſcribendorum librorum nullus ſit finis, nec modus in enarrandis recentioribus Autorum ſacrorum ſententiis facile habendus; non potuit non fieri, quin multa adhuc ſupereſſent addenda, quæ vel oculos tanti viri effugerunt, vel poſt ejus demum fata lucem adſpexerunt. Quod de ſuo quoque libro ſibi in futura tempora prædixit eruditiſſimus hujus *Archivarii* Autor. Quo vero in præſentia ſaltem aliquid ad publica commoda in medium afferret, aliorumque conatus pro virili juvaret, recenſionem ſcriptorum, tabulas ſacras illuſtrantium, denuo ſuſcepit, eamque, ſi verum dicere licet, ad pleniorem perfectioremque gradum, ut nunc quidem ſunt tempora, evexit, omniumque eorum, qui olim hanc ſpartam ornarunt, diligentiam ſuperavit, dum, laboribus illorum uſus, haud ſufficientem & mancam Autorum ſanctiorum enarrationem mirifice ſupplevit. Inſtituti ſui rationes has ſibi ipſe ineundas eſſe voluit, ut in univerſum primo ſub initiis ſingulorum librorum nomina eorum in tabulas ſuas referret, qui vel de integro quodam libello ſanctiore, vel de eximia ſaltem ejusdem parte, præclare meriti fuere. Tum ad ſingula librorum capita, & inciſa, recenſenda pari diligentia pergit, & ſingulares uniuscujusque commatis nobiscum communicat Autorum commentationes, ita quidem, ut primum locum in recenſione omni iſti occupent ſcriptores, qui ſacræ Hermenevticæ, Criticæ, Philologiæ, Hiſtoriæ, aliisque Theologiæ acroamaticæ partibus, aſſiduam navarunt operam; iſti vero, qui in uſum atque exercitationes publicas veritates ſacras converterunt, ultima ſubſellia ſibi vindicent. In prioribus enarrandis ſcriptoribus, præter eos, quos jam nominavimus, inſignem Autorum attulit copiam, qui Diſputationibus, aliisque exercitationibus, ad rem ſacram pertinentibus, claruerunt, quorumque ingentem ipſe collegit, ſibique conſervat, theſaurum. Nec temere ipſum Autores excitaſſe, cenſen-

Digitized by Google

dum eſt, ſed, diligenter electionem eorum inſtituiſſe, videmus, cum probe ſciverit, quantum diſtent æra lupinis, nec ſingulis eadem pretia ſtatuenda eſſe, cognoverit. Tacemus *Mentenii* & *Ikenii* Theſaurum; *Wildeshauſenii*, *Schwendelii*, *Schoettgii*, Indices Diſputationum, quæ haud ſpernenda ipſius recenſione ceperunt incrementa, magnam molem *Obſervationum*, *Animadverſionum*, *Annotationum*, *Meditationum*, *Exercitationum*, *Quæſtionum*, *Miſcellaneorum*, *Selectorum*, *Parergorum*, *Opuſculorum*, *Analectorum*, *Otiorum*, *Muſeorum*, *Bibliothecarum*, *Conjecturarum*, *Decimarum*, aliorumque, a viris doctis editorum, ſpicilegiorum, quæ omnia largam meſſem Autori præbuerunt, indices ſuos locupletandi, & ea ex his decerpendi, quæ publice prodeſſent. Quæ omnia ita comparata ſunt, ut unicuique facile de toto horum Indicum ambitu, utilitate, & uſu, ſatis abundeque conſtare poſſit. Eandem diligentiam operamque in enarrandis Autoribus ſacris, qui practici, & homiletici, vulgo dicuntur, adhibuit, & ita hunc laborem exornavit, ut optima modo & utiliſſima quæque nominaret, reliqua vero, quæ minus conducere videbantur, lubens præteriret, nec ſine cauſa nomina Autorum excitaret. In evolvendis hiſce paginis etiam obſervavimus, recentiorum inprimis induſtriam fuiſſe laudatam, & eorum quidem Scriptorum, quos ultima hæc ætas, & ſuperius Seculum, tulit. Nec vitio Autori vertendum eſt, inter Evangelicæ purioris doctrinæ ſectatores etiam magnam turbam doctorum, qui a Reformatorum, ut dicuntur, ſtant partibus, & præclaris ſuis operibus Angliam inprimis & Belgiam illuſtrarunt, eſſe adductam, cum Romanæ eccleſiæ doctorum rara admodum conſpiciatur copia. Ceterum Celeberrimus Autor noſter etiam Indices Autorum, qui in recenſendis V. T. libris, iisdemque explicandis, verſati fuere, proxime ſe confecturum, & cum orbe literato communicaturum, promiſit, nec vanum hoc fuiſſe promiſſum, nuper, delato ad nos hoc ipſo Indicum volumine novo, gaudentes cognovimus. Denique moleſte haud ferendum eſt, ſi vilioris interdum, ex quorundam ſententia, pretii adducantur libri, cum id probe tenendum ſit, Autorem omnibus

omnis

Digitized by Google

omnis generis hominibus inſervire voluiſſe, qui rei ſacræ operam qualemcunque navant, & quorum maxima ſæpe pars non minutis delectatur ſententiis, ſed auream tantum praxin in deliciis habet. Ceterum fieri non potuit, ut ſpecimen hujus laboris hic exprimeremus, nec ea re opus videbatur, poſtquam totius plane libri faciem jam depictam dederamus.

PETRI ZORNII, IN GYMNASIO THORUNENSI Rectoris, Profeſſoris primarii, & Bibliothecæ publicæ præfecti, Hiſtoria Bibliorum pictorum, ex antiquitatibus Ebræorum & Chriſtianorum illuſtrata.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtianum Langenhemium, 1743, 4. Alph. 1 plag. 1.

Qui adhuc in enarranda Hiſtoria literaria Codicis ſacri laudabili cum induſtria verſatus erat Cel. Autor, in præſentia ex divite penu lectionis ſuæ cum erudito orbe communicat ea, quæ de externo habitu, ornatu, ac effigierum luminibus, quibus vel integer Codex ſacer, vel ejus libri aliquot ſpeciatim, in membranis ac chartis decorati apparent, apud optimos quosque ſcriptores ſparſa reperiuntur. Opuſculum *XII* abſolvitur *Capitibus*, quorum argumentum pro inſtituto noſtro breviter exhibebimus.

In Præfatione Autor declarat ſenſum verborum *Conſtantini Magni*, quibus, teſte *Euſebio de Vita Conſtantini Lib. IV Cap. 24*, de eccleſiarum antiſtitibus pronuntiat, *ipſorum eſſe, agere ea, quæ intus ſunt in eccleſia*, de ſe vero, *quæ extus.* Priora accipit de verbi divini præconio, Baptiſmi & ſacræ Cœnæ exhibitione, impoſitione manuum, ſive miniſtrorum initiatione, & uſu clavium; poſteriora de defenſione eccleſiæ, cuſtodia diſciplinæ eccleſiaſticæ recte ac ordine adminiſtrandæ, Conciliorum indictione, & quæ hujus generis ſunt alia; eaque de cauſa *Auguſtum* ex vero pronuntiare, ſe eſſe τινα κοινὸν ἐπίσκοπον ἐκ θεοῦ καθιστάμενον. Quam ſuam curam ſigillatim teſtatam fecit, ubi Codices ſacros, Novi cumprimis Teſtamenti, per καλλιγρά-

φϐς elegantiſſime deſcribendos curavit. *Cap. I* quærit, *an antiquis Ebræis Scriptura Codicis ſacri coloribus variis, auro inprimis, exornata in uſu fuerit.* Præmiſſis pauculis de diſtinctione *chalcanti*, ſive *atramenti ſutorii*, & *atramenti ſcriptorii*, lucem aliquam infert verbis *Clementis Alexandrini Strom. Lib. VI.* Inter inſtrumenta ſcriptionis refert *κανόνα*, pro quo *Carolus du Fresne*, approbante *Montfauconio*, legi vult *κάνιον*, *vaſculum*, in quo *atramentum ſcriptorium*, & *σχοῖνον*, *calamum*, ex junco Nilotico aptatum. Græci vocem *μέλαν*, & Latini *atramentum*, non de alio, quam quidem *nigro, liquore* uſurpant. Judæis præcepto, ore tenus inde a majoribus ad ipſos transmiſſo, interdicitur, *ne Codex ſacer alio liquore, quam qui-
Pag. 1-9. dem atro, ſcribatur, Sopher. Cap. I §. 1, Maimon. Hilch. thepill. Cap. I §. 4.* Quare, quod ex *Ariſtæa Joſephus A. J. XII*, 2, de codice legis, aureis literis exarato, ad Regem *Ptolemæum* ab *Eleazare*, Pont. Max. transmiſſo, habet, de codice in *privatum*, non *publicum*, Synagogæ uſum confecto, interpretandum eſſe cenſet. Sed, cum, judicibus eruditiſſimis viris, tota illa narratio de interpretatione Græca LXX hominum, ab *Eleazaro* ſubmiſſorum, ſubleſtæ ſit fidei, etiam hæc de codice aureis literis ſcripto locum ſuum tueri nequit, quod nec ipſe Cl. Autor diffiteri audet *pag. 132.* Κεραίαι *Matth. V*, 18, eſt ipſi lineola, literæ impoſita, quales in codicibus, quorum uſus in Synagogis eſt, con-
9-14. ſpiciuntur. *Cap. II ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων 1 Macc. III*, 48, explicat de *Deorum imaginibus*, quas libris Judæorum inſcribebant, quo illos ad uſum ineptos redderent. Nec tamen Judæis defuerunt homines, qui variis figuris libros ſacros ornarent, quos imitati Mohammedani. Scriptura *Dan. V*, 5, fuit quidem Chaldaica, ſed characteres fuerunt in ſe ducti, ac ita intricati, ut ab invicem nec dignoſci, nec legi, poſſent. *Caput
24. III* de *aureis & argenteis literis Bibliorum apud primos Chriſtianos* agit. Liquorem aureum atque argenteum antiquos Chriſtianos in deſcribendis libris, divino adflatu conſignatis, adhibuiſſe, teſtis eſt *Hieronymus Præf. in Job.* & *Ep. ad Euſtochium*, idque invaluit uſu non in Latina ſolum, verum etiam Græca, eccleſia, qui ipſi, ſuperſtitione cum tempore creſcente,
inter

Digitized by Google

inter λείψανα ſacra reponebantur. Ornatus hic etiam ſcriptis Pag. 25-
ὑποβολιμαίοις & ἀποκρύφοις eſt additus. *Carolus M.* litera- 37.
rum ita rudis, ex Autoris ſententia, fuit, ut ne nomen quidem
ſuum ſcribere noverit, quod tamen aliis, rationibus non con-
temnendis ſubnixis, non ita videbitur. *Cap. IV* expenditur 37-39.
Hieronymi judicium de Bibliis aureis & argenteis. Obſervat
is in *Præf. ad Job.* veteres libros, & in membranis purpu-
reis auro argentoque, literis unicialibus, pulchre quidem, ſed
non ſatis emendate, fuiſſe deſcriptos, quod comprobatur teſti-
monio *P. Lambecii*, qui notat, in Codice Bibliothecæ Vindobo-
nenſis, eleganter ſcripto, *Luc. XXIV*, 13, pro ἑξήκοντα legi ἑκα-
τὸν ἑξήκοντα. Inde autem nemo inferat, MStorum Codicum in 40, 41.
vera ac genuina lectione determinanda uſum eſſe exiguum,
cum in bene conſtitutis eccleſiis eſſent & *periti antiquarii*, &
circumſpecti correctores; hinc paſſim *manuſcripta Bibliorum cor-
rectoria* nominantur. *Cap. V* examinatur judicium *Chryſoſto-* 41-44.
mi de Bibliis aureis, qui *Homil. XIII in Jo.* non tam monet,
ut libri ſacri auro ornentur, quam cordi inſculpantur. Ho-
rum autem alii integri literis aureis conſignabantur, alii hujus 44-50.
generis literas in initiis ſuis locatas habebant, in aliis denique
notæ criticæ, aureis coloribus decoratæ, erant. Idem *Chry-
ſoſtomus* perhibet, pueros pariter atque puellas ſuo tempore
Evangelia de collo ſuſpendiſſe; qui mos forſitan a Judæis flu- 51-55.
xit, qui *Pſalmos* aliquos, pergameno porro inſcriptos, de
collo geſtant, addito nomine angeli peculiari, qui cabbaliſti-
ce ex *Pſalmo* eruitur. *Cap. VI* diſſerit *de origine Bibliorum* 55, 56.
*pictorum in eccleſiis antiquis ex mente Nicephori, Patriarchæ
Conſtantinopolitani.* Exiſtimavit ille, per effigies res, in Scri-
ptura contentas, altius atque vividius animo infigi, a qua ſen-
tentia non alienus fuit *Carolus M.* in *Capitulari de non adoran-
dis imaginibus*, quem librum graves in eccleſia Romana viri ei-
dem adſcribunt. Ab VIII inde Seculo in MStis Græcis in libro- 57-65.
rum initiis obſervantur literæ prægrandes, calligraphorum ar-
bitratu confictæ, quæ varias hominum, ſerpentum, avium,
piſcium, aliarumque rerum, figuras repræſentant. *Cap. VII* 65-68.
quæſtio iſta diſceptatur, *an imagines pictæ hominibus plebejis*

ſacrorum

Digitized by Google

ſacrorum Codicum loco ſint. Agitata eſt illa in Concilio Nicæno
II, contra iconomachos circa A. 785 indicto, in quo nonnulli
ſtatuebant, converſationes Apoſtolorum, Prophetarum, ac Mar-
tyrum, imaginibus repræſentari poſſe, quo ſic rudiores informa-
rentur, ac ad virtutis exercitium atque imitationem exſtimu-
larentur, aliis contrarium aſſeverantibus, lectionem potius
Scripturæ ſacræ commendandam eſſe, ex qua unusquisque ad
Pag. 68-79. vitam & virtutis ſtudium abunde inſtrui queat. *Cap. VIII*
docetur, quod προσωποποιΐαι Oratorum ac Poetarum primam
occaſionem librariis dederint, Codices ſacros picturis ornandi. Ita
v. c. in Cod. Regio *n. 1878* picturæ bene multæ, a perita ma-
79-82. nu delineatæ, cum frequentibus proſopopœiis occurrunt. Hu-
jus generis Codices Græcis etiam in uſu fuiſſe, *Cap. IX* demon-
ſtrat ex *Lambecio*, qui copioſe ſatis Codicem Biblicum vetu-
ſtiſſimum, qui in Bibliotheca Vindobonenſi aſſervatur, deſcribit.
Illum ſatis antiquum eſſe, non negatur, ſed, ad ævum *Conſtan-
tini M.* adſcendere, a veritate abludit, cum talis ornatus illa
tempeſtate a Codicibus ſacris abeſſet. Imagines etiam, Chri-
ſtum cruci affixum repræſentantes, in nonnullis Græcorum
82-90. libris ſacris conſpiciuntur. *Cap. X* agit de *cognitione antiqui-
tatum ſacrarum & profanarum ex imaginibus Codicum ſacrorum
apud veteres magis magisque amplificanda.* Cum multa ſint
in antiquis ſcriptoribus, quæ non æque clare intelligantur, niſi
certis quibusdam figuris oculis ſubjiciantur, id ipſum et-
iam librarii in Codicibus ſacris tantaverunt. Illuſtrat hoc, et
uſum imaginum monſtrat, exemplis, petitis a tunica Chriſti in-
conſutili, *Jo. XIX, 23*, cruce Chriſti, cui num tribus, an qua-
tuor, clavis fuerit affixus, immerſione, an adſperſione, aquis ſa-
cris luſtrandorum, convivio *Pharaonis*, die ejus natali, *Gen.*
90-108. *XL, 19*, celebrato. *Cap. XI* commentatur de *imaginibus ſacro-
rum Codicum in eccleſiis occidentalibus, ſive Latinis, ſive Germa-
nicis.* Agit de Codicibus ſacris, variis imaginibus inſignitis,
paſſim in Occidente obviis, quarum tamen haud paucæ offen-
diculi potius materiam præbent, quam ut rudem plebeculam
108-119. erudiant. A tempore *Caroli M.* ſi non libri ſacri omnes, ſal-
tem illorum aliqui, vel partes quædam, in linguam Germanicam
ſunt

Digitized by Google

ſunt converſæ. Autoritate etiam *Ludovici Pii* Imp. Vetus ac Novum Teſtamentum in Germanicam linguam oratione ligata transferri eſt cœptum. Cui ipſi etiam debetur *Tatiani*, Syri, Harmonia IV Evangeliorum, lingua Teutonica veteri expreſſa. *Caput XII* complectitur varia additamenta. Adduntur hic aliqua de *canaliculi præfecto, encauſto*, Imperatoribus tantum, illorumque conjugibus, proprio, Ebræorum imaginibus, ſumma veneratione, qua Mohammedani Alcoranum proſequuntur, quem a ſuis, manibus non lotis, contrectari nolunt, a Chriſtianis nullo modo tangi permittunt, de literis *uncialibus*, a *Dav. Casley* perperam in literas *initiales* converſis, de Patribus, ex memoria multa allegantibus, (unde lectiones variantes, ex iisdem collectæ, concident,) de Codice antiquiſſimo, ſic dicto *Cantabrigienſi*, quem in multis a vulgatis libris diſcrepare Autor aſſeverat, de veterum ſolertia in Codicibus ſacris emendandis, de libris Vet. & Nov. Teſt. tectis omnino argento deaurato, ornatisque lapillis pretioſis, ſuperſtitibus adhuc in Bibliotheca Imperatoris Turcici, de Evangelio *Matthæi*, a *Barnaba* reperto, de Mohammedanis, primum Evangelii *Joannis* Caput, Græce conſcriptum, amuleti inſtar de collo geſtantibus, de imaginibus, tempore *Conſtantini M.* nondum cultis, de inventionis crucis Chriſti falſitate, de numo *Conſtantini M.* incurvum ſerpentem pertica transfixum præferente. Subjectus eſt Index rerum præcipuarum, in erudita hac Commentatione pertractatarum.

Pag. 120-126.

126-130.

130-169.

WILHELMI CHRISTIANI JUSTI CHRYSANDRI, Philoſ. & Liberal. Art. Magiſtri, Commentatio philologico-theologica de Sapientia Dei in connubio Joſephi & Mariæ admiranda.

Helmſtadii, 1744, 4.

Plag. 19.

Elegantiſſima hæc Commentatio enata eſt ex Diſſertatione, de ipſo hoc argumento in Academia Helmſtadienſi publice ventilata, cujus exemplaribus diſtractis, quo multorum deſideriis fieret ſatis, illam Cl. Autor, qui aliis jamdum eruditis ſcriptis

Digitized by Google

de re literaria bene meruit, multis acceſſionibus, theologicis potiſſimum obſervationibus, locupletatam, recudendam curavit; maxime quod argumentum hoc alii interpretum levi brachio tractarint, alii multa, quæ ad illius accuratiorem cognitionem ſpectant, ſicco pede tranſierint. Abſolvitur *Prologo*, *tractatione* in *Capita III* diviſa, & *Epilogo*. In *Prologo* docet Autor, verum inter *Mariam* & *Joſephum* matrimonium interceſſiſſe, licet hic cum illa neque ante Jeſum natum, neque poſt, conſueverit, eo tendens, ut Jeſum educarent, mutuumque ſibi auxilium præſtarent, qui jure ad reliquos conjugii fines deſtituti haudquaquam fuerint, ſed quibus conſpirante voluntate libenter ceſ-
Pag. 1-7. ſerint. Sententiæ hujus ſuæ rationes affert *Cap. I Sect. I* alias *a parte Joſephi*, *a parte Mariæ* alias, porro *a parte utriusque*, denique *a parte Jeſu*. 1) *A parte Joſephi*, quia genealogia Chriſti *Matth. I* ad *Joſephum* refertur. Apud Judæos quippe uxores familiis maritorum innectebantur, quo ipſo verum matrimonium inter *Joſephum* & *Mariam* pro certo ponitur. Ne quis autem in illam ingrederetur opinionem, *Joſephum* verum patrem Jeſu fuiſſe, non dicit ſcriptor ſacer, Ἰωσὴφ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰησοῦν; quam loquendi formulam de ſuperioribus adhibuerat, ſed τὸν Ἰωσὴφ τὸν ἄνδρα Μαρίας, ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰη-
9-13. σοῦς κ. τ. λ. 2) Ex deſponſatione per remotionem obſtaculorum, quæ conſummationem pacti conjugalis impedire pote-
13-16. rant *Matth. I, 18.* 3) Angelus Domini ſuaſit παραλαβεῖν Μαριὰμ *v. 20.* Notat autem hoc verbum apud ſcriptores Græcos *fœminam*, *a parente*, vel illo, qui loco parentis eſt, *in manus traditam*, & *accipere*, & *domum ducere*, cujus oppoſitum eſt verbum ἀπολύειν, vinculi connubialis diſſolutionem deſignans.
16-18. 4) Quia *v. 25* dicitur: καὶ (Ἰωσὴφ) οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, cujus abſtinentiæ mentione opus non fuiſſet, niſi per matrimonii con-
18-20. ſociationem jus ipſi competiiſſet. 5) Quia *Lucæ II, 22*, *Joſephus* pater Jeſu vocatur, καὶ ἦν ὁ πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, quam lectionem, multorum Codicum conſenſu firmatam, præfert vulgatæ, καὶ ἦν Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ, &, qua ratione in nonnullis libris mutatio fuerit facta, oſtendit. Sive igitur *Joſephus* dicatur pater Jeſu, vitricus, ſive naturalis κατὰ δόκησιν,

nomen

nomen hoc ipſi tribui minus potuiſſet, niſi verum matrimonium inter ipſum & *Mariam* conſtitiſſet. 6) *Maria* appellat *Joſephum* patrem *Jeſu Luc. II, 48*, cujus appellationis ratio pariter in utriusque conjugio quærenda. Additur, *Joſephum* nominari ἄνδρα *Mariæ Matth. I, 16*, quæ notio tum apud Græcos, tum Nov. Teſt. ſcriptores maritum haud raro notat. *Sectio II* ſiſtit rationes, II) *Mariam* ſpectantes, quia 7) *Maria* nunquam ſcortationis inſimulatur, quod Judæi, infenſiſſimi hoſtes Chriſti, feciſſent, niſi communis perſuaſio fuiſſet, legitimum matrimonium inter *Joſephum* & *Mariam* conciliatum fuiſſe. 8) Quia *Maria* ſacrificium piaculare ad ſe purificandum obtulit. Sed Jeſus nulla peccati labe ſordidatus fuit; fecit igitur hoc propter opinionem hominum, putantium, Jeſum naturali lege ex *Joſepho* & *Maria* procreatum eſſe. At vero hoc nobis propterea factum fuiſſe videtur, quo ſic conſtaret, Jeſum inde a prima ætate ſe legi ſubmiſiſſe. *Sectio III* exhibet III) rationes, *Joſephum* & *Mariam* reſpicientes. *Joſephus* 9) in ſocietate *Mariæ* non ſolum Bethlehemum, *Luc. II, 4, 5*, ſed poſt ad feſtum paſchale, quotannis profectus eſt, & id in duodecimum annum continuavit. Societas igitur conjugalis inter ipſos non eſt diſſoluta, ſed perduravit. 10) Ipſis communia ſtudia, occupationes, & actiones, quæ *conjugii* conſtantis leges poſtulant, adſcribuntur *Luc. II, 33, 41, 51.* 11) Dicuntur γονεῖς *Luc. II, 41. Joſephus* nomine parentis inſignitur, ſive fuerit vitricus, ſive vulgo habitus pater naturalis Jeſu. 12) Chriſtus dicitur *Joſepho* & *Mariæ* ad 12 uſque annum obediens fuiſſe *Luc. II, 51*; igitur ſocietatem conjugalem coluerunt. Subjicitur illud *Matth. I, 18*: πρὶν ἢ συνελθεῖν, quod verbum συνέρχεσθαι, ſive accipiatur de ipſa conſociatione, die nuptiarum facta, ſive de jure, actus matrimoniales exercendi, pugnat pro utriusque connubio. *Sectio IV* profert rationes, quæ IV) ad *Jeſum* ſpeciatim referuntur, quia 13) Jeſu nunquam hoc eſt exprobratum, extra torum legitimum ipſum prognatum eſſe; quod certiſſimo eſt argumento, illius ævi Judæos minime dubitaſſe, *Mariam* atque *Joſephum* ſolennibus nuptiarum vinculis conſociatos fuiſſe. Equidem in ſpurciſſimo libello תולדות ישו edit.

Pag. 20-21. 21-22. 23. 24. 24. 25. 26. 26. 27. 27. 28-30.

edit. *Wagenſeil. p. 5* appellatur ממזר, *nothus*, & בן הנדה, *filius mulieris, menſtrua patientis*, nominatur porro סרד (potius סטרא) *filius adultera*. Sed (α) ſeriori tempore hoc convicium in Chriſtum conjici eſt cœptum, quod hiſtoriæ evangelicæ præjudicium creare non poteſt. (β) Ipſi Judæi ſunt incerti, num criminatio hæc in Jeſum Nazarenum ſit directa. V) Scatet liber iſte peſtilentiſſimus apertiſſimis mendaciis. 14)
Pag. 31- *Luc. III, 23*, diſerte memoratur, *Jeſum filium Joſephi reputa-*
41. *tum* eſſe. Præſtruitur igitur *Joſephi* & *Mariæ* conjugium. Denique 15) paſſim filius *Joſephi* expreſſe nominatur *Jo. I, 46, VI, 42, Luc. IV, 22*, quod univerſalem Judæorum, tum temporis viventium, conſenſionem clamitat, ipſos de vero *Joſephi*
42. & *Mariæ* conjugio minime dubitaſſe. *Cap. II* inquiritur in tempus, quo *Joſephus* ac *Maria* connubium inierunt. Matrimonio junctos Autor tertio fere a conceptione Chriſti menſe aſſeverat. Quod probat, (α) quia *Maria* dicitur *gravida inventa fuiſſe* ante, quam illam ſolennibus nuptialibus factis domum duxiſſet, *Matth. I, 18*; ſed experientia conſtat, *graviditatis indicia* menſe a conceptione fœtus tertio ſe prodere ſolere.
43-48. (β) Quia tempus hoc ſecundum ſapientiam divinam opportuniſſimum fuit ad conjugium hoc conſummandum, tum ut miraculoſa Chriſti ex Spiritu ſancto conceptio omnibus indubitata evaderet, quæ, ſi ante illum articulum nuptias contraxiſſent, dubitationi obnoxia eſſe potuiſſet, tum, ſi ulterius protractæ fuiſſent, non abſque dicteriis ac maximo dedecore ho-
48-52. minum malignorum celebrari potuiſſent. Sed, objici ſibi poſſe, videbat, (a) ſi matrimonium illud hoc tempore fuerit initum, ſequi, Chriſtum ſexto menſe ab illius conſummatione in lucem eſſe editum, ſicque offendiculum fuiſſe apertum. Quod poſterius ut removeat, obſervat, tempus illud non æque accurate ſciri potuiſſe propter iter, Bethlehemum inſtitutum, quod fuerit neceſſarium, longum, diuturnum, ſuſceptum ab illis, quorum probitas dudum ſpectatiſſima, nativitatem noctu in loco ſecreto contigiſſe, a *Maria* paupercula non magni quid exſpectatum fuiſſe, proindeque ad illam non ita diligenter eam
52-54. attendiſſe. (b) *Maria* brevi ante puerperium vocatur μεμνη-

στευμένη

Θεῖσα Joſepho Luc. II, 5; igitur non menſe tertio conceptionis illius conjux facta. Reſpondet 1), dici talem per *λιτότητα*, 2) per declarationem illius, quod anteceſſerat, & quidem hunc in ſenſum: *Adſcendit cum Maria* (marita utique ſua) *quam ſupra ſcripſimus Joſepho deſponſatam fuiſſe*; 3), quod ipſi vel maxime placet, quia, licet maritata, deſponſatæ tamen ſimilis erat, intacta adhuc, quod ipſum jamdum viſum *Matth. Polo*. c) Si ſub conjugio natus eſt Jeſus, eventus Pag. 54-
contrarius eſt vaticinio *Jeſ. VII, 13-17*. Reſpondet, *Jeſaiam* 59.
innuere *virginem formalem*, *virum nunquam expertam*, non *civilem*, *perſonam perpetuo cælibem*. Si cui vero videatur, per hoc conjugium ſaltem miraculi *ἐνσαρκώσεως* gloriam paululum obfuſcatam eſſe; regeritur, ignorationem, ſive obfuſcationem, miraculi illius non fuiſſe effectum conjugii hujus *neceſſarium*, ſed *accidentale* quid; quæ autem per ſapientiam divinam cum lapſu temporis fuerit diſcuſſa, & in pleniore luce locata. *Caput III* eſt de finibus, per conjugium 59-62.
Joſephi & *Mariæ* intentis. Cura Dei verſatur circa ſingulorum hominum vitæ rationes; igitur etiam circa vitam Chriſti *Act. II, 23, IV, 28, Jo. XIV, 31, Matth. XXVI, 39*. Illa æſtimatur ex utilitatibus, inde promanantibus, &, quoniam Chriſtus vel qua perſona *publica*, vel qua *privata*, conſiderari poteſt, fines intentos Autor in duos diſpeſcit ordines. *Sectio I* explicat *utilitatem* 62-63.
conjugii Joſepho-Mariani publicam. Proximus illius finis fuit *temporaria* & *particularis* occultatio miraculi nativitatis Jeſu, ut & offendiculum ex inaudita nativitatis conditione impediretur, & irriſiones atque calumniæ hoſtium Chriſti excluderentur. Hanc Deus a) permittere *potuit*, quia 1) nulla perfe- 67-68.
ctio Dei efflagitat, ut univerſæ veritates uno eodemque tempore manifeſtentur; 2) ſapientia divina, quæ veracitatem ipſius temperat, diverſos revelationis gradus requirit, & miraculum conceptionis hujus, quo tempore obſcurius ſignificatum erat, ignorari potuit. b) *Debuit* diſſimulare, ne fine ſuo excide- 68-69.
ret, quia 1) iſto tempore tenuis admodum erat cognitio rationum Meſſiæ plurimis, aliquibus nulla. 2) Res erat prorſus *nova*, & ab hominum memoria prorſus inaudita. 3) Miraculi

Digitized by Google

raculi hujus veritas in ſenſus haud incurrebat, nec quisquam facile *Mariæ* & *Joſepho* aſſeverantibus fidem ſubſtrinxiſſet.
4) Præjudicium Judæorum erat inveteratum de matre Meſſiæ
Pag. 70-78. conjugata ad ſimilitudinem *Moſis Deut. XVIII, 15*, ex conjugio legitimo procreati. 5) Tabulæ gentilium, homines ex Diis conceptos & editos fuiſſe fingentium, ipſis ignotæ haud erant. Quin imo, ſi juſto maturius in vulgi notitiam dimanaſſet, non intermiſiſſent illam exagitare, doctrinam Chriſtianam perſtrinxiſſent, ſicque illius curſui obex poſitus fuiſſet, quod ipſum ſpecialius per partes deinde Autor proſequitur. Concludit hinc, ſapientiæ divinæ minus conveniſſe, veritatem hanc illa tempeſtate publicare, eum, illius publicationem fruſtraneam fore, prævideret, ſuisque finibus impedimento futuram eſſe.
78-86. 6) Reſervata eſt publicatio hujus veritatis in id tempus, quo Deus, pulſis ignorantiæ tenebris, decreverat uberrimam veritatum divinarum lucem orbi concedere. Probatur hoc, 1) quia, quamdiu in ſtatu humili fuit, noluit, ut ortus ſui glorioſi ratio ſtatim inter omnes divulgaretur; 2) quia, quamdiu in ſtatu ταπεινώσεως exſtitit, voluit, ut aliæ graviſſimæ veritates, perſonam ipſius ſpectantes, premerentur, alio tempore in publicum proferendæ, v. c. quod Meſſias eſſet, *Matth.*
86-90. *XVI, 20, Luc. IX, 21, 22.* Potuit rejici in aliud tempus, *α*) quia finis miraculoſæ conceptionis Chriſti non *proxime* fuit convictio hominum de divinitate ipſius, ſed quod a peccati originarii labe immunis ſit progenitus. *β*) Quia miraculum hoc ejus erat indolis, ut nec in conſpectu omnium fieri, nec indubitatis argumentis demonſtrari, potuerit, quare prudentiæ fuit, illius notitiam in aliud commodius tempus differre.
91, 92. Sed fuit illius occultatio a) *temporaria*, b) *particularis*. *Temporaria*, quia, ubi cauſæ, ſuperius memoratæ, ceſſaverunt, multo cum commodo fieri potuit. *Particularis*, quod *a priori* a ſapientia & bonitate Dei probatur, *a poſteriori* teſtimoniis & exemplis, in libris N. T. exſtantibus, adſtruitur.
93-107. Quæ occultatio temporaria & partialis præſtari bene poterat colore conjugii *Joſephi* atque *Mariæ* tam *formaliter*, quam *moraliter*. *Formaliter*, 1) quia homines, ſenſibus dediti, facillime

cillime hoc in animum ſuum induxerunt, connubium utriusque per uſum jurium tori continere rationem ortus Jeſu legitimi. 2) Ad hoc credendum eo procliviores erant, quia norant, ſe hoc modo exiſtere cœpiſſe. *Moraliter*, quia perfectionibus divinis non adverſabatur, quod permiſerit α) conjugalem *Joſephi* ac *Mariæ* conſociationem, quam tamen cum ſpecie conjunctam fore præviderit, Jeſum a *Joſepho* ſatum eſſe. β) Falſam hominum de ortu Jeſu, e connubio iſto elicitam, opinionem non ſtatim apertiori veræ doctrinæ promulgatione convellerit. Potuit hoc connubium moraliter permittere, Pag. 107-
quia, inde multa bona profectura eſſe, prævidit, 1) ne *Maria* 109.
puerpera ſcortationis rea, atque Jeſus impuræ originis labe inquinatus, putaretur. 2) Ne imbecilliores extraordinariam Jeſu generationem pro re incerta haberent, ſicque dubitationem ſuam ad res, quæ ad Jeſum attinebant, transferrent. 3) Quo ſic veritatis cupidi exſtimularentur, ut rationem nativitatis per teſtes indubios cognoſcerent. 4) Hac ratione, quæ ad victum, amictum, cultum, & alias neceſſitates, ſpectabant, Jeſu via ordinaria procurarentur. Et, ſi quidem error 109-110.
aliquis ex iſta conſociatione matrimoniali eſt exortus, fuit tamen ille evitabilis, quia ratio erroris fuit a) *inſufficiens*, dum *Joſephus* & *Maria* connubio juncti eſſent, non propterea τὸ θεῖον originis Jeſu negandum erat; b) ſufficientibus adminiculis Deus homines inſtruxerat, ad futilitatem erroris perſpiciendam. Adſtruit hoc a conſpectu angeli Domini & exercitus 110-112.
angelorum, teſtimonio *Simeonis* de Jeſu, magorum ex oriente, cæde Bethlehemitica, prædicatione Meſſiæ, miraculis, a Jeſu ſuccedente tempore patratis. Quæ omnia animos ipſorum arrigere potuiſſent, ut in ipſius conditionem & rationem originis inquirerent, quam, ſi *Mariam* percontati eſſent, cognoſcere potuiſſent, indeque certi fieri, ipſum eſſe illibatæ virginis ſobolem, *Jeſ. VII, 13, 14*. Contra incommoda multa ſecuta fuiſ- 113-115.
ſent, ſi Deus illam obſcurationem veræ conditionis ortus Jeſu non permiſiſſet, quæ ordine hic explanantur. Alias finis publicus, in quem connubium iſtud collineavit, fuit, quo *major certitudo* 115-117.
hiſtorica plurimorum caſuum memorabilium, qui circa Jeſum,

cum

Digitized by Google

cum naſceretur, & in infantia, contigerunt, conſtaret, cum ad
certam teſtimonii fidem apud Judæos ad minimum duo re-
Pag. 118- quirerentur. Speciatim in eo habemus *emolumentum publi-*
122. *cum*, quod ad ſatisfactionem Chriſti pro peccatis. Reſtituit
1) ſocietati conjugali honorem, quam primi conjuges per
abuſum turpiter deformaverant, 2) matrimonia humana ſan-
ctificavit, 3) vanitatem illorum, qui ob natalium ſplendorem
ſuperbiant, luit, 4) ſanavit παραπτώματα parentum, 5) ſa-
tisfecit pro neglectu officiorum in parentes, & qui parentum
loco ſunt, & conſanguineos, admiſſo, & quæ hujus generis
122-126. ſunt alia. *Sectio II de utilitate conjugii Joſepho-Mariani privata*
agit. Illa ſe protendit ad *Joſephum*, *Mariam*, & *Jeſum*, quatenus
in privato ſtatu conſiderantur. *Ad Joſephum*, ne deſponſatio
facta cum *Maria* fruſtranea eſſet, & ut ſic occaſionem nanciſce-
retur, plura officia præſtandi, atque adeo præmiorum æter-
127,128. norum majores gradus exſpectandi. *Ad Mariam*, præter alia,
partim ut pudoris fama conſervaretur, partim ut præſidium
in *Joſepho* haberet. Speciatim, ut is eſſet α) domeſticæ virgi-
nitatis cuſtos & familiaris partus teſtis, β) nunquam læſæ pu-
dicitiæ teſtis & cuſtos, γ) ipſius & Jeſu nutritor, comes, ſocius,
128,129. conſolator. *Ad Jeſum*, tum ut eo honeſtius & commodius,
rebus *Mariæ* attritis & acciſis, educaretur, tum ut probrum
129,130. conſpurcatorum natalium ab ipſo depelleretur. In ſubjecto
duplici Indice locorum Scripturæ, vel excitatorum, vel brevi-
ter illuſtratorum, rerum item atque hominum memorabilio-
rum, ratio habetur. Tota hæc Commentatio ita eſt adornata,
ut concinnum ubique ſequatur ordinem Vir eruditiſſimus,
ſententiam ſuam validis communiat rationibus, ingenium, ſa-
gacitatem, & acumen, ſatis prodat; quem, ut hujus generis
fœtus, adeo ſcite elaboratos, nobis dare pergat, publico nomine
rogamus.

JO. TOB. KREBSII DE USU ET PRÆſtantia Romanæ Hiſtoriæ in Novi Teſtamenti interpretatione libellus.

Lipſiæ,

Digitized by Google

Lipſiæ, ex officina Langenhemiana, 1745, 8.
Plag. 11.

Eos, qui Hiſtoriæ Romanæ peritia parum imbuti fuerunt, in literarum ſacrarum interpretatione lapſos eſſe graviſſime, viri docti jam dudum docuerunt. Melius itaque ſuo ſe ſatisfacturos officio, literarumque ſacrarum interpretationi ſapientius conſulturos, eruditi ætatis noſtræ crediderunt, qui, ad exponendum Codicis ſacri complexum, eumque Novo Fœdere comprehenſum, accedentes, omnem rei Romanæ veteris apparatum ſecum attulerunt. In horum numero ponendus eſt Noſter, Cel. *Joannis Auguſti Erneſti* diſcipulus quondam aſſiduus, monitis magiſtri ſui congruenter verſatus in hiſtoria ac elegantia Romana, ſtudioque non mediocri eam perſcrutatus. Specimine id ipſum declaravit, ne quis dubitet, magnum uſum, magnam præſtantiam, eſſe Romanæ hiſtoriæ in N. T. interpretatione. *Sectionem primam* hic teſtem vademque ejus rei exhibuit. Conſtituit partes illius duas. Priorem in eo occupavit, ut rationes afferret, quibus ductus, contendit, N. T. libros intellecturo, aliisque interpretaturo, accuratam hiſtoriæ Romanæ cognitionem non utilem ſolum, ſed neceſſariam etiam, eſſe. Poſterioris vero cardo in eo vertitur, ut intelligat lector, illas rationes autoritate locorum, e N. T. petitorum, & non niſi ex hiſtoriæ Romanæ cognitione illuſtrandorum, confirmari, firmiusque ſtabiliri. Quantum ad priorem attinet partem, id ad unum omnes facile largientur, Judæos tempore ſcriptorum N. T. Romanis paruiſſe, ritusque & conſtitutiones Romanorum in ipſam Judæam tranſiiſſe. Ipſi Apoſtoli & Chriſtiani primi ditionis erant Romanorum. Horum ipſi jura ſervabant, horum mores in permultis actionibus ſequebantur. Initia Romanorum in Judæos imperii repetenda ſunt ex eo tempore, quo *Pompejus Magnus* a populo Romano A. U. C. 690 in Aſiam eſt eo conſilio miſſus, ut contra Regem *Mithridatem* debellaret. Quem cum confeciſſet, aggreſſus eſt *Tigranem*. Hic etſi, diademate in *Pompeji* manus tradito, ſeſe dediderat, tamen Armeniam recepit, gran- Pag. 2. 4.

Aaa di

di pecunia & regni parte, Syria, Phœnice, & Sophone, multa-
tus. Mox *Pompejus*, devictis Iureis & Arabibus, in Syriam
deſcendit, eamque, ditioni Romanæ adjectam, in provinciæ for-
mam redegit. *Hyrcanum Maccabæum*, a fratre *Ariſtobulo*
pulſum, lubens ſuſcepit ſupplicem, ductuque ejus Judæos ag-
greſſus eſt. Urbe Hieroſolyma capta atque arce, *Pompejus*
templo pepercit. *Ariſtobulum* vinctum Romam miſit, *Hyr-
cano* jus Pontificatus reſtituit, impoſitoque Judæis ſtipendio,
Procuratorem eis *Antipatrum Aſcaloniten* præpoſuit. *Hero-
des* a Romanis pependit. Cœtera haud ſunt incognita.
Pag. 13. Tranſeamus ad partem poſteriorem. Cui minus notæ ſunt
voces πραιτώριον, (*habitationem* indicans *Præſidum Romanorum
in provincia*, & alibi *cohortium prætorianarum corpus Phil. I,
13,*) *ſpeculator*, (hemerodromus & obſervator perniciſſimus
eorum, quæ apud hoſtes agebantur, ſimulque ſatelles, ſaluti
heri invigilans,) *publicanus*, ἀρχιτελώνης, λιθόστρωτον, βῆ-
μα, & aliæ, eorum ſciendi cupiditati hic egregie a Cl. Autore
factum eſt ſatis. *Pilatus* vocatur ἡγεμὼν, id eſt, *procurator*.
55. *Sergius Paulus* Cypri erat ἀνθύπατος, id eſt, Proconſul, ab
univerſo ſenatu ſorte captus, eoque miſſus. *Auguſtus* dicitur
77. τὴν οἰκουμένην, id eſt, orbem Romanum, deſcribi juſſiſſe, ut
capita noſſet, non facultates. *Cenſus hic fuit actus, ante-
quam Quirinus Præſes Syriæ eſſet.* Sic verba *Lucæ* Noſter
89. interpretanda eſſe docet. Idem illuſtrat locum *Act. XXII, 25*,
qui agit de *Paulo* virgis cædendo, ejusque civitate Romana;
cujus autoritate expeditas virgas a ſe removere ſtuduit.
Χιλίαρχος dicitur ibi juſſiſſe *Paulum* μάστιξιν ἀνετάζεσθαι.
91. Τὸ προτείνειν ibi eſt *extendere*, ſiquidem ille juſſit corpus
Pauli, equuleo impoſitum, fidiculis extendere, idque ob eam
cauſam, ut criminis confeſſio a reo exprimeretur & extor-
queretur. Nam & ii, qui fidiculis diſtendebantur, verberi-
bus affici ſolebant. Ἱμάντες ſunt loca, quibus equuleum inten-
dere mos erat. Inſtrumentum vocabatur τύμπανον, cui illi-
gati ſunt rei, adſtricti, ſuſpenſique virgis cæſi. Unde lucem
illa fœnerantur *Ebr. XI, 35*: ἄλλοι δ' ἐτυμπανίσθησαν. Un-
denam vero *Paulo* jus civitatis Romanæ paratum fuit? Noſter

ita

ita rationes putat, ut *Paulus* acceperit illud cum nomine *Pauli*, cum commendatione & opera *Sergii Pauli* id ipſum in inſula Cypro obtinuit, licet fluctuari paululum videatur. Si dixerimus, *Paulum* a *Sergio* adoptatum fuiſſe, res in vado eſt. Nam adoptatus dici poteſt γεγεννημένος. Majori tamen res indiget argumentorum apparatu. Appellationem *Paulus* ad *Cæſarem* fecit *Act. XXV*, 11. Originem ejus rei ad *Auguſtum* refert, *Dionis* autoritate munitus *Lib. LII pag. 487. Meſſalinus* ad *Tiberium* Imperatorem provocavit, teſte *Tacito Ann. VI*, 5. *Cajus* quidem *Caligula* magiſtratibus liberam jurisdictionem & ſine ſui appellatione conceſſit, *Suetonio* teſte *Cap.* 16. At paulo poſt ille mos ab eo ipſo fuit revocatus, indice *Dione Lib. LIX pag. 654. Hadrianus* demum ſenatui id juris conceſſit, ut ab eo nulla ad Principem valeret provocatio. *Ulpianus Lib. I de Appellat.* nos de eo dubitare haud ſinit. Ad *Neronem* homines reos provocaſſe, pateſcit ex *Taciti Ann. XVI*, 8. Subjicit tandem Cl. Vir egregie dictis *Jacobi Gronovii* de modo, quo majores *Pauli* jus civitatis Romanæ fuerint conſecuti, ſententiam, dictitantis, majores *Pauli* id jus pecunia ſibi ab aliquo Romano comparaſſe, ut, quacunque urbe vellent, tranquille vivere, & ſacra patrio ritu ſecure peragere, poſſent. Salivam nobis hæc, a Cl. Autore diſputata moverunt, evolvendi eas, quæ ſunt inſecuturæ, ejusdem argumenti tractationes. Gratulamur Cl. Autori hoc ſpecimen, e quo de his, quæ porro ab ipſius eruditione exſpectanda ſunt, judicium ferre benignum & boni ominis plenum omnino debemus.

Pag. 99. 110. 112. 124.

CHRISTIANI AVGVSTI CRUSII, Philoſ. in Acad. Lipſ. P. P. Entwurf der nothwendigen Vernunftwahrheiten, wiefern ſie den zufälligen entgegen geſetzet werden.

hoc eſt

EPITOME VERITATUM RATIONIS neceſſariarum, quatenus opponuntur contingentibus.

 Lipſiæ,

Digitized by Google

Lipſiæ, impenſis Jo. Frid. Gleditſchii, 1745, 8.
Alph. 2 plag. 19.

Qui præterito anno in Inſtitutionibus vitæ rationi convenienter agendæ, in his *Novis Actis Erudit. A. 1745 Menſis Mart. P. II* ex merito laudatis, theoriam voluntatis humanæ & omnem Philoſophiam practicam diſtincte & ſolide expoſuerat, multisque novis incrementis egregie locupletaverat, idem Cl. Autor in hoc libro, non minus accurate conſcripto, ſtudium ſuum ad Metaphyſicam transtulit. Hanc enim titulo hoc, paulo generalius concepto, innuit, ejusque rei rationem in Præfatione reddit uberius. Ad Metaphyſicam ſcilicet illas res, quæ poſito mundo aliter comparatæ eſſe poſſent, quasque veritates contingentes appellat, pertinere negat, & de limitibus hujus diſciplinæ id ante omnia tenendum eſſe inculcat, nihil ad eam referendum eſſe, niſi quod aut perpetuo & neceſſario ſit, aut ſaltem in quolibet mundo neceſſario reperiatur, aut ex iis, quæ ejus generis ſunt, a priori intelligatur. Alioquin enim omnibus limitibus determinatis eam carituram eſſe, ſibi perſuadet. Attamen omnes veritates neceſſarias Metaphyſicæ neutiquam adjudicat. Mathematicas enim, quia latiſſime patent, ſuis diſciplinis relinquendas eſſe cenſet. Practicas etiam veritates determinatas, quantumvis ad officia neceſſaria ſpectent, ideo Philoſophiæ practicæ attribuendas judicat, quia eas ſeparate ab officiis contingentibus pertractare, moleſtum eſſet, & præterea parum utile, propterea quod ſine neceſſariis ne contingentia quidem officia recte percipi poſſint. Utraque tamen ſcientia, tum mathematica, tum ea, quæ de officiis præcipit, in Metaphyſica principia ſua ſumma deprehendere, & exinde repetere, debet. Definit igitur Metaphyſicam ejusmodi ſcientiam theoreticam, quæ agat de illis veritatibus neceſſariis, quæ non conſiſtunt in quantitatibus extenſi. Hac poteſtate vocabulo data, ſententias doctorum, quæ primo intuitu in alia omnia abire videntur, conciliari poſſe, judicat, quanquam in recte applicanda hac notione quidam non ſatis ſolliciti fuerint. Quemadmodum vero Metaphyſica ſublimi-

tate

Digitized by Google

tate ſua & fructus ubertate animos omnium, qui ſolidiora amant, facile allicit, ideoque ab acutiſſimis viris diligenter exculta fuit; ita neminem latere poteſt, eam olim tricis & ſubtiliſſimis nugis paſſim ſcatere cœpiſſe, recentiori autem ætate ita excultam eſſe, ut, quanquam ex contemtu protraheretur, ſuæque aſſereretur dignitati, a notionibus tamen communibus non parum abhorreret, ideoque motus ſatis magnos excitaret. Quanquam autem, ſubito converſa ſpecie, uti fere accidit in omnibus, quæ nova videntur, permultos ſibi ſectatores conciliaret; pleriſque tamen iterum diſplicere cœpit, quippe quæ ita comparata ſit, ut celebratiſſimi ejus inſtauratores non modo præcipua capita poſteris ſuis accuratius explicanda, aut demum aggredienda, reliquerint, verum etiam commentis illepidis eam paſſim ita onerarint, ut vel tollendis hiſce magnam partem novum ornamentum impetrare poſſint. Utramque igitur provinciam occupavit Cl. Autor, modeſte tamen, nec infeliciter, cum in eo totus ſit, ut, incipiendo a notionibus communibus, quas a poſteriori ipſa natura nobis offert, ad conſtituendas rerum poſſibilium notiones, & demonſtrandam entium, vere exiſtentium, neceſſariam naturam & indolem, adſcendat, & ex his veritates neceſſarias, quæ ſunt, aut eſſe poſſunt, a priori inferat, atque hac via, abſtinendo a qualibet definitione, vel ſumtione, arbitraria, naturam ipſam ducem ſequendo, ſyſtema conficiat, quod iis, qui veritatem amant, vel ob hoc ſolum calculum extorſerit, quod, quæ ipſos natura obſcuriuſcule & velut eminus ſenſu interno docet, ea accurate expoſita, demonſtrata, & inter ſe juncta, reperiant, atque ita explanata, ut in exemplis facile & cum fructu applicari poſſint. Porro, quia Chriſtianæ religionis hoſtes metaphyſicis ſive veritatibus, ſive commentis, ad oppugnandam & laceſſendum eam plerumque abuti ſolent, digreſſiones concinnas ubivis reperimus, quibus dogmata præcipua religionis revelatæ tam evidenter in luce poſita ſunt, ut, quanquam utraque lux, revelationis ſcilicet & rationis, non confundatur, vix tamen ullum dogma Theologiæ ſupereſſe videatur, quod

Digitized by Google

non ab hac Metaphyſica illuſtrationem petere poſſit, eo majoris faciendam, quia veritates, illuc pertinentes, antea in ſuo nexu acutiſſime demonſtratæ fuerunt.

Diviſa eſt hæc Metaphyſica, recentiorum more, in diſciplinas quatuor, *Ontologiam, Theologiam naturalem theoreticam, Coſmologiam*, denique *Pneumatologiam*. Ex ſingulis excerpemus quædam ſpeciminis loco, quæ aut nova, aut maxime
Pag. 22. notatu digna, videntur. In *Ontologia Cap. II criteria entis*,
quibus a non ente diſcernitur, ita conſtituuntur, ut *poſſibile* ſit, cujus aliqua datur cogitatio, *falſum*, quod non cogitari poteſt, *exiſtens* autem, quod non aliter, niſi tanquam exiſtens, datis conditionibus cogitari poteſt. Inde tria ſumma cognitionis humanæ principia conficiuntur. Primum eſt *principium contradictionis*, quod notum eſt. Secundum vocatur *principium inſeparabilium*, & ita ſe habet: Quæ non ſeparari poſſunt cogitatione, ea etiam re ipſa conjuncta ſunt. Cui additur tertium, quod *principium inconjungibilium* dicitur: Quæ non conjungi poſſunt cogitatione, ea etiam re ipſa conjuncta non ſunt. Scilicet duo poſteriora ita accipiuntur, ut ſecundum ea tunc judicetur quoque, ubi repugnantia inter notiones oritura oſtendi non poteſt. Attamen ob finitatem noſtram reſpectu principii inſeparabilium & inconjungibilium
25. *quatuor reſtrictiones* demonſtrantur: 1) ea non valere, ubi
colliduntur cum principio contradictionis, quia, ſi aut contradictorium, aut incomprehenſibile, ponendum eſt, ſine dubio poſterius eligi debet; 2) non valere ea, ubi a ſpiritu perfectiori, qui fallere aut nequit, aut non vult, de re nobis incomprehenſibili edocemur; 3) ubi obligatio ad amplectenda ea, quæ determinate a nobis cogitari nequeunt, probari
100. poteſt; 4) ubi ob finitatem noſtram tanquam notum ſumi
poteſt, abſentiam cogitationis alicujus rei æque a limitibus noſtri intellectus, atque ab impoſſibilitate, in rei natura fundata, pendere poſſe, id quod præcipue locum habet, ubi res inter ſe contenduntur, quarum alterutra eſt negativum quiddam, vel ubi de entibus immaterialibus ſermo eſt. Specia-
27. tim *criterium exiſtentiæ* ultimato ſemper conſtituitur ſenſio,

ſive

Digitized by Google

ſive externa, ſive interna. Contendit igitur Cl. Autor, non omnem probationem duci ex ſolo principio contradictionis, ſed reliquis etiam principiis, quæ ſubſumuntur ex ſummo principio falſitatis incogitabilium, opus eſſe, præcipue ad conſtituendas reales notiones, quibus contemplandis deinceps contradictionis principium applicari poſſit. In Matheſi pura autem ſufficere ſolum repugnantiæ principium, quia ibi non niſi hypotheticæ concluſiones de ſumtis quantitatibus poſſibilibus quærantur. *Caput III*, quod de eſſentia entis in genere agit, ſubjecta metaphyſica dividit in *ſubjecta ſubſiſtentiæ completa* & *incompletæ*. *Eſſentiæ* notionem triplicem conſtituit, ut *eſſentia metaphyſica* complectatur omne id, per quod ens aliquod cogitatur, & opponatur exiſtentiæ, *eſſentia logica* comprehendat ea, quæ rei ſemper competunt, & opponatur accidentibus prædicabilibus, *eſſentia fundamentalis* conſiſtat in eo, quod primum eſt in ente, & in quo reliqua fundantur, quatenus ſcilicet fundamentum internum agnoſcunt, & non forſan a principiis externis ſimul pendeat, & opponatur attributis. Eſſentiam fundamentalem demonſtrat aut neceſſariam, aut contingentem, eſſe poſſe. Ex eſſentia metaphyſica conceptus omnes, qui in ente diſcernuntur, v. g. qualitatem, determinationem, ſtatum, facultatem, & ſic porro, ita abſtrahere docet, ut ex quolibet ante completo univerſa Ontologia abſtrahi poſſit. Ubi de facultatibus præcipit & cauſis, conſtituit *principium ſufficientis cauſæ;* quod, quicquid oritur, oriatur a cauſa efficiente & ſufficiente, nec non *principium contingentiæ*, quod, quicquid cogitari poteſt, aliquando non exſtitiſſe, etiam re vera ſit contingens. Principia, ſeu rationes, dividit in *principia* cognoſcendi, ſeu *idealia*, & principia eſſendi, ſeu *realia*. Circa poſteriora obſervat aliquid, quod maximi momenti eſt, ſcilicet quod ſint aut *principia exiſtentialiter determinantia*, aut *cauſæ activæ*, quorum illa aliud quid poſſibile reddunt, vel determinant, per ipſam ſui exiſtentiam, hæc vero operantur aliquid per facultatem activam. *Cap. IV*, ubi de exiſtentia & annexis notionibus diſſeritur, *exiſtentiam* definit, quod ſit illud prædicatum entis,

Pag. 35. 49. 51. 51. 75.

entis, vi cujus præter id, quod cogitetur, ponatur quoque illi extra cogitationem aliquod *ubi* & *quando* competere. Subſtantiæ, quando exiſtunt, τῷ *ubi* inſunt immediate. Accidentia autem exiſtere dicuntur, quando inſunt ſubſtantiis exiſtentibus. *Abſtracta exiſtentiæ* ſunt *ubi*, *quando*, & *poſſibilitas*.
Pag. 77. *Spatium*, ſeu τὸ *ubi*, aſſeritur eſſe id, cui ineſſe cogitamus ſubſtantias duce natura, quodque, omiſſa ſubſtantia, in cogitatione ſupereſt, & ad omnes ſubſtantias ſe indifferenter habet. Τὸ *quando*, ſeu *tempus*, latiſſime ſumtum, eſt id, in quo ſucceſſionem entium cogitamus, ſive talis vere fiat, ſive minus. Utrumque tamen eſt ens incompletum, quod, ſublatis omnibus ſubſtantiis, evaneſcit, & tantummodo circumſtantias entium completorum conſtituit, eas ſcilicet, quæ ad exiſtentiam ſpectant, id quod copioſe explanatur & vindicatur. *Poſſibilitas* eſt illud prædi-
94. catum entis, vi cujus cogitatur, ſed aut nondum exiſtit, aut ad exiſtentiam ejus jam non attenditur. Quare eſſentia poſſibilitatis entium contingentium in eo conſiſtit, quod aliqua cauſa exiſtat, quæ ea efficere poſſit. Alioquin poſſibilitas nihil habet reale. Cogitabilitas autem poſſibilitatis criterium eſt, unde etiam concluditur, notionem exiſtentiæ natura & intellectu priorem eſſe notione poſſibilitatis. His & compluribus aliis appoſitis, *Cap. V* cauſæ efficientes ſpeciatim retractantur, & abſtracta, illuc pertinentia, traduntur. Ibi quidem nova videntur *criteria facultatum primitivarum*, & differentia inter *actiones primas* & *non primas*. *Criteria facultatis primitivæ* ſunt, 1)
123. ut rei ſemper competat, 2) ut, quæ tribuuntur illi, *cauſaliter* exinde deduci poſſint, neque tantum tanquam ſpecies, aut, docente experientia, connexa, ſubſumantur & eliciantur; 3) ſi finita eſt, occupatur ſemper circa idem conſequens proximum, ex cujus variis gradibus & directionibus reliqua debent intelligi poſſe. Si vero infinita eſt, ſola ad omnes actiones in ſe una poſſibiles ſufficiens eſſe debet. 4) Si ejus agendi poſſibilitas conditionibus adſtricta eſt, conditiones in eodem ſubjecto latere debent. 5) Etiam conſequens proximum, per quod cogitatur vis primitiva, aliquid in eodem ſubjecto eſſe neceſſe eſt. 6) Vis primitiva non ex alia vi in eodem ſubjecto cauſaliter debet deduci poſſe; 7) neque etiam abſtractum exiſten-

existentiale, videlicet pars, ſpecies, aut determinatio, alius ſummæ facultatis, eſſe debet. 8) Attamen pro determinatione facultatis, quæ nova vi non egeat, habendum non eſt id, quod ad effectum alicujus facultatis adjungitur quidem, ſed ex illa non poteſt tanquam ex cauſa ſufficiente intelligi, niſi alia quædam & diſtincta facultas in ſubſidium vocetur. Statuit igitur Cl. Autor, etiam in ente ſimplici finito plures vires primitivas ineſſe poſſe, & neceſſario ineſſe debere, ſi ad edendos effectus, eſſentia inter ſe diverſos, idoneum eſſe debet. *Actiones* Pag. 139.
primas dividit in *perpetuas* & *non perpetuas*, quarum illæ perdurantem eſſentiam actuoſam ſubſtantiarum conſtituunt. Illæ vero, quæ non fiunt perpetuo, iterum duplicis generis ſunt. Aut enim, poſitis conditionibus requiſitis, neceſſario ſubſequuntur, aut, poſitis omnibus conditionibus, quæ ad ſuſcipiendas illas requiruntur, nihilo minus non niſi perfecte poſſibiles redduntur. Has igitur, quia non niſi in ſpiritu ratione utente dari poſſe, & in eo libertatem conſtituere, demonſtrat, *liberas* 141.
appellat, earumque poſſibilitatem ab objectionibus ſolide vindicat. *Criteria actionum primarum* hæc ſunt: 1) fieri debent in ipſo ſubjecto agente; 2) non produci debent ab alia actione antegreſſa, tanquam a cauſa ſufficiente; 3) nullus motus eſt actio prima; 4) quicquid non, poſitis iiſdem circumſtantiis, omitti potuit, illud non eſt actio prima libera. Jam igitur *principium rationis determinantis* aliter, quam vulgo, conſtituitur, & ita ſe habet: Quicquid non eſt actio prima libera, illud, ſi oritur, ex ejuſmodi proficiſcitur ratione, qua poſita, non fieri, aut aliter fieri, non potuit. *Cap. VI* præcipit Cl. Autor de unitate, identitate, & diverſitate, & conditiones exponit, quibus identitas entium completorum tollatur. Et, quia hactenus *notiones*, quæ vere *ſimplices* ſunt, quæque ideo non per partes, ſed per modum, quomodo ad eas perveniatur, definiri debent, ſparſim ſuo quamque loco tradiderat, jam eas junctim, velut in tabula, exhibet, quas enumerare operæ pretium eſt. Sunt vero 1) notio τῦ ſubſiſtere, 2) τὸ extra ſe invicem eſſe localiter, 3) ſucceſſio, 4) cauſalitas, ſeu τὸ efficere, 5) extra ſe invicem eſſe ſucceſſiter,

ter, 6) unitas, 7) negatio, 8) *τὸ* ineſſe, quod non ſumitur ſubſiſtentialiter, aut pro circumſcriptione entis ab aliis entibus, quale eſt *τὸ* ineſſe in ubi & quando. His accurata *cognitionis intuitivæ* & *ſymbolicæ* explicatio ſubjungitur. *Cap. VII, VIII, IX*, progreditur Cl. Autor ad attributa entis disjunctiva. *Cap. VII* de ſimplici & compoſito agitur, ubi ſimplicitas ſubſtantiæ & eſſentiæ, mathematica & phyſica, compoſitio idealis & realis, diſcernitur. Longus hic eſt Autor in exponenda contemplationum mathematicarum & philoſophicarum differentia, eumque, qui, aliquid compoſitum, vel corpus, effici, clamat, quia extenſio mathematica competit ſpatio, quod ab illo repletur, non minus, ait, præpoſtere agere, quam qui Rhetores accuſaret, quod, quasdam loquendi formulas corpora eſſe, ſtatuerent, propterea quod eas figuras vocent, ſcilicet quia figura in Rhetorica aliud quid, quam apud Phyſicos & Mathe-
Pag. 190. maticos, denotet. *Cap. VIII* tractat de neceſſario & contingenti. Dupliciter dividitur *neceſſitas*. Primo eſt vel *exiſtentiæ*, vel *eſſentiæ*. Prior iterum eſt vel *neceſſitas independentiæ*, ſi quid ab æterno exiſtit, vel *conſecutionis*, ſi ob cauſas determinantes conſequitur. Porro *neceſſitas exiſtentiæ* eſt vel *abſoluta*, vel *hypothetica*. *Abſoluta* eſt vel *immediata*, ſi oppoſitum ne cogitari quidem poſſit, vel *mediata*, ubi quid ob indeſinentem ſeriem cauſarum determinantium, a quibus oriri ſuo tempore neceſſe habet, neceſſarium dicitur. *Neceſſitas hypothetica* eſt, ubi quid proxime quidem a cauſis determinantibus proficiſcitur, ſed ubi, ſi in cauſarum ſerie retrogrediendo adſcenderis, devenitur aliquando ad cauſam, quæ vere libere egerit. Simili ratione etiam *contingentia* dividitur, eſtque vel *eſſentiæ*, vel *exiſtentiæ*. Et, ubi *contingentia exiſtentiæ* ſtatuitur, conceditur vel ſola *contingentia dependentiæ*, ut ſcilicet aliquid non ſit ab æterno; vel etiam *contingentia conſecutionis*, ut fundamentum habeat aliquando in actione vere libera, a qua ſive mediate, ſive immediate, pendere poteſt. Sequitur *Caput IX* de finito & infinito. Bene diſtinguuntur *infinitas progreſſiva & ſimultanea*; & in infinitate ſubſtantiæ ſimultanea iterum tria, quanquam inſeparabi-

liter

ſiter juncta, nimirum *æternitas* & *immenſitas*, quæ conſtituunt *infinitatem exiſtentiæ*, & *infinitas facultatis*, qua *eſſentiæ infinitas* abſolvitur. De natura facultatis infinitæ multa non vulgaria demonſtrantur. De poſſibilitate *ſerierum infinitarum* ſingulari acumine copioſe diſputat Cl. Autor. Sententia ejus fere huc redit: 1) numerum infinitum, qui conſtet unitatibus realibus entibusque completis, dari non poſſe; 2) ſubſtantiarum finitarum non dari poſſe multitudinem infinitam; 3) neque etiam mutationum; 4) poſſe tamen numerum eum eſſe infinitum, cujus unitates neque entia completa, neque mutationes entium finitorum, ſint, quanquam a nobis poſitive cogitari nequeat; 5) quamlibet ſeriem infinitam cauſarum & effectuum contradictionem implicare. *Cap. X* de quantitate, ejusque abſtractis & menſuratione, ſubtiliſſime diſputatur, eaque menſura, quam *Leibnitius* pro viribus motricibus vivis reperit, a priori ex natura actionis & reactionis demonſtratur. Generaliſſimis de menſuranda quantitate regulis ſubjungitur applicatio ad *menſurandum motum*, cujus regulæ fere hæ ſunt: 1) ſi ponatur actio virium motricium fieri in materia non reſiſtente, æſtimatur ex maſſa, in celeritatem ducta; 2) ſi vero in materia reſiſtente ponatur, æſtimanda eſt ex maſſa, in quadratum celeritatis ducta; 3) ſi in duobus exemplis reſiſtentia ſit inæqualis, ad æſtimandam quantitatem illius actionis, quæ majorem habebat reſiſtentiam, factum ex maſſa in quadratum celeritatis ulterius per quotum reſiſtentiarum multiplicandum eſt; 4) niſus, qui differunt celeritate abſoluta, æſtimantur ex quadrato celeritatis in maſſam, ſed, qui differunt tantummodo celeritate relativa, id quod accidit in potentiis mechanicis, æſtimantur ex celeritate, in maſſam ducta. Claudit Ontologiam *Caput XI* de perfectione & bonitate, in quo præcipue, quod ad perfectionem attinet, quamplurima, ſi diſtinctam ſpectes explicationem, nova, & ita conformata, ſunt, ut in quæſtionibus maxime impeditis facilem applicationem offerant, ſed quæ, niſi obſcuranda ſunt, in compendium mitti vix poſſunt.

Pag. 235. 274. 281.

Verboſiores fuimus in percenſenda Cl. Autoris Ontologia,

Digitized by Google

partim quia hæc diſciplina omnis eruditionis philoſophicæ arx eſt, quam uberius coli ita quiſque exoptat, uti profundæ cognitionis amans eſt, partim quia ex hac, velut ſpeciminis loco, exhibita quemlibet prævidere poſſe exiſtimamus, quid in reliquis diſciplinis a Cl. Autore ſibi polliceri poſſit, in quibus nunc breviores eſſe cogimur.

Ontologiam ſtatim excipit *Theologia naturalis*, propterea quod, nobiliſſima Coſmologiæ theoremata ex attributis divinis demonſtrari debere, Autor contendit. *Caput I* circa exiſtentiam Dei occupatur, ubi omnis argumentationis, eo ſpectantis, fontes ante omnia exquiruntur, & deinde, monſtrata via, quomodo innumeræ probationes erui poſſint, veluti exempli loco decem argumenta ſubjunguntur, quorum ſeptem priora demonſtrativa, tria poſteriora autem probabilia, ſunt. *Cap. II* de natura & attributis Dei docetur, quæ novo ordine explanantur. Operam dedit Cl. Autor, ut ea potiſſimum attributa, quæ ad vitam moresque componendos fructuoſiſſima ſunt, ſcilicet ſapientiam, ſanctitatem, juſtitiam, benignitatemque, acerrime vindicaret, & ab omni objectione liberaret. *Cap. III* opera Dei, creationem, conſervationem mundi duplicem, alteram, quæ annihilationi, alteram, quæ interitus periculo, opponitur, denique providentiam, complectitur. In explicanda vindicandaque poſtrema Cl. Autor de lectoribus ſuis præcipue præclare meretur.

Coſmologiæ Capita duo ſunt, quorum *alterum* de mundo in genere, *alterum* de motu, exponit. In priori placuere præcipue, quæ de mundi finitate, de ejus eſſentia, et de iis, quæ mundi identitatem tollant, vel relinquant, de rerum actione, ſpirituum quoque & materiæ, in ſe invicem mutua, de principiis cohæſionis corporum, nec non de miraculis, eorumque tum fundamentis, tum criteriis, diſputantur. Appendicis loco accedunt quæſtiones coſmologicæ, de quibus nuper diſputatum eſt, v. c. de eſſentia mundi, de principio indiſcernibilium, de machina mundi, de hypotheſi mundi optimi, quæ accurate diluuntur, fontibus quoque aberrationum detectis. *Cap. II* natura & varietas motuum, quæque eo pertinent,

ſent, inertia varii generis, reactio, & ſic porro, exponuntur, & deinde leges motus neceſſariæ, quas contingentibus opponit Cl. Autor, a priori demonſtrantur, v. c. quod actioni reactio æqualis ſit; quod vis movens plurimum valeat ſub angulo recto, ideoque elongatio virium in vecte æſtimetur ex linea ex hypomochlio, quæ ad lineam directionis perpendicularis eſt; quod angulus reflexionis æqualis ſit angulo incidentiæ, & complures aliæ, potiſſimum quæ ad corpora elaſtica ſpectant, quo facto, iterum quæſtiones quædam, in controverſiam vocatæ, diſcutiuntur.

Quanquam, doctrinam de ſpiritibus nihil aliud, quam Coſmologiæ partem, eſſe, fateatur Cl. Autor; nobilitati tamen argumenti pariter ac conſuetudini dandum eſſe duxit, ut peculiaris diſciplina ipſi aſſignaretur, quam *Pneumatologiam* dixit. Pſychologiam enim vocare noluit, quia in doctrina de anima humana permulta plane contingentia, & ad Metaphyſicam non trahenda, occurrant, cum e contrario Pneumatologia metaphyſica generaliſſimam & neceſſariam ſpirituum naturam contempletur. Telam ſuam ita perſequitur, ut in re tam ardua, &, uti multis videtur, deſperata, multa præclara, & quæ nova dici merentur, protulerit. *Tria* conſtituit *Capita*, quorum *primum* notionem ſpiritus, reſectis omnibus, quæ aſſui ſolent, laciniis arbitrariis, operoſe exquirit, & exiſtentiam ſpirituum variis modis demonſtrat, præcipue vero ad confutandos Materialiſtas argumenta eximia copioſe affert, & vix ullum eorum dubium intactum relinquit. *Cap. II* de attributis ſpirituum agit, & lectoris attentionem præcipue in ſe convertit. Etenim, quid in intellectu & voluntate ſpirituum neceſſarium, quid contingens, ſit, quid ſit primitivum, & peculiares facultates primitivas poſcat, quid vero derivativum, profunde rimatur. Vitam vindicat ſolis ſpiritibus, ejusque leges detegit, & ex ſententia ſua, argumentis idoneis adſtructa, quod una ſpirituum vis a Deo conditio conſtituatur, ſub qua altera agere poſſit, vel neceſſe habeat, ſenſionem, externam & internam, vitæ propagationem, mortem, aliaque, quæ vulgo inexplicabilia putantur, a priori dilucide exponit. Denique,

Digitized by Google

quot ſpirituum claſſes poſſibiles ſint, diſputat. *Tertium* denique *Caput* ſpeciatim de iis ſpirituum, ratione utentium, attributis præcipit, quæ fundantur in ſummi Numinis attributis moralibus, tanquam quod legi neceſſario ſubſitit, quod ad virtutem & felicitatem condantur, inprimis quod immortales ſint, id quod fuſe demonſtratur, ſimulque de variis animarum poſt mortem ſtatibus poſſibilibus accurate & ſubtiliter docetur.

MEMORIARUM HAMBURGENSIUM Volumen octavum, varia, ad rem ſacram & civilem hujus reipublicæ ſpectantia, monumenta continens. Collegit, affectumque reliquit, B. JOACHIMUS DIET. EVERS, J. U. D. Comes Pal. Cæſ. & Philoſophiæ moralis in Gymnaſio Hamb. P. P. Præfationis loco præmiſſum eſt Programma, præmaturam Viri mortem lugens:

Hamburgi, apud Joannem Carolum Bohn, 1745, 8.

Alph. 1 plag. 8.

Dignæ ſunt hæ hiſtoriæ graviſſimarum perſonarum & rerum, quæ & publice in Actis literariis commemorentur, & laudentur. Magnum jam ante talibus conſcribendis honorem conſecutus erat immortalis *Fabricius*; nec minor eſt fama generi *Fabriciani*, *Everſii*, A. 1741 defuncti, & acerbo ſatis funere, cum nondum ſex & quadraginta vitæ annos compleſſet, elati. Vitam illius, huic operi præfixam, literis conſignavit *Chriſtophorus Henr. Dornemannus*, Mathematum Profeſſor, & tunc temporis Gymnaſii Rector. Iſtiusmodi Commentariis *Everſius* memoriam ſoceri continuare laboravit; præterea potius ore, quam plurimis ſcriptis, utilem ſe literariæ civitatis ſocium exhibuit. Primum in his Commentariis locum dedit relationi breviori de A. 1737 cœpta, & biennio poſt feliciter conſummata, ædificatione templi in *Billwerder*, deque ſolennibus, hac occaſione celebratis, ab ipſo conſignata. Reædificatum illud eſt

ad

ad Billam amnem, juſſu & autoritate magnifici Hamburgenſium Senatus, munere ſacro fungente *Jo. Andrea Geiſsner*. Carmina muſica, cum inaugurare tur, dulciſſimos inter concentus decantata, & hic ſimul exhibita, compoſuit *Mich. Richey*, celeberrimus Gymnaſii Profeſſor. Adjuncta legitur narratio de Sacello S. *Gerdruthis* Hamburgenſi, quam M. *Lucas de Coloniis*, Paſtor templi Jacobei, cujus antiſtites bis per hebdomada ibi ſimul ſacra ſolent adminiſtrare, A. 1607 ſermoni ſacro, biennio poſt publici juris facto, inſeruit; Noſterque, Saxoniæ inferioris e dialecto converſam, hic recudendam curavit. Sequuntur exempla varia munificentiæ Hamburgenſis. Et quidem agitur de A. 1683 in nova, quæ dicitur, civitate inſtituta ſchola pauperum; 2) de publicis nonnullis collectionibus ſacris, & donis, quæ varias calamitates perpeſſis oblata fuerunt. Additur index præfectorum, tribunorum, centurionum, reipublicæ Hamburgenſis, ab A. 1619 usque ad annum Seculi noſtri 40, perductus, publicique juris iterum tunc redditus a *Jo. Dieterico Wetkenio*. Sed nos inprimis nunc ad ſe trahunt vitarum curricula ſummorum ac doctiſſimorum hominum, a quibus liber hic plurimum accepit ornamenti. Eminent hic, velut ſol inter ſtellas minores, quæ in memoriam invictiſſimi Imperatoris *Caroli VI*, pietatem Joannei ſignificans, elegantiſſime cecinit *Jo. Sam. Mullerus*, ejus Rector. Sed, cum, facem accendere ſoli, non ſit noſtrum, malumus nos ad reliquos demittere. Sunt illi *Garlib. Sillem*, J. U. L. inclutæ reipublicæ Hamburgenſis Conſul ſenior, & cummaxime Præſes, cujus memoriam conſervare laboravit, cum A. 1733 ad plures abiiſſet, *Jo. Albertus Fabricius*; *Dan. Stockflethus*, itidem per annos fere decem Conſul, A. 1739 defunctus, quem laudavit *Joach. Dieter. Evers*, & carmine muſico Germanico, ſimul adjecto, Cel. *Richey* cohoneſtavit; *Jo. Frid. Winckler us*, ad ædem *Nicolai* Paſtor ſupra 26 annos, Scholarcha, & ordinis ſacri ſenior, ab eodem *Everſio* ſuprema pietate affectus anno, quo mortuus eſt, 1738; *Sebaſtianus Edzardus*, Logices & Metaphyſices in Gymnaſio Profeſſor per 37 annos celeberrimus

rimus, atque ordinis ſui ſenior, cujus funus A. 1736 defuncti Profeſſorum nomine indixit *Herm. Samuel Reimarus*, Lingu. Or. Prof.; *Jo. Alb. Fabricius*, cui, ſocero ſimul ſuo, idem ille *Reimarus* juſta perſolvit; *Jo. Hübnerus*, Joannei per annos 20 Rector, cui, A. 1731 mortuo, elogium funebre ſcripſit, qui & antea eandem provinciam adminiſtrarat, *J. A. Fabricius*. Quibus ſubjungimus diu ante defunctos, ideoque & ante commemoratos, *Bernhardum Anckelmannum*, S. Theol. Licent. Or. Lingu. Prof. Collegii ſeniorem, cui A. 1703 elogium funebre ſcripſit *Ge. El. Edzardus*, Gr. Lingu. & Hiſt. P. P. & *Gothofredum Voigtium*, itidem S. S. Lit. Lic. & Joannei Rectorem, cui A. 1682 ſalve & vale triſtiſſimum ſcripſit L. *Ant. Reiſerus*, Auguſtanus, Paſtor tunc ad ædem S. *Jacobi* apud Hamburgenſes. Iſtis de omnibus dicere, nunc noſtrum foret. Id autem ſpatium prohibet; ut delectum ipſa nominum celebritas difficillimum reddit. Eminere tamen nobis videntur in ordine ſacro *Wincklerus*, in gymnaſtico *Fabricius*. Sed & horum vitæ toties, ac ex parte ſeorſim, jam ſunt expoſitæ, ut actum ageremus, & cramben apponeremus bis ac ſæpius coctam, hic ſi illas repetere vellemus. Tot ſunt ac tanti hominis ſcripta *Fabricii*, ut vix fore putemus inter Europæ literatos, eum qui neſciat, qui non veneretur. *Wincklerus* autem inprimis nunc in præclaræ famæ filio, venerabili illo Hildeſienſium antiſtite, vivit ac ſpirat. Manum igitur & hic de tabula removentes, id ſolum monemus, ſub finem, dum a laudibus ad calamitates deſcenditur, adjungi *Franciſci Jacobi Helmii* deſcriptionem, ut & monumentum poeticum, inundationis inſignis, quæ A. 1741 magnum Hamburgenſium tractum obruit, & maxime eum, qui *Kirchwerder* dicitur, cuique verbi divini miniſter is tunc præfectus erat; vaſtavit. Summa votorum noſtrorum eſt, ut Deus rempublicam Hamburgenſem, beneficentiſſimam & Mercurii & Muſarum altricem, ab omnibus calamitatibus clementiſſime defendat, atque exquiſitis felicitatum generibus, talibus inprimis, quales hic nominavimus, antiſtitibus & doctoribus, fortunet.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno MDCCXLVI.

SCRIPTORES HISTORIÆ ROMANÆ LATINI veteres, qui exſtant, omnes, variis Notis illuſtrati a CAROLO HENR. DE KLETTENBERG & WILDECK, e Bibliotheca Perill. & Gen. Domini BERNARDI FRANCISCI L. B. DE HALLBERG, &c. in unum redacti corpus, tribus Tomis diſtinctum; edente & accurante BENNONE CASPARO HAURISIO.

Tomus II.

Heidelbergæ, ex typographeo Academico, per Jo. Jac. Hæner, 1743, fol. maj.

Alph. 8 plag. 19, cum Tab. æn. 69.

Cum ante duos, & quod excurrit, annos ſplendidiſſimæ Collectionis *Klettenbergio-Haurisianæ* mentionem faceremus in his *Actis*, poſtquam meritas illius laudes ac inſignem præſtantiam demonſtravimus, in votis eſſe diximus orbi literato, ut fauſtis ominibus cœptum præſtantiſſimum Opus, feliciter etiam abſolveretur. Itaque mirum in modum exultamus, quod Cel. *Hauriſius* indefeſſa ſua, quam adhibuit, & pertinaci diligentia effecit, ut jam *ſecundus* Hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, qui exſtant, omnium *Tomus*, neque minore quidem, quam *prior*, ſplendore ac ornatu, prodierit. Unus tum erat, & non alius præter eum, Scriptor, *Titus Livius*, qui antecedente *Tomio* exhibebatur,

 obſer-

Digitized by Google

obſervationibus varii generis numiſmaticis illuſtratus. Nam, cum mellitus is Patavinus, qui de eodem rerum Romanarum argumento expoſuere, Scriptores, tum rerum copia & ubertate, tum ſermonis etiam elegantia ac judicii ἀκριβείᾳ, viciſſe univerſos cenſendus ſit, mereri recte viſus erat, ut integro penitus volumine ſolus comprehenderetur, diligentia ſumma exornandus. Sed honorifice ſatis actum eſt cum his reliquis minorum gentium Diis, quando illorum vel *tredecim* una, quod fecit præſenti Volumine Vir eruditiſſimus, in unicam ædem incluſi ſunt, ſiquidem *Livianam* illam gloriam nec dictione ſua, nec copia, nec reliquis virtutibus, ullo modo attingant. Hoſce igitur Scriptores, una cum libris ſuis, quos adduxit Editor præſtantiſſimus, pauciſſimis nunc recenſebimus, ubi ante omnia de ordine, quo poſiti omnes ab Ill. Viro ſunt, Lectores noſtros monuerimus, illum nos latere adhuc Cel. *Haurißum* voluiſſe, nec niſi ultimo *Tomo* cauſam, quare ſic a ſe ſint collocati, explicaturum eſſe. Nos quidem, etſi iſtum Viri doctiſſimi ordinem, qui ab illo, huc uſque in collectionibus Hiſtoriæ Romanæ obſervato, plane abit, divinare aliquantum poteramus; quia tamen hinc inde deſunt, quæ nondum recte inter ſe conciliaveris, exſpectabimus potius, ne inutiliter tempus conſumamus. Totius autem inſtituti ratio ex *priori Volumine* jam patet, quod quoniam curate fuſeque a nobis ſuo tempore enarratum eſt, in hoc *ſecundo Tomo* recenſendo breviores eſſe volumus, cum prior illa enarratio facile conferri poſſit. Primus igitur comparet in hoc *ſecundo Volumine M. Valerius Meſſalla Corvinus*, e familia *Valeria* oriundus, qui ſibi & familiæ ſuæ ex prodigio a *corvo* cognomen peperit, quoniam cum gallo conferenti manus corvus auxilio fuerat. Ex ſcriptis diſertiſſimi hujus Oratoris, qui tempore Cæſaris *Auguſti* vixit, quocum, ſecundum *Caſſiodorum*, anno U. C. 722 Conſulatum geſſerat, ſervamus adhuc ad *Octavianum Auguſtum*, *de progenie ſua* (*Auguſtum* ipſum intellige,) libellum, in quo & prima Urbis regimina, a *Latino* inde, Aboriginum Rege, expoſuit, &, quæ ſub Regibus, Conſulibus, Tribunis plebis, Decemviris, Tribunis Militum Con-

ſulari

ſulari poteſtate, & iterum Conſulibus, ſunt geſta, ad *Auguſtum* Imperatorem uſque enarravit. Alter hujus Collectionis Scriptor *L. Annæus Florus* eſt, plebejus quidem homo, ut ex verſibus *Adriani* ex *Ælio Spartiano* intelligitur, ſat doctus tamen, & Hiſtoriæ Reipublicæ Romanæ non plane imperitus. Cujus *Epitomen rerum Romanarum* cum ex editionibus *Grævii* & *Begeri* Perill. *de Klettenberg* exhibuerit, uterque vero *Flori* editor hunc Scriptorem criticis atque hiſtoricis Notis, ex ſolis Nummis deſumtis, illuſtraverit, communeque adeo cum Gen. *de Klettenberg* habuerit inſtitutum, quid præ his viris duobus præſtiterit Vir Illuſtris, paulo poſt videbimus. Celeberrimus autem *Haurisſius*, quoniam *Florus* Reipublicæ Romanæ res geſtas promiſcue, & nullo habito ordine, retulerat, ſerie chronologica annua, quicquid ab illo perſcriptum eſt, accuratiſſime in Præfatione recenſuit. Ex qua tabula videre posſumus, hiſtoriam *Lucii Annæi* a *Romuli* inde & *Remi* natalibus uſque ad cladem *Varianam* in Germania, quæ accidit *Auguſto* anno U. C. 760, & poſt C. N. 8, calamitas, ſe extendere. Et ſic univerſam tantorum temporum periodum uno veluti oculorum obtutu perſpicimus. Poſtea in reliquis etiam Scriptoribus morem eundem ſervavit, &, ſi qua ex chronologicis pariter & ex genealogicis occurrebant, ſicuti fecit *priore Tomo*, & hic adjecit, atque ſic facilitatem memoriæ mirum in modum adjuvit. Tertio loco *C. Vellejus Paterculus* conſpicitur, qui ſuam ipſe familiam a *Decio Magio*, *Minucii Magii* nepote, deducit *Lib. II Cap. 16 pag. 67*, ſimulque in *Hiſtoria* ſua *Romana*, quæ inter reliquos Hiſtoriæ hujus Scriptores hoc loco ſiſtitur, honorum ſuorum gradus, ad quos virtute ſua adſcendit, recenſere non erubuit. Secundum quam, non quidem dubiam, ut videtur, relationem, primo Tribunus militum, mox Equitum præfectus, dein Quæſtor, & Legatus *Tiberii*, Prætor denique, & Proprætor in Thracia, factus eſt. Ceterum, Hiſtoriæ *Vellejanæ* initium ἀκέφαλον ac plane mancum eſſe, injuria etiam temporum uſque ad finem belli Macedonici ſecundi amiſſum, & a *Lucio* demum *Æmilio Paulo*, qui *Perſeum* vicit, uſque ad mortem *Auguſti* ſerie continua pro-

Digitized by Google

gredi, perquam notiſſimum eſt. Succedit quarto *Sextus Aurelius Victor*, ex gente *Aurelia* plebeja, quem *Conſtantii* Imperatoris ætate floruiſſe, ex variis, nec contemnendis quidem locis, Cel. Editor evicit. De cujus poſtquam & vita & geſtis honoribus, quod ſatis eſſe poſſit, expoſuerat, librum quoque ejusdem, qui inter reliquos hoc loco conſpicitur, attingit, hujus indicis: *Origo gentis Romanæ.* Cujus quidem libri varias editiones *Sam. Pitiſcus* in propria ſua, A. 1696 Trajecti ad Rhenum *pag.* 434 publicata, fuſius recenſuit; cum contra ea fuſus ſit in enarrando argumento *Aurelii Victoris* Doctiſſ. Editor in Præfatione ſua, in qua multa cum diligentia & ſumma accuratione ordinem chronologicum in *Aurelio Victore*, cum in dicto libro, tum in illo *de Viris illuſtribus Urbis Romæ*, pro instituti ſui ratione recenſet, & dextre perficit. Quintus ordine, illo nimirum, qui Ill. Editori libuit, *Sextus Rufus* eſt, qui *Valentiniani* ætate vixit, & in *Breviario* ſuo, (nam ſic inſcribitur præſens liber,) *quantum Roma profecerit*, (ipſius hæc *Rufi* verba ſunt,) *ſub tribus imperandi generibus, hoc eſt, Regio, Conſulari, & Imperatorio*, utcunque expoſuit. Quare in ipſius *Breviario* vix ulla provincia, devicta a Romanis ſub hoc triplici imperio, in Europa, Aſia, & Africa, prætermiſſa deprehenditur; illudque inſtitutum ab Urbe inde condita uſque ad Imp. *Jovianum* perfecit. Nolumus autem ex *Breviario* hoc ſeptem paginarum breviariolum unius paginæ congerere. *Rufum* excipiat potius *Eutropius*, Epiſtolographus *Conſtantini* & Sophiſta, qui, teſte *Caſſiodoro*, ſub *Valentiniano* Imperatore Conſul, ad hujus fratrem *Valentem*, itidem Imperatorem, *Breviarium* ſuum *Hiſtoriæ Romanæ* ſcripſit, quod Generoſiſſ. *de Klettenberg* hoc *Tomo*, uti per *Eliam Vinetum* integritati ſuæ reſtitutum, atque Amſtelodami A. 1625 editum fuit, orbi erudito denuo exhibetur. Incipit hoc *Breviarium* ab Urbe condita, & in recenſione Regum Romanorum a *Sexto Aurelii Victore* differre omnino non videtur; in ſerie autem chronologica Imperatorum Romanorum ab *Octaviano Auguſto* ad *Jovinianum* uſque ſe extendit. Ubi vero pedem hic ſiſtit *Eutropius*, ibi *Paulus Diaconus* pergit *de Geſtis Romanorum*,

Digitized by Google

rum, in libris, ad *Eutropii Hiſtoriam* adjectis, comtoque inde ordine poſt *Eutropium* ſtatim collocari poteſt. De cujus hominis libris, quos, præter commemoratos ad *Eutropium*, conſcripſit, Cel. *Muratorius* evolvendus eſt in *Scriptor. Rer. Italicar. Tom. I pag. 395 ſeq.* qui genealogiam quoque ejus enarrat, eumque, quod illius pater hoc nomen geſſerat, *Warnefridum* appellitat, aitque, eum Caſinatibus Monachis ſe adjunxiſſe, atque anno circiter 799 in hoc monaſterio vitam finiiſſe. Ex eo igitur *Eutropio* doctiſſimus *Haurifius* genealogicam partim, partim chronologicam, ſeriem Imperatorum Romanorum, tum Orientis, tum Occidentis, recenſuit, & quidem a *Valentiniano I* inde ab A. C. 364, uſque ad *Leonem*, qui A. C. 717 vixit; cum quo *Leone* Appendicem hanc ſuam ad *Eutropium* abrumpit. Series jam tangit *Magnum Aurelium Caſſiodorum*, qui, ſpretis omnibus honorum, quos fuit emenſus, titulis, Monachus tandem, ex nimia & alta pietate, factus eſt. In cujus *Chronico*, quod ad *Theodericum* ſcripſit, & in hac Collectione ſiſtitur, Reges Aſſyriorum, Latinorum, ac Romanorum, Conſules etiam Romanos & Imperatores, uſque ad *Anaſtaſium*, in ordinem digeſſit, notanda varia inſeruit, &, ut ipſius verbis in Præfatione utamur, *blando compendio longiſſimam mundi ætatem percucurrit*. Dignus eſt ſubinde Sanctulus, qui nonnunquam conferatur. Sed ad alios, age, Scriptores tendamus. *Jornandes* igitur, ſeu *Jordanes*, Gothicum ſine dubio nomen, inter alia ſcripta, Hiſtoriam quoque, ad *Vigilium* fratrem, *de Regnorum & temporum ſucceſſione*, quæ huic pariter Collectioni inſerta cernitur, contexuit. Magno hic promiſſor hiatu eſt. Qui, poſtquam rem omnem ab ovo & a diluvio inde inceperat, multamque de Monarchia Aſſyrico-Medica, Perſica, & Græca, loquacitatem effuderat, de Romanorum quoque imperio differere conatus eſt. In qua tamen enarratione *L. Ann. Florum* totum expilavit, eumque innominatum inurbano profecto ſilentio dimiſit. Meliores longe ſunt & eruditiores ſex illi Scriptores, qui ſub *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum* nomine venire ſolent, *Ælius Spartianus*, *Julius Capitolinus*, *Vulcatius Gallicanus*,

Digitized by Google

vanus, *Ælius Lampridius*, *Trebellius Pollio*, & *Flav. Vopiſcus Syracuſius.* De quorum ſcriptis, quoniam cognitiſſima eſſe debent, ex brevitatis amore, & ne in deſcribendis Scriptoribus longiores ſimus, quam ipſi Scriptores in vitis Principum, nihil dicemus. Quæ de *Ammiano Marcellino*, qui nunc ſequitur, notatu digniora ſunt, Cel. Editor ex *Adr. Valeſii* Præfatione ad hunc Scriptorem deſumſit, ubi *Valeſius* de patria *Ammiani*, de ejus literis ac ſtudiis, de *Hiſtoria* etiam *Romana*, ab eo conſcripta, quæ ab exortu *Nervæ* uſque ad *Valentem* progreditur, cum magno elegantioris doctrinæ apparatu diſſeruit. Denique in recenſione *Juſtini*, *Trogi Pompeji* Epitomatoris, Doctiſſ. *Havrifius* ad *Gerard. Jo. Voſſium* refugit, integrumque & ſatis copioſum locum ex *Libro I de Hiſtoricis Latinis* ſuum fecit. Quemadmodum viciſſim, quæ de *Cajo Salluſtio Criſpo* obſervanda fuerant, ex *Petri Criniti* libro *de Hiſtoricis ac Oratoribus Latinis* huc tranſcripſit. In recenſendis autem his Scriptoribus fuſiores eſſe data opera jam nolumus, partim quoniam, quæ ad illorum vitas & ſcripta faciunt, copioſiora legi in *Fabricii*, τοῦ μακαρίτου, *Bibliotheca Latina*, ac aliorum libris, poſſunt, partim vero, quia noſtri jam non eſſe debet muneris, de hiſce Scriptoribus, bonine ſint an mali, aut quo ſcribendi genere uſi, judicium ferre. Unice enim id agendum eſt, ut noſtris Lectoribus oſtendamus, qua ratione Generoſiſſ. *de Klettenberg* inſtitutum ſuum, quod, opera *Livii* explicando, tam præclare incepit, ulterius executus fuerit, cum in ſcribendis ad hos omnes, quos enarravimus, Scriptores annotationibus loca difficiliora ex ſolis *Numis*, autoritate publica & ex SCto ſignatis, explicaverit. Nam in prioris *Tomi* recenſione vidimus, Perilluſtrem Virum ex omnibus, quæ in antiquis his Scriptoribus notanda venire poſſunt, *Begeri* ſibi exemplum in *Flori* Hiſtoriam, atque *Patini* in Cæſares *Suetonii*, elegiſſe, qui pari uterque inſtituto Scriptorem ſuum ex *Numis* illuſtrarunt. Pauca autem dabimus, ſpeciminis loco, ex hoc *ſecundo Volumine.* Sic ſtatim *pag. 11* ad *Flori* verba in Prologo: *Si quis ergo populum Romanum quaſi hominem conſideret*, obſervat Ill.

de

Digitized by Google

de Klettenberg, Populum Romanum in Numiſmatibus non modo ut *hominem*, ſed &, ſi unam *infantiam* exciperes, ſecundum diverſos ætatis gradus, adumbrari. Hujus rei cauſa triplicem Numum ex *Mediobarbo* & *Begeri Floro*, in *Tab. II*, *num. 4*, *5*, *6*, protulit, ubi in priore Numo *Juventus* Populi Romani expreſſa eſt, adjecta epigraphe: POP. ROMANUS, qui Numus a *Conſtantino M.* percuſſus eſſe, a *Mediobarbo* in *Numiſm. Imp Rom. pag. 469* dicitur, quod ille Populo Romano veluti juventutem reſtituerit. Addit tamen Ill. *de Klettenberg* hoc loco, Genium hunc Populi Romani ſub *Criſpi* Cæſaris effigie repræſentatum eſſe. In ſecundo Numo, in quo *robuſta* Populi Romani *maturitas* denotatur, verba ΙΕΡΟΣ ΔΗΜΟΣ leguntur. In tertio denique *ſenilis vultus* cum diademate exhibetur, imperiique ſymbolum, quod erat penes Romanos, & non apud Antiochenſes, qui Numum hunc cuderunt, præ ſe fert. Ei adjectum eſt vocabulum unicum ΔΗΜΟΣ. *Pagina 12* ad *Flori* locum, ubi de interceſſione Sabinarum in bello agitur, ab Autore doctiſſimo Numiſma maximi moduli ex Cimeliarchio *Ludovici XIV*, Regis Galliæ, in *Tab. IX num. 2* profertur, in quo illud admodum ſingulare eſt, quod non tantum, ut *Livius Dec. II Lib. I Cap. 12* habet; crinibus paſſis raptæ inter medias acies ſe intulerint, ſed & partus ſuos viris obtruſerint. *Pag. 45* duo de *Cleopatra* Numi elegantiſſimi exhibentur, quorum prior, ab *Antonio*, Armenia devicta, percuſſus, *Cleopatræ* effigiem, diademate exornatam, habet, cum epigraphe: REGINÆ REGUM FILIORUMQUE REGUM; cujus inſcriptionis cauſam eo ponit Vir Illuſtris, quod *Antonius*, capto *Artavasde*, poſt reditum in Ægyptum, filiis *Cleopatræ* Cyprum, Syriam, Africam, & Armeniam, largitus eſt. Poſterior Numus ex *Patini Numiſm. Imp. Roman pag. 17* depromtus eſt, in quo *Cleopatra* ſub habitu *Dianæ* comparet, adjectis verbis: ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. Vide *Tab. X num. 4*, & *Tab. XI num 1*, & confer alium Numum in *Tab. XXII num. 6* ad *Aurelium Victorem*, ex theſauro Nobiliſſ. *Wren* in Anglia deſumtum, ut teſtatur Cl. *Haym* in *Teſoro Bretannico Part. I Vol. II pag. 27 ſeq.*

Ad

Ad *Velleji Paterculi Lib. II Cap. 102 pag. 87* ex Cimeliarchio *Klettenbergiano* duo rarioris notæ Numiſmata apponuntur, quæ ad gentem *Lolliam*, ejusque aliquam illuſtrationem, faciunt. Conf. *Tab. XVII. num. 283.* Plebejam quidem hanc gentem *Lolliam* fuiſſe, nemo ignorat. Sed de Autoribus modo horum Numorum multum inter Antiquarios diſceptatur. Nam in priore Numo nullum plane cognomen apparet, & in ſola poſtica ponitur ΛΟΛΛΙΟΥ, remque igitur omnem dubiam plane & perobſcuram reliaquit. In Numo autem poſteriori, quoad anticam, *Dianæ* effigies, ſed in adverſa parte ſacratus ei cervus, cernitur, cum nomine LLOLLIUS. Hinc arbitratur præſtantiſſimus Numi poſſeſſor, cervum propterea Numo adjectum eſſe, quod *L. Lollius Dianæ* vel templum ædificaverit, vel ludos ediderit, ac præfuerit Secularibus. In qua ſententia etiam *Begerum* videmus, in *Theſ. Brandeb. Tom. III pag. 80*, & *Patinum* in *Famil. Rom. pag. 158, 159.* Ad *Sext. Aurelium Victorem*, ejusque *7 Caput pag. 111*, ubi de famoſa illa *Tullia* agitur, quæ ſupra patris ſui corpus carpentum agi præcepit, Ill. *de Klettenberg* in *Tabula XX & XXI* admirandum antiquitatis monumentum, Urceum, ſive Cantharum, artificioſiſſimum, delineari curavit, qui A. 1736 terra effoſſus, & ex omnibus argumentis ac indiciis vere antiquus, eſt, in quo hiſtoria hujus *Tulliæ* vivis quaſi & ſpirantibus affectibus repræſentatur. De quo Cantharo Vir antiquitatum haud leviter peritus, *Lud. Fr. Wagner*, Aularum Electoralis Colonienſis, & Ducalis Turrianæ, Conſiliarius, in gratiam maximi cujusdam apud exteros Principis, qui deſiderio flagrabat, cimelium iſtud juſto ſibi pretio comparandi, peculiari Diatriba pertractavit. In eodem *Aurelio Cap. 39 pag. 138* cum *Juliani* mentio injicitur, Numum commemorat Ill. *de Klettenberg* rariſſimum & præſtantiſſimum, atque a nemine adhuc unquam publicatum. Cujus averſa duas repræſentat figuras ſtantes, cum inſcriptione: PANNONIÆ AUG. Quibus verbis vel patriam *Juliani*, vel provinciæ erga ipſum devotionem, denotari conjicit. Elegantiſſimum hunc Numum, atque huc usque *ἀνέκδοτον*, Vir Generoſus precibus Nobiliſſ.

Equitis

Equitis Angli, *Andrew Fountain*, conceſſit, qui eum in Theſauro ſuo Numorum eximio aſſervat. Ad verba *Eutropii Lib. VII Cap. 8 pag. 187*, quæ ſic habent: *Druſi, qui apud Mogontiacum monumentum habet*, monumenti hujus rudera, quæ adhuc Moguntiæ in Caſtello S. *Jacobi* viſuntur, in *Tab. XXXVI num. 2* exhibentur. Quod monumentum, quia glandis figuram præ ſe ferre videtur, vulgo *der Eichelſtein* appellatur. Pluribus de eo egit *Serrarius* in *Rer. Moguntiacar. Lib. I Cap. 15 pag. 57 ſeq.* Hac autem occaſione Nobiliſſ. *de Klettenberg* urnam quoque Muſei ſui, ex terra ſigillata rubra factam, ac figuris ornatam, una cum duabus patellis atque urceolo ex eadem terra ſiſtit, quæ omnia Moguntiæ in eodem *S. Jacobi* monte non procul a monumento *Druſi* reperta ſunt, atque multam antiquarum rerum peritis voluptatem excitare poſſunt. Vid. *Tab. XXXVII n. 7*, & *Tab. XXXVIII n. 1.* Narrat *Jul. Capitolinus* in Vita *M. Antonini Cap. 6*, Imperatorem hunc, poſt exceſſum Divi *Pii*, a Senatu coactum eſſe ad regimen publicum capiendum, illum autem conſortem ſibi feciſſe imperii fratrem ſuum, *L. Aurel. Verum Commodum*, ut is rempublicam una cum eo regeret. Cujus conſortii in imperio memoriæ cauſa, elegantiſſimus Numophylacii Poſſeſſor Numi alicujus mentionem facit, in quo ab una parte Imperatores *Marcus Aurelius* & *Lucius Verus* apparent, ab altera vero, quippe ad deſignandam conjunctionem fraternam, Ledæa ſidera, *Caſtor & Pollux*, habentur, cum inſcriptione, ΚΑΒΙ ΣΥΡΙΩΝ, *Cabirorum Syriorum*, quo vocabulo Phœnices & Syri Deos ſuos appellabant. In eodem *Antonino Capitolini Cap. 24 pag. 297* refertur de Imperatore Philoſopho, *fulmen de cælo precibus ſuis contra hoſtium machinamenta illum extorſiſſe, impetrata ſuis pluvia, cum ſiti laborarent.* Iſtud igitur θαῦμα φοβερὸν quoniam Cyrrheſtenſes, Syriarum provinciarum incolæ, certe factum crediderunt, & Chriſtianorum militum precibus a Deo impetratum; ideo Numum honori *M. Aurelii* dedicarunt, in *Tab. LIV n. 3* repræſentatum, in quo ΖΕΥΣ ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΣ ΚΥΡΡΗΣΤΩΝ oſtenditur, *Jupiter Deſcenſor Cyrrheſtenſium*, & dextra fulmen præferens.

 De

De qua hiſtoria ulterius conferri *Natalis Alexander* poteſt in *Hiſtor. Eccleſ. Sec. II Cap. 5 pag. 310.* Cui addendus eſt *Begerus* in *Theſ. Brandeb. Tom. II pag. 672*, & peculiaris *Herm. Witſii* Diatribe *de Legione Chriſtianorum fulminatrice.* In vita *Peſcennii Nigri*, ab *Ælio Spartiano* conſcripta, magnus ille Populi & Senatus favor erga *Peſcennium*, propter deteſtationem *Juliani*, commemoratur. Igitur Numus plane elegantiſſimus, & a ſolo *Guil. a Pfau*, Conſiliario Status domus Würtenbergicæ intimo, edente ipſo Celeb. *Hauriſio* noſtro, vulgatus, in *Tab. LVIII n. 3* adductus eſt; cujus in adverſa parte IMP. CÆS. C. PESC. NIGER. AUG. legitur, in averſa autem *Spes* Dea cernitur, cum emblemate *ſpei firmæ*. Quod cimelium vere antiquum eſt, veteriſque rei numariæ amatoribus acceptiſſimum. Ad *Trebellii Pollionis Zenobiam Cap. 30* exhibetur in *Tab. LXIII n. 4* vultus hujus *Zenobiæ*, ex delineatione ipſius Generoſ. *de Klettenberg*, cum incriptione: ΣΕΠΤ. ΖΗΝΟΒΙΑ. ΣΕΒ. quæ ab ordinario *Zenobiæ* vultu, in Numis occurrente, abire aliquantulum videtur. Locus eſt apud *Ammianum Marcellinum Lib. XIV Cap. 8 pag. 438*, hujus commatis: *Claudiopolin Cæſar Claudius Coloniam deduxit.* Cujus deductæ ab Imperatore coloniæ cauſa, Numus egregius, & ab Autore Cel. valde laudatus, in *Tab. LXIV num. 4* cernitur, in quo, præter vocabula COL. CL., colonus, boves agens, veluti deductæ coloniæ ſymbolum, adeſt; quinque autem, quæ præterea conſpiciuntur, ſigna militaria, ex opinione Nobiliſſ. Viri, veteranos ſignificant, qui ex quinque legionibus ſimul transmiſſi fuiſſent. Quæ conjectura admodum ingenioſa, nec veriſimilitudine deſtituta, videtur. Sed unicum adhuc eſt, quod his omnibus adjiciamus: nimirum ad *Amm. Marcellini Lib. XVII Cap. 4 pag. 465* obeliſcum *Rhameſteum*, (non *Rameſſæum*,) a *Rhameſte* Rege ſic nominatum, in *Tabula XLV* exhiberi ex *Gronovii* editione *Marcellini pag. 176*, Cel. Editor curavit, ut non ſolum Græcus *Ammiani* contextus, ſed & ipſæ notæ hieroglyphicæ, adſint; in quo priſcum hoc ſcribendi genus, nec incommoda ſubinde figurarum explicatio, ſatis perſpicitur. Atque

ea

Digitized by Google

ea quidem, prouti adducta ſunt, ſufficiant. Quamvis enim in his obſervationibus non deeſſent, quæ ad Numorum quorundam accuratiorem cognitionem & explicationem afferre poſſemus; quoniam tamen ex his ſpeciminibus internus Notarum valor atque pretium ſatis cognoſci poteſt, claudere jam rivos voluimus. Optaſſemus omnino, dictorum in hac collectione præſtantia allecti, ut plura ſubinde adeſſent, quæ ad locorum nonnullorum illuſtrationem a Generoſ. *de Klettenberg* allata fuiſſent, cum ſæpiſſime in integris Scriptoribus, & nominatim in toto *Meſſalla Corvino*, in toto *Sexto Rufo*, in *Caſſiodoro*, *Jornande*, & aliis, ne unica quidem hujus generis obſervatio conſpiciatur; in quibus tamen Autoribus Numos varios explicandi materies neutiquam deſiderari poteſt. Alia etiam, ſi modo licet, adjiciamus. In quibusdam Scriptoribus nihil profertur Numorum, niſi quod ab aliis jam illuſtratum fuerit. Numi, qui in *Aurelio Victore* occurrunt, ex *Mediobarbo* omnes deſumti, &, qui habentur in *Paulo Diacono*, jam a *Begero* ſunt explicati. In *Ammiano Marcellino*, qui in hac Collectione prolixiſſimus & copia & materia ſcriptor eſt, nihil ferme occurrit, præter id, quod in his paginis a nobis adductum eſt. Præterea ex toto etiam *Juſtino*, ac ex toto *Salluſtio*, proferre nihil potuimus; in quibus tamen vaſtus eſt campus in numiſmaticam hiſtoriam progrediendi. Obſervavimus etiam, Numos ſubinde quosdam adjectos eſſe, qui jam in *priori* collectionis *Tomo* locum habuerunt, & explicati ſunt. Sic in unico *Floro* vidimus *pag.* 13 Palladium, *Janum* geminum, & focum *Veſtæ*; *pag.* 27 Numum, in *Pauli* Macedonici victoriam cuſum; *pag.* 102 Deos Penates, & *pag.* 123 *Julii Cæſaris* vultum, repetitum. In aliis Scriptoribus alios Numos iterata vice conſpeximus. Interdum etiam ratio non patuit, quare Numi quidam ad aliquem locum producti fuerint. In *Vopiſci Probo pag.* 419 ad hæc verba: *Si unquam eveniat ſalutare reipublicæ, brevi milites neceſſarios non futuros*, adjicit doctiſſimus Autor: *Hoc dictum Probi illuſtrat Numus, in quo Hercules, ramum oleæ prætendens, Comes Auguſti vocatur.* Qui numus niſi in honorem *Probi* percuſſus eſt, nemo

videbit, quare adductus ſit. Quæſivimus porro, nec invenimus in univerſo Opere, Criticen numiſmaticam, quæ in *priore Tomo* non erat penitus neglecta. In hoc enim *Volumine* hiſtorice cuncta enarrantur, &, num quid ab aliis Autoribus, qui eundem Numum habent, peccatum ſit, aut recte actum, aut quomodo prave dictum emendari ac corrigi poſſit, plane omiſſum eſt. At hoc præcipuum ferme munus Numographorum eſt. Conciſa etiam ſunt pleraque, & nimia brevitate laborant; & voluptas videtur ſuſcepti operis ſuffocata eſſe Illuſtri Obſervationum Scriptori. Nec male actum fuiſſet cum eruditis lectoribus, ſi Autorum editiones, quas ſecutus eſt in recenſendis Scriptoribus, Cel. *Hauriſius* adduxiſſet. Illud enim penes unicum ſaltem *Florum* & *Eutropium* non neglexit. Nam, licet magna quidem Variantium Lectionum copia paginis omnibus ſubjecta ſit, optimam tamen contextui ipſi lectionem non ſemper ineſſe, eamque ne in adjectis quidem Variantibus ſubinde inveniri poſſe, obſervaſſe nobis nonnunquam viſi ſumus. Nonne vero ſic omnes, in probationis locum adducti, Numi, ſi contextus in mendo jacet, pondere ſuo & effectu deſtituuntur? His vero & paucis, quas excepimus, & minutis rebus Operis hujus præclariſſimi præſtantiæ nihil omnino derogatum cupimus. Ad aliud potius, quod in hoc iterum *Tomo* longe pulcherrimum eſt, mentem convertimus. Nam, ſicut Celeb. *Hauriſius priorem Tomum*, ſculptis iconibus, ex antiquitate deſumtis, & ſingulis libris ab initio & fine appoſitis, exornari curaverat, ſic non minori ſtudio ſummum ſplendorem huic *ſecundo* addidit, imaginibus ab ingenioſo & perquam nobili in hac arte *Egellio* inventis, & excellenter æri inciſis cum ab aliis, tum inprimis a *Tyroſſio*. Siſtunt hæc ornamenta res Romanorum civiles, literarias, & militares, ac repræſentant inter alia Curiam Hoſtilium, conſeſſumque Senatorum, deinde Celeres exhibent & Conſulem Romanum, præterea Cenſorem, Prætorem, Dictatorem, ac Magiſtrum Equitum, ſuo quemque ornatu indutum, Decemviros etiam, ac Tribunos plebis. Poſtea, ad bellicas res illuſtrandas, Feciales habent ac Patrem patratum, militum

litum conſcriptionem per Conſules & Tribunos militum in Campo Martio, Velites, Haſtatos, (adjicere Principes & Triarios potuiſſet,) & multos alios. In alia figura cernitur, ut militibus urbes circumdatæ coronis ſunt, pedites præmittendo, ſequentibus equitibus, deinde ſuccedendo muris ſub teſtudine, a qua ſcalas applicabant. Et, quoniam mari etiam Romani claruere, prælia quoque navalia & Naumachiæ adductæ ſunt. Denique Ovationis & Triumphi ſolennitates ſequuntur, &, loco ultimo, Conſecratio *Auguſti* ac Mauſolea. Sed de his & longe pluribus iconibus, artificioſiſſime ſculptis, Cel. *Hauriſius* ipſe in Præfationis ſuæ, Collectioni huic adjectæ, *Sectione 2* copioſe pertractavit; quem ad verbum deſcribi, noſtrum inſtitutum non patitur. Nam ſatis nos feciſſe arbitramur, quod de elegantiſſimo hoc ac præſtantiſſimo inſtituto cognitionem non omnino ſuperficiariam ſuppeditavimus. Unicum eſt, quod dato obſervationum ſpecimini, veluti poſtliminio, adjiciamus. In *Ammiani Marcellini Lib. XXIX Capite ultimo* porticus alicujus, lavacro *Agrippæ* contiguæ, fit mentio, quæ, quod templum hujus nominis prope viſitur, *Eventus Boni* porticus cognominatur. Elegantiſſimus igitur obſervationum Autor Numorum quorundam meminit, in quibus *Bonus Eventus*, a Romanis Dei inſtar cultus, conſpicuus eſt. Inter quos valde nobis placuit is, in quo *Eventus bonus* ut matrona exhibetur, patera frugibus plena in dextra, & ſpicis in ſiniſtra manu. Vide *Tab. LXVI num. 7*, & confer *Oiſelium in Theſ. Numiſm. antiqu. pag. 205*, & *Patinum in Famil. Rom. pag. 249*. Nos vero, in hac Scriptorum Hiſtoriæ Romanæ Collectione, quemcunque in locum convertimur, pateram frugibus plenam in dextra, & ſpicis ac papavere ſeſamoque in ſiniſtra, pagina deprehendimus, & nihil inde cupidius deſideramus, ac votis nobis magis expetimus, quam ut affecti hujus præclariſſimi Operis, & Editorem ſuum oblivioni omni eripientis, felix ille eodem modo, & *Bonus*, qui in Numis eſt, *Eventus* reſpondeat.

Digitized by Google

PISANÆ ACADEMIÆ PRIMA ÆTAS, quatuor Diſſertationibus illuſtrata.

Florentiæ, 1739-1742, 12 maj.

Plag. 9.

Ut eruditorum, ita & officinarum eruditionis, noſſe fata, multum habet jucunditatis, neque utilitatis parum. Gratum itaque non Piſanis ſolum, non Italis, ſed exteris pariter, facit, accuratiores illas tractationes unum in faſciculum qui colligendas curavit, *Stephanus Maria Fabbrucci*, Florentinus in Academia Piſana civilium legum Profeſſor. Primum inter eas locum occupat, aliunde excerpta, Diſſertatio hiſtorico-critica, *qua certius, quam antea, Piſanæ Univerſitatis initium conſtituitur*, & univerſæ hiſtoriæ præluditur, quam adornat, occaſione fauſtiſſimi in Piſanam urbem adventus glorioſiſſimi nunc Imperatoris *Franciſci*, A. 1739 facti. Narratis hic & confutatis diverſis diverſorum opinionibus, decimo quarto Seculo jam adulto, præſertim anno rationis Piſanæ 1339, publice, & in formam Univerſitatis, inſtitutam Piſis Academiam, dotatam, reſeratamque, contendit. Confirmatur illud ex ſcriptore ejusdem ætatis Anonymo apud *Muratorium Tom. XV Rer. Ital. Script.* atque ex permultis fide item digniſſimis documentis. Quin ipſe, ut certi quidquam atque explorati conſcribere poſſet, antiquarum rationum libros evolvit, ac ſedulo luſtravit. Invenit ibi nominatim in domo quadam, conducta a Patribus S. *Catharinæ*, Ordinis Prædicatorum, A. 1340 poſita in diœceſi S. *Simeonis*, quam etiam nunc *ad Parlaſcium* vocant, & quæ parum a Lucenſi porta diſtat, adapertas utcunque Medicinæ ſcholas. Ad juridicas quod attinet, nihil adeo certi potuit reperire. Probabile ei videtur, domi iſtos ſuæ docuiſſe, vel finitimas aliquas ſuperioribus ædes habuiſſe ſibi conceſſas. Adjungitur his expoſitis ejusdem Autoris *Excurſio hiſtorica* per ſubſequens vicennium ab eo primum tempore, quo certior Piſanæ Univerſitatis epocha conſtituta fuit, exhibens, in anterioris Diſſertationis augmentum, hæc duo potiſſimum capita: 1.) de prima dote Piſani publici Gymnaſii, ejusdemque privilegiis; 2) de

Digitized by Google

de primis conductionibus memoratu dignioribus. In priore duo Pontificis illorum temporum decreta ſimul exhibentur. Alterum eſt *Clementis VI* de anno 1343; alterum paulo poſt ab eodem conceſſum, atque his potiſſimum tunc privilegia fundabantur. Multo autem notabilius eſt poſterius, quod habemus, caput. Agmen hic jure ducit ſuo *Bartolus a Saxo Ferrato*, qui, A. 1313 natus, ad naſcentem Piſanam hanc Academiam arceſſitus fuit Profeſſor Publ.& Facultatis ſuæ Aſſeſſor, eodemque loco annos 11 docuit. Fuſius ejus vita exponitur, quam & apud *Trithemium*, *Jovium*, *Morerium*, *Pope-Blountium*, aliosque, reperimus. In Peruſino templo Fratrum minorum, longi carminis inſtar, hæc duo verba leguntur: *Oſſa Bartoli*. Inter reliquos eminent *Guido de Prato*, *Rainerius de Forolivio*, *Joannes Andreæ*, origine *Mugellanus*, *Franciſcus Tigrini*, Piſanus civis, *Baldus Ubaldius*, Peruſinus, *M. Ligus*, *M. Petrus*, vel, ut ea tempeſtatè ſcribi ſolebat, *Pierus Dom. Albiſi de Vico*, *Bartholomæus Scarſi*, civis Piſanus, *Franciſcus Dagmiani*, Fr. *Leo de Ravenna*, Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini*, de quorum ſingulis, ac verboſius nonnunquam, pro nominum celebritate, agitur. Tertia ejusdem Commentatio eſt *de nonnullis, quæ conſtitutæ recens Piſanæ Univerſitati ſiniſtra contigerunt, vel incommoda*, &, quænam interim fuerit Academicæ doctrinæ umbratilis forma, exponit. Ut celebres doctores, ut proſpera multa, habuit; ſic & adverſa ſæpius experiebatur, vel ab ipſa origine, Academia Piſana. Anno poſt publicam inſtitutionem, magna ſtatim rei frumentariæ inopia inacceſſam commode ſtudentibus urbem reddidit. Eadem poſtea Seculi anno 47 & 75 durior aliquanto facta eſt. Cædes, bella, contagio, nonnunquam, velut agmine facto, pacificas Muſas fugarunt, earundemque circulos turbarunt. Attamen neque inter luctuoſa illa tempora defuerunt bonæ mentis rectores. Occurrunt inter illos *Franciſcus de Cremona* ſub annum 1362, *Bonincontrus*, ſenior, *de Bonincontris*, Miniatenſis, quem Cl. *Fabbrucc.* autoritate *Actorum* noſtrorum, *A.1733 pag.443* fultus, in ordinem iſtum redegit, *Joannes*, *Gittalebraccia*, Piſanus civis, *Franciſcus Bartoli de Buti*, *Petrus*, Medicus,

Bene-

Digitized by Google

Benedictus de Plumbino, aliaſ *Barzius*, ſeu *Bargius*, Plumbinenſis, *Franciſcus Raimundi de Ramponis*, *Cion de S. Gervaſio*, *Blanci* filius, *Hugutionis* nepos, *Thomas*, alias *Thomaſius*, civis Piſanus, quorum vitas ex parte enarrat; ut alii taceantur, quos inter *Philippum de Piſtorio* & *Franciſcum de Senis* nominat, ſpemque facit horum ſingulari libello propediem deſcribendorum. Finem imponit collectioni lucubratio quarta *de fato Piſanæ Univerſitatis decurrente Seculo decimo quinto*, deque viris eruditione præſtantioribus, qui in ea profitendo, ſtudendo, etc. floruerunt. Ab initio Seculi usque ad annum 73 pertinet hæc Diſſertatio. Laudat in ea ac percenſet Autor nobiliſſimos doctores, *Ugolinum* (vel *Hugolinum*) *de Monte Catino*, in cujus fatis enarrandis ſatis copioſus eſt, *Benedictum Henrici de Barzis*, Plumbinenſem, *Troncium*, *Petrum Sermonetam*, *Februm* (alibi *Fabium*) & *Andream*, filios, *Nicolaum Pacis de Pergula*, *Carolum*, origine Arretinum, e *Marſuppinis*, *Bartholomæum Petri del Lante*, nobilem Piſanum, *Lapum Petri de Putignano*, *Franciſcum Guillelmi della Barba de Piſis*, *Hugutionem de Rolandinis de Peruſio*, *Antonium de Silico*, *Franciſcum Nicolai de Ragonenſibus*, nobilem Piſanum civem, *Joannem de Vecchiano*, *Leopardi* filium, *Samminiatum Nicolai de Riccis*, filium, Patricium Florentinum, *Gabrielem Petri de Maſchianis*, *Andream Laurentii de Gambacurtis*, Patricium Piſanum, *Michaelem de Graſſulinis*, Canonicum Piſanum, *Chriſtophorum Jo. Antonii de Maſis*, Ordinis Prædicatorum, Florentinum, *Michuelem Cardi*, Piſanum, *Simonem de Papia*, Ordinis S. Dominici, ac denique *Julianum Philippi*, Florentinum, quorum indicem ideo ſuppeditamus, ut vel inde pateat, quam multa exiguæ molis in libro reperiantur conjuncta.

JO. ZACHARIÆ PLATNERI, D. ET PROF. Lipſ. Inſtitutiones Chirurgiæ rationalis, tum medicæ, tum manualis, in uſus diſcentium. Adjectæ ſunt Icones

Digitized by Google

nes nonnullorum ferramentorum, aliarumque rerum, quæ ad Chirurgi officinam pertinent.

Lipſiæ, apud viduam B. Caſp. Fritſchii, 1745, 8.
Alph. 3, cum Tab. æn. 6.

Quo magis a noſtris hominibus, & a Medicis ipſis, jam inde a multis annis, neglecta fuit ea artis medendi pars, quæ extus incidentia malà curat, & quo minor proinde honor ipſi habitus eſt, eo majori cum voluptate has Cel. *Platneri* Inſtitutiones eruditis exponimus. Eſt enim hic liber is, per quem Medicos ac Chirurgos ad excolendam hanc utiliſſimam artem quam maxime excitari poſſe, exiſtimamus; tum etiam eos, qui illam juvare queunt, moneri, ut de idoneis ejus diſcendæ exercendæque adminiculis cogitent, eoque ſervatorum civium gloriam adipiſci ſtudeant. Quod, ut valetudinariis, & amplioribus, & magis inſtructis, vere obtineri poſſe non negamus, magis tamen eo effectum iri certiſſima ſpes eſt, ſi non cuivis jus exercendæ artis tam facile concederetur. Ut enim facere aliquis cum fructu civium ac laude Chirurgiam poſſit, tum in omnibus artis medicæ partibus non mediocriter verſatum eſſe oportet, tum ipſam artem per crebra experimenta didiciſſe. Supereſt apud nos nomen artis chirurgicæ, ipſam vero perdidimus. Quod effecit etiam, ut, quæ internis morbis medetur, ars manca fallaciſſimaque facta ſit. Quam ſæpe enim interna mala occurrunt, quorum natura vulgo Medicorum incognita eſt, & quibus, a ſymptomatibus potiſſimum, nova nomina imponunt, & de aucto morborum numero gloriantur, ipſos vero nunquam curare ſciunt? Scirent vero, aut certe ſibi aliisque novis illis nominibus non imponerent, ſi, quæ in externis partibus accidere ſolent, præcipue ratione inflammationis, diligentius obſervarent, eaque intus non ſolum fieri poſſe, ſed etiam debere, cogitarent. Morbi enim externi internique, non natura, ſed ſede, differunt. Ac nemo facile tam parum artis medicæ gnarus eſt, quin et intus conditas partes ſæpius inflammari ſciat. Tamen adeo multi eſſe non videntur, qui abſceſſus etiam, ulcera, fiſtulas, ſcir-

Digitized by Google

alios, gangrænam, intus ex inflammatione naſci, non dicamus, ſciant, verum, quando fiant & adſint, & qua ratione curari debeant, intelligant. Poſſunt autem hæc per externarum inflammationum, & cum his ut plurimum conjunctæ febris, diligentem obſervationem diſcere, ad quam ipſis per has præcipue Inſtitutiones via monſtratur. Primæ lineæ harum Inſtitutionum jam eo tempore ductæ ſunt, quo Cel. Autor cœpit chirurgicam diſciplinam Medicinæ cultoribus exponere. Defuit enim libellus, qui utramque Chirurgiam dilucide & in compendio exponeret. Neque vero admodum manca videri debet tradita in hoc libro doctrina, præcipue quantum ad manualem Chirurgiam attinet, quoniam exercendæ ejus in hac urbe ſatis idonea facultas non datur. Nam præter hoc, quod inter mala, quæ Chirurgi auxilium deſiderant, plurima ſunt, quibus medicinis potius, quam ſcalpello, medendum eſt, graviſſime errant, qui etiam in iis, quæ ſine ſcalpelli opera curare non licet, ſufficere exiſtimant, curationem dextre perficere noſſe. Quam multi enim ſublati ſunt, a Chirurgo ſecti, qui in ſecando dexterrimus, eorum vero, quæ ad medicinas & victum pertinent, parum gnarus, erat? Sectione enim non tam morbus tollitur, quam quæ ſe curationi per medicinas opponebant; interdum etiam per ſectionem ipſam morbus concitatur, cui variis medicinis proſpiciendum eſt. Eſt etiam tantum inter manuales curationes diſcrimen, ut cum alia non, niſi uſu & longa exercitatione, diſcantur, alia, etiam nullo præeunte magiſtro, ægrotis adhiberi poſſint. Neque ad illas curationes, quæ manu & ferramentis perficiuntur, ſatis eſt magiſtrum imitatum eſſe, ſeque exercuiſſe, ſed vel maxime neceſſaria eſt notitia ipſius noxæ, quam tollere volumus, & cauſarum ejus, omniumque, quæ incidere poſſunt. Itaque parum quoque proficiunt tirones, ſi eos magiſtros adeunt, qui multo uſu, ac fere quotidiana exercitatione, permagnam in ſecando dexteritatem conſecuti ſunt, niſi animum afferant earum rerum, quæ ad morbi naturam cauſasque, tum ad victus rationem, ac medicinarum facultates, pertinent, notitia præparatum atque præcultum. Præter hæc in

Præfa-

Digitized by Google

Præfatione ordinis etiam, in conſcribendis his Inſtitutionibus obſervati, & poſt longas moras tandem in lucem editi libelli, rationes exponuntur. Cœperunt enim primæ plagæ jam A. 1739 typis exſcribi, &, quamvis operæ non citius deberent, quam, quas eo tempore habebat Cel. Autor, chirurgicæ prælectiones, procedere, tamen ægrotantium curationes, aliaque negotia, interdum quoque incidens adverſa valetudo, effecerunt, ut plurium ſæpe menſium mora inferretur, ac finis ſuperiori demum anno libello imponeretur. Eſt autem ordo omnium tractationum hic: Poſt aliqua de Chirurgiæ definitione, nexu cum Medicina, Medici & Chirurgi in caſibus chirurgicis officio, variaque Chirurgi ſupellectile, primum locum habet doctrina de inflammatione, ejusque ſpeciebus, Phlegmone, Abſceſſu, Furunculo, Varis, Carbunculo, illaque, quæ in mammis, parotidibus, glandulis, ſub axillis & in inguinibus ſitis, teſticulis, tonſillis, & uva, incidunt; quibus ſubiungitur tractatio de Angina, de Paronychia, & Eryſipelate. Hanc excipiunt illæ de Gangræna, de Sphacelo, de Pernionibus, de Aduſtis, de Membrorum amputatione, de Scirrho & Cancro, de Ophthalmia, de Ulceribus corneæ & Cicatricibus, de Ungue, de Hypopyo, de Pterygio & Panniculo, deque Ancyloblepharo, quæ vitia ſolent ex Ophthalmiis oriri. Hæc quaſi *primam* Inſtitutionum *Partem* conſtituunt. In *altera* occurrunt Vulnera, cum præcipuis eorum ſymptomatibus, ſanguinis profuſione, Aneuryſmate, dolore, ac nervorum diſtentione. Sigillatim deinde agitur de Tendinis ſutura, & vulneribus Sclopetorum, Articulorum, & quæ virus habent. Accuratius etiam pertractantur vulnera capitis & faciei, ad quæ relata fuerunt, caſus ſuperioris palpebræ, Lagophthalmus, Ectropium, vulnera Oculorum, Staphyloma, Naſi, Malarum & Labiorum vulnera, & inter hæc Labrum Leporinum, deinde Linguæ vulnera, ejus reſolutio, &, qui ſub ea interdum concreſcunt, Calculi. Ab his ad Cervicis & Colli vulnera tranſitus fit, ſimulque Bronchotomia & Stomachi vulnera exponuntur. Perſequitur deinde Cel. Autor vulnera Pectoris, & inter hæc Empyema, tumque Abdo-

minis vulnera, quorum occaſione de Enteroraphia & Gaſtroraphia agitur. Ultima tractatio de vulneribus illa de Vexatis eſt. Tertium locum Cel. Autor Tumoribus dedit, ſuntque hoc ordine expoſiti: Oedema, Hydrocephalum, Hydrophthalmia, quibus additur de Paracenteſi expoſitio, tumores, qui tunica ſua includuntur, χαλάζιον, πλαδαρότης, Ganglion, Polypus narium, Hernia, ejusque ſpecies, Exomphalos, Hernia ventris, Bubonocele, Oſcheocele, Hernia cruralis, & Veſicæ, ὑδρόμφαλος, σαρκόμφαλος, Sarcocele, Hydrocele, Hydrops Scroti, & Cirſocele. Omnibus his ſubjuncta ſunt Phimoſis, Paraphimoſis, Oedema præputii, Verruca, & Clavus. Quarto loco Ulcerum natura accurate expoſita habetur, ſigillatim Herpetis, Porriginis, Aphtharum, eorum, quæ arte fiunt, item Fiſtulæ, & cum illius, quæ in lachrymarum viis, tum quæ circa anum eſt, cujus expoſitioni quatuor hæc vitia ſubjiciuntur: Hæmorrhoides, Condylomata, procidentia Ani, & Anus præcluſus. Hactenus de vitiis, quæ ſolent mollibus partibus inſidere. De illis vero, quibus Oſſa afficiuntur, ſic agitur, ut primo, quæ omnium oſſium & ſigillatim dentium, internam ſtructuram lædunt, deinde Luxationes, & Fracturæ, exponantur. Superſunt aliquot manu & ferramentis perficiendæ curationes, quibus hoc ordine ultimus locus datus eſt. Sanguinis detractio per venas, Scarifatio, Suffuſio, Amauroſis, Strabiſmus, Urinæ reddendæ difficultas, Sectio & Fiſtula Perinæi, variæ, quæ calculoſis adhibentur, curationes, Partus ſecundum naturam, & Embryulcia, Atretæ & Uteri procidentia. Ex hac quaſi ſpecie libelli, quantum is a reliquis differat, qui in compendio de Chirurgia exponunt, facile apparebit. Neque vero arduas illas curationes, ut Cranii per modiolum exciſionem, aliasque, quæ hic nominatæ non ſunt, omiſſas fuiſſe, exiſtimandum eſt. Sic potius facta eſt morborum ſingulorum expoſitio, ut mitiori curationi, quæ per medicinas fit, altera, ſi habetur, efficacior ſubjungeretur. Qua exponendi morbos ratione & memoriæ diſcentium optime ſuccurritur, eorumque animi hac doctrinæ varietate quaſi reficiuntur, & ad majorem attentionem excitantur.

Digitized by Google

tantur. Quare de mammarum reſectione in *Capite* de Scirrho & Cancro, de Modioli uſu in illo de Capitis vulneribus, de Caſtratione in *Capite* de Sarcocele, de Fonticulo & Setaceo faciendo ibi, ubi ulcera exponuntur, quæ arte fiunt; de dentium evulſione in tractatione de eorum morbis; de Veſicæ Paracenteſi, in illa de urinæ reddendæ difficultate agitur. Ex quibus, quo ordine Cel. Autor ſingulos morbos executus ſit, patere poteſt; omnis autem, quem in ſingulis tractationibus ſecutus eſt, ordo hic eſt: Primo loco cujusque morbi natura, ratione ſedis, ſymptomatum, & cauſarum, exponitur, ut poſſit facile ab aliis omnibus diſtingui; poſt hæc prognoſis ſequitur, eamque curatio excipit, cauſis ſingulis ac tempori morbi accommodata. Multis in locis etiam neglectum non fuit, varias ad curationem utiliſſimas regulas ultimo loco addere. Ne autem Inſtitutionum fines transgrederetur, non longus Cel. Autor fuit in omnibus medendi rationibus recenſendis, quæ inde a condita arte vel excogitatæ tantum, vel etiam adhibitæ, fuerunt. Contra ſatius eſſe exiſtimavit, quæ morbi naturæ reſpondere, ſingulisque ejus cauſis tollendis, idonea auxilia eſſe invenerat, ac per experimenta certa ipſe cognoverat, proponere. Neque tamen tum auxilia alia, quorum efficaciam experiri fortaſſe ipſe non poterat, tum præcipue manu ferramentisque perficiendas curationes, quarum imitandarum occaſio hic vix datur, prorſus omiſit. Quas enim hinc inde in theſibus brevi admodum oratione expoſuit, eas in annotationibus ſubjectis indicavit, in quibus libris accurate expoſitæ habeantur. In iisdem annotationibus & alia quædam inveniuntur, quibus in theſibus commode locus dari non poterat. Inter hæc ſunt, quæ non tam artificem, quam eleganter doctum Chirurgum, faciunt, commemoratio optimorum Autorum, præcipueque eorum, qui de morbis quibusdam ſingulari ſtudio commentati ſunt, & Obſervationum rariorum expoſitio, inter quas etiam aliquot ſunt, ab ipſo Cel. Autore factæ, & inter illa ſpecimina referendæ, quæ nunc demum exhibebimus. Utque ab inflammatione ordiamur, quæ in aucto ſanguinis motu conſiſtit, in ea non tam naturalis roboris, quo ſanguis movetur, quam vitalis virtutis, §. 31, 32.

 aut

Digitized by Google

aut avtocratiæ naturæ, ratio habenda eſt, cui potiſſimum au-
ctus in inflammatione ſanguinis motus debetur, & quæ tum
corpus tuetur, tum morbis permultis ſola medetur. Etſi ve-
§. 35, 36. ro inflammatio ex obſtructione naſcitur, quæ in omni corpo-
ris parte incidere poteſt; ſolæ tamen molles partes, nunquam
oſſa, inflammantur. In adipe frequentius inflammatio naſci-
tur, quoniam ſanguis, ibi facile ſtagnans, oleoque miſtus,
brevi putreſcit. Ad felicem inflammationis curationem febris
49. obſervatio requiritur, quæ, ut ſupprimi prorſus non debet, ſic
quoque curari, ut non nimium urgeat. Ab initio averten-
62. dus ſanguinis aditus eſt; ſi vero inflammationis incrementum
65. jam conſiſtit, eo potius dirigendum medentis conſilium eſt,
67. ut tumor diſcutiatur, ad quorum utrumque plurimum victus
76. 79. valet. Utraque medendi ratio etiam in phlegmone obtinet,
in qua præcipue pro rigiditate, mollitieve, tumoris variari ali-
80. qua in medicinis debent, ut in hac ſola roborantia, in illa et-
iam ex mollientibus quædam, ſuperhabeantur. In quovis Ab-
82. ſceſſu metus Cacochymiæ, Phthiſeos, ac Hecticæ, oriri poteſt,
ſi per longas, aut cohibitas, ſuppurationes, vel pus non ju-
ſto tempore emiſſum, mala materia aliis corporis ſuccis ad-
91, 92. miſcetur. Ex pus moventibus alia fibras tantum laxant, ex-
ſpirationemque ex cute cohibent, ut Althea, Malva, farinæ,
& olea, alia puris concurrentis internum motum augent, ut-
que fibræ humoresque liqueſcant, efficiunt, qualia gummata
94. ſunt, ſapo, mel, fermentum panis, alia. Si per refrigeran-
tia inflammatio ſine integritate deſiit, primum medicinarum
genus convenit. Raro majus malum, quod timetur, requi-
96. rit, ut ex crudo tumore pus evocetur. Tumor in ſumma,
98. non in infima, parte incidi debet, eaque evitari, quæ, adverſus
100. humorum vitia data, ſanguinem nimis agitant, pariter atque
111. ab initio data purgantia. Intempeſtiva curatio eſt, quæ cru-
dus carbunculus protinus exciditur, vel aduritur, commo-
116. dum tamen ferrum eminus admovere, ſi is parum levatur.
Cum mammarum in puerperis inflammatio ſæpe a contracta al-
vo, aut quod lochia non proveniunt, ſi non oriatur, ſaltem
augeatur, peſtiferæ tamen medicinæ calidæ ſunt, nocentque,
etiam externe impoſitus ſpiritus vini cum camphora, aliaque.

Bubo

Digitized by Google

Bubo, ſi ex gonorrhœa cohibita ortus eſt, tollitur, ſi hoc hu- §. 124.
moris profluvium, datis emulſionibus, revocatur; ubi vero
bubo adolevit, illum reſolvere, adeo tutum non eſt, ſed, pu-
re moto, ulcus poſt longam ſuppurationem glutinandum. Te- 125, 126.
ſticulorum inflammationi extrinſecus opitulantur cataplaſma- 131.
ta, quæ tamen minime humida eſſe oportet. In paronychia,
ſi humor in vagina tendinum flexorum hæret, hujusque ſe- 153.
ctio, etiam ſupra ligamentum, quod in carpo eſt, in cubito
facta non proficit, commodum magis auxilium eſt, muſculi,
ubi tendo educitur, reſectio, quam ligamenti annularis diſſe-
ctio. In Eryſipelate farinæ proſunt, flores ſambuci cum pau- 163.
ca camphora, ſi vero phlegmonodes eſt, & corpus laxum, 164.
vel bolus, ceruſſa, &c. illis admiſcenda; vel Mynſichti compo-
ſitione utendum eſt. Nocent autem hæc, ſi vitium cum ma- 165.
la febre eſt, ubi permitti oportet, ut ſumma cutis exulcere- 166.
tur. Eryſipelatis ſpecies Zona eſt. In omni vero Eryſipelate
male plerumque ſanguis mittitur, & ulcera, inde orta, ſine 167, 168.
quiete faſciaque adſtringente curationem non recipiunt. Si in
parte aliqua corporis vitalis humorum circuitus tolli cœpit, &
mors atque putredo imminet, malum gangræna dicitur, ſpha- 169.
celus vero, ubi membrum ad os uſque ſine ſenſu ac motu eſt,
atque emortuum. Solent vero humores in vivo corpore pu-
treſcere, propter quietem, aut languidum nimis motum,
item propter valentiorem motum atque æſtum, ob cohibitam
ſeri, urinæ, fecum, excretionem, ob novi chyli defectum,
aut ſi is crudus ex corpore expellitur, in cœliaca, diabe-
te, &c. His cauſis varia venenorum genera, ſales volatiles, ſapones
rancidaque omnia, addi debent. Ab initio non alia gangrænæ
curatio adhibenda, quam quæ vehementiſſimæ inflammationi
convenit. Ex medicinis tamen ægris, ſanguine redundantibus, 191.
danda ſunt acida, corporibus ſiccis nitrum cum abſorbenti-
bus, & iis, quæ multum phlegma habent, decocta ex reſol-
ventibus. Aliena ſunt in gangrænæ curatione alcohol, lixivia 194.
acriora, ſapo, therebinthina, aliaque balſama. Ubi ſub cruſta, 201.
qua in gangræna fit, pus moveri incipit, non facile ad ea ve-
niendum, quæ vehementius erodunt, atque adurunt. Acci-
dit,

dit, ut ex frigore gangræna naſcatur, in quo caſu vel præcidi
§. 211. membrum oportet, vel, ſi gelu oſſibus circa articulos vitium
attulit, id, quod gelu aduſtum eſt, tolli. Ubi a ferulis faſciis-
que compreſſum membrum aridum factum eſt, ſaneſcit ali-
212. quando, ſi digerente unguento ſuperinungitur, & perfricatur;
ſi vero ſphacelo jam occupatum eſt, ſæpe ſponte ab integro ſol-
213. vitur, quod emortuum eſt. In gangræna, a ſcorbuto orta, pa-
rum proficiunt medicinæ, niſi adhibeatur victus conveniens,
214. & aeris mutatio fiat. Si ſphacelus ſedes carnoſas occupat,
membrum autem præcidi nequit, cruſta ad vivum uſque con-
cidenda eſt, & acre lixivium immittendum, quod ex calce vi-
va & cineribus clavellatis paratur, aut ſpiritus ſalis ammoniaci
238. cum calce viva, liquor Belloſtii, butyrum antimonii. Ubi,
membro aliquo reſecto, ſanguinis curſus ſiſtendus eſt, nec ferra-
mentis candentibus opus eſt, nec glebis ex vitriolo, nec pulve-
ribus, nec liquoribus valentioribus, oportet autem in am-
240. putatione primum cutim & adipem, dein iterata ſectione
carnem ad os uſque circumſecari, ac perioſtium ſubſecando
rodendoque reduci, osque nudari. Ut linum eo valentius
242. hæreat, non ſolum arteriam comprehendere debet, ſed etiam
aliquid ex carne. Scirrhi frequentiores ſunt in orphanotro-
257. phiis pueris, & in monaſteriis monialibus virginibus, cu-
jus rei cauſa in victu, mœrore quotidiano, & exercitationis
264. defectu quærenda eſt. Scirrhus velamento comprehenditur;
quod ſi vitioſus humor cum cute exeſt, cancer apertus fit. In
265. eoque humor ex putri, qualis in ſphacelo emortuis eſſe ſolet,
& rodente, qualis ex malis ulceribus exit, quaſi compoſitus
268. eſt. Si in ſcirrhi exſectione velamentum eximi non potuit,
hoc concidendum, & adurentia cum pus moventibus ſuper-
166. danda ſunt. Neque vero ferro tollendus ſcirrhus, vel cancer,
eſt, ſi a vitio ſuccorum ortus eſt, aut ſubjectis, vel vicinis, par-
tibus adhæret, ſi corpus mali habitus, & jam ſemel fruſtra
ſcalpellum admotum fuit. Ut vero ad ophthalmiam progre-
276. diamur, χήμωσις eſt, ſi albuginea etiam, quæ a muſculis ve-
277. nit, valde inflammata eſt, atque intumuit, lippitudo, ſi ex
281. oculo inflammato lachryma calida & acris fertur, phlegmone,
ſi in-

Inflammatio interiores oculi membranas occupat. Ophthalmia etiam alia acuta eſt, alia longa, eaque præcipue diuturna §. 282.
fit, ſi in humidis corporis aliquod vitium eſt, ut ſcorbutus, 283.
venerea lues, etc. Non raro mala materia ex externo vitio 285.
in oculos vertitur, & lippitudinem movet. Eaque & ſæpe ex variolis naſcitur, ſi iis, ubi oculos infeſtant, intempeſtiva curatio adhibetur. Ex levi inflammatione phlegmone fieri pot- 286.
eſt, ſi frigida & ſpirituoſa oculo ſuperdantur. Purgantia va- 287.
lentiora corneæ membranæ mucoſam exulcerationem afferunt.
In acuta & humida ophthalmia Medicus uti febre ad remedium 295.
debet, quo ad externas partes evocetur humor, & cutis, puſtulis in ea natis, exaſperetur. Contra in ea lippitudine, quæ 298.
ſine febre eſt, ubi & cantharides nihil efficiunt, ad ſcarifationem oculorum veniendum eſt, quæ etiam in phlegmone valet & in 305.
ulceribus corneæ, quæ cum inflammatione conjuncta ſunt. 312.
Præſtat, ſi collyria unguenti formam habent, quam aquæ, & 313.
ſi veſica, quæ iis repleta eſt, & inferius acu pertuſa, ſuper oculo premitur, quo collyrium in oculum injiciatur. In vocabulis ὄνυξ, πτερύγιον, & ὑπόπυον, permagna videtur ambi- 320.
guitas eſſe. Ὄνυξ tamen, vel unguis, dicitur, ſi pus inter corneæ lamellas hæret, ὑπόπυον, ſi ſub cornea, qui locus camera oculi anterior vocatur, πτερύγιον, ſi membranula ſuper corneam excrevit.
His ex doctrina de vulneribus aliqua ſubjicienda ſunt. Vulnera non 337.
accipiunt oſſa & cartilagines, fieri vero vulnera poſſunt, etiam ſi 338.
membra nimium adducuntur, ut rumpantur membranæ, vel vaſa.
Ad omne vulnus neceſſaria eſt & inflammatio & febris, ſic tamen, 349.
ut certus utriusque modus ſit. Quod ad vulnerum letalitatem 365.
attinet, quæ per ſe letalia dicuntur, paria habentur abſolute letalibus, ſi ſententia ferenda eſt. In ſimplicis vulneris cura- 371.
tione nihil Chirurgo agendum, niſi ut, quæ curationi obeſſe poſſent, tollat. Si pars quædam dependet, ut faſcia con- 382.
tineri ſatis nequeat, vulnus etiam colliſum ſui oportet. Eſ- 387.
ſentiæ balſamicæ, quarum in vulneribus uſus eſt, quæ parum colliſa ſunt, parari debent cum alcohol, quod ſal tartari non habet, idque etiam majorem partem iterum diſtillandum eſt.
Peſſima mala, quæ ſæpius vulnera conſequuntur, averti poſ- 391.

ſunt, ſi diligentius obſervatur inflammatio, & ſi ſuppuratio non impeditur, quod facere ſolent compreſſio vulneris, ſive per intruſa, ſive per impoſita, frigida, acria, adſtringentia, pus relictum & acre factum, purgantia, animi graviores affectus, cibi valentioris generis, & quæ febrem nimiam movere
§. 400. queunt. Supervacua, imo & noxia, ſunt traumatica decocta,
408. quæ ex adſtringentibus parantur. In ſanguinis profuſione, quæ vaſa comprimere debent, his non adverſum objicienda ſunt,
409. ſed a latere imponenda. Ex medicinis, quæ dicuntur ſanguinem ſiſtere poſſe, quædam parum valent, vehementiora etiam
410. veneni vim habent. Optimum inter illa eſt alcohol, ſine ſale
417. paratum. Ad avertendam novam ſanguinis profuſionem, plurimum valet quies, abſtinentia, frigidorum uſus, conclave obſcu-
418. rum, venæſectio. Nocent adſtringentia, ſi ore ſumuntur. Ubi vis omnis cum ſanguine effuſa eſt, conveniunt quies, & juſcula juniorum carnium crebrius & paulatim data, nocent ſomnus a primo
422. initio, calor & omnia cardiaca. Aneuryſmatis, inprimis veri, patho-
419. gnomonicum ſignum pulſus vix eſt. Verum autem aneuryſma in
420. tumore conſiſtit, quem arteria integra, ſed dilatata, facit, ſpurium in eo, quem ſanguis facit, ex pertuſa arteria ſub cute effuſus. In
436. brachio, ſi arteria brachialis læſa eſt, niſi certa eſt deſperatio, experienda aneuryſmatis chirurgia, in qua arteria vincienda
444. eſt. Minus enim tutum eſt, glebam, ex vitriolo paratam, arteriæ
453. objicere. Si in vulneribus, quod aliquando fit, dolor movetur a ſuccis corruptis, parum proficiunt, quæ imponuntur,
476, 477. niſi humores purgentur. In ſclopetorum vulneribus ſemper ampliari plagam oportet, tum ut, quæ intus hærent, ejici
478. poſſint, tum etiam propter inflammationis metum. Debent etiam, quæ penetrant, transverſa vulnera, vel tota aperiri,
480. vel lino injecto purgari. Cumque omnia ſclopetorum vulnera ita colliſa ſint, ut, quod putre eſt, procedat, pus moventes medicinas deſiderant, quibus tamen aliæ adjiciendæ, quæ pu-
484. tre evincunt. Protinus utplurimum membrum reſecari oportet, ſi os totum, inprimis circa articulos, glandis plum-
512, 513. beæ ictu perfractum eſt. In nullo vulnerum genere ſigna futuræ ſalutis & mortis tam incerta ſunt, quam in iis, quæ in capite

Digitized by Google

pite ſunt. Nam ſæpe, qui ab initio ab omni periculo abeſſe videtur, poſt plures dies, nec opinato, moritur, aut, quibus & cerebrum vulneratum fuit, etſi nullæ ſe diætæ adſtrinxerint, ſervantur. Accidit etiam, ut, ſi, capite percuſſo, os §. 514.
integrum ſit, tamen in dura matre inflammatio excitetur. Si 520.
exteriores membranæ telo obtuſo læſæ ſunt, in pericranio inflammatio, in cute utplurimum eryſipelas, naſcitur. Tu- 522.
mor ſine mora incidendus eſt, ſi multus ſanguis concretus ſub pericranio hæret. Si oſſis aliqua pars nudata, neceſſe eſt, 523.
ut ejus minimum ſumma pars emoriatur. In diploe etiam a 526.
graviori ictu peſſima caries oritur. Calvaria tribus potiſſi- 527.
mum modis percuſſa violari poteſt. Nam vel enſe acuto inciditur, vel ex ictu deſidit, vel finditur, & rimas agit. Inter 531.
contrafiſſuræ genera ea læſio eſt, qua exteriore calvariæ lamina integra, interior frangitur. Hujus exemplum Cel. Autor ſe in valetudinario Lipſienſi aliquando vidiſſe, ſic ſcribit: Homo ante novem annos, caſu ab alto facto, caput graviter offenderat, a quo tempore deſipuerat ita, ut ejus audacia atque libido aliquando aſperioribus coercitionibus reprimenda eſſet. Levato tamen acceſſionis impetu, variis domeſticis operibus perfungi ſolitus, tandem, cum aquam haurire vellet, in flumen immerſus periit. In hujus calvaria, cum pericranium cum cute avulſum, illaque tota deoperta, eſſet, extrinſecus nihil violatum, vel alienatum, deprehendi potuit. Ablata vero calvaria, in dextri bregmatis ſuprema parte, hujusque lamina interna, rima hiabat ſatis ampla, cujus oræ, velut aculeis, exaſperatæ erant. Ab his pungentibus & dura meninx, & cerebrum, graviter læſum & exulceratum erat. Si ſub cranio 535.
aliquis humor hæret, vel cerebrum premit; vel corruptus febrem atque inflammationem incendit, aut tenuior duram matrem rodit, ac nervorum diſtentionem movet. De cerebelli 547.
vulneribus Cel. Autor ait: Argentoratenſium Chirurgus *Le Maire* mihi olim retulit, ſe aliquando ægrum curaſſe, cui non minima occipitis pars cum notabili corticis cerebelli portione enſe ablata erat. Non in omni fiſſa calvaria neceſſarius mo- 552.
dioli uſus eſt; protinus tamen ſanguinis plurimum detrahen-

 dum,

Digitized by Google

§. 553. dum, & valentiora alvum ducentia danda ſunt. Ubi rimæ ad diploen tantum tranſeunt, ſatius eſt, totum os excidere, quam, donec integrum ſit, radere. Supervacua autem omnis ſæpe curatio eſt, ſi os ſine fractura deſidit, &, accidit mihi ali-
556. quando, dicit Cel. Autor, ut in homine, qui ex tertia ædium contignatione delapſus erat, deraſis capillis, profundior ſinus & depreſſa calvaria appareret, ſine cute impoſita vexata. Quod dum miramur, expergefactus homo, & ſectionem metuens, nihil ibi ſubeſſe alieni dixit, ſibi a teneris hunc ſinum
558. fuiſſe; is etiam ſine noxa convaluit. Si ex fracto oſſe aliquid deſedit, ſemper vecte utendum eſt. Hactenus de capitis vul-
595. neribus. Si in mala vulnus eſt, ſæpe ductus *Stenonianus* diſciſſus eſt, in quo caſu nova via ſalivæ in os aperienda eſt. Mihi notum eſt exemplum, inquit Cel. Autor, ubi vulnus recens ſcalpello tenui acuto illatum, & ex quo copioſior ſaliva exiit, impoſitis pannis, & adſtrictiori faſcia, brevi fuit curatum. Opinor, ductum ſalivalem fuiſſe non diſciſſum, ſed inci-
621. ſum. Ut vero ad pectoris vulnera veniamus, cavere ſibi Chirurgus debet, ne ſpirandi difficultatem, quæ a dolore eſt, confundat cum ea, quæ ab emiſſo in pectus cruore proficiſci-
623. tur. Si enſis ad pleuram usque penetravit, metus eſſe ſolet, ne, inflammatione mota, pus pleuram perrumpat. Satis facile
631. ſpirat æger, ſi, qua parte pulmo pleuræ adhæret, in ea vulnus eſt, etſi pulmonem lædens. In vulnus, quo pectus pa-
639. tefactum eſt, quamdiu glutinari non debet, conjicitur linteolum, cujus oræ in fila reſolutæ ſunt. Convenit enim, & turundas, & cannulas, omitti, & plagam, ſi neceſſe eſt, ampliari.
646. Utilis eſt pectoris perforatio, quibus vel ſanguis, vel pus, intus
658. confluxit; quibus vero hydrops eſt, iis raro opitulatur. Ex vulneribus, quæ abdomini infliguntur, latius aperienda ea ſunt, in quibus mucro teli in aponevroſes muſculorum deſe-
674. dit. Curationem recipere poſſunt inteſtinorum vulnera, et-
682. iam vehementiora. In omnibus abdominis vulneribus nihil magis proficit, quam ſi alvus crebrius levi lotione ex mollien-
684. tibus compoſita ducitur. In anguſta plaga, ſi omentum ſolum prolapſum eſt, compreſſum ab oris vulneribus, emoritur, neque

Digitized by Google

neque præcidi debet. Æger tamen inter curationem erecto capite ſupinus cubare non debet. Omentum enim, cum peritonæo concreſcens, ventriculum adducit, & vomitum facit. §. 685.
Cavendum eſt, ne inteſtina, vel omentum, quæ reponi debent, inter muſculos condantur. 687.
In ampliatione vulnerum abdominis vitanda ſunt epigaſtrica vaſa, umbilicus, ejusque ligamenta, & linea alba. 692.
Plurimum ad curationem vulnerum, quæ in inteſtinis ſunt, confert victus, qui a fame propior eſt. 698.
Turunda etiam in gaſtroraphia nocet. 704.
Vexata a fluidis quoque fiunt, ſi magna vi in corpus aguntur, atque a ſuctu. 708.
Ἐκχύμωσις non ſolum ex vexatis oritur, verum etiam ex aliis curvis & obliquis vulneribus, quæ ſanguinem in adipis cellulas urgent. 712.
Contuſo pectore, vel abdomine, homo cito tollitur, certe alia inſequuntur, quæ eum lenta morte conſumunt. 717.
Oedema frequentius a vitiatis in corpore ſuccis proficiſcitur, vel chronicis morbis ſupervenit, prætereaque ex multis aliis cauſis fit, ad quas is, qui curaturus eſt, ſemper reſpicere debet. 731.
Inter tumores, qui tunica ſua includuntur, nonnunquam inveniuntur ex atheromate & ſteatomate compoſiti. 735.
Talem Cel. Autor ſcribit ſe in juvene ſedecim circiter annorum vidiſſe, qui, etſi omnis fere humor expreſſus fuerit, nihilo minus pondus undecim librarum habuerit, & totum fere tergum occupaverit. Mortis cauſa juveni fuit, cum empiricus cum emollientibus diu tractatum majori cultro aperuiſſet. 760.
Atheromatis & hydatidis ſedes eſt in venis lymphaticis, quæ valvulis diſtinctæ ſunt, & in glandulis, quas, ſub cute poſitas, ubi corpus frigore inhorret, oculis diſtinguere licet, meliceridis in glandulis ſebaceis, ſteatomatis in adipoſis cellulis. 761.
Ganglia, quæ in tendinibus ſedem habent, oriuntur, [illegible] muſculi nimium adducuntur, & receptacula axungiæ rumpuntur, quæ deinde ſuper tendines, vel inter hunc, atque ejus vaginam, effuſa concreſcit. Et hujus vitii memorabile exemplum a Cel. Autore affertur. Ortum eſt ſub tendine Achillis, quo loco homo, dum ante annum circiter ex rheda deſiliebat, acutum dolorem ſenſit. Tumor ab utroque tendinis latere protuberabat, &, quamvis greſſum non prohiberet, tamen adeo increverat, ut diſcuti non poſſet, neque etiam 773.

Digitized by Google

ſcalpello attingi. Æger, moræ impatiens, varia adhibuit, quibus efficiebatur, ut tumor, qui ad capitis magnitudinem increverat, multis in locis rumperetur. Ex eo, febre accedente, per quatuor fere menſes, incredibilis vis humoris acrioris & fœtidioris effluxit, & æger, emaciatus, exſtinctus
§. 790. fuit. Herniæ aliquod genus eſt, quod a ventre nomen accepit. Oritur hæc hernia in iis locis, ubi in muſculis transver-
803. ſis abdominis fibræ a ſe invicem diductæ ſunt. In Omphalocele, ſi omentum ſolum per circulum umbilici erupit, raro in-
811, 813. flammatio oritur, frequentius, ſi inteſtinum. Ubi ea, quæ ex inteſtinis prolapſa ſunt, & inflammationem conceperunt, reduci in ſuas ſedes nequeunt, in alvum immitti debent lotiones etiam acriores, & ipſe fumus peti, ore autem oleum amygdalarum dulcium ſumi, cum cereviſia miſtum, adjecto ſe-
854. mine cumini bene trito. Obſervatio docuit, ſarcocelem oriri poſſe, ſi, retento ſpiritu, vel ſub gravi faſce, homo valentius & diutius nititur, vel ſi is præcipiti ſaltu in terram fertur. Fit autem hoc, quia ſub fortiori niſu adducto muſculo obliquo externo, & contracto annulo, vaſorum ſpermaticorum faſciculus comprimitur, ſub præcipiti autem ſaltu peritonæum ſuper annulum a colo, fecibus durioribus pleno, ictum, atque inflammationem accipit. Efficiunt enim hæc, ut ſanguis per
858. venas minores permanare non queat. Sarcocele autem utplurimum amputationem teſticuli deſiderat. In ea curatione etiam annulus abdominis ampliari ſectione debet, ne vaſa ſpermatica, inflammatione ſuperveniente, tumentia, a ſtri-
887. ctiore annulo ſtrangulentur. Verrucæ ex papillis nerveis naſci ſolent, ſi illarum radices ita premuntur, ut humor, quo illæ
899. alun[illegible] reverti nequeat. In ulcerum curatione plura diligent[illegible] obſervanda ſunt. Quæ ex malo corporis habitu orta ſunt, non niſi hoc mutato ſaneſcunt. Difficulter etiam, nec ſine periculo, in ſano corpore ad cicatricem perducuntur, quorum jam conſuetudo facta eſt. Nec tutum eſt, iis mederi, quæ in omni ſenili corpore & in fœminis ſunt,
901. quibus menſtrua non proveniunt. Ore autem ſumendæ medicinæ non omnibus ulcere laborantibus eædem conveniunt.

Debent

Digitized by Google

Debent illis vitiis profligandis idoneæ eſſe, ex quibus ulcus ortum. Nocent, quæ nimis calida ſunt, neque purgantium tutus ſemper uſus eſt, ac præſtat, abſtinentia & quiete uti, quæ & ſola in ulcere, ex abſceſſu orto, utilia ſunt. Neque raro valentio- §. 902.
res ex medicinis, quæ extrinſecus ſuperdantur, ulcera irritant. Debet vis medicinæ pro impuritate ulceris vel intendi, vel minui. Etiam ſciri neceſſarium eſt, quomodo 903.
miſceantur medicinæ. Nam multum intereſt, ſi relinquuntur ſuper ulcus, vel per breve tempus ſuper id tenentur, præcipue cum aliæ aquoſæ, aliæ ſpiſſiores, aut oleo, aut axungia, exceptæ, vel etiam ſiccæ, ſint. Ad quæ & illud diſcrimen ac- 904.
cedit, quod in ipſis locis eſt. Neque non ſuper totum locum 911.
affectum aliqua imponere juvat, quæ pariter variari debent. Nam, ſi locus laxior ac fere reſolutus eſt, præter roborantia, faſciæ magna utilitas eſt; ſi vero ſtrictior, emplaſtrorum mollientium. Contra ea ulcera, quæ in cruribus fiunt, magnum 912.
ex quiete præſidium petitur. Quæ vero ſanari tutum non 913.
eſt, illa tamen quotidie purganda ſunt, &, ſi arida fiunt, exaſperanda. Si ulcus altum, anguſtum, calloſum, fit, fiſtula di- 942.
citur. Callus autem ex humore naſcitur, ex quo, ſi non ab- 943.
ſtergitur, quaſi limus ſubſidit, qui, ulceri adhæreſcens, craſſior duriorque factus, in callum vertitur. Ubi fiſtula ad nervo- 952.
ſum locum tendit, aliena rodentia ſunt, & magis proficiunt, quæ ulcus aridum reddunt. Vulgo omnis exulceratio rece- 964.
ptaculi lachrymarum fiſtula lachrymalis nominatur, ſed male. Huic vitio tollendo ſatis idonea eſt, quæ ab *Anellio* nomen habet, medendi ratio. Immittitur liquor, qui ex ſale thermarum & aqua verbenæ fit. Iſque ſatis valet, niſi ulcera ſor- 967.
dida ſunt, contra quæ aqua calcis immittitur cum pauxillo nitri, camphoræ, & ſacchari. Aliud malum eſt, ſi receptacu- 969.
lum lachrymarum in tumorem levatur, qui, ſi a confluente humore eſt, hydrops ſacci lachrymalis appellatur, ſi vero inflammatio conjuncta, anchilops. Si tumor ab infirmitate recepta- 961.
culi ortus eſt, neque compreſſione tolli poteſt, ipſum incidi oportet, & vulnus ad cicatricem perduci, quo receptaculum coarctetur. Nec alia curatio, ſi intus aliquid ſe oppoſuit, 972.
quod

Digitized by Google

§. 974. quod tolli debet, ut via ad nares aperiatur. Ubi vera fiſtula eſt, oportet, forato oſſe, nova ad nares via
975. paretur. Inciditur receptaculum a naſi radice, ubi tendo muſculi orbicularis eſt, usque ad medium inferioris palpebræ, parcendo cuti, qua palpebræ inter ſe commit-
976. tuntur. Omne autem receptaculum præcidendum, aut exci-
977. dendum, eſt, aut etiam erodendum; osque forari poteſt quo-
1065. vis ferramento, quod cuſpidem exacutam habet. In numero morborum, quibus oſſa vitiantur, ſpina ventoſa eſt, quæ ex corrupta medulla naſcitur. Quod vitii genus etiam ex oſſe transverſe fracto, neque recte commiſſo, oriri poſſe, Cel.
1072. Autor aliquo exemplo confirmat. Contra rhachitidem præſidium eſt in victu, qui facile concoquitur, & aromate abundat, in potione meraca, multis valentioribusque corporis fricationibus, præcipue in dorſi ſpina, & cum ſuffitu ex thure, benzoe, ſimilibusque, in unguento nervino, quo muſculi per-
1104. tractari poſſunt, & balneis frigidis potius, quam calidis. Satis notum eſt, articulos etiam ab interna cauſa, ut vulgo ajunt, ſuis ſedibus expelli. Fit hoc reſolutorum & emacreſcentium muſculorum vitio. Ligamenta enim pondere membrorum infirmantur. Infirmantur etiam, ubi membra nimium intenta fuerunt. Interdum & humor in articulos confluit, quod incidit, ſi ex febre, veluti ex variolis, mala materia eo inclinata fuit, vel ſi ligamenta horumque glandulæ percuſſæ. Si poſt curationem
1116. luxati oſſis major infirmitas ſupereſt, conveniunt emplaſtra, præcipue oxycroceum, & ſaponatum Barbette, fricatio cum ſpiritibus, ſi corpus plenum & juvenile eſt, cum unguento
1117. nervino, ſi gracile & ſenectute emaceratum. Interdum, repoſito oſſe, tumor & inflammatio manent. Tunc timeri debet gangræna, quod rupta eſt arteria, vel vena, quæ ſanguinem fundit. Idque aliquando brachium nimis extendentis Chirurgi
1143. culpa factum eſſe, Celeberrimus Autor ſcribit. Præter hoc,
1144. quod pueri gibberoſi fiunt, ſi nutrices, eos lavantes, violenter invadunt, & ſpinam potiſſimum adducunt, vel ſi corpus puerorum ſub variis exercitationibus continenter multumque in aliquam partem flectitur, non raro & carie exeſæ vertebræ ſpi-

nam

Digitized by Google

num infleсti faciunt, quod fit, ubi mala quædam materia in ligamenta vertebrarum inclinata fuit. In omni vero caſu nocent rigidæ & ferreæ loricæ, quibus oſſa valentius premuntur, §. 1146.
ex quo funeſti ſæpe morbi naſcuntur, præcipue ſi pectus atque abdomen ſimul multo oleo ac pingui materia quotidie perungitur. Os femoris raro ex acetabulo expelli, frequentius 1192.
ejus cervicem frangi, recentiores per multa exempla oſtenderunt. Nonnunquam tamen ejus caput vi quadam ex ſua ſede pellitur; quod vero, Cel. Autor aliqua obſervatione pro- 1193.
bat, fieri non poſſe, niſi & interno & capſulari ligamento diſrupto. Frequentius excidit caput femoris, ſi humor in arti- 1201.
culum confluxit. Hunc *Senffius*, Berolinenſis Chirurgus, aliquando evocavit, ſcalpello altius demiſſo, & ligamento capſulari inciſo; cui medendi rationi locus eſſe poteſt in corpore ſicceo & macilento. Oſſa utplurimum franguntur, rarius fin- 1238.
duntur. Ubi vero hujus vitii ſuſpicio eſt, protinus plurimum ſanguinis ex vena ſubtrahi debet. Imperanda eſt quies & abſtinentia, pro vi corporis, longiſſima. Neque, niſi ſublata inflammatione, & conquieſcente dolore, victus plenior, & valentioris generis potio, concedi debet. Sanguis mittitur pro- 1282.
pter evacuationem, derivationem, & revulſionem. Hæc & derivatio poteſt utique cum ſanguinis circuitu conſiſtere, qui non ſolum a corde, verum etiam ab illo vitali fibrarum robore, proficiſcitur, quod vaſa & muſculi habent, & quo aucto in aliqua parte plus humoris per unam arteriam ac per aliam, fertur. Suffuſio dicitur, ſi vel lens chryſtallina, vel ejus 1301.
velamenta, opaca facta, ſe luci opponunt. Lentem veram ſuffuſionis ſedem eſſe, primus contra veteres demonſtraſſe videtur *Fr. Quarreus*, Medicus & Chirurgus Pariſienſis, noſtra vero ætate *Briſſeau*, *Maitre Jean*, & *Heiſterus*, qui nempe id, inciſis poſt mortem oculis cataracta laborantium, invenerunt. Cumque huic ſententiæ ſe plures, præcipueque *Woolhuſius*, opponerent; *Morandus* & *Petitus*, Medicus, novam diligentiam inveſtigandis his rebus adhibuerunt. Quorum ille non quidem, tunicam ſe interdum pupillæ opponere, negavit, ſed illam non ex aqueo humore concretam, verum velamentum

 lentis,

Digitized by Google

lentis, eſſe oſtendit. Contra *Petitus*, ſedem cataractæ in lente eſſe, non in velamento, contendit, quod aliquando opacum videatur, ſi, qui ſubeſt, humor corruptus velamento inhæreſcat. Sunt tamen, qui, ſe hoc velamentum vere opacum inveniſſe, ſcribunt. *Petitus* vero ex obſervationibus ſuis oſtendit, in cataractæ curatione lentem ſine velamento deprimi debere; quam medendi rationem imitatus eſt, & fuſe, etſi fere obſcurius, expoſuit, *Taylorus*, qui addit, veram cataractam eſſe, ſi lens, ſpuriam, ſi cum ea velamentum, obſcuretur, glaucoma vero eſſe, ſi lens cum velamento ita intumeſcat, ut pupilla dilatetur. Ab inflammatione etiam humorem mutari, qui circa lentem in velamento eſt, & a quo lacteæ, vel purulentæ, aut etiam cyſticæ, cataractæ nominentur. His addit *Morgagnus*, ſuffuſionem etiam ex vitiata poſteriore capſulæ lentis parte oriri. A vero propius eſt, facilius curari, quæ in lentis vitio conſiſtunt, & quæ vel non deprimi poſſunt, vel depreſſæ iterum redeunt, in illis cum lentem, tum velamen-
§. 1306. tum, opacum eſſe. Lens vitiari videtur, ſi ille ſuccus, qui
1307. inter ipſam ejusque velamentum eſt, deficit, velamentum au-
1308. tem, ſi in ipſo inflammatio movetur, ex qua etiam, pariter ac ex lente liqueſcente, cataracta purulenta, vel lactea, naſci-
1309. tur. Glaucoma vero interdum in lentis tumore, interdum in
1312. vitrei vel tumore, vel ſolutione, conſiſtit. Manus curatio non niſi primo ſuffuſionis generi ſatis idonea eſt, cujus etiam quæ-
1314. dam maturitas eſt. Acu utendum eſt, cuius mucro paululum tenuatur, latior, non vero nimis acutus, eſt, & quæ ex auro fit, crebrioribus mallei ictibus durato. Quæ deinde ad variam calculoſorum curationem, & hujus hiſtoriam, attinent, debentur Clariſſ. *Juſto Godofredo Günzio*, Anat. & Chirurg. in hac Acade-
1456. mia Prof. Publ. Extr. Antiquiſſima calculoſis medendi ratio eſt, quam hodie parvum apparatum vocant, & qua omnes ab *Hippocrate* uſque ad *Joannem de Romanis* videntur uſi eſſe. Ejusque in veſicæ calculo tutus uſus non eſt. Curatio cum magno apparatu ad Italos, non vero ad Gallos, tanquam inventores, pertinet. Apud hos autem diu Colotorum familiæ propria fuit, & nunc aliqua fuerunt in inſtrumentis, & ipſa

Digitized by Google

ipſa eam perficiendi ratione, mutata. Jam olim quoque *Petrus Franco* eam ita faciendam voluit, ut, patefacta veſica, calculus non ſtatim, ſed, niſi ſponte exciderit, poſt plures dies, protrahatur. Ab eodem *Francone* reperta fuit curatio, quæ hodie cum apparatu alto nominatur. Alia denique eſt lateralis, quæ comprehendit Fratris *Jacobi* curationem, *Ravianam*, *Cheſeldenianam*, *Le Catianam* duplicem, & *Fulbertianam*. Igitur calculoſorum curationis duo ſumma genera ſunt. Promitur enim calculus, veſica vel ſuper oſſibus pubis inciſa, vel ſub illis. Sed hoc quidem tribus modis fit. Iter enim urinæ vel recta plaga aperitur, quod in antiqua *Mariana* fit, vel obliqua, qualem recentiores faciunt, qui tamen recedere a *Mariana* non volunt, vel transverſa a latere. Hæc antiquiſſima eſt, &, quia aliqua in ferramentis variant, quæ ſine itinerario fit, *Celſica* nominatur, quæ cum ipſo, quamvis vulgo *Jacobiana* dicatur, deberet utique *Franconica* appellari. Hæc tamen in eo potiſſimum a prioribus differt, quod, cum in hac cervix veſicæ & hæc ipſa aperiatur, in illis iter urinæ ſolum. Ardui operis curatio eſt, neque ſine magno ægri periculo fit Nephrothomia. Ubi vero ex calculo tumor ortus, §. 1356.
qui pus concepit, non exſpectandum, donec rumpatur, ſed ſubcrudus etiam aperiendus eſt. Ex variis autem calculoſorum curationibus, quæ hic proponuntur, ſatis jam notæ ſunt
Mariana, *Raviana*, *Cheſeldeniana*, *Fulbertiana*, a *Le Dran* 1363.
inventa, *Celſica*, & quæ alto apparatu fit. Hæc autem no- 1387.
va quadam ratione a *Le Cat* ſic perficitur. Scalpello rigido, 1394.
quem ipſe reperit, primum cutis, poſt veſica, ſic inciditur, 1395.
ut, cultro per inferiorem vulneris angulum demiſſo, ſurſum verſus aperiatur. Tum ſcalpellus invertitur, ut, eminente dorſo, ſuſtineri veſica poſſit. A latere ſcalpelli immittitur extrema incurva ſuſpenſorii pars, qua veſica ad externam plagam apprimitur, ſcalpello recepto. Sub ſuſpenſorio duo alia fere ſimilia demittuntur, quibus veſica diducitur, ut vel digito, vel forcipe, vel peculiari cochleari, in veſicam conjecto, eximi tuto calculus poſſit. His omnibus ſubjecta aliqua ſunt
de calculo ex itinere urinæ extrahendo, & de calculo fœmina- 1398.

 rum.

Digitized by Google

§. 1406. rum. Superſunt aliqua de partu, & Embryulcia. Gravidis igitur
1415. nihil nocentius eſt, quam ſi in ſecunda valetudine adverſæ
præſidia conſumunt, & thoracibus, præcipue rigidioribus, ami-
ctæ, ventrem comprimunt. Confert modicus victus, diluta
potio, diligens, ſed moderata, exercitatio, cui alvum ducen-
tia ſubſtitui poſſunt, &, quibus ſanguis abundat, bis vena ſe-
1422. canda eſt, & aliquid ſanguinis detrahendum. Faſcia, quæ ven-
tri puerperæ poſt partum injicitur, ſupervacanea eſt in ea,
quæ primum partum enixa eſt, & nocitura, ſi arctius circum-
1427. datur. In partu vero manus admoveri non debet mulieri, quæ
plurium dierum laboribus vigiliisque exhauſta confectaque
eſt, quæ febricitat, cujus arteriæ æquis intervallis non moven-
tur, ſed ſubeunt, atque interdum quieſcunt, quæ ſomno, ul-
tra debitum, urgetur; cujus venter atque genitalia, quod in-
1444. flammationem conceperunt, intumuerunt. Ex partu infelici
non raro uteri procidentia oritur, vel, quod frequentius eſt,
1446. vaginæ, cujus rei varius modus atque figura eſt. Si recens
1447. vitium eſt, recondi debet, quod procidit, & fomenta ac ſuffi-
tus, quibus reprimendi facultas eſt, admoveri. Quæ ſi nihil
ad curationem proficiunt, faſcia involvendum eſt, ne exaſpe-
retur. Si autem magnus tumor eſt, & ad radicem tenuior,
vel ſecando, vel, quod magis tutum eſt, vinciendo, tolli pot-
eſt. Et ante plures annos, inquit Cel. Autor, magnus ejusmo-
di tumor, ex naturalibus propendens, ligatura prius *injecta*,
poſt ſcalpello etiam adhibito, ablatus fuit, & mulier conva-
luit. Facile erit, ex his ſpeciminibus colligere, quanta debeat
harum Inſtitutionum utilitas eſſe, & quantum ceteris libris
omnibus præſtent, qui de arte chirurgica præcepta conti-
nent. Neque vero Cel. Autor dubitavit in Præfatione mo-
nere, tum aliqua eſſe in his Inſtitutionibus, quæ emendatione
egeant, tum etiam nonnulla omiſſa eſſe. Fuitque hujus rei
præcipua cauſa hæc, quod maxima hujus libri pars jam
ante aliquot annos typis expreſſa fuit, a quo tempore multa
in Chirurgia recens inventa, in Commentariis Academiæ Chirur-
gorum Pariſienſis, in Tentaminum Edimburgenſium poſtre-
mo *Tomo*, aliisque libris, prodita ſunt. Fatetur etiam Cel. Au-
tor,

Digitized by Google

TAB.III ad



Digitized by Google

tor, ſe, quo loco de curatione aneuryſmatis, per *faſcias*, cochleæ in modum, ſurſum repentes, dixit, ad quem inventorem hæc medendi ratio referri debeat, addere neglexiſſe. Fuit autem olim a *Bernardino Genga* in *Anat. Chir. dell' oſſa e muſcoli del Corpo umano Lib. II Cap. XXIV pag. 219* edit. Bonon. 1687 propoſita, & ante aliquot annos *Verna*, clarus Regis Sardiniæ Chirurgus, nonnullos hac via ad ſanitatem perduxit, quod Cel. Autor in peculiari ſcriptione *de Faſcia, infirmitatem adjuvante*, nuper declaravit. Eodem tempore etiam Diſſertationem emiſit *de Hydrocele*, in qua multa, olim in his Inſtitutionibus de hoc morbi genere propoſita, correxit, & aliquot curationum exemplis oſtendit, inciſo tumore, inflammatione ſuperveniente, ita utendum eſſe, ut, cataplaſmatis mollientibus impoſitis, pus in ſcroto moveatur. Hæc, quæ Cel. Autori ſub finem libelli addere tum propter feſtinantem typographum, tum propter gravem morbum, non licuit, facile addi poterunt, ubi, quod fortaſſis brevi fiet, hic liber iterum typis exprimetur. Tandem de *Tabulis* adjectis aliqua monenda ſunt. *Prima* continet icones turundæ, quæ Gallis *la meche*, pilæ, quæ ipſis *Pelotte*, glomi majoris, Gallis *le Gateau*, minorum glomerum, Gallis *tampons*, linteoli cæſitii, cujus ora in fila reſoluta eſt, & ſcarificatorii *Woolhuſii* ad extenuanda leucomata & cicatrices corneæ. Horum omnium uſus habetur in §§. 1009, 239, 563, 2, & 571, 639 & 319, 320. *Secunda Tabula* machinam *Senffii* exhibet, pro aneuryſ-
mate comprimendo. Conſtat quatuor ferreis uncis, cum lo- §. 432.
ris, quæ & brachium & cubitum comprehendunt, ut vacillare
machina non poſſit. In *tertia Tabula* occurrit lanceola, cujus 228. 310.
cuſpis incurva eſt; torcular, quod Lipſiæ *Hagemeyerus* 237.
conſtruxit, & acus major, ad aneuryſmatis curationem a *Petito* 438.
inventa. *Quarta* exhibet forcipem, a *Sharpio* delineatam, fer- 562.
ramentum, quod ſcalpello exciſorio, Gallis *couteau lenticulaire*, ſubſtitui poteſt; & ſyringotomum *Senffii*. In *quinta* 954.
Tabula cernuntur duo ferramenta, linguæ frenulo incidendo 607.
apta, quorum alteri ſcalpellus, a latere movendus, affixus eſt;
& ſcalpellus anceps, ampliandis pectoris vulneribus idoneus. 637.
Sexta Tabula, præter inſtrumentum, quo uterque oculus com- 589. 754.

 primi

primi poteſt, figuram machinæ ſiſtit, reponendo humero ac-
§. 1175. commodatæ, perfectioris, quam quæ olim a *Purmanno* adhibita fuit. Longe plura ferramenta addi potuiſſent, a recentioribus reperta, ſed cura habenda fuit, ut a diſcentibus minori ſumtu libellus parari poſſet.

FRID. OTTONIS MENCKENII OBSERvationum Latinæ Linguæ Liber, ad emendandum inprimis & augendum Baſilii Fabri Theſaurum Latinæ Linguæ compoſitus.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchium, 1745, 8 maj.

Alph. 2 plag. 19.

Cum a primis juventutis ſuæ annis ſummo ſtudio & pari diligentia in legendis antiquis Latinæ linguæ Autoribus verſaretur *Menckenius* noſter, multa ille obſervavit, & in commentarios retulit, quæ in vulgaribus Lexicis aut omnino non, aut non ſatis diligenter & accurate, notata eſſent. In ea re autem hanc rationem habuit, ut, quæ in *Fabriano Lexico*, *Geſnerianis* curis & emendato & locupletato, non invenirentur, ea inprimis colligeret, & aliquando ad id opus augendum emendandumque proferret. Talium obſervationum cum magnam copiam haberet, cœpit cum ſeparatim, tum in *Miſcellaneis Novis Lipſienſibus*, quædam earum ſpecimina proponere, ut, ſi ea doctis hominibus probarentur, largiori deinde manu daret. In quo cum eum ſpes non fefelliſſet, inſtituit hoc *Obſervationum Latinarum* volumen edere; ex quo intelligi poteſt, nondum exhauſtam eſſe hanc materiam, ſed, quicunque paulo diligentius in legendis Latinis ſcriptoribus verſari velit, ei magnum, poſt tantam meſſem, ſpicilegium reſtare, quo colligendo utilem operam præſtare Latinæ linguæ ſtudioſis poſſit. Quo magis gratum Lectoribus noſtris nos ſperamus facturos, ſi nonnullis ſpeciminibus proponendis guſtum quendam operis dederimus, adſperſis noſtris, ſi res tulerit, obſervatiunculis. Primum ſuppeditabunt ea, quæ de *collationis* verbo dicta ſunt. Ejus in *Lexico Fabriano* nulla alia, niſi pecuniaria, ſignificatio commemoratur. Noſter autem primo propriam affert, quæ *collectionis & congeſtio-*

Digitized by Google

geſtionis, vim habet, & in eo utitur loco *Ciceronis Tuſc. IV*, *38: Cum Philoſophia ex rationum* collatione *conſtet*; poſt ſignificationem *comparationis*, quæ, ſatis nota, tamen in Lexico illo prætermiſſa eſt; tertio *conceſſionis* e *Cic. in Tog.*; quarto *prælii* e *Cic. Orat. I, 48*; denique eam, quæ Rhetoribus frequentatur maxime. In qua tamen duo diverſa genera pro uno accepit. Alia enim eſt *collatio* ea, quæ a *Cicerone de Inv. I, 30*, dicitur oratio, rem cum re e ſimilitudine conferens; alia altera illa, quæ *ad Herenn. IV, 4*, commemoratur; in qua non res cum re, propter ſimilitudinem, confertur, ſed reus cum aliis, ita, ut oſtendatur, reum ſolum facinus patrare potuiſſe, cauſam patrandi habuiſſe, &c. Neque ſatis videtur nobis intellexiſſe *collationem rationis*, qua bis uſus eſt, modo ad *congeſtionis*, modo ad *comparationis*, notionem illuſtrandam, ut facile appareat, eum in iſto loco ſe non ſatis expedire potuiſſe. Alia autem eſt *collatio rationis*, per quam, e Dialecticæ Stoicæ præceptis, notiones fiunt, *ἀναλογία*, ſeu *proportio*, ut cum e notione hominis, proportione quadam, fit, vel augendo *Gigantis*, vel minuendo, *Pygmæi*, notitia; alia *collatio rationum*, e qua Philoſophia conſtat.

Alterum petemus e voce *contingere*; quo loco maxime illuſtrantur *Cæſaris B. G. I, 38*, verba, quæ ſic proferuntur in Lexico *Fabri*: *Radices montis ripæ fluminis contingunt*, atque explicantur ita, ut *ripæ* dativus caſus dicatur pendere a verbo *contingunt*. *Rob. Stephanus*, propter inſolentiam conſtructionis, addidit in *Theſauro* ſuo: Niſi forte quis contendat, *ripæ* eſſe nominativum, *radices* accuſativum. Noſter autem aliam rationem init. Locus *Cæſaris* integer hic eſt: *Reliquum ſpatium mons continet magna altitudine, ita, ut radices montis ex utraque parte ripæ fluminis contingant.* Ordinem autem verborum hunc facit, *ut radices montis* (*ſe*) *contingant ex utraque parte ripæ fluminis.* Ac primo τῦ *ſe* ellipſin in hoc verbo non inuſitatam Latinis fuiſſe, probat ſane loco *Columellæ R. R. V, 10: Curato, ne inter ſeſe contingant*, comparato cum altero *Plinii H. N. XVII, 10: Ne ſe inter ſe contingant.* Deinde, nihil ineſſe huic explicationi, dicit, quod rei naturæ repugnet, quod ita eſſe, probaſſet lectoribus, ſi ei libuiſſet oſtendere,

dere, quid eſſet, & quomodo intelligi deberet; cum utrius ejusdemque montis radices ſe contingere dicerentur; deinde quomodo fieri poſſet, ut ejusdem montis radices ſe ab utraque ripa contingerent.

Inprimis multa de verbo *efferre* obſervata reperiuntur, *Fabriani Lexici* locupletatoribus vel ignorata, vel neglecta. *Primo* enim docet, non de *ſuperbia* tantum hoc verbum dici, ſed de *quacunque vehementiori animi commotione*, *lætitia*, *voluptate*, *dolore*, *ira*, ceteris; *deinde* habere vim *erigendi*, & in *meliorem ſtatum reſtituendi*, ex loco *Ciceronis Sull. 31: Patriam demerſam extuli*; *tertio dicendi* notionem ei aſſerit exemplis quamplurimis; *quarto*, de *curſoribus* dici, obſervat, eosque *ad finem usque efferri velocitate* ad *Heren. IV, 47*; *quinto* habet ſignificationem *exſerendi* & *proferendi*, inprimisque de agris dicitur, eo ſenſu, quo ſimplex *ferre*, aut *proferre*, a quo deinde variæ metaphoræ ducuntur.

In Voc. *eximo* primo miratur, nil notatum eſſe in Lexico de exquiſita illa ratione, cum uſurpatur de *tempore*, & ſignificat, *temere*, *conſumere*, *impedire*, *ne quid poſſit agi*, *quaſi eripere tempus rebus neceſſariis*; cujus formæ multa exempla afferuntur; in quibus nonnulla ſunt, in quibus interpretationes iſtæ locum habent, quædam autem, in quibus non item: ut in *Liviano XXV, 3, concilio diem eximere*; ex quo, ut quibusdam aliis, apparet, *eximere* in his formulis eſſe *tollere*, *eripere*, *Senatui ac populo, ut nihil decerni juberive poſſit*. Atque ſic *Cicero Leg. III, 19*, pro *eximere* habet *diem tollere*. Diſputatur hoc loco etiam ſuper lectione loci *Ciceroniani* in *Phil. VI, 3*: exhibere *nullam in tali cive liberando ſine ſcelere non poſſumus*. Damnat lectionem *Victorii*, *exhibere*, & unice probat *Manutianam*, *eximere*, qua recepta, etiam vel *ullam* cum *Manutio* legendum, vel τὸ *non* delendum eſt, ut placet *Oliveto*, Viro Clariſſ. Quod autem putat, *exhibere horam* non eſſe Latine dictum, nec intelligi poſſe, in eo non habebit omnes conſentientes. Nam quid impedit, quo minus *exhibere horam* ſit *adhibere*? *Imperium* quidem *exhibere*, pro *adhibere*, ſive, ut *Cicero* & *Livius* interdum loquuntur, *inhibere*, eſt apud *Plautum Caſin. II, 6, 57*. Poteſt etiam videri loquendi hic modus e foro petitus

petitus eſſe, in quo *exhibere* ſæpe dicitur, qui, poſtulante altero, ſiſtit aliquem, ut interrogare teſtimonii dicendi cauſa, torquere, eoque uti ad cauſam ſuam, poſſit. Ita ſenſus loci *Ciceroniani* hic eſſet: nullam omnino horam non poſſumus tribuere ac concedere poſtulanti reipublicæ in tanto cive liberando. Sed poſt diſputationem de illa verbi hujus ſignificatione notantur quædam conſtruendi formæ, prætermiſſæ in Lexico, primò notiſſima illa cum præpoſitione *ex;* deinde cum præpoſitione *in* & caſu quarto e *Liv. XXXI, 29, eximere in* libertatem; porro cum *de* & *a.* Quæ bene ſe habent omnia. Recte etiam reprehenditur Lexicon, cum præcipit, in formula *jubere legem* intelligendum eſſe τὸ *ferri*, quod ſane prorſus repugnat rei ipſi. Sed, an recte Autor noſter τὸ *jubere* interpretetur *ferre*, ſeu *perferre*, (niſi quidem latiori ſenſu hoc *ferre* acceptum velit, deſtitutus nempe alia voce, qua illud *jubere* explicaret lectoribus,) valde dubitamus. Nam τὸ *ferre* ac *perferre* ſemper eſt magiſtratus, qui legem rogat, populo proponit, ſuadet, &c. *jubere* autem ſemper populi, legem accipientis. *Jubere* autem populus *legem* dicitur, quod magiſtratus hoc formula utitur: *rogo vos, velitis jubeatis,* &c. Cum igitur populus in ſuffragiis reſpondet: *uti rogas*, dicitur rogationem, ſive legem, juſſiſſe. Unum addemus de verbo *reſpondere.* Hujus igitur verbi prætermiſſam in Lexico affert ſignificationem primum hanc, quæ proprie de debitore dicitur, cum ſolvit juſto tempore; unde ad alia eleganter transfertur; cujus generis exempla collegit *Gronovius* in Obſervationibus. Sequitur notio forenſis, cum *reſpondere* dicuntur, qui præſto ſunt: quam multis exemplis declarat, eamque, probabili conjectura, exiſtimat e delectu militari petitam, in quo *citari juventus*, & *ad nomina reſpondere*, dicitur, ut notum eſt e *Livio.* Sed diſſentit in hoc a *Clavis Ciceronianæ* Autore, quod ille, cum in rebus forenſibus *reus citari & reſpondere* dicitur, exiſtimat, non id hanc vim habere, ut *citare* ſit *edicere, ut adſit aliquis*, & *reſpondere*, deinde *venire in judicium*, quod Noſtro placet, ſed tantum hanc, ut in ipſo judicio præco nomine citet, vel vocet, reum, reus autem ad nomen reſpondeat, ſeque adeſſe declaret. Illum quidem pro ſe ſuáque ſententia dicturum putamus hæc: *Citare* fieri ſemper viva voce per præconem, nunquam edicto; per præ-

conem autem vocatos interdum ſenatores in ſenatum, nunquam reos in judicium; ſi *citare* & *reſpondere* e delectu militari ducta ſint, id ipſum pro ſe eſſe: nam juventutem citari, non ut adſit; id fieri per edictum; ſed die per edictum conſtituta a præcone citari, ut intelligatur, ex edicto an adſit, qui debebat; remque adeo pluribus locis manifeſtam eſſe: v. c. *Liv. XXV, 4: Si Poſtumius ante Cal. Majas non prodiſſet, citatusque eo die non reſpondiſſet, neque excuſatus eſſet*, &c. In quo loco primum eſt *prodiſſet*, id eſt, præſto fuiſſet in judicio; ſequitur *citatio* ſolennis per præconem ipſo die judicii & in judicio. Sic apud *Cic. Verr. I, 1: Præſto* eſt: (citatus) *reſpondet: defenditur.* Clariſſimus eſt locus *Verr. II, 37, 38.* Ibi *Verres Sthenium reum paratum ad cauſam dicendam venire hora nona jubet. Verres* hora illa præſto eſt ad cauſam cognoſcendam; quid ergo fit? *Sthenium* citari *jubet: quem poſtquam videt non adeſſe*; quia non reſpondet, &c. Idem repetitur *Cap. 40: Citat reum, non reſpondet* (ſcil. Sthenius); *citat accuſatorem; citatus accuſator M. Pacilius, neſcio quo caſu, non reſpondit, non affuit.*

ELOGE DE M. LE CARDINAL DE POLIGNAC, &c.

hoc eſt,

ELOGIUM POLINACII, PATRIS PURPURATI, lectum publice in congregatione publica Academiæ Regiæ Scientiarum die 4 Aprilis A. 1742.

Pariſiis, 1742, 12 maj.

Plag. $2\frac{1}{4}$.

Inter cauſas, cur publicatum ſit hoc Viri magni Elogium, refert *Remairanus*, Academiæ Regiæ Scientiarum a ſecretis, atque Elogii Autor, diverſum, quo exceptum ab auditoribus fuerit, judicium, quorum pars imperfectionum Herois ſui commemorationes, pars nimias laudes, vituperavit. Noſter autem illinc ſinceram fidem ſuam confirmat, hinc vero ſumit occaſionem indicandi, quorum autoritate fulciatur. Eminent hic, præter commentarios, tam evulgatos, quam manu ſcriptos, eosdemque ſupra omne dubium evectos, & examinationem ſcripti ſui a ſummo quodam, inque miniſterio tunc verſato, viro factam, ad vitam publicam quod attinet, ad vitam privatam quod ſpectat, ipſe Pater ille purpuratus, cujus Noſter ex ore hauſit, *Blondius*, Abbas venerabilis, qui ultra

ſati-

triginta annos cum defuncto vixerat, *Livoncurtius*, ejusdem per duodecim annos miniſter nobilis, cui præcipue debet, atque alii. Iſtis auxiliis fultus nobiliſſimus ac doctiſſimus *Remairanus*, non potuit non dignum aliquid afferre, quod & a nobis excerpatur. *Melchior* itaque *de Polignac*, Pater purpuratus, cœtus Romani Sacerdos titulo S. *Mariæ* angelorum, antiquæ Corbejæ, Aquiscincti, Boniportus, Moſomi, & Begardiæ, Abbas, primarius antiſtes Auchenſis, Novempopulaniæ Primas, Ordinumque regiorum præfectus, natus eſt in urbe Podio, quæ eſt caput regionis Vellanorum in Occitania, d. 11 Octobris A. 1741. Secundus erat filiorum *Ludovici Armandi* Vicecomitis *de Polignac*, Marchionis *de Chalençon*, gubernatoris dictæ urbis, Ordinumque Regiorum Equitis. Matri, quæ tertia patris conjux erat, nomen fuit *Jacobinæ de Beauvoir Grimoard de Roure*. Literis operam navavit Lutetiæ Pariſiorum, ſeque *Carteſianæ* præſertim Philoſophiæ, nondum tunc in ſcholis receptæ, addixit. *Builloniuſ*, Pater purpuratus, Romam illum duxit A. 1689 poſt *Innocentii XI* mortem. Is non ſolum in conclave eum recepit, cum *Alexander VIII* Pontifex Maximus eligeretur, ſed etiam componendis litibus inter Galliam ſedemque Romanam, quod in negotiis datum erat *Builloniò*, adhibuit. In Galliam redux, quadriennio poſt mittebatur Legatus Regius ad *Joannem Sobieski*, Regem Polonorum, quo A. 1696, Junio menſe, defuncto, in Gallicum Principem aliquem coronam devolvere laborabat, ſed ita, ut optatum ad finem pertingere non valeret. Depulſus ab hoc inſtituto, ut Princeps *de Conti*, cujus a partibus ſteterat, cedere regno cogebatur, atque aliquod tempus in Pomerania citeriore vivebat; triennio ante Seculum noſtrum omnibus ſupellectilibus a Gedanenſibus privatus, in Galliam rediit, ubi & præterea Bonum portum, cujus Abbas erat, relegabatur. Hoc in ſeceſſu *Anti-Lucretium*, celebre Poema, nondum typis exſcriptum, compoſuit, eodemque doctrinæ naturalis, κοσμογραφίας, Hiſtoriæ naturalis, primaria capita non ſine ſapientiſſimo ſelectu incluſit; pariterque ſpiritum poeticum, ſublimitatem illuſtrem, elegantiam incomparabilem, feliciſſime conjunxit. Inde revocatus in aulam fuit anno Seculi præſentis ſecundo, cumque *Tremoillius* anno ſexto purpuram accepiſſet a Pontifice, Noſter auditor rotæ in locum illius conſtituebatur a Rege. Graviſſimo illo munere apud Romanos per

 aliquod

Digitized by Google

aliquod temporis ſpatium functus, adhuc gravioribus deſtinabatur a Rege, poteſtateque conceſſa in Galliam redeundi, ut rem privatam admodum collapſam inſtauraret, anno decimo ad Belgas cum plena poteſtate ſimul mittebatur, ad bellum, quoad fieri poſſet, componendum, quanquam iterum ſucceſſu minus proſpero. Inde ſub initium anni duodecimi fuit inter illos, qui Ultrajectum eundem in finem cum plena poteſtate mittebantur, ſimulque *Jacobo III*, illi infortunato coronæ Britannicæ candidato, cujus ſuffragio Pater purpuratus crearetur, commendabatur. Creatus igitur fuit d. 18 Maji A. 1712, ſed in ſcrinio pectoris Pontificii ſervatus uſque ad d. 30 Januarii ſequentis anni. Poſt mortem *Ludovici XIV*, A. 1718 die 28 Decembris iterum Aquiscinctum, ubi Abbas erat, relegabatur, ſed & hinc revocabatur ſub finem anni 1721. Poſt obitum *Innocentii XIII*, *Benedicti XIII* electioni adfuit, perque octo annos Romæ manſit ad res Galliæ curandas. Denique A. 1732 in Galliam rediit, novisque in dies honoribus ex merito ornatus fuit Sed hic plurima ſpectant ad ſtatum Galliæ publicum. Nos, cum in actis eruditorum eruendis verſemur, literarias præſertim magni Viri illius occupationes vel momento luſtrare debemus. Eo ſpectant, præter eximium, quod jam laudavimus, Poema didacticum Latinum, inſignia in Academiam præſertim Gallicam, cui adſcriptus erat digniſſime, merita. Accedunt plurima alia ſcripta poetica, philoſophica, oratoria, epiſtolica, quæ vero non enarranda duxit Noſter, collectionem ſaltem antiquitatum, quibus palatium ornarat ſuum, laudatu digniſſimam, laudans. Et potuit ſane plurima cum eruditis communicare, colligere plurima, tam eruditus literarum Mecænas, qui vegetus ſenex, annum ætatis octogeſimum attigit. Nec vero in illo vitia inveniebantur, eruditos non paucos alioquin comitata. Quin potius converſatio ipſius erat dulcis æque ac utilis, quæque humanitatem cum dignitate eleganter admodum miſceret. Eloquentia erat felix, vox ſuavis, puriſſima pronuntiatio ac lingua, inprimis autem non ſolum philoſopha ſententia, ſed & vita.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, ad incrementum Scientiarum ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata. Edendi conſilium ſuſcepit, ſua nonnulla addi-

Digitized by Google

addidit, Præfationem præmiſit, FRIDER. OTTO MENCKENIUS, Phil. & Jur. Utr. Doctor, Pot. Pol. Regis & Elect. Sax. Conſiliarius aulæ, urbis patriæ Senator, Societ. Scient. Reg. Boruſſ. Sodalis.

Voluminis IV Pars I.

Lipſiæ, in officina Hæredum Lanckiſianorum, 1745, 8.
Plag. 12½.

In inſtituto prædicabili curſum perſequuntur ſtrenue ii, qui incremento ſcientiarum atque literarum favent, noviſque ſodalibus aucti ſunt. Scenam aperit *Joannes Chriſtophorus Harenbergius*, a Duce Sereniſſimo Brunſuico-Luneburgenſi renuntiatus Præpoſitus Cœnobii S. Laurentii ad Scheningam, exhibens *Diſſertationem de Ebræis, ad quos Paulus eam, qua in N. T. extat, dedit Epiſtolam.* Perſuaſerat ſibi *Joannes Braunius* in *Selectis ſacris*, Ebræos hoſce Hieroſolymis fuiſſe comprehenſos. In Commentario ad Epiſtolam, Ebræis inſcriptam, mutaverat ſententiam, ratus, univerſos deſignari Judæos. *Harenbergius* in *Indiciis literariis Brunſuicenſibus* ineunte anno 1745 ſubſtituerat hiſce Judæis ſolos illos, qui Hieroſolymis ac in Judæa procuratoria morati ſunt olim, Judæos, ſeu Ebræos. Paulo poſt M. *Ritterus*, Wolferbuttelanus, in arenam indidem provolavit, *Braunianam* opinionem poſteriorem jumentis ſuis revocaturus. Denuo igitur *Harenbergius* ſuam enuntiat ſententiam, eamque novis ac copioſis munit argumentis. Præmittit requiſita interpretationis ac expoſitionis ex Epiſtola *Pauli*, ad Ebræos data, undique conquiſita. Cum eis comparat opinionem *Braunianam* poſteriorem, eamque illis minus ſatisfacere oſtendit. *Ludovicus Capellus* deſignari crediderat ſolos Hieroſolymæ incolas. Hiſce adjungit Noſter incolas Judææ procuratoriæ. Pertinet ejus tractatio ad eorum uſus, qui Epiſtolam ad Ebræos ſcriptam penitus introſpicere, ac ex proximis Autoris rationibus atque invitamentis ſcribendi explicare aggrediuntur. Excipit illam Diſſertationem *Diſſertatio Petri Zornii de Reſurrectione Jeſu Chriſti, ex Pſalmo XVI, 9, 10, & probata, & vindicata. Vox* נֶפֶשׁ denotat ſubſtantiam animatam. *Anima mea* & *ego* Ebræis tantundem denotant. Preſſius נפש deſignat, judice hoc, *cadaver Num. XIX, 11, 13.* Suffragatur ei *Pearſonius* in *Expoſitione*

Pag. 2.

36.

tione Symboli Apoſtolici pag. 411. Hoc autem loco anima, apud in-
Pag. 38. feros ſubſiſtens, corpori opponitur. Corruptionem corporis
42. haud vidit Jeſus. Succedit M. *Joannis Michaelis Diſſertatio,*
ex notione Principis ac Domini, Romanis uſitata, quædam com-
mata Biblica illuſtrans. Præſides Reipublicæ a Romanis vocati
ſunt olim *Principes* ac *Domini.* Regis nomen ipſis poſt Reges
ejectos erat odioſum. *Caligula*, ſibi nomen *regium* aſſerturus,
pro monſtro fuit reputatus. *Principes ſenatus* ſunt dicti, qui
primi ſententias rogabantur. Principes a Regibus fuerunt ſe-
creti. Poſthæc Cl. Vir illuſtrat locum *Marc. X, 42.* Τοὺς δο-
κοῦντας ἄρχειν habet pro eis, qui ſpecie tenus rempublicam
moderantur, & Regis Dominique titulo abſtinent, re vera ta-
47. men erant inter Romanos imperioſi & crudeles. Notat Serva-
tor rectores, non populi, ſed gentium, Romanos primariosque
ſenatores. *Tiberius* ex horum ore pendebat, teſte *Suetonio in*
Tiberio Cap. 24, 27, 28, 29, 30, 31 ſeq. Κατακυριεύειν eſt *acerbe exer-*
cere dominia. Populus Romanus vocatur appoſite *Dan. IX, 26, po-*
53. *pulus principis.* *Auguſtus* ſi inter cives verſaretur, vocabatur
Princeps; ſi inter milites erat, appellabatur *Imperator.* Jeſus
vocatur *Apoc. I, 5,* ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς, reſpiciens
ad Auguſtos, qui *Principes* ſunt dicti. Cæſares vocantur ἀρ-
χαὶ, præſides provinciarum ἐξουσίαι *Tit. III, 1.* Conf. *Eph.*
I, 21, Col. I, 15. Imperator Romanus vocatur Βασιλεὺς, *1 Pet.*
II, 17, Jo. XIX, 15, ob nomen illud Græcis honorificum. Per-
56. gere juvat ad *Pauli Erneſti Jablonski de Alexandro Severo Imp.*
Romano, Chriſtianorum ſacris per Gnoſticos initiato, Ex-
ercitationem. Fautorem fuiſſe *Severum* religionis Chri-
ſtianæ, autor eſt *Ælius Lampridius Cap. 22.* De *Valeriano*
id affirmavit *Euſebius H. E. VII, 10.* *Alexander* Chriſtianis per-
miſit ædes habere, cultui ſuo peragendo dicatas, & vulgo notas.
62. Ante hanc ætatem Chriſtiani templis caruere. At quibusnam
argumentis Noſter ſeſe commoveri paſſus eſt, ut, *Alexandrum*
a Gnoſticis religioni Chriſtianæ initiatum eſſe, ſibi perſuaderet?
Monet ipſe ex *Lampridii* teſtimonio, *Alexandrum*, Chriſti, ut
Dei, cultui deditum, imaginem hujus in larario ſuo collocaſſe.
Chriſtiani Catholici certe ea ætate nullas habebant imagines.
66. Gnoſtici autem eas conſueverant in deliciis habere, teſte *Ire-*
næo I, 24, §. 6, immo Carpocratiani, teſte *Epiphanio* in *Hæreſi*

27 §. 6.

Digitized by Google

27 §. 6. Conjunxit *Severus* imaginem Chriſti cum imaginibus *Abrahami*, *Apollonii*, & *Orphei*. Gnoſticorum ita mos ferebat, *Irenæo* teſte *I*, *25*, §. *6*. Potiſſimum tamen Cel. Au- Pag. 68.
toris argumentum eſt illud, quod gemma elegans theſauri *Wildiani* ſuppeditat. In hac enim totum hujus rei myſterium aperitur. Apparet in ea monogramma Chriſti, eique addita litera A & Ω, nec non inſcriptio: SAL DON ALEX FIL MA LUCE, id eſt, *Salus donata Alexandro filio Mamææ*, *Luce*
os ☧ *ωs*, id eſt, Chriſti. Alpha illud & Omega, monogrammati 79.
additum, indicio eſt, *Severum* Chriſtianæ religioni fuiſſe initiatum. Nam eo ipſo Chriſtum coluit, qua primum & ultimum, ob *Apoc. I*, *8*, *11*, *XXI*, *6*, *XXII*, *13*. Veteres Chriſtiani jam omnino ante *Severum* gemmis, quæ ſignatæ erant ſigno piſcis, vel columbæ, utebantur. Gnoſticorum dies erat ſolenniſſima illa 6 73.
Jan. Et hanc in gemma Cel. Autor *lucem Chriſti*, ſcil. natalem, dictam fuiſſe exiſtimat. Elidit tandem ipſe objectiones, quæ 81.
profeſſionem Chriſtianam *Severi* labefactare videntur. Et libet ingenue fateri, hanc Diſſertationem diligentiſſime ſolideque eſſe elaboratam. Dolemus ſaltem, egregio huic & prorſus amabili Viro, per invidiam & malum in nos animum hominum quorundam, qui ore religionem profitentur, re ipſa autem a virtutibus Chriſti alieniſſimi ſunt, nec aliam habent, odio nos proſequendi, cauſam, quam quod in re levi olim experti ſunt diſſenſum noſtrum, non licere, etſi lubenter ipſe vellet, pluribus hæc *Miſcellanea* ingenii & doctrinæ ſuæ monumentis exornare. Excipit hanc Diſſertatationem *J. C. S. Explanatio Epigrammatum* 94.
quorundam Græcorum, *a Jo. Jenſio* (A. 1742 Roterodami) *pro ἀνεκδότοις editorum*. *Jenſius* ediderat Epigrammata nonnulla Græca, a verſione Latina notisque pæne nudá, ac propter verborum quorundam corruptionem horridula, quæ Cel. Vir hic, ope divina & artis criticæ ſubſidio fretus, debitæ reſtituit integritati, tum demum in Latinum convertit, & annotatione ſuccincta illuſtrat. Mythologiam veterum ſacram fuiſſe phyſiologiam, ac primis mortalibus vacationem & otii perpetuitatem temere affingi, monet Cel. Autor, quem eſſe *Joan-* 79.
nem Conradum Schwartzium, Collegam noſtrum honoratiſſimum, nemo non intelligit. Antiquitatis notitiam, ac linguæ Græcæ in-

timos

timos receſſus omnia hic ſpirant. Ejusdem generis elegantiam fundunt *Ezechielis Spanhemii Animadverſiones ad Eduardi*
Pag. 138. *Herberti de Cherbury librum de Religione gentilium*, nunc primum editæ. Lector eas debet *Jo. Ludovico Uhlio*, clariſſimo Jurium in Academia Viadrina Doctori, cum hoc a Perilluſtri *Jordano*, nuper ex hac vita evocato, communicatas. Animadverſiones hæ pæne omnes ſunt e numis depromtæ, quorum in *Spanhemio* divina quædam erat intelligentia. Poſt has in lucem pro-
162. dit *Frid. Ottonis Menckenii Symbola critica ad Livii Lib. XXVII Cap. 8, & Lib. XLII Cap. 32.* Integritatem verborum talium *Livii*, in quibus maculam ineſſe, *Jo. Frid. Gronovius* ac *Arn. Drakenborgius* haudquaquam dubitarunt, tuetur ipſe, qui plura ejusmodi ſpecimina jam lance ſatura dedit. In priori loco lector adhæret, veluti ſcopulo, verbis illis: *Tribuni appellati ad ſenatum re-*
165. *jecerunt.* Redeunt illa *Lib. XLII, 32* ac *33*. *Rem ad aliquem rejicere* formula loquendi eſt, *Livio* admodum familiaris. At pax ſit rebus. *Cicero* etiam dixit abſolute, *ad Pontifices rejicietur*, in *Or. de Haruſp. reſponſis Cap. 7.* Dixit idem *Romam rejicias*, citra verbum additum, *Lib. III in Verrem Cap. 60.* Dicitur itaque Latine *rejicere* pro *rem*, vel *homines, rejicere.* Retrahenda eſt itaque a *Livio* omnis emendandi in loco utroque cura. Tandem ſubjiciuntur *Gisberti Cuperi ad Theodorum Janſſonium ab Almeloveen*
170. *Epiſtolæ, tertium continuatæ. Epiſtola*, primo quæ apparet loco, eſt numero *XVIII*, in exponendis antiquitatibus Faſtorum Con-
178. ſularium ac rei numariæ occupata. Succedit ei *Epiſtola XIX*, in qua de Faſtis Conſularibus bene mereri pergit. Excitat *Almeloveenium*, ne vitam *Iſ. Caſauboni*, elaborari cœptam, de manibus deponat. *Furium Placidianum* ſubſtituendum eſſe *Furio Placido* apud *Vopiſcum Cap. 16 Aureliani*, annuit. *Vopiſcum*, qui *Aureliani* vitam ſcripſit, oſtendit, eſſe *Juniorem*, & ob *Cap. 44*, ſub *Conſtantio*
180. *Chloro* vitam *Aureliani* concinnaſſe, definit. *Chlorus* obiit A. 306; *Diocletianus* imperio ſeſe abdicavit A. 304. Illo medio tempore vitam *Aureliani* conſcriptam eſſe, pronuntiat. *Tiberianus*, urbis præfectus, hunc *Vopiſcum*, ut *Aureliani* vitam ſcriberet, impulit, teſte *Cap. 1. Tiberianus* vero fuit urbi præfectus A. 291, & iterum A. 303, ut ex Anonymo, quem *Almeloveenius* publicavit, patet. Omittimus reliqua, ne Lectori ſimus impedimento, quo minus ipſe arcem cauſæ invadat, & ad fontes progrediatur ſalutandos.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCXLVI.

SCULTURE E PITTURE SAGRE ESTRATTE DAI Cimiteri di Roma, &c.

hoc eſt,

SCULPTURÆ ET PICTURÆ SACRÆ, EX Cœmeteriis Romanis extractæ, publicatæ jam ab Autoribus Romæ ſubterraneæ, nunc iterum cum explicationibus in lucem datæ, juſſu CLEMENTIS XII, Pont. Max.

Tomus I.

Romæ, ex typographia Vaticana, apud Joannem Mariam Salvioni, 1737, fol. maj.

Alph. 1 plag. 5, cum Tab. æn. 48.

Quod de cloaca illa maxima, receptaculo omnium purgamentorum urbis, opere ſubterraneo, *Tarquinii Superbi* autoritate conſtructo, *Livius* tradit, *ei vix novam magnificentiam quidquam adæquare potuiſſe;* illud de Cœmeteriis, qui Romæ ſub terra hodie deprehenduntur, veriſſime dici poteſt. Non enim ſine ſumma admiratione quiſpiam videat, novam veluti urbem, ipſa Roma non valde minorem, ſub terra conditam, plateis, cameris, templis, atque capellis, exornatam, inque tot areas, innumeris ſepulcris, inſcriptionibus, atque picturis, inſignes, diſtributam. Hæc igitur tanti laboris atque artis opera non ſolum ſingulos, quibus ea oculis uſurpare contigit, in admirationem rapiunt, verum etiam eruditos veterum mo-

Digitized by Google

numentorum illuſtratores, quibus Roma valde abundat, ad res in illis obvias doctis commentariis edifferendas impulerunt. Primus talem laborem in ſe ſuſcepit *Onuphrius Panvinius*, vir de antiquitatibus Romanis immortaliter promeritus, in libro *de ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos, & de eorundem Cœmeteriis.* Quo tamen in opere nihil niſi ritus ſepulturæ, quæ in illis Cœmeteriis fieri aſſolebant, recenſet, & inſignem eorum catalogum contexit, deque aliis quibusdam ejusmodi locis, quæ extra Romam deprehenduntur, quamvis breviſſime, diſputat. Poſt eum, *Antonius Boſius*, natione Maltenſis, Jurium Doctor, & curiæ Romanæ Advocatus, omnem vitam in indagandis hiſce Cœmeteriis contrivit; unde præſtantiſſimum ejusdem librum, cui *Romæ ſubterraneæ* inſcriptio eſt, enatum ſcimus. Quanto præditus fuerit ingenio atque eruditione *Boſius*, quantam laudem ejus conatus mereantur, *Joannes Victor Roſcius*, ſub ficto *Jani Nicii Erythræi* nomine, in *Pinacotheca T. I n. 29* omnium optime docuit. Quamvis autem morte præventus *Boſius*, librum, quem prelo paraverat, edere non poſſet; poſt Autoris tamen fata, *Joanne Severano*, Congregationis Oratorii Romani Presbytero, curante, A. 1632 ſplendidiſſime eſt excuſus. Addidit ei *Severanus* ultimum librum, in quo potiſſimum figuras monumentorum illorum, æri inciſas, explicare annifus eſt. Recudendum poſtea librum, omiſſis tamen plurimis figuris, in forma, quam vulgo quartam vocant, A. 1650 curavit *Ludovicus Grignanius*. *Paulus Aringhius* poſtea, Oratorii Romani Sacerdos, opus hoc latinitate donavit (Etruſco enim idiomate uſus erat *Boſius*,) inque *duos Tomos* diviſum, Romæ A. 1651 prelo ſubjecit. Cumque ab eruditis ſummo applauſu exciperetur, neque vero ab omnibus propter ſplendorem & raritatem comparari poſſet; ſucceſſu temporis in linguam Germanicam transfuſum, inque compendium redactum, Arnhemiæ A. 1668 in forma minima eſt editum; Tabulis etiam æneis, in forma tamen minore, adjectis, A. 1671 Latine typis repetitum. Major autem illa editio *Aringhiana*, ob ſingulare, quod libro ſtatuebatur, pretium, Pariſiis A. 1659 in *duobus Voluminibus* in folio recuſa eſt. Cum vero

adeo

adeo frequenti typorum repetitione Tabulæ æneæ, quibus figuræ inſculptæ erant, admodum eſſent corruptæ; *Clemens XII*, Pont. Max. pro inſigni, quo erga bonas literas pariter ac illa monumenta ferebatur, ſtudio, ſubterranea hæc antiquitatis cimelia denuo cum eruditis communicari, editis eorundem explicationibus, præcepit. Cumque in *Boſiano* opere multa aut ſuperflua, aut ab aliis Autoribus poſtmodum fuſius & curatius explicata, deprehenderentur; ea hic omnia reſcindenda & prætereunda eſſe, Pontifex Maximus voluit, ita, ut nihil niſi figurarum, quæ æri inciſæ comparent, explicationes proponerentur. Hanc ergo rationem cum iniiſſet literatiſſimus Operis hujus Autor, cui tamen nomen reticere placuit, occaſione priorum Tabularum, quo, nihil præter Cœmeteriorum areas exhibent, in genere de illis locis ſubterraneis præfatur. Compellationes eorum primo loco adducit, & explicat. Dictæ nimirum ſunt *areæ*, ſeu *areæ ſepulturarum*, *cryptæ*, *arenaria*, ſive *arenariæ cryptæ*, aut ſimpliciter *ad arenas*, nec non *concilia Martyrum*. Nunquam tamen veteribus *catacumbæ* audiunt, uti quibusdam eruditis eſt viſum, quos eo nomine Cl. Autor reprehendit. Nomen certe *catacumbarum* quarto Seculo non antiquius eſſe, ſtatuit, &, loca ſubterranea, infra templum S. *Sebaſtiani* juxta Cœmeteria viæ Ardeatinæ poſita, denotaſſe, declarat. Confutat idcirco *Carolum du Freſne*, qui, hanc vocem explicaturus, Cœmeteria publica tertio ab urbe milliari ita dicta fuiſſe, exiſtimavit. Cœmeteria etenim publica non ſolum tertio ab urbe milliari fuiſſe, verum ſub ipſis Romæ pomœriis cœpiſſe, & uſque ad trium milliarium ſpatia et S. *Sebaſtiani* templum protenſa fuiſſe, monet. Adhæſiſſe his Cœmeteriis catacumbarum appellationem ſaltem uſque ad decimum tertium a nativitate Chriſti Seculum, ex loco *Anonymi de mirabilibus Romæ*, quem doctiſſimus Autor appoſuit, intelligitur. Nonnullos vocem illam *catacumbas*, ita, ut locum juxta ſepulcra denotet, ſcribere, obſervat. Hoc inter alios *Cæſar Baronius* fecit, qui tamen eo nomine a *Joanne Bona*, quem *Mabillonius* ſecutus eſt, reprehenditur. Cl. Autor horum duumvirorum ſententiæ accedit, eam potiſſimum ob cauſam, quod *cumba* locum ſubterraneum Pag. 2.

Digitized by Google

atque concavum denotet, prout *Cangius* in Gloſſario notavit. *Jacobus Baſnagius* & *Wilhelmus Burnetus*, *Gronovium* ſecuti, Cœmeteria hæc nihil diſcrepaſſe, ſtatuerunt, a publicis illis locis, quæ Latini *puticulos*, ſive etiam *culinas*, dixerunt, in quæ videlicet pauperum demortuorum corpora ſubinde projiciebantur. Cum vero exinde collegerint, corpora, in catacumbis ſepulta, gentilium eſſe, ſaltem Chriſtianis ea eſſe permixta, injuria hæc opinio in eccleſiam catholicam Cl. Autori videtur. Qui adeo, eam confutaturus, *puticulos* non niſi ante portam Eſquilinam fuiſſe, cum contra Cœmeteria per omnes Romani agri fines protenderentur, ex *Varrone* & *Feſto* conſtare, dictitat. Inſuper, veteres mortuorum ſepeliendorum cadavera prius in cineres redegiſſe, quod apud Chriſtianos ſecus erat, demonſtrare annititur.

Pag. 4. *Mabillonius* quidem aliter hac de re ſentit *Muſei Italici Tom. I P. I pag. 75*, & *Sylla* cadaver omnium primum Romæ flammis eſſe traditum, ſtatuit; quod tamen falſum eſſe, & *Syllam* duntaxat ex *Corneliorum* familia primum eſſe crematum, ex *Ciceronis* &

5. *Plinii* locis Cl. Autor oſtendit. Certe, ritum, cadavera flammis tradendi, longe antiquiſſimum fuiſſe, ex duodecim Tabularum legibus, multisque veterum locis, comprobat. Duraſſe illam conſuetudinem uſque ad *Theodoſii* junioris tempora, ſtatuit, &, exinde ſatis certo effici, contendit, gentilium & Chriſtianorum

7. corpora non promiſcue Cœmeteriis fuiſſe illata. Quibus, & aliis, argumentis hanc in rem prolatis, ea, quæ *Mabillonius* in Epiſtola, quam ſub ficto *Euſebii Romani* nomine ad *Theophilum Gallum* ſcripſit, hac de materia diſputat, non ſine utilitate quispiam addiderit. Quod ad horum Cœmeteriorum opifices attinet, primi, qui ea ædificare cœperunt, Cl. Autori antiquiſſimi Romanorum fuiſſe videntur, materiam, qua in ædificiis exſtruendis utimur, extracturi. Illi enim, ne ſuperficiem telluris corrumperent & fœdarent, tanto ordine terram excavarunt, ut neque laborantibus ibi aditus præcluderetur, neque, ſolo excavato, inter laborandum terra obruerentur, quam etiam ob cauſam in plateas & vias hæc Cœmeteria videntur eſſe

8. diſtributa. Eandem ob rationem curarunt, ut exitus illarum ſpecuum ſemper vicinus eſſet, unde non recta via ſpecus iſtæ

proce-

Digitized by Google

procedunt, ſed ubique anfractus habent, labyrinthum quaſi exhibentes, uti ex primis decem æneis Tabulis, a Cl. Autore appoſitis, poteſt intelligi. Quando etiam terræ foſſores cognoſcebant, ſe longius a ſpecus ingreſſu abeſſe, in ſuperficie telluris foramen fodiebant, ut ejus auxilio per machinas nonnullas materiem, ibi inventam, eo facilius extraherent. Hæcce foramina nihil differre a *luminaribus cryptæ*, quorum mentio in Actis quorundam Sanctorum injicitur, Cl. Autor cenſet. Talia tamen Pag. 9.
foramina ad lucem ſpecubus, inferendam facta eſſe, uti nonnulli, & inter hos *Prudentius*, crediḍiſſe videntur, varias ob cauſas dubitat. Hodie ea maximam partem iterum impleta & occluſa eſſe, ne homines & beſtiæ in illa loca incautæ præcipitentur, monet, pauca tamen in confiniis Romæ adhuc deprehendi, obſervans. Hiſce foraminibus Chriſtianos, quando perſecutionum tempore per illas ſpecus ſubterraneas orationum cauſa coibant, lucernas nonnunquam appendiſſe, (claudi enim pro lubitu poterant,) docet. Hinc etiam, varias veterum Chriſtianorum lucernas, catenis alligatas, in muſeis eruditorum deprehendi, monet. In nonnullis Cœmeteriis, ſupra loca, ubi Chriſtiani convenire precum cauſa ſunt ſoliti, foramina quædam fuiſſe, per quæ ſolis radii penetrare, & ea loca illuſtrare, potuerint, concedit quidem; ea tamen rariſſima fuiſſe, & non a Chriſtianis, ſed jam a gentilibus, materiem ædificiorum hoc pacto eo commodius extracturis, facta, contendit, cum præſertim eorum mentio jam in locis Autorum veterum, quos ipſe appoſuit, injiciatur. Certo tamen modo ſpecus 11.
illas a Chriſtianis conſtructas dici poſſe, concedit. Excavata enim loca, quæ in lateribus platearum, nec non pavimentis capellarum, deprehenduntur ad cadavera mortuorum eo collocanda, Chriſtianos agnoſcere opifices, exiſtimat. Inde enim eſſe, uti nonnulla eorum terra repleta ſint, cum Chriſtiani paganorum metu terram efferre non auderent, ſed eam locis, cadaveribus jam repletis, injicerent. Dicebantur hæc loca excavata *loculi*, vel, ſi tria, aut quatuor, corpora in uno eorum condita erant, *biſoma*, *triſoma*, aut *quatriſoma*. Hoc mortuos ſepeliendi modo Chriſtianos effeciſſe, ut cadave-

 rum

Digitized by Google

rum ſepultorum odor hæc in loca pervenientibus nec incom-
Pag. 12. modus, nec noxius, evaderet, credit, atque ex eo capite *Burneti* ſententiam confutat, qui, vivos ibi convenire potuiſſe, negavit, quod cadaverum fœtor omnes, eo acceſſuros, repulerit. Sed & alia, utque nobis videtur, commodiori ratione ad *Burneti* objectionem reſpondet, quando, Cœmeteria illa adeo magna, ſpatioſa, & invicem longe ſatis diſtantibus locis conſtituta, fuiſſe, dictitat, ut Chriſtiani facile locum a cadaveribus longe remotum conventibus ſuis præſtituere potuerint. Inſuper, loca illa, de quibus diximus, vere a Chriſtianis exſtructa fuiſſe, ex eo intelligitur, quod in tegulis marmoreis, quibus tecta ſunt, inſcriptiones Chriſtianæ leguntur, & picturæ ſacræ in vitro muris inhærentes viſuntur. A Sanctis Martyribus nonnulla horum locorum fuiſſe conſtructa, ex hoc etiam pro-
13. bari poſſe, Cl. Autor ſtatuit, quod multi Chriſtianorum pœnæ loco ad arenas fodiendas fuerint a paganis damnati, id quod, adductis variis veterum locis, oſtendit. Addit huic argumento aliud. In cameris nimirum, quæ ibi deprehenduntur, picturæ ſunt, certiſſime a Chriſtianis confectæ, uti v. c. ſunt ſedilia, in morem cathedrarum Epiſcopalium excavata, qualia bene multa in tabulis æneis exhibenda Cl. Autor curavit. Nonnullas ex ſubterraneis plateis Chriſtianos amplificaſſe, quia fortaſſis majori ſpatio illis opus erat, reliquis plateis per cadavera jam repletis, aſſeverat. Immo, nonnulla ex minoribus Cœmeteriis a Chriſtianis integra fuiſſe ædificata dictitat. Utque huic ſententiæ fidem apud lectores conciliaret, ad nonnulla Cœmeteriorum monumenta *Tab. 99* & *161* æri inciſa, quæ fortaſſis aliquando cum eruditis communicabit, provocat. In illis videlicet, ut & quamplurimis aliis, homines, terram raſtris fodientes, & canonibus architectonicis inſtructi, tanquam capellis, aut plateis, ædificandis modum præſcribentes, viſuntur. Has vero operarum ſpecies a Chriſtianis eſſe confectas, & ipſos operas Chriſtianos fuiſſe, pro certo habet. Non enim veriſimile ipſi videtur, Chriſtianos, ſi ſoli gentiles hiſce Cœmeteriis operam ſuam addixiſſent, tales picturas in ſacris locis inter hiſtorias ſacras collocaſſe. Quapropter ita hac de re tenendum

ſuadet,

Digitized by Google

ſuadet, Cœmeteria a gentilibus inchoata, & primum conſtructa, a Chriſtianis vero poſtmodum in meliorem ſtatum redacta, variis picturis exornata, atque ad uſus ſacros & fidelium ſepulturas accommodata, fuiſſe. His præmiſſis, ipſa, quæ in Cœmeteriis viſuntur, monumenta, quæ ſcite delineata æri incidenda curaverat, illuſtrat. Priores undecim Tabulæ ichnographias Cœmeteriorum exhibent, numeris adjectis, qui, qualia indicentur loca, oſtendunt. Quid ergo unusquisque numerus indicet, explicationes adjectæ declarant. In ſubſequentibus Pag. 15.
monumenta, picturæ, & inſcriptiones, ibi obviæ, explicantur. 22.
Ut ergo, quanti pretii hæ dilucidationes ſint, appareat, unum itemque alterum earum ſpecimen afferemus. In duodecima Tabula exhibetur humatio corporis D. *Petri*, quando S. *Sylveſter* recondidit corpus ejus ex porticu veteris Vaticanæ Baſilicæ. Hinc, in monte Vaticano *Petrum* martyrium ſubiiſſe, Autor affirmat. Alii aliter hac de re ſtatuerunt, *Petrum* in monte Janiculo, ubi hodie locus *fratrum minorum in monte Aurelio* dictorum deprehenditur, interfectum fuiſſe, dictitantes. *Aringhius*, variis conjecturis, & inprimis *Damaſi* Papæ & *Petri Comeſtoris* teſtimonio, fretus, in colle Vaticano hoc accidiſſe, defendit. *Baronius*, diverſas haſce ſententias inter ſe conciliaturus, ſtatuit, Vaticanum montem non ſolum eum locum, in quo hodie Baſilica S. *Petri* poſita eſt, occupaſſe, verum etiam illam Janiculi partem, quam fratres minores nunc inhabitant, ambitu ſuo comprehendiſſe. In hoc ipſo monte Janiculo, in memoriam hujus celeberrimi martyrii, oratorium ibi, ubi crux fuerit defixa, ædificatum eſſe, *Mabillonius* in *Itinerario Italico* declarat. Sententiam *Baronii* veram eſſe, ex *Horatii* aliorumque veterum locis Cl. Autor comprobare annititur. Nihilo tamen ſecius hiſce conciliationibus opus 23.
non eſſe, et *Petrum* re vera in illo loco, qui hodie Baſilicæ *Petrinæ* inſertus eſt, martyrium ſubiiſſe, teſtimonio libri pontificalis, qui ab *Anaſtaſio* Bibliothecario conſcriptus creditur, oſtendit, & aliter ſentientium opiniones erudite confutat. Sepultum etiam eodem in loco fuiſſe *Petrum*, adductis quampluri- 24.
mis veterum locis, declarat. S. *Anacletum* primum ſepulcrum 27.

D. *Petri*

D. *Petri* exornaſſe, contendit, eum tamen templum in honorem ejus ædificaſſe, id quod nonnulli crediderunt, negat, cum, *Anaſtaſio* teſte, ante *Conſtantinum M.* hoc nemo facere ob perſecutiones paganorum auſus ſit. Is nempe Imperator primus rogatu *Sylveſtri* Papæ Baſilicam D. *Petro* in templo *Apollinis* fecit, loculum una cum corpore S. *Petri* recondidit, ipſum loculum undique ex ære Cyprio concluſit, uti idem *Anaſtaſius* commemorat. Factum hoc *Conſtantini* in Tabula duodecima exhibetur, quam ideo hoc in opus migraſſe Cl. Autor dicit, quod eam *Boſius* quoque & *Aringhius* ſcriptis ſuis inſeruerint. In Tabula decima quinta arca ſepulcralis marmorea, in ſubterraneis Vaticanis reperta, deprehenditur. Elegantiſſimam ſculpturam in hac area conſpici, & optime eam conſervatam eſſe, Cl. Autor teſtatur. Inſcriptio, quæ in illa eſt, indicat, eam ſepulcro *Junii Baſſi* cujusdam, præfecti urbi, inſerviiſſe. Ipſa inſcriptio ita ſe habet:

IVN. BASSVS. V. C. QVI. VIXIT ANNIS XLII. MEN. II. IN IPSA PRAEFECTVRA VRBI NEOFITVS IIT ADDEVM VIII KAL. SEPT. EVSEBIO ET YPATIO COSS.

Hanc Inſcriptionem ſepulcralem eruditis animadverſionibus Pag. 35. Cl. Autor illuſtrat. Alios jam eam evulgaſſe, & ſigillatim *Valeſium* (quem perperam *Arrigum Valeſium* nominat, cum *Henricus* dicatur,) in ſuis ad *Ammianum Marcellinum* obſervationibus *Lib. XVII Cap. 11* obſervat. Quinam *Junius Baſſus* ille fuerit, operoſe disquirit. Eum ex gente *Junia* oriundum fuiſſe, quæ in patriciam et plebejam diſtincta fuit, de qua fuſe diſſeruit *Antonius Auguſtinus* & *Fulvius Urſinus*, contendit. In nummis iſtius gentis *Juniæ* familiæ *Brutorum* & *Silanorum* duntaxat deprehenduntur, prout *Fulvio Urſino* & aliis ſcriptoribus, qui *de familiis Romanorum* egerunt, obſervatum eſt. Varia iſti Autores afferunt gentis *Juniæ* cognomina, cognominis tamen *Baſſi* nullam prorſus mentionem injiciunt. *Aringhius* igitur in *Roma ſubterranea*, nec non P. *Chamilard* in *Notis ad Prudentium*, eam ob cauſam cenſuerunt, nomen hoc *Baſſorum* peculiaris familiæ fuiſſe. Falſo ex ſententia Cl. Autoris. Veteres nimirum

mirum Romani, uti omnibus notum eſt, fere ſemper tribus nominibus, nempe prænomine, nomine familiæ, & cognomine, inſigniri ſueverunt. In hac Inſcriptione prænomen omiſſum eſt, & familiæ nomen primo loco eſt poſitum, quod ex eo intelligitur, quia in *ius* deſinit, qua forma nomina familiarum communiter ſolent terminari. Hinc *Baſſus* nomen familiæ hic loci non eſt. Quamvis ergo in *Juniorum* familia, aut, ſi accurate loqui velis, gente, *Baſſi* nulli inveniantur; Cl. Autor tamen, ut dubiis, quæ hic exiſtere poſſent, occurreret, ingenioſe conjicit, *Baſſum* illum ad antiquam *Juniorum* gentem, de reſtituta Romanis libertate adeo celebrem, non pertinuiſſe. Sed, cum *Antoninus Caracalla* omnibus imperii Romani incolis civitatis jura concederet, multi nomen aliquod gentis, quale ipſis placebat, aſſumſerunt, uti jam *Panvinius* de nominibus Romanis monuit, id quod & *Baſſum* hunc feciſſe, ſeque *Junium* hac ratione compellaſſe, a veritate non alienum videtur. Ab eo etiam tempore mos, tria nomina ſibi adſcribendi, ab uſu receſſit, uti idem monuit *Panvinius*. De aliis, *Baſſi* nomine inſignibus, deinceps quædam adjungit, &, noſtrum illum præfectum urbi fuiſſe, ſub initium ſtatim iſtius muneris mortuum, & *Artemium* quendam in ejus locum ſucceſſiſſe, ex *Ammiano Marcellino* oſtendit. Dicitur autem *Baſſus* noſter *Vir Clariſſimus*, quæ compellatio præfectis urbi propria fuit, uti ex *Iſidori* Etymologico declaratur. Is nempe *Iſidorus* tres Senatorum gradus conſtituit, primi ordinis *illuſtres*, ſecundi *ſpectabiles*, tertii *clariſſimos*, compellari ſolitos fuiſſe, dictitans. De præfectura urbana non quidem ex inſtituto Cl. Autor diſputat, ſed *Dioni Caſſio*, *Tacito*, titulo *Digeſtorum de Officio Præf. urbi*, & *Notitia dignitatum Codicis Theodoſiani*, quæ in fine *Tomi ſexti pag. 321* edit. *Gothofredi* legitur, teſtimonium denuntiat. *Neofitum* in hac Inſcriptione appellari *Baſſum* ideo dicit, quod ex more, inter recens ad Chriſtum converſos tunc temporis recepto, brevi ante mortem ſacro baptiſmi fonte tinctus videatur. Talis baptiſmus *Clinicorum*, aut *Grabatariorum*, dicebatur, contra quem varii Canones in diverſis Synodis conditi ſunt, quos Cl. Autor adducit. Ad Deum iviſſe *Baſ-*

Kkk *ſus*,

ſus, ex more loquendi antiquorum Chriſtianorum, dicitur. Sperantes enim illi, defunctum beatorum ſedibus inſertum eſſe, quæ ſpes de *Baſſo*, tanquam neophyto, inprimis poterat concipi, hac formula frequentiſſime uſi ſunt, uti exempla, quæ Cl. Autor attulit, ſatis declarant. *Euſebio* & *Ypatio* Coſſ. hoc in monumento mortuus *Baſſus* dicitur. Conſules fuerunt illi Duumviri, ſecundum *Jacobi Gothofredi Chronologiam Codicis Theodoſiani*, & *Almelovenii Faſtos*, anno Chriſti 359. In antiqua Inſcriptione apud *Gruterum* per errorem *Lippatius* nominatur. Conjectura jam *Gruterus* aſſecutus erat, *Hyppatius* reſcribendum eſſe, cujus adeo ſententiæ firmum ſatis per hanc Inſcriptionem robur additur. In ſerie Præfectorum urbi varii occurrunt, *Baſſi* nomine inſignes, in quibus tamen noſtrum invenire haud licet, quia nullus eorum *Junius*, omnes autem *Septimius*, aut *Julius*, appellantur. Quodſi vero Cl. Autor ſeriem Præfectorum urbi, ab *Almeloveenio* contextam *pag. 494*, inſpexiſſet, *Junium* noſtrum ibi occurrere, non amplius dubitaſſet. Nomen Conſulis *Ypatii* cum præfixo *H* rectius ſcribi, monet, cum apud Græcos ſemper cum ſpiritu aſpero exprimatur. *Sozomenus Hiſt. Eccl. III, 19*, Conſules hos inverſo ordine ponit, Ὑπατίȣ καὶ Εὐσεβίȣ ὑπατευόντων dicens. At enimvero, ordinem, quem hæc Inſcriptio ſervat, præferendum eſſe, Cl. Autor ſtatuit. Tredecim enim textibus *Theodoſiani* Codicis eſt conformis, ubi conſtanter *Euſebius* primum locum occupet, & hoc etiam ordine in Chronico Alexandrino, Faſtis conſularibus, imo apud ipſum *Sozomenum* alio in loco, recenſentur. Fratres eos fuiſſe, *Ammianus Marcellinus XXI, 6*, narrat. Arca, cui hæc Inſcriptio inſculpta eſt, tempore *Clementis VII* A. 1595 effoſſa, in conſpectum prodiit. Quamplurimæ hujus generis explicationes hoc in libro comparent. Multa antiquitatis & ſacræ & profanæ argumenta egregie ſunt excuſſa, *Aringhii* & aliorum, qui ante Cl. Autorem hoc ſaxum volutarunt, errores correcti, &, ut uno verbo omnia complectamur, totum Opus ita comparatum eſt, ut & voluptatem & utilitatem lectoribus eruditis ſit allaturum.

DELL

Digitized by Google

DELL' IMPIEGO DEL DANARO LIBRI TRE.

id eſt,

DE USURIS PECUNIARIIS LIBRI TRES.

Veronæ, apud Joannem Albertum Tumermani, cum licentia Superiorum, 1744, 4.

Alph. 1.

Ill. *Scipioni Maffeo* viſum eſt eam, quæ in Romana eccleſia variis adhuc obnoxia eſt controverſiis, materiem diſquirere, & locum veritati pro viribus aperire. Inſcripſit hoc Opus, elogiis digniſſimum, Summo Eccleſiæ ſuæ Pontifici, *Benedicto XIV*, cujus lumine ac benignitate ſeſe ſub finem anni 1698 Romæ gaviſum eſſe, docet. Operi, præter Introductionem, tres partes palmarias prædefinivit. *Libro primo* exponit de autoritate ſacri Codicis in hoc argumento. *Secundo* recenſet doctrinam ſanctorum Patrum, Juris Canonici, ac ſcriptorum recentiſſimæ ætatis. *Tertio* enarrat rationes, in utramque partem ſolitas afferri. Fœnus ab uſura ſtatim in limine tractationis ſolerter diſcernit. Laicos pro ſuggeſtu ſacro docere publice vetuit *Gregorius IX* Papa. In ſcriptis tamen tractare controverſias & argumenta Juris Canonici licet. Cardinalis *de Luca* jam optavit, ut *ad uſurarias quæſtiones dirimendas nova & generalis declaratio Apoſtolica de conſenſu Principum Catholicorum ac prævio concordi tractatu emanet.* Concilia tantum condemnant uſuram in genere, qua de re omnes Catholici conſentiunt; ſed non condemnant hoc & illud lucrum in particulari, quod cum mutuo conjunctum eſt. Hinc liberum eſt, ſalva fidei compage mutua, diſputare in utramque partem. Hæc eſt ſententia *Ludovici Bailii*. Eandem opinionem propugnat P. *Maignan*, Provincialis Patrum Minimorum, ac Profeſſor Theologiæ inſignis, in libro *de uſu licito pecuniæ*. Propugnat eandem P. *Euſebius Amort*, Canonicus ſecularis, in *Controverſiis novis moralibus*. Idem ſentiunt *Lucius Abellius*, Epiſcopus Rodarum, ac *Mutius Dandini*, Sinigalliæ Epiſcopus. Horum libri ſunt publice approbati, ac promiſcuæ lectioni traditi, Pag. 19.

paſſimque diſtributi. Uſum Ebraicæ linguæ Ill. Marchio *Capiti*
Pag. 21. *primo* elaborando adhibuit, quam anno ætatis demum 68 penitus addidicit, leviter ea olim imbutus. Contendit dextre idem, non ſolis translationes Codicis ſacri affectandas, ſed ad contextus avthenticos eſſe confugiendum, ſiquidem voces avthenticæ Hebraicæ & Græcæ cum ſecuritate exhibeant verum verborum ſenſum & comprehendant, qui in interpretationibus ma-
22. nere ac reſtare poſſit incertus, licet ſæpius, ni recurratur ad LXX & vulgatum, ſignificatus complurium vocum Hebraiçarum certus deſideretur. Hæc ad introductionem. *Liber primus* in *Capita ſex* apparet diſtributus. *Primo Capite* eruuntur ſignificatus vocabulorum, in hoc argumento adhiberi ſolitorum. *Secundo* colliguntur ſacri Codicis dicta, huc ſpectantia. *Capite tertio* examinantur verba *Levitici: nec amplius, quam dediſti. Quarto* diſquiſitio in verba Jeſu: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, inſtituitur. *Quinto* oſtenditur, pronuntiatis ſacri Codicis ſingulis verba fieri *de uſuris voracibus, ſeu devorantibus, quæ pauperibus imponuntur. Capite ſexto* monſtratur, uſuras dextre, nec tamen pauperibus, injunctas, ſacris literis haud everti. *Libri ſecundi* ſumma vertitur in recenſione ſententiarum, quæ de uſuris pecuniariis in Sanctis Patribus, in Jure Canonico, ac Scriptoribus recentiſſimæ ætatis, leguntur. *Capite primo*, Patres Græcos non niſi uſuras enormes, pauperibusve extortas, reprobare, oſtenditur. *Secundo* traditur, Latinis Patribus in eo cum Græcis convenire. *Tertio* Canonum ac Decretalium in hoc argumento habetur ratio. *Quarto* Summiſtarum ac Caſuiſtarum opiniones exhibentur. *Libro tertio* ſententiæ in utramque partem contenduntur. Præmittuntur *Capite primo* rationes, quæ uſuris haud permittendis videntur favere. *Secundo* exponuntur rationes, quibus uſuræ permiſſio innititur. *Tertio* plura exhibentur eodem fine argumenta. *Quarto* adduntur novæ aliquot rationes, & tractatio finitur per cautionum aliquarum momenta, quæ ad conſcientiam debite confirmandam in hoc negotio faciunt. Multa & perquam eximia Philologiæ ſacræ, Philoſophiæ, & Juris, ſpecimina in hac tractatione prodeunt ſub lucem. Demonſtravit

jam

Digitized by Google

jam Poeta *Lucanus uſuram voracem avidumque fœnus.* Uſuram pecuniariam *Horatius* appellavit *mercedem.* In *Satira ſecunda* leguntur hæc: *Quinas hic capiti exſecat.* Ac in *tertia: Mercedem, aut numos, undeunde extricat.* Fœnus Latini ſæpius, Pag. 4.
uſuram pecuniariam denotaturi, poſuerunt. *Fœnerare* eſt in uſuram commodare; *fœnerari* eſt in uſuram accipere. Poſterior vox ſenſim utrumque induit ſignificatum. Unde legitur *l. 11 D. de Uſuris: Fœneravit pecuniam publicam ſub uſuris ſolitis.*
In vulgata verbum *fœnerari* ſæpius idem deſignat, ac *mutuum* 6.
dare. Mutuum vero datur ſine ſpe uſuræ. Unde *Plautus* in *Pſeud. A. I Sc. 3: Nomen quoque interiit jam Mutuum.* In Corpore Juris civilis perſæpe *pecuniam mutuam accipere* idem eſt ac ſumere pecunias ab aliis ſub uſura; id vero, quod antea dicebatur *mutuum*, ibi diſpeſcitur in commodatum & depoſitum, quod recipiatur idem numero, autore *Paulo D. de Reb. cred. l. 2. Commodare, mutuum commodare*, ſunt verba, quæ ſolent debitum reddendi id, quod tantundem eſt, indicare. *Cambire* dicebantur, qui erant menſarii, numularii, argentarii, trapezytæ, campſores, ac ex nummis permutatis lucra capiebant. Horum ſedes exſtitit olim Romæ *ad medium Janum*, ubi multorum res omnis frangebatur, *Horatio* teſte.
Uſuram Græci vocant *τόκον.* Unde *in uſuram dare* eſt *ἐντοκίζειν.* At *anatociſmus* eſt uſura, excedens modum. *Uſuram* 9.
Græci vocarunt etiam *δάνειον, δανεισμα, δανεισμὸν, δάνον.* Sæpius tamen *τὸ δάνειον* eſt *ἀρχαῖον, ſors, das Capital*, nonnunquam *debiti* habet ſignificatum, e. g. *Matth. XVIII, 27. Δανείζειν* eſt *in uſuram dare. Πλεονασμὸς* eſt *uſura, modum excedens.* Ægyptii *ἔχρησαν* Iſraelitis *Exod. XII, 36*, quemad- 11.
modum *Hanna Samuelem ἔχρησε τῷ κυρίῳ 1 Sam. II, 20.* Spes uſuræ, vel redditionis, hic abfuit in caſu utroque. III. Autor bene monuit, voci נֶשֶׁךְ ineſſe aliquid vorax & mordens, ſiquidem ipſa proſiliit ex verbo נשך, *mordendi* notionem habente. Legitur vox prior *Deut. XXII, 19, Ez. XVIII, 12*, poſterior
Deut. XXII, 19. נָשָׁה eſt *in uſuram dare, Jer. XV, 10, Deut.* 13.
XV, 2, XXIV, 10, Nehem. V, 7. מַשָּׁא ibi eſt in LXX *δάνειον.* Ineſt voci *exactionis* quiddam, uti intelligitur ex *Pſ. LXXXVIII, 23,*

 2 *Par.*

2 Par. VI, 23. *Uſurarius* vocatur נושה *Exod. XXII, 25, Pſ. CVIII, 11.* לוה eſt *commodare*, חבל *in pignus recipere*, עבט *ſumere pignoris loco*, ערב *in pignus dare*, unde eſt ערבון ἀῤῥαβὼν, pignus datum ſecuritatis cauſa, ne promiſſor deſi-
Pag. 16. ſtat promiſſo. תרבית & מרבית denotant *multiplicationem* ac *exceſſum* ſegetis frugumque nonnunquam, hoc loco uſurarum, ſeu foenus. Accurate in hiſce perquirendis verſatus fuit Auctor Illuſtris. Appellit deinde ſtudium ſuum ad contemplandum nonnullorum ſacri Codicis pronuntiatorum ſenſum. Diſpicit loca *Exod. XXII, 25, Lev. XXV, 15, 36, 37, Deut. XV, 6, XXVIII, 12, 44, XV, 7, XXIII, 19, 2 Reg. IV, 1, Pſ. XV, 5.* Vocis תוך ſignificatum alterum, qui *fraudem* indicat, haud
16. ignoravit. Evolvit dicta *Prov. XIX, 17, XXII, 7, XXVIII, 8, Eſ. XXIV, 2, LVIII, 6, Jer. XV, 10, Ezech. XVIII, 4, 12, 16, Amos VIII, 4, 5, 6, Eccleſ. VIII, 15, Eſ. XXIV, 2, Eccleſ. XXIX, 4.* Vocis *opponere* ſignificatum, quo oppignoratio
23. indicatur, & qui legitur in *2 Eſr. V, 2*, vindicat, eumque jam monſtravit in *Iſtoria diplomatica pag. 165.* Uſurarum permiſſionem
25. Jeſus videtur approbaſſe *Matth. XXV, 31, Luc, XIX, 17, 23*, improbaſſe tamen ſeverius *Luc. VI, 32.* Voluit ſcilicet Deus, ut Iſraelitæ viverent veluti domeſtici, familiares, & fratres, ne gens diſſiparetur, vel potentiores ipſi invalidos deglutirent. Ea ratio ad univerſum genus humanum adeo haud ſpectat, ut Judæis indulſerit Deus facultatem & jus, uſuras ab extraneis ſumendi. Leguntur hæc in Vulgata *Lev. XXV, 16: Nec accipias uſuras ab eo, nec amplius, quam dediſti.* Agitur in eo loco de fratre, eoque ad anguſtias redacto, infirmoque, & imparato
27. ab opibus. Ab hoc uſuræ haud erant recipiendæ, non a quocunque alio. Præterea in fonte Hebraico leguntur hæc modo: אל תקח מאתו נשך ותרבית, *ne accipe ab eo uſuram voracem, ſeu uſuram, in dies cum capite, ſeu ſorte, creſcentem.* Recte *Auguſtinus de Civ. Dei XV, 14: Rerum geſtarum fides ab ea*
31. *lingua repetenda eſt, ex qua interpretatum eſt, quod habemus. Sixtus quintus* idem docuit hoc modo: *Laudabile eſt, ubicunque noſtri Codices ipſi per ſe aut conciliari, aut intelligi, non poſſunt, linguarum exterarum præſidia quærere.* Approbat hæc

Marchio

Digitized by Google

Marchio, addens hæc *Bellarmini: Patres Tridentini Vulgatam fontibus anteponere noluerunt, ſed ſolum ex tot Latinis verſionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerant, quam ceteris anteponerent.* LXX locum, paulo ante allatum, ſic reddidere: ὂυ λήψη παρ' ἀυτȣ̃ τόκον, ȣ̓δὲ ἐπὶ πλήθει. Conferri debent loca *Prov. XXVIII, 8, Ez. XVIII, 17, XXII, 12, Devt. XXIII, 19.* Illud תַּרְבִּית *Hieronymus* expoſuit de exactione uſuræ immodicæ ex frugibus, e. g. vicenæ & quinæ ex portionibus centum. In Vulgata expreſſerunt Autores vocem תַּרְבִּית per *amplius* obſcure ſatis. Illud additum *quam dediſti* in errorum numero eſt deputandum. *Auguſtinus de Doctrina Chriſt. II, 18,* Pag. 34.
conſimile de errore alio fecit judicium: *Qui error tam multos Codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter ſcriptum; & tamen ſententia manifeſtiſſima eſt, quia clareſcit conſequentibus verbis.* Additum eſſe paſſim aliquid in ſacris literis ex deſcriptorum vitio, docuit *Hjeronymus in Matth. Com. VII col. 17* edit. Veron. *Severi Alexandri* lex eſt *l. 12 C. de Uſuris: Frumenti, vel hordei, mutuo dati, acceſſio etiam ex nudo pacto præſtanda eſt.* In Canone *XVII* Nicæno leguntur hæc: *Ne quis Clericus aut uſuras accipiat, aut frumenti, vel vini, ampliationem.* Illa acceſſio, illa ampliatio, vocatur תַּרְבִּית. *Am-* 36.
plius nude in Vulgata legitur *Devt. VI, 3, Num. III, 49, Hagg. I, 9.* Illud *quam dediſti* ſpectat ad librarii gloſſema & intruſionem. *Lucæ VI, 35,* legitur hoc: *δανείζετε, μηδὲν ἀπελπίζοντες.* Quærendum inprimis eſt, an ad Chriſtianos univerſos hæc ſpectent, an ad diſcipulos primos, primæque confœderatæ diſciplinæ conſortes. Ita & Chriſtus hiſce præcepit, *ne* 47.
jurate omnino, Matth. V, 34, Jac. V, 12, ſcilicet intra privatam illam confœderatam ſocietatem, ſeu frivole; nam de reliquo juravit ipſe Apoſtolus *Paulus*, monente *Auguſtino de Mendacio §. 28.* Egena erat maxima primorum Chriſtianorum pars. Iniquum proinde erat, ut alter alterum uſuris premeret. *Ari-* 44.
ſtoteles Eth. VIII, 15, docuit: *καλὸν τὸ ἐυποιεῖν, μὴ ἵνα ἀντιπάθῃ.* *Seneca de Benef. III, 14: Interitura eſt tantæ rei dignitas, ſi beneficium mercem facimus.* Et *IV, 3: Beneficium virtutis eſt; & turpiſſimum, id cauſa alius rei dare, quam ut da-*

tum

Digitized by Google

tum ſit. Spes recipiendi plerumque tendebat ad ampliora juſto. Spes recipiendi metienda facultatibus accipientis; ſi hic eſt indigus, ſpes ſola in Dei benignitate eſt collocanda. Judæi exigebant ſingulis menſibus uſuras, *Am. VIII, 5*, ac, teſte *Hieronymo in Am. III, 8, uſuras augebant de uſuris.* Conf. *Jeſ. LVIII, 6, Ezech. XXII, 25, Neh. V, 5, 2 Reg. IV, 1, 7, Ezech. XVIII, 12, Philo de Humanis pag. 702, Joſeph. Ant. Græc. IV, 8, Deut. XV, 22.* Vetita eſt uſura vorax & fœnus avidum
Pag. 57. in literis divinioribus, ut fratres cum fratribus vitam poſſent transfigere. Uſura modica & juſta, qua ſoluta, frater redditur
62. fortunatior, haud damnatur. Notandum eſt præterea, leges forenſes Judaicas non niſi ex uſu civitatis ac conſenſu magiſtratus temporibus Nov. Teſt. valere, docente ipſo *Auguſtino de Lib. arb. I, 14.* Leges forenſes Judaicæ propriæ ad-
63. ſtrictæ fuerunt ad terram promiſſam, *Deut. IV, 5, V, 31. Thomas Aquinas* veritatem hujus ſententiæ agnovit. Vendere poterant Judæi filios filiasque, urgente neceſſitatis telo, *Exod. XXI, 7, Nehem. V, Lev. XXV, 19, 39.* Quidni itaque uſuris promiſſis poterant ſe in feliciorem transferre vivendi con-
69. ditionem? Ejecit e templo Jeſus nummularios. At exire juſſit etiam venditores. Non res ipſa diſplicuit ei, ſed momentum loci. Licuit omnino Judæis ab exteris ſumere uſuras, easque ampliores, *Deut. XXIII, 19.* Sin vero uſuræ acceptio eſt per ſeſe injuſta, ne id quidem facere licuit. De reliquo advenis quoque beneficia erant impertienda, *Deut. XXIV, 19, 20, Exod. XXII, 21, Lev. XIX, 34.* Florentiſſimus Judæorum status aliquando ita tulit, ut ipſi ne quidem ab exteris fœnus re-
81. cipiendi poteſtatem haberent, *Deut. XVIII, 12.* Patrum ſententiæ ſic ſunt comparatæ, ut uſurariam pravitatem ipſi horreant, uſuram legitimam pro licita & inter Chriſtianos probata reputent. Scholaſticos, Canoniſtas, Caſuiſtas, & ipſorum opiniones, jam prætervehimur. Ea autem cautione Ill. Autor hoc argumentum pertractavit, ut nemini ſententiam ſuam obtrudat, ſed ut opiniones, in utramque partem afferri ſolitas, invi-
317. cem contendat, deciſionem ipſam in medio relinquat. Academia Lovanienſis putavit, *non videri hos reditus, maxime*

inter

inſtar mercatores, & per ſupremam poteſtatem approbatos, ſeu admiſſos, poſſe tanquam uſurarios generaliter reprobari. P. *Kenny*, Carmelitanus Hibernus, A. 1734 Dublino ſcripſit: *Epiſcopi noſtri ſimul congregati convenerunt, licitum eſſe, rationabilem retributionem ſupra ſortem recipere. id eſt, ſecundum acta Parlamenti ſex pro centum ſupra ſortem.* Prætermittimus plura Pontificiorum teſtimonia, e quibus, uſures, a magiſtratibus determinatas, eſſe licitas, facile eſt intellectu. Spirat integrum Opus incredibilem diligentiam, lectionem multijugam, amplitudinem rationum, undique collectarum, ac modum diſputandi, qui Eccleſiæ Romano-catholicæ, ejusque doctoribus, eſt accommodatus. Speramus, fore, ut lectores pondera rationum ſentiant, eisque locum relinquant, ſiquidem commerciis clades non una infertur, niſi uſuras, a magiſtratibus conſtitutas, liceat accipere. Quis enim obſtrictus eſt jure, ut ditioribus, periculo amittendæ pecuniæ non penitus excluſo, facultatum ſuarum uſum indulgeat, ac tradat?

IL FIORENO D' ORO ANTICO ILLUSTRATO &c.

id eſt,

FLORENUS AUREUS ANTIQUUS ILLUſtratus Commentatione Academici Etruſci, inſcripta ANTONIO FRANCISCO GORI, Prof. Hiſtoriarum, tum ſacræ, tum civilis, in Academia Florentina.

Florentiæ, ex typographeo Regiæ Celſitudinis, per Tartinos & Francos, 1739, 4.

Alph. 3.

Cum annis ſuperioribus complura Numiſmata antiqua, atque etiam Numi Principum, qui multum eruditionis ſpirant, ac valde illuſtrant Hiſtoriam, in Muſeum *Victorium* Romæ inferrentur; accidit, ut id Florenis aliquot aureis augeretur. Illuſtrare aggreſſus eſt hoſce, in Tabula æri inciſos, Academicus quidam Etruſcus Italico ſermone. Ejus lucubrationes viris doctis, quibuscum ipſe familiariter Romæ agebat, jam pridem innotuerunt, quibus eas obtulerat legendas. Paulo poſt eas

 prodire

Digitized by Google

prodire Florentiæ voluerunt ii, qui typographiæ Sereniſſimi Magni Ducis præſunt. Iidem *Joannis Meurſii Opera* formis publicis deſcribenda curant ſplendidiſſime. *Florenus aureus* a Florentina republica A. 1252 primum cuſus eſt. Formam ejus, quippe egregiam, publicisque commerciis aptiorem, ceteri propemodum Europæi Principes imitati ſunt percutiundo. Tabula Florenos aureos antiquiſſimos æri inciſos exhibet, huic Operi præfixa. *Primus* in ea repræſentat Florentinum illum primum aureum. *Secundus* & *tertius* ſpectant ad *Joannem XXII*, Papam Romanum, cujus *regnum* duabus tantum coronis eſt conſpicuum. *Quartus* a Florentinis percuſſus eſſe perhibetur, favente occaſione inſignis victoriæ, a Piſanis relatæ A. 1256. *Quintus* & *ſextus* cuſi fuerunt a *Carolo Humberto*, filioque *Ludovico*, Regibus Hungariæ. *Septimus Humberto II*, Delphinati, tribuendus eſt, qui ſtirpem *Turrianam Du Pin* clauſit. *Octavus* & *nonus Gerlaco*, Archiepiſcopo, Moguntino adſcribendi ſunt, prout indicant inſcriptæ per gyrum literæ, atque Electoralia inſignia. *Decimus* tribuendus eſt Arelatenſi Archiepiſcopo, *Guilielmo* ſcilicet *de la Garde*. *Undecimus* eſt Lubecenſis civitatis imperialis. *Duodecimus* recentiorem formam præfert, *Roberto* Bavaro aſſignandus, Palatino Rheni, filio *Roberti Adolphi*. Hi Floreni ſunt ad normam monetæ aureæ, qualem Reſpublica Florentina præivit, cuſi, omnesque Romæ in Muſeo Victorio aſſervantur. Subjecit illis Autor *Ducatum aureum Romanum*, aureo Ducato, a Veneta Republica percuſſo, antiquiorem. Sequens Numus ad *Joannem XXIII* referendus eſt, qui dignitatem Pontificalem in Concilio Conſtantienſi ſponte dimiſit. Is, qui illum excipit, eſt *ſcutum aureum Sixti IV*, Pontificis, quod primum exſtitit, quo ſymbolum naviculæ ac *Petri* piſcatoris, naviculam gubernantis, expreſſum eſt. Addidit Autor Numos hoſce Florenis, eo quod pro temporum viciſſitudine *Ducatus* & *Scutum* nomine Floreni, licet perperam, venerunt. Pondus utique admodum diſconvenit. Opere ipſo, in *Partes quatuor* diſtributo, plures Numi exquiſiti delineati, plerique ex eodem Muſeo, exhibentur. De *Floreni aurei* pretio inibi ordine exponitur chronologico. Egregiæ

paſſim

Digitized by Google

paſſim adſperguntur annotationes eis, quæ tractationi ſunt propria, ornamentis. Luculente ibi diſſeritur de *Joanne Baptiſta*, de *lilio*, de *regno Pontificio*, de *orthographia nummorum*, de *ſignis* ac *inſignibus gentilitiis*. A. 1252 primum Florenum aureum Florentiæ eſſe cuſum, tradit *Joannes Villani VI*, 54, applaudente *Vincentio Borghini* in libro, inſcripto: *Trattato della moneta Fiorentina pag.* 220. Complectebatur pondus numi tum 24 caratos. Unum latus oſtentabat lilium florens, alterum *Joannem Baptiſtam*. Octo Floreni æquabant pondus unciæ unius. Antea Florentini argenteos modo feriundos curarunt numos. Nomen his a floribus lilii, ad Florentiam alludentibus, fuit *florenorum*. Concinit hiſce *Marquardus Freherus de re numaria Germanici imperii*, *II*, 3. Vulgus *Florenos* tempore labente appellavit *gigliati*, *fiorini gigliati*, liliatos, florenos liliatos. Florentia jam olim lilio uſa fuit argenteo in area rubra pro inſigni; anno autem 1251 ei ſubſtituit lilium rubrum in area argentea, Fæſulis deſtructis.

DE ANTIQUITATE ECCLESIÆ HISPANÆ Diſſertationes, in duos Tomos diſtributæ. His præmittitur Codex veterum Canonum Eccleſiæ Hiſpanæ ex genuina Conciliorum & decretalium Epiſtolarum collectione S. ISIDORI Hiſpalenſis, quo illuſtratur antiquitas eccleſiæ, præſertim occidentalis. Opera & ſtudio CAJETANI CENNI, Sacroſ. Baſil. Vatic. Presbyteri benef.

Tomi II.

Romæ, apud fratres Palearinos, 1741, 4.

Tom. I Alph. 2 plag. 4½, Tom. II Alph 2 plag. 5.

Opus præſens in *duas* diſpeſcitur *Partes*. Prior Canones, ab *Iſidoro Hiſpalenſi* collectos, complectitur, *poſterior* Diſſerta-

ſertationes, ortum, progreſſum, atque incrementum, Eccleſiæ Hiſpanæ ſpectantes. Nuncupatus eſt *Tomus I Petro, Apoſtolorum Principi, Pontifici Romanorum primo*, ut loqui amat Autor, quod a *Clemente XII*, ad quem per longam Romanorum Antiſtitum ſeriem ſuprema illa dignitas pervenerit, munere ſacro ornatus eſſet. Canones ſe longe ſincerius, quam quidem ante ab *Aguirrio*, Eccleſiæ Romanæ Purpurato, ac *Petro Couſtant*, famulitii Benedictini ſocio, factum erat, ex antiquo Codice exhibere, teſtatur, nec dubitat, quin Collectio hæc ab ipſo *Iſidoro* ſit profecta. In ſubjectis Diſſertationibus res eccleſiæ Hiſpanæ explanare eſt aggreſſus, quoniam illa, ſi quis ab Romana diſceſſerit, antiquiſſima ſit, & a multis male habita, ſpurcisque conſperſa fabulis. Codex Canonum in *X* diſtributus eſt *Libros*, quorum ſinguli in ſuos rurſus digeſti ſunt titulos, ex quibus ut aliquid enotemus, cum neceſſe non ſit, ad Diſſertationes, quarum IV numero in hoc *Tomo* exhibentur, progrediemur, potiſſima illarum momenta brevibus propoſituri.

Diſſ. I de *Eccleſia Hiſpana priorum trium Seculorum a S. Petro ad tempora S. Silveſtri* exponit. Illius *Cap. I* ſiſtit ſtatum civilem Hiſpaniæ, qualis ante *Conſtantini M.* tempora fuit. Hiſpania ab Romanis perdomita, *Auguſtus citeriorem*, utpote valentiorem, non ſine arte ſibi ſervavit, in quam Prætor nomine ipſius, *ulteriorem* Senatui reliquit, in quam Proconſul juſſu Senatus, mittebatur. Sequenti tempore Hiſpania in tres partes, provinciam ſcilicet *Tarraconenſem*, *Luſitaniam*, ac *Bæticam*, eſt diviſa, quæ ad imperium uſque *Conſtantini M.* perduravit.

Pag. 1 - 9. His de civili Hiſpaniæ ſtatu præmiſſis, *Cap. II* primordia religionis Chriſtianæ, inter Hiſpanos ſparſæ, declarare occipit. *Jacobo* majori hæc gloria datur, quod primus ſapientiam divinitus manifeſtatam Hiſpaniæ intulerit. Teſtem citant partim *Iſidorum*, magnæ inter ſuos autoritatis virum, partim ad Hymnum Breviarii antiqui Toletani provocant. Equidem, qua eſt ingenuitate & candore, Ven. Autor fatetur, opuſculum de vita & morte Sanctorum *Iſidoro* prorſus eſſe indignum, Seculo IX aut ad ſummum exeunte VIII, confictum, nec hymnos *Jacobi*

anti-

antiquitate vincere inventionem corporis Sancti hujus; quoniam tamen in veritatem hujus relationis integrum regnum conſenſerit, & hanc ipſam Pontifices confirmarint, ab illa ut quis fidem ſejungat, tutum non eſſe, arbitratur. Diſtinguit inter primam Evangelii prædicationem & eccleſiæ inſtitutionem, quam a *Jacobo* fieri potuiſſe, antequam Hieroſolymis capite truncaretur, judicat. Tantum igitur valent præjudicatæ opiniones, ut veritati, quam tamen unice ſe ſequi velle receperat Vir doctiſſimus, certo demonſtratæ tergum obvertere, quam illis nuntium mittere, maluerit. *Cap. III* fundationem & progreſſum eccleſiæ Hiſpaniæ ediſſerit, quam adſcribit ſeptem Epiſcopis, a *Petro* ac *Paulo* Romæ initiatis, eo directis. Factum hoc eſſe opinatur ante annum P. N. C. 64, cum *Paulus* ante eo commigraſſet. Hi cum ſeptem conſtituiſſent eccleſias, *Nerone* ſævienter, doctrinam ſuo ſanguine obſignaſſe dicuntur omnes. In citeriorem Hiſpaniam S. *Eugenium*, diſcipulum, vel, ut aliis videtur, ſocium, S. *Dionyſii* Parifienſis, ablegatum fuiſſe, illumque ſedem ſuam Toleti collocaſſe, affirmat, circa medium Seculi II. Hinc publicum Chriſtianorum cultum deſcribit, quem clanculum in privatis ædibus; Codicibus ſacris diligentiſſime occultatis, Epiſcopis, ac aliis ſacrorum adminiſtris, nullo veſtitus genere ſe diſcernentibus, ob hoſtium metum celebratum eſſe docet. *Cap. IV* percenſet diſciplinam eccleſiæ ante *Conſtantinum M.* quæ in Concilio Illiberitano, habito, uti arbitratur, ſub initium Seculi IV, fuerit ordinata, quæ tamen jamdum ante illud tempus fuerit introducta. De Epiſcopis pronuntiat, illos in obſequio Pontificis Romani ſemper fuiſſe, ordinatos a vicinis Epiſcopis, quos inter nulla prærogativa obtinuerit, niſi quam ætas dederit. Si quis illorum in manifeſto crimine deprehendebatur, cauſæ cognitio ad vicinos Epiſcopos ſpectabat, qui, ubi res manifeſta eſſet, ipſum munere ſuo exuere poterant, nec ſolatii, vel auxilii, aliquid ipſi relinquebatur, niſi ut ad ſedem Romanam provocaret. Interſpergit quædam de ſuprema *Petri* in univerſam eccleſiam poteſtate, & inde ad Pontifices derivata monarchia.

Pag. 19. 39. 49. 64. 73.

Diſſ. II de *Eccleſia Hiſpana Sec. IV* agit, ubi *Cap. I*, mutatio- 84.

Digitized by Google

nem, quam orbi Romano *Conſtantinus M.* A. 332 induxit, quatuor Præfectos prætorio, cum ante duo tantum eſſent, conſtituendo, non admodum ſalutarem fuiſſe, cenſet. Cui data erat Hiſpania, illi ſimul Gallia & Britannia ſuberant. Hinc Hiſpania diviſa in ſeptem provincias, *Bæticam*, *Luſitaniam*, *Gallæciam*, *Tarraconenſem*, *Carthaginienſem*, *Inſulas Baleares*, *Mauritaniam Tingitanam*. Conſtitutio hæc duravit ab A. 336 ad 401, quo, barbaris gentibus in Hiſpanias irrumpentibus, Romani Imperii politia peſſum eſt data. Hac occaſione quæ-
Pag. 97. dam adverſus *Pancirollum* & alios de dignitate Præfecti præto-
105. rio & Vicariis monet. *Cap. II* diſſerit de *ſtatu Eccleſiæ Hiſpanæ per IV Seculum*, cujus diſciplina ex Canonibus, in Conciliis
112. ſancitis, in unum Codicem poſt relatis, cognoſci queat. A. 311, confecto *Galerio*, pax eccleſiis Hiſpanicis eſt data, templa paſſim exſtructa, non in urbibus ſolum celebrioribus, verum etiam vi-
121. cis & oppidis. Monachos ac ſacras virgines nulla habuiſſe privata oratoria & templa, aſſeverat, has in ædibus paternis, ſed ſub regula, contentas fuiſſe, illos ſeorſim habitaſſe; ab A. 320 ædes epiſcopales, quæ *cathedrales* dicuntur, mirum in modum
126. fuiſſe auctas, parochiales poſt A. 380 cœpiſſe. *Cap. III* agit de *metropolitanis Epiſcopis*, qui jamdum agniti fuerint ante ordinationem *Conſtantini*, ſed poſt illorum quinque conſtitutos fuiſſe, ex quibus *Tarraconenſis* priſtinam ſuam dignitatem præ
132. reliquis retinuerit. Hi ab Epiſcopis, in Concilio congregatis, inconſulta ſede Romana, eligebantur, nec hæc electionem improbavit. Ante *Conſtantini* ætatem Epiſcopi omnes dignitate æquales habebantur; qui diutius munere ſacro functi
136. erant, illis major autoritas tribuebatur. Subjicit quædam de
147. diſciplina, quæ illo ævo fuit, exercita. *Cap. IV* commentatur de *judiciis Eccleſiæ Hiſpanæ per Seculum IV.* Ubi Clericus, vel laicus, ob delictum ſacris excludendus fuit id, ante pacem datam factum fuit in Presbyterorum conſeſſu, præſente plebe ſacra, poſt in Conciliis, ita tamen, ut Pontifici Romano ſemper primæ partes, ob poteſtatem, ordinatione divina ipſi conceſſam, fuerint da-
153-155. tæ, quod contra *Dupinium* non ſine animi motu diſputat. Probat hoc exemplo Eccleſiæ Hiſpanicæ, quæ omni tempore ſedi

Romanæ

Romanæ fuerit devota, in qua minores quidem cauſæ arbitrio Epiſcoporum fuerint relictæ, in majoribus ſemper Pontificis Romani definitionem exſpectaverint. Pag. 166.

Diſſ. III de *Eccleſia Hiſpaniarum Sec. V* & *VI* diſſerit. Hic, *Suevos, Vandalos*, atque *Alanos*, anno æræ *Dionyſiaca* 409 impreſſionem in Hiſpaniam feciſſe, illamque ſibi ſubjeciſſe, docet, ſola Tarraconenſi provincia cum parte provinciæ Carthaginienſis in fide Romanorum remanente. Vandali atque Alani, a Regibus Italiæ laceſſiti, tandem coacti fuerunt Hiſpania excedere, inque Africam trajicere. *Gothi* & *Suevi*, qui remanſerant, variis vaſtationibus Hiſpaniam infeſtaverunt, quorum illi ſedem in Galliis habuerunt, nec niſi bellorum cauſa in Hiſpania reſederunt, Suevis ſuis deprædationibus Gothos provocantibus, quorum regnum ad A. 586 viguit. Utrique religione fuerunt Ariani, quorum illi Arianam impietatem ſecum in Hiſpaniam intulerunt. hi eandem in Hiſpania ſunt amplexi. Gothi, ut *Valenti* veliſicarentur, *Arii* exitialia dogmata adoptarunt, *Ulphila* operam ſuam ad id accommodante. Moribus fuerunt horridis & barbaris, qui Catholicos omni ratione afflixerunt, Arianiſmum contra diſſeminare ſunt annisi. In Galliis habuerunt regnum bipartitum, quorum alterum ab A. 411 ad 506 ab *Athaulpho* ad *Alaricum*, alterum 65 tantum annos ad annum uſque 570, duravit. Per Gothos & Suevos factum eſt, ut ordinatio *Conſtantiniana* prorſus fuerit immutata, quæ qualis in provincia Carthaginienſi obtinuerit, ſpeciatim docet. Subdit recenſionem Regum Gothorum & Suevorum. *Cap. II* delineat *Eccleſiam Hiſpanicam Sec. V* & *VI a S. Innocentio I ad S. Gregorium M.* In Seculum *V* conjicit originem Vicariatus Apoſtolici, qui jura Metropolitarum non ſubverterit. Habuiſſe Vicarium cum Primatis dignitate affinitatis multum, non tamen Primatum & Vicariatum unam eandemque dignitatem eſſe, contra *Jo. Morinum* & *Lud. Thomaſſinum* pertendit. De Notariis obſervat, non hos unius fuiſſe generis, alios fuiſſe *regionarios*, alios *ſacræ ſedis*; alios nominari *pontificios*. Ex illis primum appellari S. *Turibium Aſturicenſem*, quanquam merus ſuffraganeus Metropolitæ Bracarenſis fuerit; qui, Apoſtolica munitus autoritate, juriſdictionem aliquam

171. 172. 174. 175. 177. 185. 197.

aliquam in alienis provinciis exercuerit, quod proprium fuerit Patriarcharum, Primatum, ac Vicariorum ſacræ ſedis. Ma-
Pag. 200. nifeſtum hoc fuit factum in negotio Priſcillianiſtarum. *Cap. III* de *diſciplina Eccleſiæ Hiſpaniarum a S. Innocentio I ad S. Gregorium M.* exponit. Quædam adhuc de Vicariatus dignitate adjungit, quam abſque diſcrimine Pontifex Epiſcopis pro meritis ſuis contulerit, unde tamen ſedibus ſuis non dignitas aliqua acceſſerit, quod exemplo *Turibii* & *Joannis*, Illicitanæ eccleſiæ Epiſcoporum, comprobat. Pro *Illicitanus Iſidorum Mercatorem* minus recte legiſſe *Malicitanus*, & *Harduinum Malacita-*
212. *nus*, notat. Qualis diſciplina Seculo V viguerit, non facile definiri poſſe, fatetur, cum poſt Arianorum impreſſionem toto illo Seculo nullum Concilium celebratum fuiſſe legatur, niſi quod in cauſa Priſcillaniſtarum fuerit convocatum. Poſt id tempus Decretis Pontificum atque Conciliorum Canonibus omnem diſciplinam circumſcriptam fuiſſe, per ſingulas Hiſpaniæ provincias
232. eundo, ſigillatim docet. *Cap. IV* de *judiciis Eccleſiæ Hiſpaniarum Sec. V & VI* agit. Totus in eo eſt Autor, ut doceat, Hiſpaniam per illam tempeſtatem ſupremam Pontificis Rom. autoritatem circa doctrinam fidei, Epiſcopos, & diſciplinam, agnoviſſe; qua occaſione calamum ſtringit in *Dupinium*, & alios Romanæ eccleſiæ doctores, qui jus hoc ſupremum & abſolutum, nec
252. ulli errori obnoxium, Pontifici ereptum eunt.

Tomus II, inſcriptus Eminentiſſimo Eccleſiæ Romanæ Purpurato, *Armando Gaſtoni de Rohan*, cujus etiam effigies præmiſſa, *IV* abſolvitur *Diſſertationibus*.

Diſſ. IV eſt de *Eccleſia Hiſpana Sec. VII ſub Catholicis Gothorum Regibus. Cap. I de Regibus Gothorum Catholicis* diſſerit. Initium facit Autor a *Reccaredo*, qui primus ex Gothicis Regibus religionis Catholicæ regnum Hiſpaniæ adiit A. 586 menſe Aprili. Regnum erat electivum, unde crebriores motus exorti. Eligebantur ex gente Gothorum, & quidem nobilitatis habebatur
1-8. ratio. Electi ſolenni ritu in urbe Toletana inaugurabantur, oleo ſacro in ipſorum caput ab urbis illius Epiſcopo infuſo, edita ante confeſſione de præſidio ac patrocinio religioni Catholicæ præſtando. Ritum inungendi Reges Hiſpanos anti-

quiorem

Digitized by Google

quiorem eſſe illo Gallorum, ad quos hic mos a Gothis, Hiſpanis, & aliis populis, demigrarit, ſtatuit. Epiſcopos ſummam in Reges dignitatem contuliſſe, contendit; quare ipſi etiam, ubi legibus non ſtetiſſent, & quædam contra jura populi, potiſſimum eccleſiæ, moliti eſſent, exauctorari, & populus a juris- Pag. 10-16.
jurandi religione exſolvi, potuerit, quod Seculo VII *Suintbilani* & *Wambani* eveniſſe probat. Regibus multum deferri honoris 17-25.
ſolebat, Epiſcopi & omnis Clerus jurejurando ſe obſtringebant illis, quorum mutuis officiis regni incolumitas ſtabat. *Caput II de officiis palatinis Regum Catholicorum Sec. VII* inſcriptum eſt. Illa non colligit ex *Petro Pantino*, Belga, qui in *Commentario de officiis* his multa inutilia, multa etiam falſa, congeſſit, ſed ex lege Wiſigothorum, quæ dicitur *forum judicii.* Has leges primus tulit *Chindeſuinthus* A. 643, publicatæ ſunt A. 647; ſi quis vero caſus incidiſſet, qui lege definitus non eſſet, coram Principe diſceptatio inſtituebatur, qui legem novam prioribus adjungebat. In his declarantur officia *primi*, ſive *majoris*, *infe-* 25-30.
rioris, & denique *infimi*, *ordinis*. *Primum ordinem* abſolvebat flos nobilitatis, ex qua etiam Rex eligi poterat, & veniebant nomine *Procerum*, *Ducum*, & *Comitum*, ex quibus Duces provinciis, Comites uni præficiebantur urbi, quorum tamen jurisdictionem & autoritatem moderabantur Epiſcopi, nec Rex legem publicabat, quam non ante cum Epiſcopis communicaſſet. *Gardingi*, qui etiam ad *primorum* ordinem ſpectabant, 30-36.
erant Comitibus & Ducibus dignitate inferiores, poterant tamen cum tempore ad Comitum & Ducum dignitatem adſcendere. *Inferioris* ordinis Princeps erat *Tyuphadus*, cujus munus pariter domi & bello inſigne erat, in minoribus oppidis jurisdictionem exercebat, ſubordinatus Comiti. Paucis hinc delibatis 36-40.
de *millenariis* & *quingentariis*, quorum illi manum millium, hi quingentorum, ductabant, differit de *pacis aſſertoribus*, *defenſore civitatis*, *numerario*, & *villico*, quodque munus obierint, breviter declarat. *Cap. III de Eccleſia Hiſpaniarum Seculi VII* exponit. 41-44.
Fortunam Hiſpaniæ ob concordiam regni & ſacerdotii hoc Seculo ad ſummum felicitatis faſtigium evectam fuiſſe, prædicat. Epiſcopi legebantur, qui doctrina & vitæ ſanctimonia eminebant.

Digitized by Google

bant. Decretis ſedis Romanæ ſe libentes ſubmittebant, &, quoties
in confirmationem ſententiæ plures citabant doctores, Pontificis
Pag. ſingularem rationem habebant. Toto Seculo VII nullus vicarius
45-62. Pontificis eccleſiæ Hiſpanicæ præfuit. Archiepiſcopus Tole-
tanus omnibus Epiſcopis dignitate erat ſuperior, nec tamen is,
vel alius Metropolitarum, ullum ab Romano Pontifice privile-
gium accepit. Metropolitæ dignitate omnes erant æquales,
quale quid obtinuit etiam Sec. VIII in Galliarum regno. Vicario
Pontificis opus non erat, quia in obſequio Canonum & legum ec-
62-69. cleſiæ perſiſtebant Rex, Proceres, & Epiſcopi. *Caput IV Concilia,*
tum nationalia, tum provincialia, Hiſpaniarum per Sec. VII perſe-
quitur. Præmiſſa diſtinctione inter Concilia *univerſalia*, ſive *natio-*
nalia, & *provincialia*, deſcribit rationem, qua ingreſſi templum,
conſederint, & Concilium inter preces aperuerint, collatis in-
ter ſe diverſis deſcriptionibus, quæ a ſe invicem differre viden-
69-81. tur. Priores tres dies impendebant definiendis fidei dogma-
tibus, & illis, quæ ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectabant,
quibus laicis intereſſe integrum non erat, reliquis diebus tra-
81-89. ctabant negotia tum Clericorum, tum laicorum. Convo-
cabantur a Regibus, quos tamen hoc ipſo poteſtatem a Pon-
tifice conceſſam effectui dediſſe, opinatur, quod ab omni tem-
pore obtinuiſſe, ex Conciliorum hiſtoria adſtruere laborat.
89-95. Illa ſubſcriptione confirmarunt Palatini officii proceres, non
quo ab ipſis autoritas Canonibus accederet, ſed ut viderent,
95-98. quo illi obſervarentur. Concilia Hiſpanienſia non ad modum
comitiorum in Galliis habitorum componenda eſſe, contra
Thomaſſinum demonſtrat, &, quæ inter utraque differentia fue-
98-108. rit, copioſe oſtendit. *Caput V diſciplinam Eccleſiæ Hiſpaniarum*
per Sec. VII deſcribit. Antequam ad deſcriptionem diſciplinæ ec-
cleſiæ accedat, agit de ordinationibus Clericorum, quales inde
ab antiquiſſimis eccleſiæ temporibus locum habuiſſe, & inde
108-114. in eccleſiam Hiſpanienſem introductas fuiſſe, pronuntiat. Le-
ctor ante Sec. VII Evangelium & Epiſtolam legebat, cui apud
Afros lectio Evangelii tantum concedebatur. Subdiaconos in
Eccleſia Romana uxoribus abſtinere oportebat, vel cælibes
manere, qui ad Sec. XII inter minores Clericorum referebantur,

tur,

Digitized by Google

tur, quo loco etiam in eccleſia Hiſpana habebantur, & a matrimonio abſtinere cogebantur. Ad Sec. IV uſque lex continentiæ Subdiaconis ſcripta non erat. Inde ab A. 653 Subdiaconi ordine minorum Clericorum ſunt exemti. Deſcribit inde electionem, conſecrationem, & officium, Epiſcoporum, qui & doctrina & vitæ integritate ſe commendare debebant. Eligebantur a Clero & populo, ſed poſtea illud jus ſibi vindicavit Rex, qui totam hanc rem cum Metropolita tranſegit, quod Autor improbat. Conſecratio peragebatur die dominica, prævia promiſſione, ſe velle Catholicam religionem ſincero animo cuſtodire, & cautione præſtita Metropolitæ, de qua incertum, num ſcripto eam ſint complexi. Progreditur Autor ad declaranda officia Epiſcoporum, quæ, cum ante per ignorationem male adminiſtrarentur, *Leander* & *Iſidorus* ad antiquam regulam revocavit. *Chorepiſcopi* in vicis & villis gubernabant eccleſias, & conſtituere poterant Lectores, Subdiaconos, & Exorciſtas; Presbyteros & Subdiaconos ordinare, integrum ipſis non erat. *Pſalmiſta*, ſive cantor, ex minoribus ordinibus legebatur, qui ſola juſſione Presbyteri abſque Epiſcopi conſcientia poterat conſtitui. *Caput VI mores atque judicia Clericorum Hiſpaniæ per Sec. VI* exponit. Mores Clericorum quales eſſe debuerint, definitur in Canonibus. Potiſſimum requirebatur caſtimonia, ne quod commercium cum fœminis haberent; qui contra veniebant, vel in monaſterium detrudebantur, vel muneribus ſuis exuebantur. Formam judiciorum ab eccleſia Africana ad Hiſpanam tranſiiſſe, contra *Thomaſſinum* negat, vivo ſcilicet *Gregorio M.* formam judicandi in eccleſiis Hiſpanicis accommodatam fuiſſe decretis Sardicenſibus, poſt illum omne commercium inter Hiſpanos Præſules & Pontificem Romanum fuiſſe interruptum, exemplis & ex Canonibus probatum reddens. In Conciliis cauſæ omnes tum Clericorum, tum laicorum, diſceptabantur. Ab Epiſcopo ſuo poterat quis provocare ad Metropolitam, imo a Metropolita, antequam Primatus Toletanus eſt inſtitutus, recurſus dabatur ad Regem, qui hoc in mandatis dabat Epiſcopis, ut toti negotio finem imponerent. A minoribus cauſis ad majores Autor pedem promovet. Epiſcopi

Pag. 114-122. 125,126. 127-135. 135-140. 140-148. 143-150. 150,155.

ſcopi abdicabantur in Concilio a Metropolitis & Epiſcopis, minus a Presbyteris In alias ſedes Epiſcopi transferebantur, quæ in re aliquantulum a priſcis Canonibus diſceſſerunt, &, autoritati ſedis Romanæ, cum illius autoritas non interceſſerit, multum eos derogaſſe, indignatur. *Caput VII eccleſiaſtica beneficia Hiſpaniarum eodem ævo* perſequitur. Horum originem repetit a Concilio Toletano II, in cujus Can. 4 præcipitur, ſi quis Clerico agellos, vel incolas, donaverit ſuſtendandæ vitæ cauſa, poſſe eum poſſidere ad obitum uſque, illo vero decedente, jus ad eccleſiam redire; cujus vero conſtitutionis veſtigia jamdum quædam in Canonibus ſuperiorum Conciliorum deprehenduntur. Harum partem aliquam Clericis ſuis aſſignabant Epiſcopi, ad quos diſpenſatio & adminiſtratio ſpectabat. Quorum incuria cum bona illa minus recte adminiſtrarentur, fundatores, quamdiu ſuperſtites erant, id efficere poterant, ut rectores idonei præficerentur, & Epiſcopis ordinandi offerrentur, unde tamen jus patronatus elicere non liceat. Dicebantur illi *Oeconomi*, ex Clericis lecti, qui juſſu & arbitrio Epiſcopi ſui beneficia illa in conſtructionem & reparationem Baſilicarum, inque ſuſtentationem Clericorum, impendere debebant, tertia pars fructuum ſpectabat ad Epiſcopum, qui tamen aliquid inde in reparationem vel propriæ, vel alienæ, eccleſiæ dabat, quædam pauperibus laicis accidebant. Bona hæc immunitate a vectigalibus regiis gaudebant. Epiſcopi, quorum opes exeunte Sec. VII nimium excreverant, ſponte ſua Regibus aliquid contribuebant. Canones, contra ſimoniam in diverſis Conciliis lati, proferuntur. *Caput VIII* de *Primatu eccleſiæ Toletanæ* agit. Hujus inſtauratio repetenda ab *Urbano* II, Seculo XI inclinante, poſtquam *Alphonſi* Regis virtute urbs Toletum barbaris erepta eſſet, quod ægre admodum tulit Archiepiſcopus Narbonenſis, contra nitentibus pariter Metropolitanis Tarraconenſi & Bracarenſi. Cujus rationem ut dilucidius declararet, illum confert cum Patriarchatu Conſtantinopolitano & Primatu Carthaginienſi. De prioris orgine, progreſſu, & contentionibus cum eccleſia Romana, ex ſententia ſocietatis ſuæ differit. Poſterior circumſcriptus erat, pendebat, ex Ven. Autoris mente

Pag. 155-161. 162, 163. 163-172. 172-178. 178-182. 182-184. 184-189.

ab ſed

ab ſede Romana, avtocephalus non erat, ipſi tamen inſignia competebant privilegia, ipſius nutu Concilia in Africa inſtituebantur, & jus in omnes Africæ provincias exercebat. A quo tempore Toletum ſedes regia totius regni Hiſpanici evaſit, dignitas etiam metropolitani Toletani, qui ante æquali jure cum reliquis Metropolitis gaudebat, eſt aucta, ut ipſum reliqui Epiſcopi omnes reſpicere debuerint. Quæ ubi per Saracenorum violentiam nimium quantum imminuta erat, illis ejectis, priſtino nitori eſt reſtituta, confirmata tandem autoritate Pontificis Romani. Pag. 190-193. 194-208. 208-210.

Diſſ. V de *ſacri pallii antiqua & nova diſciplina* diſputat. *Cap. I* de *pallio miſſo ad S. Leandrum, Hiſpalenſem Epiſcopum, a S. Gregorio M.* agit. Voluit in eo *Gregorius* teſtimonium amicitiæ exhibere, quam, cum *Leandro* Conſtantinopoli contractam, poſt per omnem vitam continuavit. *Gregorius* urbem Conſtantinopolim adiit A. 581, rediiſſe videtur circa A. 587. *Leander*, Epiſcopus factus, evitaturus Arianorum furores, Conſtantinopolin conceſſit A. 584, in Hiſpaniam rediit A. 587, *Recaredo* ad regni ſolium evecto, qui Catholicis favebat. 211-215. *Gregorius* igitur, cui in iſto receſſu innotuerat *Leander*, cum ſedem Pontificiam conſcendiſſet, illi, non rogatus, teſtificandi amoris ſui ergo, miſit pallium, cujus uſus ante in Hiſpania erat ignotus, nec delatum eſt eo, niſi A. 599, menſe Julio, ad ſummum Auguſto, cum *Leander*, exeunte Februario ejus anni, vivis ereptus eſſet. 219-226. *Cap. II* de *ſacro pallio, tum occidentali, tum orientali*, differit. Pallium Pontificis deſignabat ſupremam in eccleſiam poteſtatem; ubi illud Epiſcopis concedebatur, decus ſacerdotalis officii atque conjunctio cum D. *Petro* ſignificabatur. 231, 232. Illius uſum inde a *Petri* temporibus obtinuiſſe, maxime a quo tempore perſecutiones deſævierunt, aſſeverat. Pallium orientalium idem habet cum Romano, pariter profectum a *Petro*, qui ſedem Antiochenam & Alexandrinam per *Marcum* fundaverit; hoc tamen diſcrimen interceſſiſſe addit, ut pallium occidentale argumentum eſſet poteſtatis in univerſam eccleſiam, orientale vero ſignum eſſet, quod in aliquam tantum partem ſolicitudinis & autoritatis eccleſiæ veniret. Ex mente *Gregorii* pallium 232-239.

Digitized by Google

erat humilitatis & juſtitiæ quædam velut teſſera; origo igitur illius ab imperatoria veſte non eſt petenda, quod, ubi Epiſcopis, vel Metropolitanis, eſt transmiſſum, fuit ſignum unitatis ipſorum cum eccleſia Romana. Non tribuebatur niſi petentibus, & quidem illis eccleſiis, quibus jus pallii jamdum ante fuerat, vel quarum Præſules inſignibus meritis eminebant. Ad *Leandrum* ut pallium transmitteretur, in cauſa fuerunt ingentia merita, quibus ob exſtirpatos Arianos ſedem Romanam ſibi obſtrinxerat. *Cap. III* de *diſciplina veteri & nova ſacri pallii*

Pag. 236-250. nos docet. Commentatur hic Autor de diſciplina pallii ante & poſt Sec. VIII, quam *Gregorius M.* cumprimis invexit, de illius transmiſſione ad Metropolitas Italos & extra Italiam, illius

250-272. uſu, & annexis beneficiis.

Diſſ. VI de *origine*, *fundatione*, & *inſtitutis*, *monaſteriorum Hiſpaniæ* commemorat. *Caput I eſt de origine monaſteriorum Hiſpaniæ.* Ante Sec. VI nulla monaſteria in Hiſpania fuiſſe, demon-

273 277. ſtrat. Primum *Dumienſe* conſtituit *Martinus Turonenſis*, primum

277 279. Turonenſis, inde Bracarenſis, Epiſcopus, A. 560, quo de monaſterio & Epiſcopatu Dumienſi aliqua afferuntur. Monaſterii & Epiſcopatus arcta erat conjunctio, & Monachi muniis ſacris in æde Cathedrali fungebantur. Loquitur hinc Autor de monaſterio *Servitano*, a *Donato* Afro A. 570 condito, *Biclarenſi*, & aliis,

279-298. ab eo tempore excitatis. *Cap. II* de *fundatione monaſteriorum Hiſpaniæ* differit. Licet monaſteria originem ſuam non debeant Epiſcopis; nihilo tamen minus illa poſt in eorum poteſtatem conceſſerunt, ut ab illorum arbitrio non ſolum opes, verum etiam monachi, penderent; cavere autem ſibi debebant, ne facultates in uſum ſuum converterent, vel illis per ipſorum culpam detrimenti aliquid inferretur. Monachi a reliquis Clericis non differebant, niſi ſtrictioris regulæ obſervatione, & toti

298, 299. in Epiſcoporum poteſtate erant. Laicis, qui ex ſuis opibus monaſteria locupletarant, vel ſtruxerant, jus patronatus in in illa non competebat, quod contra *Thomaſſinum* adſtruitur; ſaltem tale quid prioribus Seculis VII non obtinuit, licet poſt

299-203. in more eſſe cœperit. Jus patronatus in monaſterio laici ſunt nacti a tempore expulſionis Saracenorum, ſive Maurorum,

quod

Digitized by Google

quod tandem a Romanis Pontificibus eſt confirmatum, quibus tamen ullum jus in bona monaſteriorum, quæ in perpetua eccleſiaſtica poteſtate erant, ſibi vindicare integrum non erat. Reges Hiſpaniæ, templa & monaſteria ex Saracenorum manibus eripientes, eademque in priſtinum ſtatum reſtituentes, peculiare jus ſibi acquiſiverunt. *Cap. III* de *inſtitutis, ſive regulis, monaſteriorum Hiſpaniæ ante Saracenos* exponit. Inſtituta monachorum in Hiſpania ante Saracenorum irruptionem ad regulam *Benedicti* minus compoſita fuiſſe, diſputat adverſus *Mabillonium*, docendo, ipſos ante Sec. VIII in ſeculari habitu vitæ contemplativæ, & virtutum ſtudio, ad ductum inſtitutorum primorum, aut Epiſcoporum, qui vivendi regulas ex antiquis Patrum decretis collegerint, ſe dediſſe. In Hiſpaniam nec ullum diſcipulorum *Benedicti* profectum eſſe, nec illius regulam eo eſſe miſſam. In Galliarum regno regula *Benedicti* paſſim introducta Sec. VIII, in Hiſpania demum Sec. IX, quam tamen non integram ſunt amplexi, ſed ex aliis regulis, vel antiquorum Canonibus, aliquid adjecerunt, ita tamen, ut omnes omnibus præſcripſerint, ſed rationem profectuum in ſtudio virtutis habuerint. Componit hinc regulam *Donati*, quam dedit monaſterio Servitano, quo ſic appareat, illam cum Benedictina commune aliquid non habuiſſe; confert item regulam *Dumienſis* & *Biclarienſis* monaſterii, itemque *Iſidorianam*. Qui primi monaſteria in Hiſpania erexerunt, inſtitutum illud aliunde advexerunt; *Martinus Dumienſis* & *Joannes Biclarienſis* ex Oriente, *Donatus* ex Africa, venerunt. Neque *Leander* Conſtantinopoli quidquam, quod ad inſtitutum monaſticum attinet, detulit.

Pag. 303-307. 309. 311-317. 318-322. 322-327. 327-329. 329-331.

Diſſ. VII de *antiqua Eccleſiæ Hiſpanæ liturgia* agit. In illa diſſerit tantum de liturgia, quæ per VII Seculum obtinuit in Hiſpania, & *Iſidoriana*, ſive Gothica, dicitur. Hanc ſequitur *Diſſertatio VIII de Miſſa Hiſpana tum catechumenorum, tum ſacrificii per ſeptimum Seculum*. Deſcribit officia Archidiaconi, Primicerii, & Theſaurarii, ex *Iſidoro*, quæ ea de cauſa enarrat, quo appareat, liturgiam Gothicam a vulgata Moz-arabum diverſam eſſe. Exponit rationem liturgiæ *Iſidorianæ* ex ipſius illius libris, Conciliorum-

332. 333-335.

liorumque gentis Hiſpanæ decretis. Et, quoniam Miſſa illis temporibus dividebatur in miſſam catechumenorum & ſacrificii, utriusque rationem ſecundum ritum *Iſidorianum* declarat. Poſt Saracenicam invaſionem ritus is depravatus eſt in Galliis, miſtusque cum Gallico, alius ad *Ximenii* ætatem eſt ſervatus, qui, plurima acceſſione facta, typis vulgavit Moz-arabicum, falſo creditum *Iſidorianum*. Purum putum rituale *Iſidorianum*
Pag. 335, 346. adhuc non eſt editum. Rituale *Moz-arabum* diſtinctum eſſe ab *Iſidoriano*, inde probat, quia ſecundum illud hoſtia in novem partes dividenda, qui mos diſcedit a conſuetudine Lati-
346-350. norum, qui in tres, Græcorum & reliquorum orientalium, qui in quatuor, partes dividunt. Scopus ipſius fuit, ut Catholicorum Regum Sec. VII pietatem, religionem, ſummamque in ſacerdotes Dei reverentiam, palam faceret; ſacerdotum Hiſpanorum doctrinam, ſanctimoniam, ſuosque in Reges obſequium, vindicaret, corruptam denique diſciplinam,
-354. ritusque, ab eccleſiæ Romanæ, qua Hiſpani uſi ſunt magiſtra, abhorrentes ingenio, inde ablegaret.

Sequitur Eccleſiæ Hiſpanæ chronologia, tum civiles,
355-376. tum ſacras, res Hiſpanas VII priorum Eccleſiæ Seculorum dirigens, & illuſtrans. Utrique *Tomo* Index rerum præcipuarum eſt ſubjunctus, mendæ ſolicite ſunt ſublatæ, typi & charta ſuo ſe nitore commendant.

DE S. ALBERTO, CONFESSORE BERGOmenſi, Cremonæ denato, tertio Ordini S. Dominici adjudicando, Diſſertatio hiſtorica.

Bononiæ, ex typographia S. Thomæ Aquinatis, 1741, 8.

Plag. $3\frac{1}{2}$.

Confecerat Rev. Pater *Emenegillus Todeſchini*, Mantuanus, Magiſter Ordinis Prædicatorum, opuſculum aliquod, quo tum epocham S. *Alberti* emortualem ab inveterato errore, qui eam ad Seculum poſt C. N. XII refert, emendare, tum, quod *Albertus* tertio S. *Dominici* Ordini nomen dederit, demonſtrare, ſtuduerat. Hujus laboris ſpecimen Romam ab Autore

Digitized by Google

tore miſſum fuerat, quod hic, veſte Latina tectum, compareat, et ad id in publicum prodit, ut *Albertus* tandem aliquando Prædicatorum Ordini vindicetur. *Caput I* rationem vitæ S. *Alberti* in compendio tradit. Oriundus is fuit loco haud ignobili, oppido agri Bergomenſis, quod pagi Aonii nomine plerumque ſalutatur. Id factum ſub initium Seculi XIII. Parentibus uſus eſt agriculturæ ſtudioſis, cui vitæ generi & ipſe aſſuetus, a puero ruri colendo vacavit. Quo tamen a labore abſtinuit, cum, pietatis ſtimulis agitatus, domum linquens paternam, Cremonam diſcederet. Hic Fratribus Ordinis Prædicatorum in Cœnobio *Guilielmi* ſe commiſit, ab iisque habitum Fratrum de Pœnitentia, qui tertii Ordinis S. *Dominici* Patres dicuntur, accepit. Lucrum, quod ex laboribus ipſius aſſiduis provenerat, omne fere in pauperes, pietate ductus, contulit. Peregrinationibus ſacris, religionis cauſa ſuſceptis, ſæpius vacavit, ex quibus indicari merentur Romana, Compoſtellana, atque Hieroſolymitana. His aliisque pluribus tranſactis, Cremonæ in morbum letalem incidens, Nonis Maji anni 1279 diem obiit ſupremum. Exanime corpus in chorum Eccleſiæ S. *Matthiæ* illatum fuit. *Caput II*, epocham *Alberti* emortualem anno 1279 aſſignandam eſſe, docet. Cum enim pleriſque, ut queritur Autor, annum mortis 1190 conſtituendum eſſe, perſuaſum ſit, quo nullum adhuc Ordinis *Dominici* veſtigium compareat; communem hanc plerorumque ſententiam repudiat, allatis ſcriptoribus ſynchronis, ſupparibus, aliisque optimæ notæ. Subjiciuntur igitur oculis teſtimonia ſcriptoris *Chronici Parmenſis*, *Petri Mariæ Campi*, *Dominici Bordigali*, *Jacobi Gaddii*, plura aliorum, ex iisque error emendatur ac profligatur. *Capite III* argumenta ſuccedunt negativa. Provocatur ad altum de anno 1190, velut emortuali *Alberti*, ſilentium apud *Sicardum*, Epiſcopum, autorem *Chronici Cremonenſis*, ac *Martyrologium Capituli Cremonenſis*. *Capite IV* Autor inveſtigatur epochæ, falſo conſtitutæ, ſubnexa occaſione ipſius erroris. Autor dicitur *Marcus Antonius Benaleus*, cujus incertis veſtigiis alii inſtiterint. Cauſam vero Noſter inde repetendam exiſtimat, quod ſequiores Hiſtorici apud *Matium* ac

Digitized by Google

Bellegrinum legerint, S. *Homobonum* funeri interfuiſſe S. *Alberti*, ejusque ſocium exſtitiſſe. Quam tamen proſcribi, atque ad Græcas amandari fabulas, jubet. *Caput V* copioſe docet, S. *Albertum* Fratrem exſtitiſſe de Pœnitentia, ſeu tertii Ordinis *Dominici*. Confirmatur hæc res teſtimonio *Chronici Parmenſis*; trium *Statutorum Cremonenſium*, *Bullarii magni*, pluriumque ſcriptorum. *Capite VI* continuatur ejusdem rei probatio, advocatis antiquis S. *Alberti* imaginibus, de quibus plures iterum ſcriptores excitantur. *Caput VII* cultus *Alberti* originem indagat, & progreſſum ejus docet. Hunc derivandum non eſſe, Noſter indicat, ex decreto Sedis Apoſtolicæ, ſed ex ſola populorum conſenſione. Cultum probat *Sancti* nomen, quo ornatur *Albertus* in *Statutis Cremonenſibus*. Idem docet *Calendarium* Eccleſiæ, cui *Feſtum Alberti* inſertum. Ad idem caput refertur etiam translatio corporis *Alberti*, eaque gemina, altera A. 1481, altera A. 1652. Additur veneratio apud incolas pagi Aonii, Vallisque Serianæ. Denique de templo, *Alberto* ſacro, A. 1608 erecto, quædam commemorantur. Vini bajulos hunc præſertim Patronum venerari, adjicitur. His transactis, tum Index ſuccedit Alphabeticus Scriptorum, a quibus de vita rebusque *Alberti* exponitur, tum ſummarium documentorum, quæ ipſa in Diſſertatione laudantur.

RECHERCHES SUR LES VERTUS DE L'EAU de Goudron, &c.

hoc eſt,

DISQUISITIO VIRTUTUM AQUÆ PICIS liquidæ, cui meditationes philoſophicæ de aliis rebus annexæ ſunt. Ex Anglico opuſculo Doctoris GEORGII BERKELEY, Epiſcopi Cloynenſis, in Gallicam linguam translata, additis duabus Autoris Epiſtolis.

Amſtelodami, apud Petrum Mortier, 1745, 8.

Alph. 1.

Medicamentorum vires diſquirere, ardua omnino res eſt, quam Cel. Autor non ſuſcepiſſet, niſi caſu quodam ad aquam

aquam picis liquidæ deductus, ejus virtutes experientia iterata cognoviſſet. Obſervata igitur ſua proponens, inſperſis aliis meditationibus, hiſtoriam picis liquidæ, & medicamenti, inde præparati, ſolide & nitide expoſuit. In quibusdam Americæ locis aquam picis liquidæ conficiunt, libras aliquot aquæ frigidæ æquali parti picis liquidæ affundentes, tumque vas commoventes, & iterum reponentes, donec pix liquida, & quæ eidem inhærent, ſubſideant. Cum aquæ hujus partem in uſus ſuos impendunt, æqualem iterum addunt, quouſque aqua vires per odorem & ſaporem cognoſcendas ſuſcipere valet. Quoniam vero gradus virium ſub hoc præparationis modo differunt; Autor noſter ſequentem exhibet: Octo libras circiter (*4 pinte*) aquæ frigidæ tribus circiter libris (*1 pinte*) picis liquidæ affundantur, & baculo ligneo fortiter commoveantur; ſubſideant omnia per octo & quadraginta horas, ſpuma cochleari removeatur, & aqua picis liquidæ in lagenis puris ſuſcipiatur. Cognoverat Autor noſter in quibusdam provinciis Anglorum, in America ſitis, infuſum hoc frigidum ad corpora a variolis præſervanda adhiberi; inde ſimili modo periculum fecit, & multos a nimia variolarum efflorescentia, & aliis ſymptomatibus malignis, immunes reddidit. Bibitur vero matutino & veſpertino tempore libra una (*demi pinte*) aquæ, & doſis pro ratione ætatis & indolis ægroti imminuitur, vel augetur, ita ut ventriculi inprimis habeatur ratio. Cum autem uſus aquæ in variolis adeo ſalutaris eſſet; illam quoque in aliis & diverſis morbis cum ſucceſſu exhibuit, e. g. in impuritatibus omnibus maſſæ ſanguineæ, in exulceratione inteſtinorum, pleuritide, peripnevmonia, febre ereſypelatode habituali, &c. Quo vero natura hujus medicamenti magis pateat, præparationem picis liquidæ, apud veteres & recentiores uſitatam, deſcribit. Arbores ſemper virentes reſinoſæ, ſi oleo ſuo & ſale acido abundant, per corticem inprimis ſauciatum, plus minus ſpiſſum & coagulatum liquorem effundunt, qui, licet non ex terebintho tantum, ſed ex aliis quoque arboribus, fluat, terebinthina vulgo dicitur, & inſpiſſata & ſicca reſina appellatur, gummoſis tamen & reſinoſis particulis æque abundat.

Digitized by Google

Quodſi vero tales arbores igne ſuppreſſo comburantur, pix liquida inde effluit. Quantum igitur hæc omnia natura ſua inter ſe conveniant, ex præparatione & ortu ſatis apparet. Aqua frigida affuſa non oleoſam & calefacientem partem, ſed acidam ſalinam, & huic junctam aliquam volatilem & ſubtiliſſimam, partem, quæ balſamica dici poſſet, educit, quam ob rem ejus vis ab oleo terebinthinæ & ſimilibus medicamentis calidioribus longe aliena eſt. Autor poſtea diverſa arborum genera, ex quibus hic liquor exſudat, deſcribit, & porro oſtendit, chemicum ignem, educendo partes, easdem non ita elicere, ut natura, quæ mitiores & corpori humano magis amicas per corticem expellit. Qua occaſione de ſuccorum in plantis motu & præparatione multa, a Phyſicis huc uſque declarata, repetit, & ad ſuum argumentum applicat. Pergit poſtea in viribus aquæ picis liquidæ conſiderandis, ſtomachales & cordiales vires, elixirio proprietatis adſcriptas, in noſtra aqua eminentiores eſſe, oſtendens. Obſtructiones quoque ſine capillarium vaſorum ulla læſione reſolvit, &, cum debilitas & rigor fibrarum cauſæ plurimorum morborum inveniantur, ubique aquam hanc mederi aſſerit. Sapo, opium, & mercurius, ſunt medicamenta, quæ forſitan præ reliquis omnibus univerſalia dici poſſent; hæc tamen perverſos effectus ſæpius producunt, cum e contrario aqua noſtra non tantum innoxia, ſed & ſalutaris, inveniatur. In febribus quoque acutis, immo & malignis ardentibus, in uſum duci poteſt, quoniam, quicquid alii in contrarium moneant, calorem præternaturalem magis exſtinguit, quam excitat. Scorbutus eſt morbus in locis maritimis, & inter illos, qui itinera maritima inſtituunt, ferme univerſalis; aquam picis liquidæ non tantum huic morbo, ſed & hyſterico & hypochondriaco malo, immo omnis generis cachexiis, mederi, affirmat. Vitæ ſedentariæ dediti digeſtioni depravatæ & flatibus, inde ortis, obnoxii ſunt; his magis, quam alia calidiora medicamenta, aqua picis liquidæ convenit. Omnes vero morbos, in quibus hoc medicamenti genus levamen affert, recenſere, longum nimis foret. Id tamen urget Autor, ut uſus ad minimum per aliquot menſes continuetur, quod

quod eo commodius fieri poteſt, cum, ſi longius quoque protrahatur, effectus malignos non excitet. Nos quidem vires per experientiam aſſertas & comprobatas, aquæ huic adſcriptas, in dubium vocare haud poſſumus; id tamen monemus, quod experientiæ dubiæ, & diagnoſes morborum falſæ, Autorem, in Medicina practica non ſatis verſatum, fallere ſæpius potuerint. Interim tamen, cum ea, quæ Autor de hoc medicamento propoſuit, probabilitate ſua non deſtituantur, ulterioribus obſervationibus & experimentis accuratior virium deſcriptarum diſquiſitio relinquenda erit. Ea etiam, quæ breviter indicavimus, & copioſius in libello explicantur, non tantum Medici attentione ſunt digna, ſed multa etiam ex phyſicis continent. Agit enim Autor de ſalium inprimis acidorum indole, quousque in vegetatione concurrant, de acido univerſali aereo, de æthere, igne, & lumine, ſublimes etiam quasdam meditationes de anima mundi ex veteri Philoſophia ſubnectit.

HISTORIÆ HUNGARICÆ LITERARIÆ antiqui, medii, atque recentioris, ævi Lineamenta, quorum prolegomena, generalem in univerſam Hiſtoriam Hungariæ literariam introductionem continentia, prodeunt ſtudio ac ſumtu H. M. Hungari.

Altonaviæ & Serveſtæ, 1745, 4.

Alph. 1 plag. 7.

Seculum literarium, ad Hiſtoriam quod attinet, id, quo vivimus, merito nominabitur. Nulla propemodum gens eſt, quæ non peculiarem artium, ſcientiarum, eruditorum, ibi florentium, commemorationem, publicis literis conſignatam, habeat. Et ſane, quo talis accuratior, eo majorem delectationem atque utilitatem comparabit. Gaudet inprimis hac prærogativa doctiſſimi Viri inſtitutum, qui ſub nomine *H. M.* latere voluit. Ex ungue leonem cognoſcimus. Ita ſunt comparata prolegomena, ut omne merito punctum ferant, ac totius operis ſitim quaſi excitent vehementiſſimam. Fultus ac

Digitized by Google

nixus eruditiſſimorum hominum adiumento, rationem fuit inſtituti ingreſſus, a Cel. *Chriſtophoro Auguſto Heumanno* in libello, quem inſigni omnes plauſu exceperunt, inprimis obſervaram. Inde poſt prolegomena, quæ jam videmus, proponet *Libro I* originem literarum varii generis, & artem ſcribendi variam; *Libro II* ſtudiorum literariorum prima incunabula, incrementa, fatalesque converſiones; *Libro III* artes ac diſciplinas, Muſarumque Hungaricarum domicilia; & denique *Libro IV* ſcriptores ac ſcripta præcipua. Majus deinceps opus molitur, eundemque in finem, quicquid rarius vel inter Codices typis exſcriptos, vel inter monumenta non niſi manu exarata, libraria in ſupellectile reperiant eruditi, quam maxime poteſt, ſibi expetit. Noſtras nos quidem ipſi conjungimus preces, perfectum aliquid, ſimulque, ad ſtilum etiam quod attinet, perquam elegans, indidem ominati. Ideo etiam patronos, & liberales impenſas facientem, inſignesque labores largiter compenſantem, bibliopolam, boni publici ergo ei comprecamur, neutiquam fruſtra, quicquid eſt, impenſum iri ſpondentes, præcipue, ſi propoſiti tenax erit Noſter, pleraque ſcripta in uſum ſuum adhibens, quæ non ex indicibus, aut aliis hujus generis libellis, huc transſcripſit, ſed variis, iisque ſumtuoſis, moleſtis, ac plerumque periculoſiſſimis, itineribus literariis, collecta comparataque, poſſidet; ſingula porro cum judicio producens, &, quid in quolibet Autore laudandum, vel vituperandum, ſit, candide, ſine ullo gentis, aut ſacrorum, ſtudio præjudicato, declarans, unique litans veritati. Sed ad rem ipſam. Initium dicendi fit a modo acquirendi cognitionem hiſtoricam, ubi ſimul varia illius appellatio & uſus explicatur. Inde Hungarica ſingulatim Hiſtoria literata definitur, præterea non tantum nævi varii, verum etiam virtutes & ornamenta, quæ hanc artem commendant, afferuntur. His pro inſtituti ratione expoſitis, fidem quoque facere Hiſtoriæ ſuæ literariæ inprimis ſtudet Autor, præjudicatas opiniones indicat, cautionesque, tironibus inprimis utiles, una cum præſidiis in hoc ſtudiorum genere neceſſariis, ſubjungit. Nec partes, cum majores, tum minores, rationem item docendi, fontes, Autoresque nonnullos, qui de re Hun-

Hungariæ literaria ſcripſerunt, ut & alia, eo ſpectantia, adminicula, prorſus intacta relinquuntur. Ultimo loco addit eruditorum querelas, cenſurasque nonnullorum juſto rigidiores, atque ita integram Hiſtoriam Hungariæ literatæ, breviter adumbratæ, & momentorum, quæ generatim afferri debebant, tractationem, *XVII Sectionibus* minoribus abſolvit. Anteceſſorem, idem qui omnino inſtitutum ſervarit, agnoſcit nullum. Sunt tamen, qui aliquatenus poſſunt nominari. Antiquiſſimi jam harum regionum incolæ facta virorum illuſtrium, carmine patrio, publicis in conventibus recitare, atque ita alios oblectare, alios ad ſimilia heroum facinora incitare, conſueverant. Quod in aula quoque *Attilæ* regia uſitatum fuiſſe, vel ex Rhetore *Priſco*, teſte oculato, patebit. Huic addamus *Matth. Belii Juvencum Calanum*, Dalmatam, A. 1736 fol. Poſonii in *Apparatu Scriptorum Hungaricorum* recuſum. Notandum eadem occaſione, Hunnos, horumque poſteros, Hungaros, uſque ad tempora *Geyſæ* illud memoriæ atque annalium genus retinuiſſe. Sub *Attilæ* prope tempora *Hieronymus*, Stridonio-Pannonius, Polyhiſtor ſuæ ætatis eximius, cum ad alia, tum ad Hiſtoriam literariam illuſtrandam, animum adjecit, primusque fuit, quantum conſtat, qui de viris ſanctioris rei publicæ illuſtribus, & quidem ordine chronologico, commentatus eſt. *Stephanus Benczedi*, vulgo *Szekely*, vel Siculus, Gönczienſium antiſtes, in Chronico memorabilium mundi, lingua Hungarica ſcripto, & A. 1459, 4, Cracoviæ publicato, multos eruditorum recenſuit, remque literariam non raro illuſtravit. *Matthias Frankowicz*, cognomine *Flacius Illyricus*, in Centuriis Magdeburgicis, cum ſociis quibusdam ſcriptis, de eadem meruit. Initio Seculi XVII *Petrus Beſodnerus* Bibliothecam theologicam ſcripſit. Hinc *Dan. Lani* in ignea veritatis Evangelicæ columna egregium indicem Scriptorum, ad rem ſacram ſpectantium, exhibuit. Inprimis autem *Mart. Schmeizelius*, Corona-Transſilvanus, Profeſſor Halenſis, in univerſam Hiſtoriam literariam, lingua Germanica, introductionem dedit A. 1728. Maxime ad ſingulares Hiſtoriæ Hungaricæ ſcriptores ſpectant, qui *Sectione X* recenſentur, *Chartuitius* in Legenda de S. *Stephano*, *Thomas*

Spala-

Digitized by Google

Spalatenſis in Hiſtoria Salonitanorum ac Spalatenſium Pontificum; *Janus Pannonius* in poematibus ſuis, ut alios multos taceamus. Nominatim vero præſenti Seculo eminent *Mart. Szentivany*, S. J. ob vaſtum illud curioſorum & ſelectiorum ex variis ſcientiis miſcellaneorum tripartitum opus, Diſſertationem paralipomenicam rerum memorabilium Hungariæ, hujusque continuationem; qui melius illo fontes eruditæ antiquitatis ipſiusque eruditionis norat, *Franciſcus Foris Otrokocſi;* item *Franciſcus Pariz Papai*, inprimis ob rudus redivivum, ſeu breves rerum eccleſiaſticarum Hungaricarum juxta & Transſilvanicarum inde a prima reformatione Commentarios; *Georgius Hanerus* ob Hiſtoriam Eccleſiarum Transſilvanicarum; *Paulus Emſer Debreczeni* ob hiſtoriam eccleſiæ reformatæ in Hungaria & Transſilvania. Præcipuam denique laudem meretur *Matthias Belius*. Vel inde patet, quo jure ſcribere potuerit *Jac. Frid. Reimmannus: nullum unquam de re Hungarorum literaria, quantum ſibi conſtaret, aliquid ſcripſiſſe, aut ſcribere etiam quidpiam memoria dignum potuiſſe.* Sed vel indidem non minus patebit, nequaquam temere, vel imparatum, ad occupationem illam deſcendiſſe nobiliſſimum hujus inſtituti Autorem; præſertim cum & plurimos Codices manuſcriptos, *Sectione XVI* commemoratos, inſpiciendi atque adhibendi gaviſus fuerit occaſione.

Jacob Friedrich Reimanns eigene Lebens-Beſchreibung ꝛc. hoc eſt,

JACOBI FRIDERICI REIMANNI, MERITISSIMI ante Cœtus apud Hildeſienſes, puriora ſacra ſequentus, Antiſtitis, Senatus ſacri Aſſeſſoris, Gymnaſii Inſpectoris, ſuæ ipſius vitæ deſcriptio, vel hiſtorica de ſemet narratio, nominatim de perſona, deque ſcriptis ſuis, ex ipſius manu conſignato Codice communicata, ejuſdem ad mortem continuata, notisque ac breviori Præfatione inſtructa, a FRIDERICO HENRICO THEUNIO,

Digitized by Google

NIO, Regio Pruſſico Inſpectore Cœtuum ſacrorum & Scholarum tractus ſilveſtris in ditione Magdeburgenſi, & Paſtore Atzendorfenſium.

Brunſuigæ, in taberna libraria Schrœderiana, 1745, 8.
Plag. 18.

Sæpius jam *Reimmanni* vita literis conſignata legitur, ſed brevius ſemper atque imperfectius, ut hujus, ab ipſo conſignatæ, narrationis deſiderium facile moveri lectori poſſit. Jam *Jo. Ge. Leukfeldius* Antiquitatibus Grœningenſibus, A. 1710 publicatis, *pag. 200* nonnihil de rebus *Reimmanni* immiſcuit. *Leonh. Chriſtoph Rühlius*, Conrector Aſcherslebienſis, A. 1717, ſub nomine latens *Renati Chriſtophori Leonardi*, Schediaſma *de doctis Reimannis* publicavit, ubi, Noſtro munus ſacrum apud Hildeſienſes gratulaturus, ejusdem vitam expoſuit. A. 1726 apparuit *Clerus Mauritanus M. Fr. Gottlibii Kettneri*, quo in libello etiam *Reimmanni* in rem ſacram & literatam merita commemorantur. Nec *Gœttenius* ejus oblitus eſt in *Europâ erudita jam vivente P. I pag. 785.* Sed hæc omnia ita ſunt comparata, ut haberet *Reimmannus*, cur hujus libri editionem moriturus *Theunio* injungeret. Talem illius ſpem, tantum abeſt, ut hic falleret, ut ſuperaſſe propemodum videatur. Sane non abs re, cum de *Peireſcio* relatum legerat in *Menagianis Tom. I pag. 2*, illum epiſtolis eruditorum variis, ad ipſum exaratis, duo habuiſſe conclavia impleta, quibus deinceps fornacibus calefaciendis abuſi fuerint hæredes, tanto ille ſtudioſius iſta cimelia literaria ſervavit, indidemque occaſionem accepit, locupletiſſimas paſſim annotationes verbis *Reimannianis* adjungendi. Nos autem ad rem ipſam accingimur. Natus eſt *Reimmannus* A. 1668, die 22 Januarii, Grœningæ in Principatu Halberſtadienſi, patre *Andrea Reimmanno*, ſcholæ tunc ejus loci Rectore, ac deinceps ab anno 1674 uſque ad A. 1694 Schwanebergenſium in Ducatu Magdeburgico Paſtore. A patre domi antea doctus, Eglam, Aſcherslebiam, Magdeburgum, iterum Aſcherslebiam, Islebiam, ac denique Altenburgum, ſtudiorum humaniorum cauſa, ſe contulit. De poſtremo loco memorat, quod tunc temporis invitis doctoribus juvenes contemſerint *Ciceronem*, qui abundet dulcibus

Digitized by Google

tatibus, ſeque adjunxerint *Seneca*, dulcibus qui vitiis in eloquendo abundet. Ad altiora tractanda A. 1688 Jenam Noſter diſceſſit, ibique audivit in Ebraicis *Dantzium*, in philoſophicis *Jo. Andr. Schmidium* & *Jo. Phil. Treunerum*, quo & Præſide A. 1689 de Pædagogia Philoſophiæ ad revelationem ex ignorantia ortus linguarum primi diſputavit. Theologos ſecutus eſt *Jo. Guil. Bayerum*, *Fridem. Bechmannum*, & *Georgium Gœtzium*. Poſtquam duobus in locis magiſter fuerat privatus conſtitutus, commendante *Jo. Wolfio*, tunc Antiſtite Wernigerodano, A. 1692 Rector ſcholæ Oſterwicenſis vocatus fuit. Uxorem duxit A. 1693 *Conradi Havekeri*, Paſtoris Brumbienſis, filiam, *Annam Margaretham*. Eodem anno ad Halberſtadienſes, ut ſcholam regeret Joanneam, accitus eſt. A. 1698 ibidem ſcholæ *Martinianæ* præficiebatur. Eodem in loco in conſuetudinem, quem ſumme prædicat, *Leibnitii* venit, qui & ipſum deinde Ermslebiæ aliquoties honoris ergo acceſſit. Nimirum A. 1704 Paſtor primarius Ermslebienſis factus, cathedram ſcholaſticam cum ſacra commutavit. Ibidem maximam Bibliothecæ partem anno Seculi præſentis decimo igne amiſit. A. 1714 ad Magdeburgenſes abiit Diaconus, & paulo poſt etiam Canonicorum Bibliothecæ præfectus fuit. Inde in gravem ac diuturnum morbum incidit, quo ita affligebatur, ut, mortuum eſſe, non fama ſolum, ſed & Novis publici juris factis, paſſim innoteſceret. Denique A. 1717. Hildeſiam vocatus eſt. Quæ vocatio cum ſexta eſſet, in memoriam ſibi revocat *Nicolai Selnecceri*, quondam in munere Hildeſienſi anteceſſoris, verſum: *Septima me læto civem aſſignabit olympo*. Interim non ſolum rem ſacram juvit inſtituendo ſuos, atque inprimis veritatis fundamenta ponendo, & ſecus ſentientes ac litigantes calamo redarguendo, ſed etiam elegantiores literas fulſit Introductione in hiſtoriam linguæ Latinæ, Iliade poſt *Homerum*, ſive incunabulis omnium ſcientiarum, ex *Homero* erutis, & ſyſtematice deſcriptis, atque aliis lucubrationibus. Jam potius de ipſo Viro loquamur. Optimam is medicinam, qua ſemper uſus eſt, frugalitatem appellat. Singulis diebus Mercurii & Saturni citra votum manſit jejunus; ceteroquin victum adhibuit maxime vulgarem, potum vel omnino calidum, vel tepidum.

Motio-

Digitized by Google

Motioni corporis tam parce vacavit, ut intra quindecim annos ſuum ipſius hortum in ſuburbio non intraret, & per integrum triennium ei calcei ſufficerent. Studiis operam ſtando ſemper dedit, nec unquam ideo pedes habuit tumidiores. Neque tamen morbis omnino liber fuit, nimio forſitan literarum ſtudio contractis. Quibus cum aliquando affligeretur, nomine ipſi *Leibnitii* dictum fuit: *minus agendo, peragi poſſe plura.* Sermones, quos habuit, ſacros ad verbum antea literis conſignavit omnes, idque labore, ſi fieri poterat, continuo, iſtud *Quintiliani* probans *Lib. X Cap. 7: Bene concepti affectus & recentes rerum imagines continuo impetu feruntur, quæ nonnunquam mora ſtili refrigeſcunt, & dilatæ non revertuntur.* Ibidem plures Autores, variasque interpretum ſententias, non allegavit, neque controverſias tractavit, quas oppreſſit potius ac reſtinxit. Ad res domeſticas quod attinet, genuit 13 liberos eadem ex conjuge, quæ uno partu A. 1706 tres vivos filios, *Joannem, Andream, & Chriſtianum,* edidit, paulo poſt defunctos. Nepotes habuit 21, pronepotes 4. Inter ſingularia, de quibus ſapientiſſimæ divini Numinis providentiæ gratias agit, eſt etiam illud, quod ſcholaſticus doctor, antequam ſacer, fuerit conſtitutus, dum centum ſcholaſtici ad ſacrum munus ſint apti potius, quam unus ſacer ad ſcholam, propter tot, quæ hic requirantur, animi dotes, idoneus inveniatur. Quæ de impedimentis & adjumentis ſtudiorum profert, lectione digna, quæ de libris ſuis itidem, fuſiora, videntur; dum vel index eruditiſſimi Viri ſcriptorum ſpatium excederet noſtrum. Nota ſunt, quæ conſignavit, æternumque ipſi condent monumentum, ita ut vere ſcripſiſſe videatur, & hoc reſpectu, Editor: *IaCobVs FrIDerICVs ReIMannVs VIVet qVIetVs sIne fIne.* Diem nimirum placide, ac medias velut inter occupationes ſacras, obiit poſtremum, fortunatus, felix, beatus ſenex, anno 1743 Cal. Febr. cum annos vixiſſet 75, ipſo natali die, ſi ſtilum antiquum cum novo compares, ante Jubilæum gamicum diebus pauciſſimis.

ELOGIUM PIIS MANIBUS VIRI SUMME

Digitized by Google

Venerabilis Domini Hermanni von der Hardt, Cœnobii Mariæbergenſis Præpoſiti, Orient. Lingu. Prof. totius Academiæ Senioris, ſummi Philologi & Polyhiſtoris, publico Academiæ Juliæ Carolinæ nomine conſecratum, interprete CHRISTIANO BREITHAUPTO, Acad. Orat. & P. P.

Helmſtadii, ex officina Schnorrii, 1746, 4.
Plag. 6.

Non æmulatio modo, teſte *Paterculo*, ſed gloria etiam, atque immortalis poſt fata fama ſuperſtes, judice *Tullio*, ſummi ingenia alit, ut laborum quæcunque in ſe ſuſcipiant genera rebusque, tam publicis, quam privatis, ex omnibus animi doctrinæque ſuæ facultatibus inſerviant, noctesque atque die Muſis januas aperire laborent. Summi tamen etiam ingenii viri fuere, qui tam vano ad laudem & gloriam ſtimulo non indiguerunt, ſed virtutis tantum exercendæ ergo vitam honeſtiſſimo otio tranſegerunt, famam non alto ſupercilio, ſed modeſtiſſimo vultu, ſpernentes. Referatur merito in eorum numerum nuper Helmſtadii defunctus *Hermannus* noſter, ex gente *Hardtiana*, qui per LVI annos in Academia illa floruit, & domicilium iſtud bonarum artium vita, doctrina, omnibusque virtutibus, quæ in bonum civem cadunt, illuſtre quaſi reddidit. Severe quidem de orbe literato meritiſſimus ille ſenex cavit, ne publica quadam laude poſt fata mactaretur: quam ob cauſam vitam ſuam ante aliquot annos, occaſione ita ferente, breviter atque ſincere expoſuit; ſed, quandoquidem gloria hos, qui ea digni ſunt, etiam non appetentes, ſequi ſolet, idem etiam patri huic Philologiæ accidit. Eſt igitur non ſolum Academiæ Helmſtadienſis, ſed *Breithaupti* inprimis, ſtudium laudandum, qui memoriam tanti Viri conſervare nobis ſtuduit. Ne itaque nefas committamus in manes *Hardtianos*, ſummam hic attingere juvat
Pag. 6. eorum, quæ de origine & vita ejus ſunt commemoranda. Natus erat *Neſtor* noſter Mellæ, Weſtphaliæ oppido, prope Oſnabrugam ſito, ubi tunc temporis, anno ſcilicet ſexageſimo ſupe-

ſuperioris Seculi, pater ejusdem nominis, rei monetariæ præfectus in Comitatu Tecklenburgenſi, habitabat, cum d. 15 menſis Novembris filiolus vitam auramque caperet. Gens hæc Pag. 8.
Hardtiana omnis, quod ſilentio præterire non poſſumus, ex provincia Geldria ſeceſſit ante annos fere ducentos, cum *Ferdinandus Alvarez*, Albæ Dux, igni ferroque in eos ſævire juberetur, qui a purioribus ſacris diſcedere nolebant. Novas itaque ſedes, exulum more, majores *Hardtii* quærentes, Lubecam navim appulerant, ſedesque ibi ſuas & domicilium conſtituerunt, ut hodierno etiam die ex gente iſta non pauci nobiliſſimi atque clariſſimi viri ibi adhuc ſuperſtites floreant. Ad maternam ſtirpem quod attinet, origines illa duxit a *Petſteinio*, rei monetariæ apud Mindenſes prope Viſurgim præfecto, cujus filia, *Anna*, mater hunc puerum enixa eſt. Ab hac majorum ſuorum gloria non degeneravit Noſter, ſed, per ardua ſemper incedens, augere illam tentavit. Divinum pater ingenium pueri animadvertens, omnem curam eo impendebat, ut artibus ingenuis, optimisque literarum ſtudiis, quibus puerilis ætas formari debet, *Hermannum* noſtrum imbueret. 9.
Peckmannus, *Meierus*, & *Kugelmannus*, intra privatos parietes primo pueritiam moderabantur ejus, uſque dum fundamentis ſolidioris doctrinæ domi rite initiatus, e paternis ædibus diſcederet, & majores ludos frequentaret. Hinc primum anno ſeptuageſimo primo Hervordiam ſe contulit, ubi ſub *Manzio* Rectore uſque ad ſequentem annum ruentem meruit. Ex quo tempore Gymnaſium Oſnabrugenſe ſalutavit, & poſt breve intervallum *Manzium* ſuum, Bilefeldam evocatum, per integrum biennium iterum ſecutus eſt. Transacto hoc tempore, illuſtre Coburgenſe Athenæum petiit, & in diſciplinam *Stempelii*, *Schuberti*, *Wolffingii*, & *Claudeti*, ſe tradidit, quos 10.
etiam duces in velitationibus literariis, & eloquentiæ exercitiis, ſequebatur, publica horum ſpecimina edere non erubeſcens. Anno ejusdem Seculi octogeſimo Jenam contendit, ut doctores Academiæ illius, & præcepta eorum, audiendo perciperet. *Friſchmuthio* inprimis ad perdiſcendas linguas orien- 11.
tales adhærebat, quarum amore jam tunc temporis detineba-

 tur,

Digitized by Google

tur, & hic fortaſſe illi autor ſuaſorque fuit, ut anno poſt
Hamburgum, ingruente in Saxonicos agros morbo peſtilenti,
viſeret, & celeberrimo *Edzardo*, Rabbinicæ atque Ebraicæ do-
ctrinæ oraculo, docenti adeſſet. Subſequenti anno Jenam re-
Pag. 12. verſus, per quatuor fere annos ita ibi vitam degebat, ut ſcholas
ſuas ipſe aperire, habita *de genuino Judæorum Meſſia* Diſputa-
tione, non dubitaret. Poſtea in Academiam Lipſienſem, tan-
quam ad mercaturam bonarum artium, ſe contulit, &, faculta-
te docendi prævia Diſputatione impetrata, bonis ominibus lu-
dum literarium conſtituit, quin imo *Collegii Philobiblici*, duce
Alberti & ſociis *Antonio* & *Franckio*, fundamenta ponere
incepit, quia ſtudio ſacrarum literarum mirifice arde-
bat. Quod etiam in cauſa fuit, cur *Spenerum*, Theolo-
gum olim celeberrimum, Dreſdæ, & *Sandhagenium* Lu-
neburgi, per aliquod temporis ſpatium adierit, eorumque
præceptionibus uſus fuerit. Rebus ſic comparatis, ingenioque
ejus tanta doctrinarum copia referto, fieri non poterat, quin
fructus diligentiæ ſuæ quam proxime caperet. Contingebat ei,
quod non ultima laus eſt, ut Sereniſſimo Brunſuicenſium & Lu-
16. neburgenſium Duci, *Rudolpho Auguſto*, placeret, cujus ſingu-
larem erga Muſas clementiam nulla ætas conticeſcet. Ab iſto,
anno octogeſimo octavo, muneri Bibliothecarum Principis or-
nandarum admovebatur, quod tanta diligentia adminiſtrabat, ut
maxime ſe tanto Principi probatum daret. Ex quo fiebat, ut ad
graviſſima quæque negotia expedienda adhiberetur, & a Principe
ipſo dilectus amicus ſalutaretur. Biennio poſt, ſtatione ſua dece-
dente *Buſmanno*, nemo erat, qui orientales linguas docendi
17. ſpartam melius in ſe, arbitris Principibus, ſuſcipere poſſet, quam
Hardtius. Vocatus itaque ad hanc provinciam adminiſtrandam,
doctiſſima Oratione *de Luthero, fontium Ebraicorum interprete*,
iſtud muneris auſpicatus eſt. Hiſce primitiis ſtatim ſuccedebant
Elementa exegeſeos univerſalis, & *Ephemerides philologicæ*. Non at-
tinet pluribus verbis alienis hic commemorare, quantæ ipſi curæ
18. fuerit commodum publicum, cum ipſe ingenue de ſe ita ſcripſerit:
Quinquaginta & pluribus annis ſervivi publico in hac Academia.
Multos ſumtus impendi in ædificia publica pro commodis & juri-
bus

Digitized by Google

bus Academiæ. Templum collegiale novum in urbis foro triennio
ſuſcitavi, & multis acceitis locupletavi. Bibliothecam novam Rudol-
phæam cum pretioſis cimeliis originalibus in Collegio ſitam advexi
& adornavi. Jurisdictionem Academiæ criminalem, cruce in foro
Julio ſolenniter erecta, ſtatuminavi. Et paulo poſt: *Neminem in*
officio & ſocietate læſi, injurias & damna tuli, diſſimulando. Fi-
dem præſtare Deo, Principibus, Academiæ, & Cœnobio, præſenti ani-
mo allaboravi. Inanem non quæſivi gloriam, mea contentus ſorte.
Nec opus Programmatibus, & concionibus funebribus, præſtitis
præſtandis. Sufficit, corpus meum in cœnobiali monumento tacite
condi. Veriſſime hæc omnia eſſe ſcripta, omnis Academia loqui-
tur, omnesque cives teſtes ſunt. Tulit etiam inſignes pietatis & Pag. 29.
induſtriæ fructus, cum anno hujus Seculi nono Præpoſitura in
Cœnobio Mariæbergenſi munificentiſſime donaretur, &, Principe
adjutore, ex Bibliotheca Vindobonenſi multas manu exaratas ta- 28.
bulas ad conficiendam Concilii Conſtantienſis hiſtoriam accipe-
ret. Polyhyſtoris & πολυγράφε eum floruiſſe laude, inter omnes
reipublicæ literariæ cives conſtat; hinc non æque facile numerum
libellorum omnium hic inire poſſumus, cum multitudo eorum
chartam exſuperet. Majora ſaltem, quæ exſtant & latent,
proferemus opera, inter quæ 1) referatur *Hiſtoria Concilii Conſtan-*
tienſis, duobus Voluminibus A. 1700 edita; 2) *Ænigmata Judæo-* 24.
rum religioſiſſima maxime recondita A. 1705; 3) *Hiſtoria literaria*
Reformationis in honorem Jubilæi A. 1717; 4) *Ænigmata priſci*
orbis, ſeu Jonas in luce, A. 1723; 5) *Collectio ſcriptorum quorun-*
dam minorum, titulo Tomi I in Jobum inſignita, A. 1728; 6) qui-
bus noviſſime adjunxit inde ab anno trigeſimo ſeptimo hujus
Seculi ad præſentem uſque *VII Tomos mythorum in ſacros*
fontes. Poſterioribus ſumtus maximos impendit. Latet nunc in
Bibliotheca Regia opus diligentiſſimum Reformationis Evangeli-
cæ, quod ad ſedecim *Tomos* excrevit, & prelum exſpectat. Quem- 29.
admodum vero *Hardtius* noſter clementiam Principum juve-
nis expertus erat; ita ad ſummam uſque ſenectutem illam reti-
nuit. Ingraveſcente enim ætate, eo curam intendebant Principes
moderatores hujus Academiæ, ut decrepitus Noſter vacatione
ætatis uteretur, & in otio, quicquid reliquum eſſet, viveret. De

man

mandatæ hinc muneris, quod olim geſſerunt, vices fuerunt anno vi-
geſimo ſeptimo, quod nunc decurrit, Seculi, primum *Sprechero*,
& poſt eum *Lackemachero*, quo publicis Noſter exueretur curis.
Pag. 32. Quam late fama atque nominis ejus celebratio diffuſa fuerit, vel ex
eo facile cognoſcitur, quod non ſolum omnibus doctioribus ha-
rum terrarum viris innotuerit, ſed cum *Sophia* quoque, Principe
Electrice Hannoverana, commercium literarum aluerit. Recte hinc
judicat *Breithauptus, fuiſſe beate defunctum Virum profunde eru-*
39. *ditum, divino ingenio præditum, ad præclara quævis præſtanda a
natura quaſi formatum, valde laborioſum, prudentem, ingenuum,
omni ambitione vacuum, ultra modum liberalem & beneficum, ju-
ſtitiæ amantem, pacificum, ſuavem, autoritate pollentem, vere pro-
bum atque pium, talem, qualem majores noſtri paucos viderunt,
poſteri autem raro, vel nunquam, rurſus videbunt*. Tantum de in-
genii & virtutum ejus laudibus. Ad corporis vires, formamque,
34. quod attinet, erat *Hardtio* venuſtæ proceritatis ſtatura, frons
hilaris, & decora facies, vox maſcula & candida. Oculi, inſtar
ſolis radiantes, unicuique admirationem injiciebant. Octoge-
ſimum annum agens, ſine perſpicillis acutius vidit, in ſenio per-
ſpicacior, quam juvenis & vir. Id quoque bonitate naturæ erat
40. conſecutus, ut firma uſque ad ſummam ſenectutem uteretur va-
letudine. At quatuor abhinc annis pedum tumore laborare
cœpit, qui eum impedivit, quo minus commode ire poſſet. Hinc
legendo, ſcribendo, & meditando, tempus uſque ad extremum
vitæ halitum conſumſit, perpetuo affixus lecto. Invaſit debile
corpus denique vehemens inteſtinorum dolor, & obſtructionis
gravitas, quæ, vi morbi in diem creſcente, ac præſentiſſima reme-
dia eludente, triduo poſt animam e vita migrare, & corpus vin-
culis ſuis laxare, cogebat. Sic d. 28 Februarii ſomno obrutus,
circa horam 10 veſpertinam ex hac vita diſceſſit, cum vixiſſet
annos 85, menſes 3, dies 13. Exuviæ corporis ſine pompa &
ſplendidis cerimoniis, uti ipſe vivus præceperat, elatæ ſunt, ut
in monumento, quod clementi Principum ſuorum conſenſu in
Cœnobio Mariæbergenſi propriis ſumtibus ſibi parari curaverat,
ſepelirentur, quibus ut terra ſit levis, & molliter oſſa cu-
bent, optamus.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Septembris Anno MDCCXLVI.
Pars I.

CORNELII PAULI HOYNCK VAN PAPENDRECHT, *Archipresbyteri Mechlinienſis, Analecta Belgica, in ſex Partes diviſa.*

Volumina III.

Hagæ Comitum, apud Gerardum Block, 1743, 4.

Vol. I Alph. 4 plag. 18, Vol. II Alph. 4 plag 14, Vol. III Alph. 5 plag. 9.

Variis hæc Collectio Opuſculis concluditur, ad Hiſtoriam Belgii, civilem, literariam, & eccleſiaſticam, inprimis vero ejus temporis, quo Hiſpanorum jugum excuſſit, ſibique libertatem aſſeruit, pertinentia. In *ſex* autem *Partes* univerſa Collectio diviſa eſt. *Parte prima* exſtat deſcriptio vitæ *Viglii ab Aytta*, *Zuichemi*, Equitis ſanctioris conſilii, & alterius, quod rerum ſtatus vocant, Bruxellæ, Præſidis, & Gandavi, eccleſiæ, tunc collegiatæ, nunc cathedralis, S. *Bavonis* præpoſiti, Cancellarii Ordinis aurei velleris, fundatoris Collegii ſui nominis in Univerſitate Lovanienſi; additis ad illius vitæ deſcriptionem annotationibus, nec non *Viglii* teſtamento, notis itidem illuſtrato. Leguntur etiam hic Inventaria duo, ad teſtamentum *Viglii* ſpectantia, atque indulta teſtandi, a Pontifice, Cæſare, & Rege, conceſſa, atque ex Archivo Collegii Lovanienſis edita, genealogia itidem *Ayttana*; fundationis do-

Digitized by Google

mandatæ hinc muneris, quod olim geſſerunt, vices ſu...
geſimo ſeptimo, quod nunc decurrit, Seculi, ...
& poſt eum *Lackemachero*, quo publicis N...
Pag. 32. Quam late fama atque nominis ejus celeb...
eo facile cognoſcitur, quod non ſolu... Hop-
rum terrarum viris innotuerit, ſed ... ...none
Electrice Hannoverana, commen... ...us Bel-
judicat *Breitbauptus, fuiſſe be...* ...ecupant
39. *ditum, divino ingenio præd...* ...ctinæ in
natura quaſi formatum, ... *: van Pa-*
omni ambitione vacuu... ...itorum &
ſtitiæ amantem, pa... Seculo VII
bum atque pium ... *Pauli*, Ord.
poſteri autem ... *pii a Wave-*
genii & vi... necrologium
34. quod a... ...eda, Leodien-
hi... ...tuli Canonico-
fo... ...s diœceſis Tra-
... ...leſiæ collegiatæ
... ...s, olim Leodien-
40. ... *Joannis ab Hollander*. Hiſtoriam rebellionis civitatis Gandavenſis, quæ A. 1539 contra *Carolum V* excitata eſt. Ut igitur paulo accuratiorem notitiam horum ſcriptorum ſuppeditemus, de ſingulis, quantum ad inſtitutum noſtrum pertinet, nonnulla diſſerere eſt conſilium. Vitæ *Viglii Zuichemi* deſcriptio, quæ hic exhibetur, ab ipſo *Viglio* eſt compoſita, atque ex Codice manuſcripto, qui hodie in Bibliotheca Archiepiſcopali Mechlinienſi aſſervatur, edita. De hoc ipſo Codice nonnulla S. Rev. Editor in Præfatione diſputat, avtographum eſſe, negans, verum, *Viglio* dictante, ab amanuenſi, & quidem eodem, qui ejus ad *Hopperum* Epiſtolas exaravit, conſcriptam eſſe, contendens. Paucis ante obitum menſibus, hanc vitæ ſuæ deſcriptionem in calamum dictaſſe *Viglium*, variis argumentis comprobat. Scripta autem ea eſt ſine titulo & concluſione, in forma, quæ vulgo quarta dicitur, implens paginas quinquaginta & ſeptem, prima alteraque hinc & inde exeſis,

Digitized by Google

eſis, unde & eam lacunatam ſub initium Lector depre-
det. Tumultuaria ſcriptione in chartam fuiſſe conje-
S. Rev. Editor obſervat, atque exinde conjicit, ab
lio eam nunquam relectam fuiſſe. Alios inſuper, præ-
, de vita *Viglii* Commentarios, circumferri, obſervat,
Codicem cum a Viro humaniſſimo, *Joanne de Witt*,
o, Conſiliario Senatus rerum ſtatus, ac Præſide Ca-
um Belgicarum Bruxellis, nactus eſſet, & de illis ac-
iam ſuppeditat, & Codicem illum maximopere
us Operis editione profuiſſe fatetur, cum quod
es difficiles, & lurido nimis atramento pictos,
aſſequi nequiverit ſine alterius auxilio, tum
æ in priore deſiderantur, ex priore ſuppleverit.
nullis *Viglio* adſcriptum, cui titulus eſt: *Le*
ent des troubles ſuſcités aux Pais bas, ſous
Ducheſſe de Parme, ei abjudicat, cum ne-
porum ſit, neque in inventario lucubra-
in ejus Epiſtolis, vel leviſſimum iſtius
atur, neque inſuper *Viglius* Gallicæ
quod ex ejus Epiſtola ad *Carolum*
ocirca illud ſcriptum pro rhapſo-
a quadam, *Viglio* prorſus indigna, habere, S. Rev. Editor nul-
lus dubitat. Eruditas etiam vitæ *Viglii* adjecit animadverſio-
nes. Rebus obiter duntaxat commemoratis lucem aliunde ad-
didit. Quæ ad perſonam & familiam ejus pertinent, attexuit.
Eruditorum hominum, quibuscum ei aut contubernium, aut
ſtudiorum ſimilitudo, aut commercium fuit, præſertim qui-
buscum potiores habuit neceſſitudines, acta & ſcripta retulit,
illud tamen diligenter ſimul curans, ne extra oleas (uti in pro-
verbio eſt) vagaretur, quod vitium in viris quibusdam doctis
merito reprehendit. Elogia nonnullorum de *Viglio Zuichemo*
addit, ex quorum etiam effatis, ut & aliis teſtimoniis, vitæ
ejus ſynopſin confecit, ex qua omnia, quæ ad eum pertinent,
legi & cognoſci eo facilius poſſunt. Teſtamentum & codicil-
lus *Viglii* ex muſeo *Joannis de Witt* editus, & variis animad-
verſionibus, quæ ad ejus illuſtrationem pertinent, inſtructus eſt.

ACTA
Digitized by Google

mus Dei ab *Aytta* in pago *Zuychem* inſtrumentum, nec non *Viglii* Commentarii rerum actarum ſuper impoſitione decimi denarii. *Secundam Partem Viglii* ejusdem Epiſtolæ ad *Joachimum Hopperum* conſtituunt. *Tertia Pars* Epiſtolas *Viglii* ſelectas complectitur. *Parte quarta* comparet *Joachimi Hopperi* Commentarius de tumultibus Belgicis, Gallico ſermone conſcriptus, cum *Joannis Baptiſtæ de Taſſis* de tumultibus Belgicis ſui temporis Commentariis. *Quintam Partem* occupant Tractatus translationis, ſeu ceſſionis, ditionis Ultrajectinæ in *Carolum quintum* Imperatorem; *Cornelii Pauli Hoynck van Papendrecht* Catalogus hiſtorico-chronologicus Præpoſitorum & Decanorum quinque eccleſiarum Ultrajectenſium a Seculo VII uſque ad finem Seculi XVI; Catalogus Abbatum S. *Pauli*, Ord. S. *Benedicti* in civitate Ultrajectina; *Gisberti Lappii a Waveren*, JCti, diſquiſitio de Jure ditionis Amſtelii, atque necrologium eccleſiæ B. *Mariæ* ſemper virginis, oppidi de Breda, Leodienſis diœceſis. *Sexta Pars* exhibet Chartulare Capituli Canonicorum eccleſiæ B. V. *Mariæ*, oppidi Geerulietenſis diœceſis Trajectenſis; Necrologium Capituli ejusdem eccleſiæ collegiatæ B. M. V. Tholenſis, diœceſis Middelburgenſis, olim Leodienſis, nec non *Joannis ab Hollander* Hiſtoriam rebellionis civitatis Gandavenſis, quæ A. 1539 contra *Carolum V* excitata eſt. Ut igitur paulo accuratiorem notitiam horum ſcriptorum ſuppeditemus, de ſingulis, quantum ad inſtitutum noſtrum pertinet, nonnulla diſſerere eſt conſilium. Vitæ *Viglii Zuichemi* deſcriptio, quæ hic exhibetur, ab ipſo *Viglio* eſt compoſita, atque ex Codice manuſcripto, qui hodie in Bibliotheca Archiepiſcopali Mechlinienſi aſſervatur, edita. De hoc ipſo Codice nonnulla S. Rev. Editor in Præfatione diſputat, avtographum eſſe, negans, verum, *Viglio* dictante, ab amanuenſi, & quidem eodem, qui ejus ad *Hopperum* Epiſtolas exaravit, conſcriptam eſſe, contendens. Paucis ante obitum menſibus, hanc vitæ ſuæ deſcriptionem in calamum dictaſſe *Viglium*, variis argumentis comprobat. Scripta autem ea eſt ſine titulo & concluſione, in forma, quæ vulgo quarta dicitur, implens paginas quinquaginta & ſeptem, prima alteraque hinc & inde exeſis,

Digitized by Google

exeſis, unde & eam lacunatam ſub initium Lector deprehendet. Tumultuaria ſcriptione in chartam fuiſſe conjectam, S. Rev. Editor obſervat, atque exinde conjicit, ab ipſo *Viglio* eam nunquam relectam fuiſſe. Alios inſuper, præter hunc, de vita *Viglii* Commentarios, circumferri, obſervat, quorum Codicem cum a Viro humaniſſimo, *Joanne de Witt*, Dordraceno, Conſiliario Senatus rerum ſtatus, ac Præſide Cameræ rationum Belgicarum Bruxellis, nactus eſſet, & de illis accuratam notitiam ſuppeditat, & Codicem illum maximopere ſibi in hac hujus Operis editione profuiſſe fatetur, cum quod prioris characteres difficiles, & lurido nimis atramento pictos, pluribus in locis aſſequi nequiverit ſine alterius auxilio, tum quod bina folia, quæ in priore deſiderantur, ex priore ſuppleverit. Opus aliquod, a nonnullis *Viglio* adſcriptum, cui titulus eſt: *La ſource & commencement des troubles ſuſcités aux Pais bas, ſous le gouvernement de la Ducheſſe de Parme*, ei abjudicat, cum neque ſtilus illorum temporum ſit, neque in inventario lucubrationum *Viglii*, neque in ejus Epiſtolis, vel leviſſimum iſtius ſcripti veſtigium reperiatur, neque inſuper *Viglius* Gallicæ linguæ peritus fuerit, id quod ex ejus Epiſtola ad *Carolum Boiſotum* intelligitur. Quocirca illud ſcriptum pro rhapſodia quadam, *Viglio* prorſus indigna, habere, S. Rev. Editor nullus dubitat. Eruditas etiam vitæ *Viglii* adjecit animadverſiones. Rebus obiter duntaxat commemoratis lucem aliunde addidit. Quæ ad perſonam & familiam ejus pertinent, attexuit. Eruditorum hominum, quibuscum ei aut contubernium, aut ſtudiorum ſimilitudo, aut commercium fuit, præſertim quibuscum potiores habuit neceſſitudines, acta & ſcripta retulit, illud tamen diligenter ſimul curans, ne extra oleas (uti in proverbio eſt) vagaretur, quod vitium in viris quibusdam doctis merito reprehendit. Elogia nonnullorum de *Viglio Zuichemo* addit, ex quorum etiam effatis, ut & aliis teſtimoniis, vitæ ejus ſynopſin confecit, ex qua omnia, quæ ad eum pertinent, legi & cognoſci eo facilius poſſunt. Teſtamentum & codicillus *Viglii* ex muſeo *Joannis de Witt* editus, & variis animadverſionibus, quæ ad ejus illuſtrationem pertinent, inſtructus eſt.

Ex inventariis duobus, ad *Viglii* teſtamentum ſpectantibus, alterum, Belgico ſermone confectum, utenſilia, quæ *Viglius* poſſederat, continet, cui in margine S. Rev. Editor notulas quasdam illuſtrationis ergo allevit. Alterum, Latine compoſitum, ſcripta, a *Viglio* elaborata, complectitur. Indultum teſtandi primum a *Carolo V Viglio* conceſſum eſt, Gallica lingua conſcriptum, & A. 1554 publicatum. Alterum Pontificem *Pium IV* autorem agnoſcit, Latine A. 1563 confectum. Tertium *Philippo II*, Hiſpaniarum Regi, *Viglius* debuit, quod, Belgico ſermone conceptum, anno inſequente 1564 prodiit. Quartum denique, ab eodem Hiſpaniarum Rege *Philippo II* profectum, & Belgica itidem lingua confectum, A. 1570 *Viglio* conceſſum eſt. Genealogia *Ayttana* ex MSto Collegii *Vigliani*, quod Lovanii eſt, edita, admodum obſcura atque confuſa eſt, quamvis monumenta & epitaphia quædam, in honorem gentis iſtius erecta, contineat. Fundatio domus Dei ab *Aytta*, in pago *Zuichem*, pauperibus alendis inſervitura, de pietate pariter ac caritate *Viglii* erga egenos illuſtre præbet teſtimonium. Latino autem ſermone eſt compoſita, unde non præter rem S. Rev. Editori ſuſpecta videbatur. Poſtea enim certior eſt factus, interpretationem duntaxat, & quidem non adeo accuratam, eſſe, ipſam fundationem vero Belgico idiomate conſcriptam. Verum igitur fundationis textum, a Cl. *Wielingio*, JCto Ultrajectino, ipſi transmiſſum, ſub finem *primæ Partis* appoſuit. Nihilo tamen ſecius & hoc exemplar vitio non carere, nec ab avtographo deſcriptum eſſe, conqueritur, cum, ut avtographum fide publica ſumtibus ſuis deſcriberetur, fruſtra hucdum petierit, qua occaſione inhumanos Friſiorum ſecum agendi modos jure ſuo accuſat. *Commentarius Viglii rerum actarum ſuper impoſitione decimi denarii* vitæ ejus in eo Codice ſubjunctus eſt. Neque eum eſſe avtographum, ſed *Viglio* dictante ab eodem ſcriba, qui vitam exaravit, in chartam conjectum, S. Rev. Editor exiſtimat. Titulum aliena manu recentiore adſcriptum eſſe, nec nomen *Viglii* præferre, quod tamen tuto addi potuiſſet, obſervat. Quamvis autem iſte Commentarius eodem, quo vita,

id eſt,

Digitized by Google

id eſt, tumultuario, ſermone dictatus ſit, neque a *Viglio* relectus videatur; non tamen ſine voluptate legitur, cum inſignem utique notitiam hiſtoriæ temporis iſtius ſuppeditet. Idem quoque dicendum de *Viglii Zuichemi ad Joachimum Hopperum*, Equitem, & rerum ſtatusque Germaniæ inferioris apud *Philippum II*, Hiſpaniarum Regem, Conſiliarium, *Epiſtolis politicis atque hiſtoricis*, quæ 267 numero comparent. Ediderat eas jam *Simon Abbeſius Gabbema* Leovardiæ A. 1661. Cum autem illa editio mendis erratisque quamplurimis ſcateat, imo in ea Epiſtolæ tres ac triginta integræ, una cum permultis aliarum fragmentis, deſiderentur; valde laudanda eſt S. Rev Editoris diligentia, qui novam hanc adornavit harum Epiſtolarum editionem, ad Codicem Collegii *Vigliani* Lovanienſis diligenter collatam. Quem laborem ideo potiſſimum a ſe ſuſceptum teſtatur, quod hæ Epiſtolæ *Viglii* res geſtas tempore tumultuum Belgicorum, ejusque conſilia, labores, & pericula, eo certius complectantur, quo ſecurius ab eo in amici ſinum conſignata ſint. Juſto etiam ordine has Epiſtolas diſpoſuit, qui in priori pariter editione, quam in ipſo hoc, quo uſus eſt, manuſcripto Codice, erat perturbatior. Cum autem hinc inde Epiſtolis pluribus nunc annus, nunc menſis, & ſubinde dies, deſit, ne divinando potius, quam certis ſignis, ordo conſtitueretur, & ex turbato turbatior fieret, præſtare nonnunquam judicavit, ſequi eum, quem Codex tenet, quamvis certiſſime male ſervatum, ordinem, inprimis quod adſcripti dies & anni, dubium, an librarii, an amanuenſis, incuria, ſæpius vitioſi ſint. Primam inſuper, quæ in priori editione legebatur, Epiſtolam, quia & in Codice ipſius exulabat, & ad Epiſtolas politicas & hiſtoricas, quæ omnes poſt *Hopperi* profectionem in Hiſpaniam, ut in ipſo Codice enotatur, ſcriptæ ſunt, non pertinet, ab hac collectione reſcidit, & inter ſelectas potius *Viglii* Epiſtolas collocavit. Quod denique ad Notas, hiſce Epiſtolis a S. Rev. Editore adjectas, attinet, ſingulis argumenta, ſeu ſummaria, adjecit, ac res geſtas, a *Viglio* relatas, ſubinde illuſtravit. Præcipue vero curavit, uti lector cognoſceret, homines ſeu aulicos, ſeu literatos & eccle-

ſiaſticos, quorum mentio his in literis injicitur. *Epiſtolæ Viglii ſelectæ* ad diverſos ſcriptæ ſunt. Argumenta varia, tam quæ familiari colloquio tractari ſolent, quam etiam literaria, complectuntur. Ex inventario Gallico, quod opera *Viglii* complectitur, & de quo ſupra diximus, novem omnino Epiſtolarum *Viglii* volumina exſtitiſſe, intelligitur. Hodie tamen in Collegio *Vigliano* non niſi octo Volumina in folio inveniuntur, quæ tamen nec diverſa eſſe ab illis, quæ inventarium exhibet, &, quæ ſint eadem, non eodem ordine, quo in inventario notantur, ſignata eſſe, S. Rev. Editor obſervat. Omnes igitur, quotquot in dicto Collegio ſupererant, Epiſtolas edere ſecum conſtituerat, cum, eas ob ſtili elegantiam, variamque eruditionem, omnibus literatis oblectationi futuras, crederet. Cum autem typographus intercederet, non niſi ſelectas aliquot huic operi inſeruit. Non quidem, quod, reliquas lucem haud mereri, crederet, verum quod ſeculum noſtrum ejusmodi res faſtidire videatur. Ne autem hoc pacto reliquæ ultimum conflictum cum tineis blattisque ſuſtinerent, pluribus earum in notis ad *Viglii* vitam frequenter uſus eſt. Præmiſit Epiſtolis alphabeticum indicem, unde, ad quos Epiſtolas ſcripſerit *Viglius*, uno intuitu poteſt cognoſci. Immo in notis, unicuique Epiſtolæ adjectis, de eorum, ad quos data eſt, vitis omnia ſcitu digniora apponit, aliaque, ad earum interpretationem facientia, more ſuo adſpergit, S. Rev. Editor. Subjecit huic Epiſtolarum collectioni Tractatum *de Cameris rationum publicarum & tribunalibus juſtitiæ, per Duces Burgundiæ in Belgio erectis.* Ante hos triginta annos de ætate inſtitutionis Conſilii iſtius, quod, Hagæ-Comitum ſedem ſtabilem habens, juris dicundi autoritatem ſuper Hollandia, Zelandia, ac occidendali Friſia, obtinet, diſputatum eſſe, occaſione acris contentionis, inter jam dictum Conſilium, magiſtratumque Haganum, ſuper jure & jurisdictione in quosdam vicos, & loca in pago Hagano ſita, excitatæ, monet. Qui Conſilii iſtius ampliſſimi cauſam tum defenderunt, corpus illud ætatem Comitum Hollandiæ adæquare, & A. 1250 a Rege *Wilhelmo XVIII*, Comite Hollandiæ, ſedem fixam in palatio Hagano,

quin-

quinimo in eodem conclavi, quo hodie jus dicant, accepiſſe, contenderunt. Iidem, Hagam illo Senatu recentiorem eſſe, & occaſione Senatus, ibi congregati, conditam eſſe, dictitarunt. Exinde ſequi ſtatuerunt, certiſſimum eſſe, quod primis illis temporibus nulla alia, quam Conſilii, jurisdictio Hagæ obtinuerit, donec ignobiles loci incolæ in vicinia creverint, quando, ne Conſilium nimis obrueretur cauſis minoribus, excitata fuerit ſedes Scabinalis, vicinis negotiatoribus. Magiſtratus Haganus contra contendit, Conſilii provincialis inſtitutionem *Philippum*, Burgundiæ Ducem, autorem agnoſcere, qui illud anno viceſimo nono ſupra milleſimum quadringenteſimum condiderit, &, conjecturis, quas Senatus provincialis in contrarium affert, adductis, reſpondit: illas non ſolum nullo niti fundamento, ſed etiam a veritate alienum eſſe, quod excitatus ſit ille locus opportunitate erecti in palatio Conſilii, quaſi ante fuiſſet horridus, agreſtis, incultus, atque deſertus. Imo, ſi hoc verum eſſet, non potuiſſe magis ineptum locum ſeligi, in quo ſederet Conſilium provinciale, ad quod totius regionis incolæ accedere, & ſedes ibi figere ea occaſione, debuiſſent, in vico, ubi diverſorium nullum fuiſſet, quo advenæ reciperentur. Quid? conceſſa tantisper hypotheſi de invecto per *Wilhelmum* Regem Conſilio in palatium noviter exſtructum, ſtatuendum eſſe, Hagæ originem certiſſime priorem eſſe inſtitutione Conſilii, & locum, ſeu vicum, ſeu etiam oppidum, non adeo miſellum, inops, & inane, fuiſſe. Cum igitur hoc pacto illa controverſia ſatis diuque agitata eſſet; tandem ſcripta quædam de hoc argumento evulgata eſſe, S. Rev. Editor obſervat. Nimirum A. 1711 Anonymus ſcriptor unus, & A. 1740 Anonymus alter, in arenam deſcenderunt, & ſyſtemata contraria duo multo cum labore & ſudore, & non ſine laude ingenii elegantis & politi, fabricarunt. S. Rev. Editor ergo, ſententiis utriusque partis erudite expenſis, pro magiſtratu Hagano judicat, ſententiam ſuam egregiis argumentis confirmans, atque Tabulas conciliationis inter *Philippum Bonum* & *Jacobum Bavarum*, quæ hac in controverſia utramque paginam faciunt, apponens. His abſolutis, vitam *Joachimi Hopperi*, ex *Suffrido Petri*, *Auberto Miræo*, *Pierio Winſemio*,

Vale-

Digitized by Google

Valerio Andrea, aliisque, enarrat. Diſcimus exinde, *Hopperum* die 11 Novembris A. 1523 Suecæ natum eſſe; parentem ejus loci iſtius Conſulem fuiſſe, &, *Hoppero* nondum ex ephebis egreſſo, vitam cum morte commutaſſe; *Hopperum* & elegantioribus literis, & Jurisprudentiæ, operam indefeſſam dediſſe; hanc ipſam poſtea artem, ubi Licentiatus Juris creatus erat, magno applauſu concurſuque auditorum, publice, ſed nullo ſtipendio ſtatuto, docuiſſe, & poſtea A. 1553 una cum *Wameſio*, *Vendevillio*, & *Peckio*, Doctoris honores, in ſumma celeberrimorum hominum frequentia, quos inter & *Viglius Zuichemus* fuerit, eſſe conſecutum; paulo poſt Pandectarum Profeſſorem creatum eſſe, &, hoc munere ornatum, prima vice Paratitla Digeſtorum methodo nova & facili, triennio, aut ad ſummum quadriennio, abſolvenda, prælegiſſe. Non tamen prælectiones haſce abſolvit *Hopperus*, lautiori ſorti deſtinatus, cum, anno illo nondum elapſo, a *Margaretha*, Duce Parmenſi, quæ tum Belgis, *Philippi II*, Hiſpaniarum Regis, fratris ſui, nomine præerat, in Mechlinienſem ſupremum ſenatum cooptaretur. Ibi cum officio demandato ſingulari dexteritate ac prudentia fungeretur; Gubernatrici viſus eſt idoneus, qui in ſecretiorem ſenatum, ac deinde in Conſilium, quod rerum ſtatusque vocant, adſciſceretur. Ab eo tempore propinquioribus Regi negotiis eſt adhibitus, imo poſtea in Hiſpaniam vocatus, ut ibi res Belgicas in ipſa Regis aula curaret, quem ejus in *Hiſpaniam* adventum motus Belgici ſtatim inſecuti ſunt. Tanta autem gratia apud Regem floruit, ut, præter alia dona quamplurima, equeſtrem dignitatem conſequeretur, & uſque ad obitum, qui Mantuæ Carpetanorum A. 1576 contigit, ſummo ſemper honore effulgeret. Cum igitur *Hopperus* conſiliis eo tempore interfuerit, & idcirco motuum Belgicorum optimam notitiam neceſſario habuerit; facile intelligitur, quale pretium ejusdem Commentariis, hac de re ſcriptis, quos S. Rev. Editor jam in publicum emiſit, ſtatui debeat. Gallico ſermone conſcripti ſunt, ſtilo tamen vetuſto & obſoleto. Dolendum quidem eſt, quæ *Viglius Zuichemus* huic Operi adjungere volebat,

nunquam

Digitized by Google

nunquam fuiſſe adjuncta, quandoquidem ei cum *Hoppero* de rebus hiſce familiaribus colloqui, morte hujus interveniente, non licuit. Neque etiam ex avtographo publicare hos Commentarios S. Rev. Editor potuit, verum exemplari duntaxat, per Fratrem *Dionyſium van Herthis*, Monachum Affligenienſem, deſcripto, uſus eſt, unde verba in textu ſubinde deſunt, immo nonnunquam & phraſes integræ, id quod ſenſum ſæpe & inconcinnum, & obſcurum, facit. Interim tamen hoc Catone contenti eſſe poſſumus, cum, hiſce non obſtantibus, egregiam lucem hiſtoriæ horum motuum hi Commentarii fœnerentur. Idem de *Joannis Baptiſtæ Taſſii Commentariorum ſui temporis octo Libris*, Latino ſermone conſcriptis, dici poteſt. Fuit enim *Taſſius*, prout ex vitæ ejus deſcriptione, quam ex *Joannis Franciſci Foppens Bibliotheca Belgica*, A. 1739 auctius emiſſa, S. Rev. Editor docet, *Joanni Auſtriaco*, dum in Belgio Proregem ageret, a ſecretioribus conſiliis, & *Philippi II* ad *Henricum III*, nec non *Philippi III* ad *Henricum IV*, legatus, &, a legationibus redux, bellici, quod apud Regem erat, Conſilii Senator. Hiſtoriam hanc tumultuum Belgicorum manuſcriptam exſtitiſſe in Bibliotheca Regia Scorialenſi ad *S. Laurentium*, S. Rev. Editor obſervat. Fuiſſe etiam apud Clariſſimum *Lucam Torrium*, Cameræ rationalis Inſulis Flandrorum Aſſeſſorem, uſque ad annum 1609 deductam, *Valerii Andreæ* teſtimonio fretus, idem dictitat. Hodie in Eminentiſſimi Cardinalis *de Alſatia*, Archiepiſcopi Mechlinienſis, Bibliotheca, quam donatio ne inter vivos Capitulo ſuo A. 1738 tranſmiſit, aſſervari teſtatur. Duo priores Libri non ſunt niſi quædam velut ſummaria hiſtorica rerum geſtarum, ubi confuſa multa, etiam non diſtinctis annis, deprehenduntur. Libro octavo, & magna ſeptimi parte, fuſe proſequitur *Taſſius* res Gallicas, ſive Ligæ contra *Henricum IV*, quod illæ legationis ſuæ ſucceſſus complectantur. Ceterum non niſi res bellicas enarrat, a civilibus prorſus abſtinens. Varia brevius tractat, ab aliis fuſius adducta. Nonnulla etiam ſilentio præterit, quod a ſe viſa non ſint, aut non ſatis comperta. Hæc tamen qualiacunque vitia *Taſſium* compenſare, quando

Qqq non-

Digitized by Google

nonnulla afferat, quæ apud editos ſcriptores fruſtra requiras, S. Rev. Editori perſuaſum eſt. Miram idem in *Taſſio* ſinceritatem laudat, &, quamplurima, ad turbati ſciſſique Belgii hiſtoriam facientia, egregie ex eo confirmari poſſe, contendit. Ubi hunc laborem *Taſſius* ad finem perduxerat, eum Regi *Philippo III* obtulit, qui cum liber non videretur per id temporis evulgandus, forte quod non conſiderate & circumſpecte ſatis ſcripſiſſet Autor de Duce *Albano*, & conſilio turbarum, quod & *ſanguinis* audiebat, eum in Bibliotheca Palatii Scorialenſis curavit reponendum. Fertur *Humbertus Wilhelmus a Precipiano*, Archiepiſcopus Mechlinienſis, dum ante Epiſcopatum conſilio ſtatus rerum Belgicarum Madriti aſſideret, eum deſcribi curaſſe, ſecumque in Belgium aſportaſſe, ex quo tempore in Bibliothecam Archiepiſcopalem illatus ſit, ut ejus libri, quos moriens reliquit, omnes. Certe in iſta Bibliotheca illum deprehendit S. Rev. Editor. Scriptum eum eſſe in folio, ſcripturam eſſe Hiſpanicam, & notas nonnullas idiomatis Hiſpanici margini adjectas eſſe, obſervat, quas quidem notas, latinitate donatas, appoſuit. Cumque hæc ita ſint, ex avtographo hanc editionem non eſſe expreſſam, palam eſt. Vero enim eſt ſimile, avtographum aut adhuc hodie in arce Scorialenſi latere, aut in magno illo incendio, quod A. 1671 ibi extitit, ſimul in fumos abiiſſe. Imo Codex, quo S. Rev. Editor uſus eſt, innumeris ſcatet vitiis, a negligentiore ſcriba dubio procul admiſſis. Correxit adeo hæc vitia, quantum potuit, ipſum vero textum abſque omni mutatione exhibuit, emendatioribus duntaxat ad oras paginarum notatis. Cumque octo Libri, in quos opus hoc diviſum eſt, continuo ſermone, ſine ulla ſectione, aut articulorum ſubdiviſione, producti ſint, & eorum ſeu argumenta, ſeu ſummaria, deſint, eaque commode, & quanta oporteret perſpicuitate, confici non poſſint; S. Rev. Editor notas numericas Romanas adjecit, ut eo commodius hoc opere lector poſſet uti. Breves inſuper ac paucas explicationes nominum, quæ aut male enuntiata, aut obſoleta, aut prorſus incognita, erant, adjecit. Varia dein documenta ſequuntur, quæ pacta ſuper translatione patriæ (id eſt, ditionis; ita enim iſtius ævi ſcri-

ſcriptores loquuntur,) Trajectinæ in *Carolum V* Imperatorem, tanquam Comitem Flandriæ, illuſtrant, ex quibus ſimul intelligitur, jurisdictionem eccleſiaſticam per univerſam illam diœceſin Epiſcopo Trajectenſi fuiſſe reſervatam. Excipit haſce Tabulas *Catalogus hiſtorico-chronologicus Præpoſitorum & Decanorum quinque Eccleſiarum Ultrajectenſium*, ab ipſomet S. Rev. Editore confectus. In Præfatione, eidem præmiſſa, obſervat, quinque olim eccleſias collegiatas Ultrajecti fuiſſe, nimirum S. *Martini*, Epiſcopi & Confeſſoris, S. *Salvatoris*, S. *Petri*, S. *Joannis*, & S. *Mariæ*. Primam a Seculo VIII cathedralem, & a Seculo XVI metropolitanam, fuiſſe, dictitat. Omnes etiam hodienum exſtare, excepta æde S. *Salvatoris*, A. 1587, decreto magiſtratus, deſtructa, teſtatur. Centum & quadraginta præbendas in illis Capitulis eſſe, & hodie Proteſtantes illis frui, contendit. Epiſcopo Trajectenſi ante Concilium Tridentinum, & erectionem ſedis in Archiepiſcopatum, nullam jurisdictionem & poteſtatem in civitate competiiſſe, a Capitulorum vero ſententia ad ipſum provocari potuiſſe, obſervat. Inſignia & compellationes Præpoſitorum & Decanorum in hiſce Capitulis deinceps ediſſerit; ſede vacante, jurisdictionem omnem ad quinque Capitula conjunctim devolvi conſueviſſe, atque ab eis ſucceſſorem electum eſſe, ſtatuit. Seculares quinque Capitulorum prærogativas recenſet. Poſtea ab anno 1566 collabi cœpiſſe jurisdictionem eccleſiaſticam, & per unionem Ultrajectinam prorſus eſſe peſſum datam, & A. 1585 primam concionem Proteſtantium in templo S. *Mariæ* eſſe recitatam, queritur, quam rem peculiari Diſſertatione, quæ *Hiſtoria Eccleſiæ Ultrajectinæ* inſcribitur, A. 1725 emiſſa, latius expoſuit S. Rev. Editor. Quando igitur hac ratione ſtatum Eccleſiæ Ultrajectinæ delinearat, Catalogum Præpoſitorum & Decanorum iſtius loci ſubjicit. *Antonius Matthæi* jam olim Catalogum Præpoſitorum majoris Eccleſiæ, (ita enim κατ' ἐξοχὴν vocabatur eccleſia S. *Martini*,) nec non S. *Joannis*, & B. *Mariæ*, non vero itidem Decanorum, attulit. *Heuſſenius* & hos & illos omnium quinque eccleſiarum dedit, ſed non omnes. Ejus errata & plurima, &

 gravia,

gravia, eſſe, S. Rev. Editor obſervat. Accuratior ei viſus eſt *Arnoldus Drackenborchius*, Profeſſor Ultrajectinus, cujus opus novæ editionis Edictorum provinciæ & civitatis Ultrajectinæ, quæ *Joannes van de Water*, JCtus, *tribus Voluminibus* in folio A. 1729 vulgavit, inſertum eſt. Eadem, qua *Drackenborchius*, via inceſſit, numeroſa *Matthæi* Volumina percurrens, adhibitis *Beka*, *Heda*, eorumque commentatore, *Buchelio*. Ab ejus tamen ſententia nonnunquam abiit, maxime quando ſolius *Heuſſenii* Chronologia nititur *Drackenborchius*, qui, utut diligens patriæ eccleſiæ antiquitatum ſcrutator, tamen, dum, quæcunque reperit, evulgavit, ſubinde eſt lapſus, quod aliud agens, & inſtitutum ab hoc diverſum ſecutus, neceſſe non habuit inveſtigare, quæ hic loci potiſſimum examinanda veniunt. Primum igitur locum hoc in Catalogo occupant Præpoſiti majoris eccleſiæ, ſeu S. *Martini*, quos ejusdem eccleſiæ Decanorum ſeries excipit. Illos ſequuntur Præpoſiti, & poſtea Decani, eccleſiæ S. *Salvatoris*. Poſt illos eccleſiarum S. *Petri*, dein S. *Joannis*, & beatæ *Mariæ*, Præpoſiti ac Decani recenſentur. Utque horum Præſulum notitiam, et quæ de illis notatu digna ſunt, cognoſcere poſſet lector, Indices, in quibus ordine alphabetico eorum nomina exhibentur, ad calcem iſtius enarrationis apponi curavit S. Rev. Editor. His abſolutis, Catalogum quoque Abbatum S. *Pauli* Ordinis S. *Benedicti* in civitate Ultrajectina ex Codice manuſcripto, quem Bibliotheca ipſius ſervat, edidit. Exiſtimavit ab initio, eum & integrum eſſe, & vetuſtum. Poſtea autem, re curatius perpenſa, eum vetuſtum non eſſe, ex eo intellexit, quod probationes adducat easdem, quæ in *Antonii Matthæi* Catalogo, quem in libro *de fundatione & fatis eccleſiarum* exhibet, deprehenduntur. De ipſius autem Abbatiæ origine & fatis fuſius hic loci diſſerere, congruum ei haud eſt viſum, cum *Ant. Matthæi* in libro citato, nec non alii ſcriptores, hoc in ſe ſuſceperint negotium. *Gisberti Lappii a Waveren*, JCti, diſquiſitionem *de jure ditionis Amſtelii* ex avtographo, quod aſſervatur in ſcriniis Collegii Hollandici Lovanienſis, evulgavit. Dominium nempe Amſtelii Comites Hollandiæ quondam uſurparunt, fruſtra reclamantibus

Epiſcopis.

Digitized by Google

Epiſcopis. Repetiit illud *Henricus Bavarus* in conventu *Schoonhoviano*, A. 1525 inſtituto. Cum igitur quæſtionem de jure hoc in controverſia conſtituto probe examinaſſet hujus ſcripti Autor; variis documentis adductis, Epiſcopos dominium directum in ditionem illam conſtanter tenuiſſe, & Comites non niſi ſub nexu clientelæ nonnunquam ab illis accepiſſe, ſtabilit. Ex fine ſcripti apparet, Autorem illud ſuaſu *Marii* cujusdam compoſuiſſe. Ita enim verba ibi fluunt: *Ex his, quæ adduxi, Magnifice Domine Mari, ſufficienter a me puto ſatisfactum quæſtioni tuæ; quam in menſali diſcurſu aliquoties moviſti; cui ego tum ex tempore minus copioſe reſpondi. Omnium enim meminiſſe, non humanitatis, ſed divinitatis, quoddam opus eſt, ut Imperator noſter loquitur.* Quinam fuerit iſte *Marius*, certo conſtituere S. Rev. Editor dubitavit. *Leonardum* vero *Marium*, Gœſano-Zeelandum, intelligi debere, conjicit. *Necrologium Bredanum* ex manuſcripto membranaceo in folio, quod apud ipſum ſervatur, evulgavit. Complectitur illud enarrationem, cujus Decani, aut Canonici, iſtius eccleſiæ, demortui, memoria, ſingulis diebus celebretur. In Præfatione, eidem præmiſſa de Capitulo B. *Mariæ*, in oppido Bredano fundato, breviter diſputatur, cum hoc argumentum Autor *Hiſtoriæ Epiſcopatus Antwerpienſis*, A. 1717 Bruxellis evulgatæ, fuſius expoſuerit. Fundatorem ejus *Jacobum* quendam, Presbyterum, fuiſſe, & uſque ad annum 1637, quando, occupata a fœderatis Belgii ordinibus Breda, eccleſiaſtici ſimul omnes ac religioſi viri dimiſſi ſint, proſcripto cultu Catholico, hoc Capitulum ſtetiſſe docetur. Seriem quoque Decanorum Bredanenſium, quam, correctiorem ea, quam ante octo annos paraverat, eſſe profitetur, Necrologio præmiſit S. Rev. Editor. Chartulare Capituli Geerulietenſis varias chartas, ſeu documenta publica, continet, ad fundationem iſtius Capituli, conceſſiones privilegiorum, inſtitutiones Canonicorum, aliaque id genus, pertinentia. Capitulum Geerulietenſe perpetuo in oppido iſtius nominis remanere debere, *Carolus*, Dux Burgundiæ, promiſerat, uti ex charta 361 apparet. Poſtea autem, mutatis rebus, aliud viſum eſt *Philippo II*, Hiſpaniarum

rum Regi, qui, ad perficiendam novorum Epiſcopatuum in Belgio erectionem, indultu Pontificis ad Harlemum hocce Capitulum tranſtulit. Non tamen diu ibidem ſtetit. Mutata nimirum per Hollandiam religione, & A. 1478 feſto S. S. Sacramenti facta in templum S. *Bavonis* irruptione, fugati ſunt Epiſcopus & Canonici, nunquam poſtea adunati. Dein, proſcripto Catholicæ religionis publico exercitio, collapſa eſt cum univerſo Capitulo ſedes Epiſcopalis. Ad conſervandam vero iſtius Capituli memoriam, *Heuſſenius* in Hiſtoria Epiſcoporum Ultrajectenſium *pag. 341* Catalogum Canonicorum exhibuit. Cum autem in eo conficiendo haud ſemel S. Rev. Editori hallucinatus videretur *Heuſſenius*; Catalogi iſtius egregia additamenta ſuæ hujus chartularis editioni præmiſit, atque Necrologium iſtius Capituli, ex MSto Collegii B. *Mariæ* editum, ei ſubjecit. Excipiunt illud reliquiæ actorum exſtincti Capituli eccleſiæ collegiatæ B. *Mariæ* Tholenſis, diœceſis Middelburgenſis, olim Leodienſis. Erectum eſt hocce Capitulum die 4 Octobris A. 1404, & A. 1577 ita diſperſum eſt, ut coadunari poſtea nequiverit. Tabulas erectionis *Heuſſenius* in *Hiſtoria Epiſc. Middelburg. pag. 59* edidit, Capituli aliquam notitiam dedit, & acta nonulla protulit. *Heuſſenii* autem merita eo potiſſimum nomine ſuperavit S. Rev. Editor, quod chartas quaſdam, Decani *Paſchaſii* cum magiſtratu Tholano controverſiam illuſtrantes, primus evulgarit. Agmen horum Analectorum claudunt *Joannis de Hollander*, Gandenſis Flandri, Canonici in D. *Waldetrudis* montibus apud Hannones, *Commentarii de tumultibus adverſus Carolum V*, Gallico ſermone conſcripti, & ex Codice Bibliothecæ D. *Joannis Baptiſtæ Achillis Godefredi*, Directoris Cameræ rationalis Inſulenſis, editi. S. Rev. Editor primus hoſce Commentarios e tenebris eruit, atque eruditis notitiam eorum ſuppeditavit. *Valerio* etenim *Andreæ* incogniti fuerunt, & hactenus latitarunt. Ad hos ipſos autem Commentarios recte intelligendos, opus ipſi videbatur, noſſe, quænam fuerit reipublicæ Gandavenſis forma, politia, & adminiſtratio. Non quidem intelligit eam, quæ olim diverſis temporibus diverſa fuit, ſæpiusque mutata; ſed

Digitized by Google

ſed de hac duntaxat loquitur, quæ *Carolo V* imperante obtinuit, & a *Philippo Pulchro*, Galliarum Rege, inſtituta eſt. Diploma hoc *Philippi*, datum menſe Novembri A. 1301, ipſis illis, quibus compoſitum eſt, verbis in nova editione *Philippi Cominæi*, de anno 1723, in 8, *Tomo quarto* contineri, monet, ejusdemque contenta cum lectore communicat. Nimirum ſingulis annis comitia magiſtratui creando, die decima quarta menſis Auguſti, habebantur. Princeps, ejusque legati, quatuor legebant cives Gandavenſes, totidemque eligebat civitas, qui octo creati electores viginti ſex idoneos ſenatores eligebant, quos dein Princeps in duo tribunalia dividebat. Hæc tribunalia *ſcamna*, aut *banchas*, appellari ſueviſſe, dictitat. Primi ſubſellii ſenatores vocatos eſſe *Scabinos*, reliquos *Conſiliarios*, vel etiam *Scabinos*, Belgice *Schepenen van Geedele*, obſervat. Primi ſubſellii ſenatores omnem jurisdictionem, & civilem & criminalem, exercebant, cum ſecundi ſubſellii aſſeſſoribus hæreditatum dividendarum, & aliarum rerum minoris momenti, cura eſſet demandata. Quid? quod non ſolis Gandavi pomœriis magiſtratus iſtius autoritas erat circumſcripta, verum ſe ad clara per Flandriam oppida, atque adeo ad illuſtres etiam perſonas, extra Gandavum degentes, extendit. Verum omnem illam autoritatem atque jurisdictionem in exteros civitati Gandavenſi in ultionem rebellionis ademit *Carolus V*, cujus hac de re decretum, Belgico ſermone confectum, S. Rev. Editor affert, omnemque conſtitutionem & privilegia ſenatus atque civitatis iſtius, quantum ad intelligendas *Joannis de Hollander* narrationes attinet, diligenter exponit; qua ratione etiam privilegia ſua omnia omnino perdiderint Gandavenſes, ex teſtibus fide dignis commonſtrat, ubi merito ſumma ejus & his in rebus peritia, domeſticorumque ſcriptorum ampla cognitio, admiranda eſt. Variis poſtea exemplis docet, quantam lucem huic hiſtoriæ afferant hi Commentarii, & quam ſæpe alii ſcriptores eorum ope corrigi, atque errorum convinci, poſſint. Nos igitur orbi literato hæc Analecta merito gratulamur, quæ tantos theſauros, craſſiſſimis tenebris antea obvolutos, ad uſum eruditorum publicæ luci exponunt. Et, quemadmodum omnibus

bus Hiſtoriæ ſtudioſis, ita præſertim illis, qui Hiſtoriam tumultus belliqne Belgici data opera conſcribere vellent, hæc Analecta egregie profutura, & occaſionem præbitura eſſe, ab aliis non accurate ſatis dicta corrigendi, ex vero judicamus.

DE DISCIPLINA ARCANI, CONTRA Diſputationem ERNESTI TENTZELII, Diſſertatio apologetica, per D. EMANUELEM A SCHELSTRATE, S. T. D. Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum, Eccleſiæ Antwerpienſis Canonicum.

Patavii, ex typographia Jo. Bapt. Conzatti, 1743, 4 maj. Alph. 1.

Non novus hic liber eruditorum hominum ſubjicitur oculis, ſed idem ille, qui jam anno ſuperioris Seculi octogeſimo quinto a doctiſſimo *a Schelſtrate* in publicum emiſſus fuit. Videlicet inquiſiverat Vir ampliſſimæ doctrinæ in argumentum illud, multis implicitum difficultatibus, quod ad *diſciplinam arcani*, in Eccleſia Chriſtianorum priſca introductam, redit, duoque potiſſimum capita excutienda ſibi ſumſerat, quorum unum ſpectabat ad ætatem, qua conſuetudo illa in eccleſiam Chriſti invecta, alterum ad ipſas partes, ſub ambitu diſciplinæ arcani comprehenſas. Hæc perſecutus erat Auctor ille in libro, multa lectione apparatu doctrinæ omnis generis præſtantiſſimæ inſtructo, cui titulum fecit: *de Sacro Antiocheno Concilio*. Id cum factum eſſet, multa erant, in quibus alia longe mens ſederat *Guilielmo Erneſto Tentzelio*, Viro copioſa antiquitatis intelligentia prædito; quo fiebat, ut is calamum adverſus *Schelſtratenium* ſtringere in animum induceret, & ſingularem *de Diſciplina arcani* Diſſertationem Vitembergæ A. 1683 divulgaret, quæ & in Diſſertationum *Tentzelii* ſelectarum numero continetur. Iam, ne malæ forſan cauſæ, in priori libro ſuſceptæ, patronus videretur *Schelſtratenius*, publici juris faciebat librum illum *de Diſciplina arcani*, quo *Tentzelium* oppugnare, ſuam-

Digitized by Google

ſuamque, quam ſemel ingreſſus fuerat, ſententiam tueri, omnibus, quibuscunque fieri poterat, modis annitebatur. Is Romæ typis Congregationis de propaganda fide dicto anno exſcriptus fuit. Idem ille liber, cujus exemplaria ob doctrinæ delectum, eruditionis copiam, ipſiusque argumenti dignitatem, quod libris, præſtantia ſua ſe commendantibus, accidere ſolet, citius diſtrahebantur, manibus doctorum denuo porrigitur, ac tali quidem habitu, qui, ſive charti nitor, ſive elegantia typorum, ſpectetur, gratiam lectorum inire haud difficulter poterit. Inſcriptus a fratribus *Conzattis* fuit *Carolo Rezzonico*, Cardinali atque Epiſcopo Patavino. Recenſione autem libri hoc facilius ſuperſedebimus, quo clarius jam ſignificavimus, nihil novi hic proferri, ſed librum bonum denuo expreſſum. Dimittimus igitur eruditos ad ea, quæ de prima editione in *Actis* noſtris *A. 1685 pag. 541 ſeq.* commemorata leguntur.

DE GUZMANA STIRPE S. DOMINICI, fundatoris familiæ Fratrum Prædicatorum, hiſtorica demonſtratio, edita a Fr. ANTONINO BREMOND, *S. Th. Magiſtro, Collegii Caſanatenſis Theologo, ejusdem Ordinis Alumno.*

Romæ, typis Hieronymi Mainardi, 1740, 4. Alph. 1 plag. 5.

Benedicto XIV, Pontifici Romano Eccleſiæ Maximo, Opus hoc eſt conſecratum, quo generis, quo *Dominicus*, Ordinis Prædicatorum autor, excelluiſſe perhibetur, antiquam nobilitatem illuſtratum ivit Reverendus ſcriptor. In dubium revocata fuit ea generis *Dominicani* amplitudo & gloria a *Guilielmo Cupero*, qui *Commentarium* ſcripſit *in Acta S. Dominici*, A. 1733 publici juris Antwerpiæ factum, ac avthentica requiſivit documenta. His *Cuperi* votis Rev. Autor reſpondendum duxit. Rem certam certiſſimis & *avthenticis monumentis* a ſeſe firmatam eſſe, contendit. Ipſe in eo eſt, ut *Annales familiæ Fratrum Prædicatorum* evulget. Proluſionis in modum hanc hiſtoricam Diſſertationem tanto operi præmittendam eſſe, conſilio ſapientum

tum ductus, putavit. *Capitibus XXIII* univerſa conſtat tractatio. Appendix monumenta exhibet, quibus *Guzmana S. Dominici* nobilitas comprobatur. *Capite primo Dominici* natalis firmatur. *Secundum* parentes S. *Dominici* definit. Quæritur *Capite tertio*, an ſcriptorum aliquis *Guzmanum* genus S. *Dominico*, familiæ Prædicatorum parenti, denegaverit. *Quarto* proferuntur ſcriptorum placita de originibus gentis *Guzmanæ*. *Quinto* oſtenditur, *Dominicum* in Calarogitano palatio *Guzmanæ* gentis natum fuiſſe. *Sexto* indicatur, *Felicem Guzmanum*, S. *Dominici* patrem, oriundum fuiſſe e nobiliſſima gente *Guzmana*. *Septimo* traditur, *Joannam de Aza*, priſcæ nobilitatis fœminam, D. *Felici de Guzman* nuptam, ex hoc S. *Dominicum* peperiſſe. *Octavo* docetur, *Felicem Guzmanum* & *Joannam de Aza* ſepultos fuiſſe in avito *Guzmanæ* gentis tumulo. *Nonum* ſignificat, *Dominico* cognomentum *Guzmani* fuiſſe. *Decimo* expenduntur quædam vetera monumenta, quibus S. *Dominici* nobilitas comprobatur. Quæritur *Capite XI*, an S. *Dominici* nobile genus ex *Theodorico de Appoldia* confirmari poſſit. *Capite XII*, ex translatione corporis S. *Joannæ de Aza Guzmanum Dominici* genus probari poſſe, Autor confidit. *Cap. XIII.* nobile *Guzmanum* genus S. *Dominici* e variis Diplomatibus, Seculo XIII datis, it demonſtratum. *Capite XIV* eandem originem nobilem ex veteri ſtemmate gentis *Guzmanæ* eruit. *Capite XV* Oxomenſis Eccleſiæ traditionem, idem comprobaturus, commemorat. Firmat eandem *Dominici* nobilitatem ex Legionenſis Cœnobii fundatione. *Capite XVII* teſtimonium, quod *Petrus Tafur* de *Guzmana* S. *Dominici* nobilitate protulit, expendit *Capite XVIII Guzmanam* S. *Dominici* nobilitatem teſtimoniis ſcriptorum, qui a Seculo XIV ad XVI floruerunt, comprobavit. Addit *Capite XIX* varia *Inſtrumenta*. Cumulat complura ejus generis *Capitibus XX, XXI, XXII*. Cauſam dubitandi, quæ *Cupero* fuiſſe dicitur, *Capite XXIII* exhibet, ratus, eam nullius eſſe momenti. Hæc omnis ſcripti eſt ſumma. *Dominicus* dicitur

Pag. 3. A. 1170 natus. Teſtes ſunt *Jordanus*, *Humbertus*, *Conſtantinus*, ceterique, qui, *Dominicum* A. 1221, ætatis quinquageſimo primo, ad plures abiiſſe rebus mortalium exemtum, docent.

docem. *Flaminius* in *Vita S. Dominici Lib. I pag. 2*, & *Taegius*
in *Chronicis P. I ad A. 1170*, idem tradunt. Patria fuit *Calaro-* Pag. 5.
ga, non Calaguris, vulgo Calahorra. Calaroga eſt oppidum
exiguum in territorio urbis Oſmæ intra veteris Caſtellæ re-
gnum ac diœceſin Epiſcopalem Oſmenſem, Archiepiſcopalem
Toletanam. *Uxama*, nunc Oſma, olim urbs erat regionis 7.
Arevacorum, quos fluvius Areva alluebat. Autori viſum eſt
veterem Codicem conſulere, in quo hæc leguntur: *Domini-
cus - -, parens Ordinis Fratrum Prædicatorum, circa mundi
finem velut ſtella reſplenduit. Hiſpanus natione fuit. Ipſi pa-
tria Calaroga, pagus Oxomenſis diœceſis. E familia apprime
nobili natus erat. - - Ejusdem patri nomen Dominus Felix.* De-
ſumta hæc ſunt ex libro, quem celebris *ſoror angelica*, quæ
floruit ab A. 1025 uſque ad A. 1240, dicitur de Vita & ge-
ſtis *B. Dominici* ſcripſiſſe. *Joanna de Aza*, matris, genus Au-
tor ad *Azaram* gentem, quæ ex Aza oppido ſibi nomen fecit,
retulit. Aza oppidum in Mirandoſio Comitatu intra Oſmenſe 8.
territorium jacet. Madriti viſitur Baptiſterium ſacrum ex 11.
lapide coloris albi, in conchæ ſpeciem ductum, in quo S.
Dominicus ſalutari fonte fuit imbutus. Scriptores, qui *Domi-
nico Guzmanicam* ſtirpem tribuunt, adduxit Rev. Autor ex Se-
culo XVI. Provocat porro ad exemplar avthenticum, quod 159.
exſtet Romæ in Archivo Ordinis Fratrum Prædicatorum. Sci-
re avemus, quanam ætate ſit illud conſcriptum, & quo-
nam Autore. Provocat ad Eccleſiæ Oxumenſis, cujus Ca-
nonicus fuit *Dominicus*, Codices duos manu exaratos, qui 162.
nunc viſuntur Romæ. Requirimus eorum ætatem. *Pe-* 163.
trus Tafur, qui circa annum 1430 ſcripſit, jam meminit
Dominici ex gente *Guzmana* oriundi. Idem intelligitur ex te-
ſtimonio *Joannis Dominici*, Cardinalis, qui Seculo XIV flo-
ruit. Ejus *Trattato della Carità* Venetiis A. 1544 prodiit
in lucem. In eo *Dominicus* vocatur *Calarogæ Comes*. *Am-
broſius Taegius* nobilitatem familiæ *Dominici* Seculo XVI in-
eunte prætermiſit; *Flaminius*, ætate ei ſuppar, eam haud ne-
glexit. Meminit ejus *Breviarium Bracarenſe*, quod typis 177.
Salmanticenſibus A. 1512 editum eſt. Inſtrumenta, quibus

 eadem

Digitized by Google

Pag. 183. eadem *Dominico* nobilitas tribuitur, Seculo XVI non ſunt antiquiora. *Cuperus* monet, apud biographos mediæ ætatis, alioſque veteres ſcriptores, nullum nobiliſſimæ illius conſanguinitatis veſtigium reperiri, laudatis *Beato Jordano*, *Bartholo-*
213. *meo Tridentino*, *Conſtantino Urbevetano*, *Gerardo de Frachetο*, *Theodorico de Appoldia*, *Luca Tudenſi*, *Nicolao Trivetto*, *Petro Equilino*, *Vincentio Bellovacenſi*, *Jacobo de Voragine*, *Mombritio*, & *S. Antonino*. Reſpondet Noſter, neganti argumento parum ineſſe fidei. Monet idem, medio ævo nomina perſonarum pura ac ſimplicia referri, nec Dominicanos nomen gentis ſuæ adhibuiſſe. Fatetur, veteres conſueviſſe *Dominicum de Calaroga* nullo adjectæ nobilitatis indicio appel-
221. lare. Confugit ad teſtimonium Sororis Angelicæ, e Seculo XIII depromtum. Reſtat, ut, genuinum illud eſſe, intelligatur. Noſtrum non eſt, huic certamini interſtrepere, vel judicium ejus nobis arrogare. Relinquimus eis, quorum intereſt, integram hujus controverſiæ dijudicationem.

NORMA DI STUDIARE CON PROFITTO LA FILOSOfia propoſta a gli Studioſi di eſſa, &c.

hoc eſt,

NORMA STUDENDI PHILOSOPHIÆ cum commodo, ſtudioſis illius propoſita a CAROLO TAGLINI, Prof. Publ. Ordin. Philoſ. in Academia Piſana, interventu Epiſtolæ ad Ill. & Rev. Dominum Marchionem GABRIELEM RICCARDUM, Subdecanum Metropoleos Florentinæ.

Editio altera.

Florentiæ, apud Joſephum Pagani, 1742, 8.

Alph. 1 plag. 7.

Fecit periculum Cl. Autor perſuadendi, quanta ſit Philoſophiæ utilitas, & quænam recte Philoſophiam tractandi ſit ratio fructuoſa. Enumerat inſtrumenta phyſica ac mathematica, a recentioribus inventa. Oſtendit, quanto in pretio eſſe debeant Philoſophi veteres, licet a recentioribus multæ Philoſophiæ acceſſiones adjunctas

junctas eſſe, haud inficietur. Exponit ortum formarum materialium ac corporearum. Animum appellit ad motum, ejusque differentias & proprietatem. De quatuor elementis diſſerit. Ex commixtione elementorum exponit corporum ſpecies varias, eorumque proprietates. Inquirit in duo genera rarefactionum & condenſationum. Subjicit hiſce præmiſſis regulam, ſecundum quam Philoſophia fructuoſe ſit tractanda. Hæc in eo conſiſtit, Pag. 191.
ut ſoli veritati litemus, ab omni ſectarum ſtudio immunes. Lumen boreale a *Plinio H. N. II, 33,* & *Seneca Nat. Quæſt. I, 15,* jam commemoratum eſſe, indicat. Magnetem a ferro appeti, docuere veteres. 206.
Orpheum, *Euripidem*, *Lucretium*, & *Claudianum*, eo nomine laudat Noſter. Extollit Italos laudibus, qui inventis novis inclaruerunt, *Americum Veſpuccium*, novi orbis repertorem, *Borellium*, *Galilæum a Galilæis*, nec non *Carteſium*, *Hugenium*, & *Newtonum*. *Ipatia*, *Theonis* filia, invenit *Barylion*, inſtrumentum, gravitati fluidorum explorandæ accommodatum. Diſcipulus *Ipatiæ*, *Syneſius Cyrenæus*, id aliquatenus deſcripſit. 4.
Inſtrumentum, quo *Hookius* docuit profunditatem maris explorare, Noſter tribuit inventori *Leoni Baptiſtæ Alberti*, Florentino. Barometri inventum tribuit *Torricellio*, Florentino, diſcipulo *Galilæi*. *Alexandrum Spinam*, qui deceſſit A. 1313, tradit fuiſſe perſpicillorum vitreorum autorem. Citat eapropter ad teſtimonium *Chronicon antiquum* Patrum Dominicanorum Cœnobii S. *Catharinæ*, quod eſt Piſis. *Jordanus da Rivalto*, qui obiit A. 1311, teſtis eſt, nondum 20 effluxiſſe annos, cum perſpicilla ſint inventa. *Salvini di Armato* hæc eſt apud Florentinos inſcriptio:
Qui diace Salvino d' Armato degl' Armati di Firenze inventor degl' Occhiali. Dio gli perdoni le peccata. Anno D. 1317. 6.
At de hac Inſcriptione alibi dictum. Exſtat enim de inventione perſpicillorum Diſſertatio Itali celeberrimi admodum elegans & polita. Suffecerint hæc in præſens loco ſpeciminis. Reſtat enim, ut de aliis quoque ingeniorum monumentis carptim & capitulatim exponamus.

GERARDI MEERMANN, JURISCONSULTI,

Specimen Animadverſionum criticarum in Caji, JCti, Inſtitutiones. Accedit earundem Caji Inſtitutionum ſummarium, a PETRO ÆGIDIO, *Antwerpienſi, primum publici juris factum A. 1517, nunc vero iterum, & emendatius quidem, in lucem editum.*

Mantuæ Carpetanorum, apud Anton. Sanz, 1743, 8.
Plag. 4.

Clariſſimus Autor, nobilis elegantiorum JCtorum collega, cum animadvertiſſet, Inſtitutiones *Caji* barbaras relictas ab *Aniano*, & longe adhuc corruptiores a ſubſequenti ævo ad nos transmiſſas fuiſſe, operam dedit laudabili conatu, ut JCti hujus inter Romanos præſtantiſſimi Opuſculum quantivis pretii, quod ipſe *Tribonianus* maximam partem in uſus ſuos converterat, a ſcribarum mendis repurgatum, integritati ſuæ priſtinoque nitori reſtitueretur. Adhibita igitur in conſilium prima Inſtitutionum *Cajo-Anianicarum* editione, Lutetiæ Pariſ. A. 1525 abſoluta, & incognita, ſaltem non viſa, *Schultingio*, itemque antiquiſſimo & optimæ notæ Codice MSto, qui ex Bibliotheca *Voſſiana* in Lugduno-Batavam translatus eſt, dici non poteſt, quam egregius inde emendationum apparatus enatus ſit, qui compluribus *Caji* locis, depravatis turpiter, ideoque intellectu difficillimis, dextre medetur, lucemque affundit. Quod ut perſpiciant omnes, qui hæc noſtra legunt, ſub-
Pag. 23. jungemus ſpecimina quædam. Apud *Cajum Lib. II Tit. 3 §. 5* hæc exſtant: *Similiter & ſi quis adoptatus fuerit, teſtamentum, quod, antequam adoptaretur, fecerat, non valebit;* quæ lectio eſt exemplaris Genevenſis anni 1586, in contextum admiſſa ab *Schultingio*. Cum autem huic ipſi editioni haud adeo multum tribuendum ſit, prout *Noordkerkius* jam obſervaverat in *Disquiſitione de Lege Petronia Cap. IV §. 3*, eaque emendatio ab editoris ingenio profecta potius, quam Codicis MSti autoritate niti, videatur; parum a lectione vulgata, Codicis Leidenſis ac Gothani, itemque editionis *Bouchardinæ* & Lugdunenſis anni 1553, ubi ſcriptum eſt: *ſimiliter & is, qui adoptatus fuerit,* receſſurum ſe credit, ſi unius literæ transpoſitione, alte-

rinsque

riusque mutatione, pro *&* *is* reſcripſerit *ejus*, ita quidem, ut verba integra hoc fluant ordine: *ſimiliter* ejus, qui *adoptatus fuerit, teſtamentum, quod, antequam adoptaretur, fecerat, non valebit.*

Eodem in *Caji* Libro *Tit.* 8 §. 3 verba, *nec diſputari poteſt, ſi de diverſis matribus naſcantur, qui uno patre geniti ſunt,* non poterunt intelligi, niſi ſequamur *Bouchardi* editionem, rectiſſime ſic habentem: neque hoc magni intereſſe *poteſt, ſi de diverſis matribus naſcantur, cum uno patre geniti ſunt.* Pag. 26.

Tit. 10 §. *ult.* apud JCtum legitur: *Et multa præterea quorumcunque ſimilia ſunt: ſecundum quæ & ille furti tenetur, qui, ut fieret, opem, aut conſilium, aut ſtudium, commodarit: velut, ſi quis pecuniam, quam in manu aliquis tenebat, excuſſerit, ut alii eam rapere poſſent.* Priora hujus Paragraphi verba corruptiſſima eſſe, manifeſto apparet, nec multo emendatius ea leguntur in Codice MSto, tam Leidenſi, quam Gothano. *Bouchardi* tamen editio facem quodammodo præfert ad eruendam lectionem veram, aut ſaltem a genuina parum recedentem. Ecce enim! ibidem ea ipſa verba hoc referuntur modo: *Et multa præterea quorumcunque ſimilia ſunt, ſecundum legem furti tenentur. Sed &, ſi quis, ut ferret opem, aut conſilium, aut ſtudium commmodaverit, velut, ſi quis pecuniam, quam in manu aliquis tenebat, excuſſerit, ut alii eam rapere poſſint, in idem judicium incidit.* Unde ſic fere locum hunc reſtituendum arbitratur Conſultiſſimus Autor: *Et multa præterea horum ſimilia. Quicunque ea faciunt, ſecundum legem furti tenentur: ſed &, ſi quis, ut id fieret, opem, aut conſilium, aut ſtudium, commodaverit,* &c. *in idem judicium incidit.* Hujus emendationis ut paucis rationem reddat eruditiſſimus *Meermanus*, primum τὸ *quorumcunque*, quod haud dubie in mendo cubat, & complurium eruditorum ingenia torſit, diſſolvit in *horum quicunque ea*, haud temerario ſane auſu, cum frequens ſatis librariorum lapſus fuerit, ut duas pluresve voces in unam contraxerint. Certe, verba, *& multa horum ſimilia*, ab *Aniano* eſſe profecta, ex eo quoque apparet, quod apud Epitomatorem reperiuntur. Deinde pro *ſunt* leviſſima muta- 33.

tione

tione reſcripſit *ſont*, quod contracte idem, quod *faciunt*, denotat. Tandem pro *ut ferret* præſtantiſſimus Autor, bonæ notæ exemplaria ſecutus, repoſuit *ut id fieret* (ſcilicet furtum). Et ſic eleganter in integrum reſtitutus videtur locus, qui ante inter obſcuriora referri debebat.

AN ESSAY ON THE CAUSE AND SEAT OF the Gout, &c.

hoc eſt,

EXERCITATIO DE CAUSA ET SEDE Podagræ, in qua opiniones variorum Autorum conſiderantur, & quædam operationes externæ commendantur, per DALE INGRAM, Chirurgum.

Radingæ, apud Jo. Newbery & C. Micklewrigt, 1743, 8 maj. Plag. 7, cum Fig. 1.

Autores, qui de Podagra ſcripſerunt, de curatione ejus nihil adhuc certi poſuerunt, cum in cauſa declaranda maxime adhuc dubii ſint. *Paræus*, materiam podagræ ſingularem prorſus eſſe, aſſerit, &, ad cancri materiem quam proxime accedere, aſſumſit, ſed ob effectus utriusque diverſos non conſentientem habet Autorem noſtrum, inprimis cum ex hiſtoriis morborum adductis is declaret, illum veram podagram non cognoviſſe. *Williſius* ab acido nervoſo & ſale fixo ſanguinis cauſam podagræ deduxit, ſed ſententiam phænomenis conſentientem non deprehendit. Alii viſcidum ſanguinis accuſant; ſed non ſatis patet, cur hoc, in toto corpore diſperſum, non niſi in certis partibus morbum producat. Cel. *Boerhaave* cauſam podagræ in vitiata temperie ultimorum quidem & nervoſorum vaſculorum ponit, &, cum inprimis ad liquidum, quod nervoſas partes alluit, reſpiciat, Autor noſter oleum, in cellulis membranæ adipoſæ, & vaſculis lubricantibus articulorum & tendinum, contentum, intelligere videtur. Cum in rhevmatiſmo flavus ſæpius humor muſculos obſideat, rhevmatiſmum gradu tantum a podagrà differre monet, cum in hoc morbo

Digitized by Google

morbo liquor morboſus tantum ſpiſſior evadat. Ad quam ſententiam etiam *Liſterus* accedit, qui, humorem, articulos & ligamenta lubricantem, in ſano ſtatu tenuem & oleoſum, in crudum & viſcidum ſerum ſtagnans mutari, aſſerit. His præmiſſis, Autor noſter de membrana adipoſa ſub cute expanſa, & de reliqua pinguedine, in corpore diſtributa, diſſerit, & hiſtoriam ſecretionis adipoſæ repetit. Boni igitur humores, optime digeſti, in corpore hoc oleum tenue lubricans æquabiliter diſtribuunt, & acria ſalia involvunt; quodſi vero liquor hic depravetur, tunc mala oriuntur, quæ Autor noſter ex cauſis ſuis nunc ulterius deducit. Diæta perverſa, & inprimis vini & ſpirituoſorum liquorum potus, defectus exercitii corporis, & alia ſimilia, ſalis morboſi genus in ſanguinem introducunt, quod cauſa eſt, cur humores membranæ adipoſæ coagulent. Coagulum vero, cum non ſemper unius conſiſtentiæ ſit, ſed pro differentia ætatis, habitus corporis, durationis podagræ, &c. variet, diverſos etiam paroxyſmos podagricos reddit. Quo vero oſtendat, quomodo coagulum fieri poſſit, experimentum adducit Autor, ubi drachma olei, cum dimidia drachma aceti ſtillatitii commiſſa, coagulum & ſerum ſiſtit, quæ maſſa, ſi drachma ſemis decocti Gallorum additur, tenax coagulum, vix ac ne vix quidem aqua ſolvendum, efficit. Nitroſum aeris acidum, & acidum tartari, in vino cauſas coaguli adducit, & poſtea partes diſquirit, in quibus potiſſimum materia illa hæreat; qua occaſione de præſagio vitæ longæ ex podagra, & de ſpecificis remediis contra hunc morbum, diſſerit, & nimiam fiduciam ægrorum hoc in caſu deridet. Quouſque vero hoc morbi genus curari poſſit, nunc ulterius declarat, & inprimis de externis remediis, ad Chirurgiam ſpectantibus, diſſerit. Venæſectio quidem in principio, ut in omnibus inflammationibus, impetum morbi cohibet, & ideo in variis caſibus ſuadenda erit, ſed in malo hæreditario, & in podagra inveterata, inprimis ſi præter extremitates alias quoque partes obſidet, non concedatur. Salivatio mercurialis, quæ a nonnullis commendatur, in hoc morbo plus damni attulit, quam commodi. Sed longe aliter ſentit Autor noſter

 de

Digitized by Google

de balneis calidis, tum ſiccis, tum humidis, quibus non tantum in hoc morbo, ſed & in aliis plurimis, debellandis magnam vim adſcribit. Tandem operationem chirurgicam commendat, ſcilicet cauteria & fonticulos inprimis, ſi in regione poplitæa, ad originem muſculorum gaſtrocnemiorum, quos icone declarat, applicantur.

HISTORIA NATURALIS URBIS VERDÆ juxta omnes, eo pertinentes, circumſtantias, ſub aſſidua & diuturniori obſervatione debite indagatas, breviter delineata a JOANNE CONRADO TRUMPHIO, Med. Doct. Operar. metallicar. Hercin. Med. Ord. & Academ. Nat. Curioſor. Collega.

Norimbergæ, 1744, 4.

Plag. 3.

Tractationem Cl. Autor in *tria* diviſit *Capita*. *Primo* diſſerit de aere, *ſecundo* de aquis, *tertio* de locis. Aer Verdenſis, ipſo judice, copia effluviorum aquoſorum ſcatet.
Pag. 3. Inde fit, ut vaſa ſtannea maculis vix delendis ibi conſpurcentur, veſtes in ciſtis ſeriniisque reddantur mucoſæ, lintea humorem bibant, libri, in Bibliothecis repoſiti, contrahant ſqualorem. Situ & mucore ibi laborare incipiunt corpora, humori imbibendo apta. Cauſa humoris tam copioſi arceſſenda eſt ex Allera, mœnia urbis alluente, cujus aquæ ſæpius ſta-
4. gnant; ex regione fabuloſa, aquis referta; ex domorum nimia connexione; ex ventorum pluvioſorum multitudine. Aer hic æſtivo tempore eſt ſalubris, hiberno parum ſanus. Ventorum ratio, ad plagas cardinales conformata, ab Autore ediſſeritur. Ventus auſtralis alibi ciet dolores capitis. Aſthmaticis haud abundat regio. Verdenſes utuntur aquis maximam par-
6. tem putentibus. Fons unus uſui medico inſervit. Hydrometrum, puteanis immerſum, indicat gradum quintum, immo
8. ſextum. Examinavit Autor aquas puteanes per ſic dicta *reagentia*, & animadvertit, eisdem contineri terreſtres & ſalinas

quas-

quasdam particulas. Reſiduum poſt evaporationem arte factam prodit ex maxima parte grana ſalina, ex ſale quodam medio conſiſtentia, qualis eſt tartari vitriolati, aut arcani duplicati. Spiritus acidus eis haud ineſt, niſi exiguam partem reſpicias. *Nitrum*, quod eis ineſt, dici poteſt *calcarium*. Particulæ terreſtres remanentes ſunt plerumque albæ & alcalinæ. Pag. 9.
Magnes ex ea materiales quasdam trahit particulas, licet minor copia. Inde accidit, ut quædam cerevilia lac coagulare faciat, si id cum ea coquatur, ac ova in ea haud ſatis poſſint diſſolvi. Aquæ hæ minerales haud conveniunt infuſis ac decoctis, conducunt tamen & ſanis & ægrotis. Nitrum calcarium vim habet, humores viſcidos diſſolvendi. Aqua Verdenſis apta eſt excretioni promovendæ. Aqua Allerana potis piſcibusque marinis emolliendis eſt conducibilior. Allera piſcibus eſt referta, ſiquidem lenior incedit. Ipſe exuberans haud fœcundat ſiccam, limo quippe oleoſo deſtitutus. Deeſt ei ſal alcalinum 11.
& terreſtrium particularum, proxime innexarum, copia. Alit ipſe anguillas, ac eapropter aqua ejus eſt ſalubris. Viſurgis vicinus agros exundatione reddit feraces, piſces præbet, naviumque eſt patiens. Aqua ejus & coctioni & lotioni eſt inepta, humoribus quippe argilloſis turbida plerumque. Piſces ejus minorem ſaporis delectationem præbent, quam Allerani. In cauſa eſt aqua minus magisque pura. Omittimus rivos. 12.
Cereviſia paratur ex polenta hordei in morem Gardelegienſis. Eſt ipſi vis nutriendi. Flatulenta haud eſt, ob additos lupuli flores. Primaria eſt ſpiſſior, ideoque literatis inconveniens. Sulphur narcoticum, quod ei ineſt, ex lupulo, caput ventriculumque gravat. Ditiores bibunt vinum aqua mixtum, vel 14.
cereviſiam leviorem triticeam, cui nomen *Breihane*, aliunde advehi ſolitam. Fons exſtat prope Verdam medicatus, quem 15.
Autor copioſe deſcribit, exquiſite ab ipſo perluſtratum. Vehit ipſius aqua vitriolicum acorem, nec tamen tam copioſum, quam qui in Pirmontanis acidulis reperitur. Oſtendit ex variis experimentis Autor, aquam eam eſſe mineralem, uſusque non plane contemnendi. Tandem ipſe tranſit ad ſitum regionis, victus rationem, incolarum domicilia, ætatem, morbos, 17.

Digitized by Google

& alia. Terram ſterilem incolæ vocant *geeſt*, quaſi *giiſt*, *infœcundam*. Ex terra humidiori ac pinguiori eruuntur ceſpites ſulphurei, ſeu *turfi*. Prætermittimus cetera, non ſine cura & obſervata & literis conſignata. Operam Cl. Autoris, aliis imitandam, merito prædicamus, rati, Medicum infeliciter arti ſuæ operam navare, niſi aerem, aquam, & rationes reliquas, loci, in quo verſatur, habeat in numerato.

CONTINUATIO SCHEDIASMATIS DE *Methodo interpolandi*, *Autore* JO. THEOPHILO WALZIO, *Conſil. & Math. Reg. nec non Acad. Scient. Berolinenſ. Socio.*

Vid. *Nov. Act. Erud. Menſ. Mart. P. I pag. 129. ſeq.*

Poſt aliquam temporis intercapedinem, datam in priori Schediaſmate fidem liberaturus, opus in pertexenda circa doctrinam interpolationum tela proſequor. Cum vero in applicatione methodi verſemur, binasque ſeries pro Binomio ad poteſtatem indeterminatam evehendo jamjam dederimus, quarum quidem altera abrumpitur, ſi exponens poteſtatis eſt numerus affirmativus integer, altera autem, ſi exponens, quem diximus, numero integro negativo eſt æqualis; e re eſſe videtur, ut oſtendamus, quo pacto hæ duæ ſeries in unam quaſi conflari, atque adeo ſeries pro $(a+b)^q$ exſtrui, poſſit, quæ ad finitum duntaxat terminorum numerum utroque caſu neceſſario excurrat.

Ut igitur appareat, quanta ſit hujus methodi in hoc negotio opportunitas, loco $(a+b)^q$ rurſus ſcribendum erit $a(1+\frac{b}{a})^q$, quo facto ipſius $1+\frac{b}{a}$ poteſtates prorſum & retrorſum juxta intervalla $0, 1, 2, 3, 4 \ldots\ldots$ atque $-1, -2, -3, -4$, &c. ordinandæ, ut vides:

$$\begin{array}{ccccccc} -4 & -3 & -2 & -1 & 0 & 1 & 2 \\ (1+\frac{b}{a})^{-4}; & (1+\frac{b}{a})^{-3}; & (1+\frac{b}{a})^{-2}; & (1+\frac{b}{a})^{-1}; & (1+\frac{b}{a})^{0}; & (1+\frac{b}{a})^{1}; & (1+\frac{b}{a})^{2}; \end{array}$$

$$(1+\frac{b}{a})^{3};$$

$(1+\frac{b}{a})^3$; $(1+\frac{b}{a})^4$; &c. tuncque ultro patebit, terminum $(1+\frac{b}{a})^q$, quem quærimus, hunc eſſe, cujus intervallum a medio $(1+\frac{b}{a})^0$ ſive 1, eſt $= q$. Porro cum termini a medio $(1+\frac{b}{a})^0$ æquali numero utrinque excurrant, perſpicuum eſt, quæſtionem devolvi ad caſum Problematis III in ſuperiori Schediaſmate, quo nimirum terminus generalis inveſtigatur ſeriei, a termino quodam medio utrinque in infinitum extenſæ, poſito ſcilicet numero terminorum impare. Revocata igitur in mentem ſignificatione, quam ſymbolis a, D', &c. d', d'' &c. $d_{,}$ $d_{,,}$ &c. Δ', Δ'' &c. *l. c. pag.* 139 tribuimus, invenietur,

$a = (1+\frac{b}{a})^0 = 1$; (ſcilicet a dicto loco innuit terminum ſeriei medium, quod vitandæ confuſionis gratia adhuc monemus,) $d_{,} = \frac{-b}{a+b}$; $d' = \frac{b}{a}$; unde $\Delta' = d_{,} + d' = \frac{2ab+bb}{a(a+b)}$. Porro $D' = \frac{bb}{a(n+b)}$; quare $\Delta' + D'q = \frac{2ab+(q+1)bb}{a(a+b)}$, quod enim *l. c.* fuit y, hic nobis eſt q. Ita porro, ſubſtitutionibus recte initis, reperiemus, $d'' = \frac{bb+aa-ab}{a(a+b)} - \frac{aa}{(a+b)^2} = \frac{b^3}{a(a+b)^2}$; $d_{,,} = \frac{aa-ab+bb}{aa} - \frac{a}{a+b} = \frac{b^3}{aa(a+b)}$; unde $d''+d_{,,} = \Delta'' = \frac{2ab^3+b^4}{aa(a+b)^2}$. Pariter eſt $D'' = \frac{-a^3+a^2b-ab^2+b^3}{aa(a+b)} + \frac{aa}{(a+b)^2} = \frac{b^4}{aa(a+b)^2}$. Quare $2\Delta''+D''q = \frac{4ab^3+(q+2)b^4}{aa(a+b)^2}$. Ita, hanc ope-

 randi

randi rationem ulterius dextreque inſtituendo, eruitur, $d''' = \frac{b^5}{a^2(a+b)^2}$; $d_{'''} = \frac{b^5}{aa(a+b)^3}$; unde $d''' + d_{'''} = \Delta''' = \frac{2ab^5+b^6}{a^3(a+b)^3}$, & $D''' = \frac{b^6}{a^3(a+b)^3}$; hincque, $3\Delta''' + D'''q = \frac{6ab^5+(q+3)b^6}{a^3(a+b)^3}$. Porro detegitur, $4\Delta^{IV} + D^{IV}q = \frac{8ab^7+(q+4)b^8}{a^4(a+b)^4}$; $5\Delta^{V} + D^{V}q = \frac{10ab^9+(q+5)b^{10}}{a^5(a+b)^5}$, & ſic deinceps. Hos itaque valores in ſerie *pag. 139 l. c.* ſufficiendo emerget, $a^q(1+\frac{b}{a})^q =$

$$(a+b)^q = a^q + \frac{q(2a+(q+1)b)a^{q-1}b}{1.\ 2.\ (a+b)} + \frac{q.\ q^2-1.\ (4ab+(q+2)bb)a^{q-2}b^2}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ (a+b)^2} + \frac{q.\ q^2-1.\ q^2-4.\ (6ab^2+(q+3)b^3)a^{q-3}b^3}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6.\ (a+b)^3} + \frac{q.\ q^2-1.\ q^2-4.\ q^2-9.\ (8ab^3+(q+4)b^4)a^{q-4}b^4}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6.\ 7.\ 8.\ (a+b)^4} + \frac{q.\ q^2-1.\ q^2-4.\ q^2-9.\ q^2-16.\ (10ab^4+(q+5)b^5)a^{q-5}b^5}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6.\ 7.\ 8.\ 9.\ 10.\ (a+b)^5} + \&c.$$

unde lex coefficientium ſponte elucet. Levi autem attentione utique perſpicitur, ſeriem hancce finito numero terminorum gaudere, quotieſcunque $q =$ numero integro, eidemque vel affirmativo, vel negativo.

Ex hiſce ſeriebus, quibus $(a+b)^q$ exprimitur, varia licebit ad ſummas ſerierum infinitarum eliciendo deducere; de quibus pauca, ὡς ἐν παρόδῳ, delibaſſe ſufficiat. Quoniam itaque $(a+b)^q = a^q + \frac{q}{1}a^{q-1}b + \frac{q.\ q-1}{1.\ 2.}a^{q-2}b^2 + \&c.$

$= a^q + \frac{q}{1} a^q \frac{b}{a+b} + \frac{q.q+1. a^q b^2}{1, \; 2. (a+b)^2} +$ &c. coæquatis hiſce τῶ $(a+b)^q$ valoribus, invenietur,

$$\frac{q a^{q-1} b + \frac{q.q-1}{1.\;2.} a^{q-2} b^2 + \frac{q.q-1.q-2}{1.\;2.\;3.} a^{q-3} b^3 + \&c}{q a^q}$$

$$= \frac{b}{a+b} + \frac{q+1.}{1.\;2.} \frac{b^2}{(a+b)^2} + \frac{q+1.q+2.}{2\;\;3.} \frac{b^3}{(a+b)^3} + \frac{q+1.q+2.q+3.}{2.\;\;2.\;\;3.} \frac{b^4}{(a+b)^4} + \&c.$$

Quodſi jam in locum q ſubſtituatur quilibet numerus integer, idemque vel affirmativus, vel negativus; palam eſt, alterum quidem æqualitatis membrum abrumpi, alterum vero currere ad infinitum, unde leviſſimo negotio infinitas infinitarum ſerierum ſummas, easque minime ſpernendas, depromere licet. Sint, exempli cauſa, $a=2$, $b=1$, $n=2$; exibit ſeries infinita:

$$\frac{1}{3} + \frac{3}{2} \times \frac{1}{9} + \frac{3.4}{2.3} \times \frac{1}{27} + \frac{3.4.5}{2.3.4} \times \frac{1}{81} + \frac{3.4.5.6}{2.3.4.5} \times \frac{1}{243} + \&c;$$

cujus ſumma eſt $= \frac{7}{8}$. Sint porro $a=3$, $b=1$, $n=3$; erit ſeries infinita $\frac{1}{4} + \frac{4}{2} \times \frac{1}{16} + \frac{4.5.}{2.\;3.} \times \frac{1}{64} + \frac{4.5.6}{2.3.4} \times \frac{1}{256} + \frac{4.5.6.7}{2.3.4.5} \times \frac{1}{512} + \frac{4.5.6.7.8}{2.3.4.5.6} \times \frac{1}{1024} +$ &c. in inf. $= \frac{37}{81}$; ſint rurſus $a=4$, $b=1$, $n=4$; erit ſeries infinita, $\frac{1}{5} + \frac{5}{2} \times \frac{1}{25} + \frac{5.6}{2.3} \times \frac{1}{125} + \frac{5.6.7}{2.3.4} \times \frac{1}{625} + \frac{5.6.7.8}{2.3.4.5} \times \frac{1}{3125} +$ &c. $= \frac{369}{1024}$. Tandem, ſi $a=3$, $b=2$, $n=3$, formabitur

ſeries

ſeries $\frac{2}{5} + \frac{4}{2} \times \frac{4}{25} + \frac{4.5}{2.3} \times \frac{8}{125} + \frac{4.5.6}{2.3.4} \times \frac{16}{625} + \frac{4.5.6.7}{2.3.4.5} \times \frac{32}{3125}$ + &c. cujus ſumma $= \frac{98}{81}$. Et ſic in aliis caſibus numero infinitis, quos ludendo quivis effingere valet.

Quod ſi autem ita acciderit, ut index poteſtatis q explicetur per numerum fractum $\frac{k}{l}$; utrumque æqualitatis membrum ad infinitum verget; tuncque obtinere erit binas ſeries infinitas, valore inter ſe æquales, ſed velocitate convergendi differentes. Generaliter enim, quicquid ſunt a & b, habebitur,

$$\frac{\frac{k}{l} a^{\frac{k-l}{l}} b + \frac{k.k-l}{1.2l^2} a^{\frac{k-2l}{l}} b^2 + \frac{k.k-l.k-2l}{1.\;2.\;3.} a^{\frac{k-3l}{l}} b^3 + \&c.}{\frac{k}{l} a^{\frac{k}{l}}}$$

$$= \frac{b}{a+b} + \frac{k+l}{2l} \frac{b^2}{(a+b)^2} + \frac{k+l.k+2l}{2.\;3.l^2} \cdot \frac{b^3}{(a+b)^3} + \&c.$$

Speciatim vero, poſitis a & $b = 1$, erit ſeries,

$$\frac{k}{l} + \frac{k.k-l}{1.2.l^2} + \frac{k.k-l.k-2l}{1.\;2.\;3l^3} + \frac{k.k-l.k-2l.k-3l}{1.\;2.\;3.\;4l^4} + \&c.$$

$$= \frac{k}{l} \times \frac{1}{2} + \frac{k.k+l}{1.2l^2} \times \frac{1}{4} + \frac{k.k+l.k+2l}{1.\;2.\;3.l^3} \times \frac{1}{8} + \frac{k.k+l.k+2l.k+3l}{1.\;2.\;3.\;4l^4} \times \frac{1}{16} + \&c.$$

quarum prior terminos habebit ſignis + & — alternatim, poſterior autem omnes ſigno + affectos; cum ponatur $l > k$; id quod ſpecimen transmutationis ſerierum haud inelegans ſuppeditat.

Taceo, quæ ex comparatione ſeriei tertiæ $(a+b)^q$ cum utraque priorum reſultant. Si q ſtatuatur eſſe numerus integer affirmativus, naſcuntur exinde transformationes quantitatum finitarum, alia ratione non adeo obviæ. Ita e. g.

$b^3 =$

$b^5 = (3a+6b)\frac{a^2b}{a+b} + (4ab+5bb)\frac{ab^2}{(a+b)^2} + \frac{(ab^2+b^3)b^3}{(a+b)^3} - 3(a+b)ab$. Sin $q=\frac{k}{l}$, quicquid valent a & b, erit $\frac{k}{l}a^{\frac{k-l}{l}}b + \frac{k.k-l}{1.2.l^2}a^{\frac{k-2l}{l}}b^2 + \frac{k.k-l.k-l^2}{1.2.3.l^3}a^{\frac{k-3l}{l}}b^3 +$ &c. $= \frac{k}{1.2.l}(2a+\frac{k+l}{l}b)\frac{a^{\frac{k-l}{l}}b}{(a+b)} + \frac{k}{1.2l}.\frac{k^2-l^2}{3.4l^2}(4ab+\frac{k+2l}{l}bb)\frac{a^{\frac{k-2l}{l}}b^2}{(a+b)^2} + \frac{k}{1.2l}.\frac{k^2-l^2}{3.4l^2}.\frac{k^2-4l^2}{5.6l^2}(6ab^2+\frac{k+3l}{l}b^3)\frac{a^{\frac{k-3l}{l}}b^3}{(a+b)^3} +$ &c. Et in caſu ſpeciali τῶν a & $b=1$, erit ſeries $\frac{k}{l}+\frac{k.k-l}{1.2l^2}+\frac{k.k-l.k-2l}{1.2.3l^3}+$ &c. $=\frac{k}{1.2l}(\frac{k+3l}{l})\times\frac{1}{2}+\frac{k}{1.2l}.\frac{k^2-l^2}{3.4l^2}(\frac{k+6l}{l})\times\frac{1}{4}+\frac{k.}{1.2l}\frac{k^2-l^2}{3.4l^2}.\frac{k^2-4l^2}{5.6l^2}(\frac{k+9l}{l})\times\frac{1}{8}+$ &c. in infin. quæ ſeries longe citius convergit priore; unde nova transformationum ſeges oritur. Quæ tandem combinandis vario modo his ſeriebus eruuntur, haud attingimus.

Ne igitur his diutius, quam par eſt, immoremur, ad alios methodi Interpolationum uſus enucleandos, age, pedem proferamus. Præcipue autem de eo diſpiciendum erit, ut, quæ ejusdem vis ſit in terminis generalibus ſerierum varii generis inveniendis, exemplis quibusdam evincamus. Hunc in finem ex ſuperiori Schediaſmate *l. c. pag. 135* repetendum, ſeriei cujusvis, ad unam ſaltem partem excurrentis, terminum generalem Q deſignari per ſeriem $a+\frac{yd'}{1}+\frac{y.y-1}{1.2}d''+\frac{y.y-1.y-2}{1.2.3}d'''+\frac{y.y-1.y-2.y-3}{1.2.3.4}d^{IV}+$ &c. denotantibus

 a pri-

a primum ſeriei expoſitæ terminum, d', d'', d''' &c. primos terminos in ſucceſſivis differentiarum ordinibus, & y, diſtantiam termini quæſiti a primo a, poſitis binorum ſeriei terminorum intervallis a ſe invicem æqualibus & $=1$; vel etiam per ſeriem,

$$a+\frac{x-1}{1}d'+\frac{x-1.x-2}{1.\quad 2.}d''+\frac{x-1.x-2.x-3}{1.\quad 2.\quad 3}d'''+\&c.$$

denotante x locum ipſum termini quæſiti, vel, quod idem eſt, numerum terminorum a primo uſque ad Q incluſive; ut nempe ſit $x=y+1$. Ex quo perſpicitur, valorem ipſius Q numero terminorum finito expreſſum iri, quotiescunque differentiæ alicujus ordinis evaneſcunt, quod accidit, ubi differentiæ ordinis præcedentis ſunt ſingulæ inter ſe æquales. Evaneſcat e. g. d^{IV}, (adeoque etiam omnes ſubſequentes d^{V}, d^{VI}, d^{VII} &c.) quod ita habet, ſi differentiæ tertii ordinis omnes ſint eædem: erit tunc Q æqualis his ipſis terminis, quos adſcripſimus, reliquis omnibus in nihilum abeuntibus. Unde deducimus, omnis ſeriei terminum generalem formula finita deſignari poſſe, cujus termini tandem deducunt ad differentias alicujus ordinis inter ſe æquales. Pauca adduxiſſe exempla ſufficiat.

In Problemate de Sectionibus angularibus ſit radius circuli $=1$, Chorda, Arcum quemvis A ſubtendens, $=b$; ſi Chorda Arcus A in data ratione ſecandi dicatur $=u$, per Theorema *Ptolemaeanum*, (quod rectangulum ſub diagoniis quadrilateri, in circulo inſcripti, æquatur ſummæ rectangulorum ſub binis lateribus oppoſitis,) facili opera invenientur ſucceſſive æquationes ſequentes:

Pro A; $bb=1uu$
Pro $\frac{1}{2}A$; $bb=4uu-1u^4$
Pro $\frac{1}{3}A$; $bb=9uu-6u^4+1u^6$
Pro $\frac{1}{4}A$; $bb=16uu-20u^4+8u^6-1u^8$
Pro $\frac{1}{5}A$; $bb=25uu-50u^4+35u^6-10u^8+1u^{10}$
Pro $\frac{1}{6}A$; $bb=36uu-105u^4+112u^6-54u^8+12u^{10}-1u^{12}$
Pro $\frac{1}{7}A$; $bb=49uu-196u^4+294u^6-212u^8+77u^{10}-14u^{12}+1u^{14}$

Et ſic porro; quibus ſolutis quovis caſu obtinebitur u, id eſt, Chorda arcus, qui dati A ſubmultiplex eſt ſecundum numerum, qui ſemiſſis eſt indicis poteſtatis altiſſimæ quantitatis u.

Ut

Ut igitur generaliter exprimere liceat æquationem pro $\frac{A}{n}$, facile intelligitur, terminum generalem cujusvis ſeriei coefficientium verticalis exquirendum eſſe: quod quidem nulla alia, quam hac ipſa Interpolationum, methodo felicius & facilius præſtari poteſt. Primo quidem ſtatim patet, primæ ſeriei verticalis terminum generalem fore $= n^2$; ſiquidem coefficientes ſunt quadrati numerorum naturalium. Jam, ut ſeriei ſecundæ terminum generalem adipiſcaris, eidem præfigatur o, ut numero membrorum æqualis ſit priori; tunc capiantur ſucceſſivi differentiarum ordines, ut videre eſt

	0,	1,	6,	20,	50,	105,	196	&c.	
diff. 1mæ		1,	5,	14,	30,	55,	91	&c.	
2dæ	-	4,	9,	16,	25,	36	&c.		
3tiæ	-	-	5,	7,	9,	11	&c.		
4tæ	-	-	-	2,	2,	2	&c.		

Differentiæ ſequentes evaneſcent: unde hoc caſu $a = o$, $d' = 1$, $d'' = 4$, $d''' = 5$, $d^{iv} = 2$, $d^{v} = 0$; hincque terminus Q, ad locum n in ſerie pertinens, eſt, vi Theorematis generalis, $\frac{n-1}{1} + \frac{4(n-1)(n-2)}{1.\ 2} + \frac{5n(n-1)(n-2)}{1.\ 2.\ 3.} + \frac{2n(n-1)(n-2)(n-3)}{1.\ 2.\ 3.\ 4.}$, ſiquidem n nobis idem eſt, quod ſupra fuit x. Abſoluta autem operatione, & deletis delendis, hic terminus redigetur ad $\frac{n^4 - n^2}{3.\ 4} = \frac{n^2(n^2-1)}{3.\ 4}$.

Tertiæ ſeriei præfigendæ ſunt duæ cyphræ, ut æqualitas numeri terminorum conſervetur; tuncque capiendis differentiis operandum, ut prius.

	0,	0,	1,	8,	35,	112,	294,	672	&c.
diff. 1mæ	0,	1,	7,	27,	77,	182,	378	&c.	
2dæ	-	1,	6,	20,	50,	105,	196	&c.	
3tiæ	-	5,	14,	30,	55,	91	&c.		
4tæ	-	-	9,	16,	25,	36	&c.		
5tæ	-	-	-	7,	9,	11	&c.		
6tæ	-	-	-	-	2,	2	&c.		

Habemus itaque $d=0$, $d'=0$, $d''=1$, $d'''=5$, $d^{\mathrm{iv}}=9$, $d^{\mathrm{v}}=7$, $d^{\mathrm{vi}}=2$, $d^{\mathrm{vii}}=0$; hinc $Q=\frac{(n-1)(n-2)}{1.\ 2}+\frac{5(n-1)(n-2)(n-3)}{1.\ 2.\ 3}+\frac{9(n-1)(n-2)(n-3)(n-4)}{1.\ 2.\ 3.\ 4}+\frac{7(n-1)(\ldots.)(n-5)}{1.\ 2.\ldots\ldots 5}+\frac{2(n-1)(\ldots..)(n-6)}{1.\ 2\ldots\ldots 6}$, qui contrahetur ad $\frac{n^6-5n^4+4n^2}{3.\ 4.\ 5.\ 6.}=\frac{n^2(n^2-1)(n^2-4)}{3.\ 4.\ 5.\ 6}$.

Pari modo quartæ ſeriei præfigendæ 3 cyphræ: quintæ 4; & ſic porro; tumque pari operandi ratione eruetur pro ſerie 4ta $Q=\frac{n^2(n^2-1)(n^2-4)(n^2-9)}{3,\ 4.\ 5.\ 6.\ 7.\ 8}$; pro 5ta $Q=\frac{n^2(n^2-1)(n^2-4)(n^2-9)(n^2-16)}{3\ 4\ 5.\ 6.\ 7.\ 8.\ 9.\ 10}$; unde lex ceterorum omnium in promtu eſt. Nempe pro quadrato Chordæ u Arcus $\frac{A}{n}$ habebitur generalis æquatio $bb=n^2u^2-\frac{n^2)(n^2-1)}{3.\ 4}u^4+\frac{n^2(n_2-1)(n^2-4)}{3.\ 4.\ 5.\ 6}u^6+\frac{n^2(n^2-1)(n^2-4)(n^2-9)}{3.\ 4.\ 5.\ 6.\ 7.\ 8}u^8+$ &c. uſque ad terminum $\frac{n^2(n^2-1)(\ldots\ldots\ldots\ldots\ldots)(n^2-\overline{n-1}^2)}{3.\ 4\ldots\ldots\ldots\ldots\ldots.2n}u^{2n}$. Cujusmodi quidem æquationes methodis difficilioribus elicuere Viri Celeberrimi, *Jac. Bernoullius* in Comment. Acad. Pariſ. *A. 1702 pag. m. 378*, & *Pembertonus* in *Epiſtola ad Amicum de Coteſii inventis pag. 16.*

Alterum eximii uſus hujus methodi exemplum cernitur in exprimendis generaliter numeris figuratis, cujusvis demum generis, vel ordinis, ſint; nec certe ulla alia ratione idem expeditius obtineri poteſt. Proponatur e.g. ſeries numerorum pyramidi-pyramidalium, 1, 5, 15, 35, 56, 84, &c. tunc, ſumtis

tis ordine differentiis, ceu typi præcedentes monſtrant, invenies $d' = 4$, $d'' = 6$, $d''' = 4$, $d^{iv} = 1$, $d^{v} = 0$, atque a eſt $= 1$. Adeoque terminus numero n, ſive $Q = 1 + \frac{4(n-1)}{1} + \frac{6(n-1)(-2)}{1.\ 2} + \frac{4(n-1)(n-2)(n-3)}{1.\ 2.\ 3} + \frac{(n-1)(n-2)(n-3)(n-4)}{1.\ 2.\ 3.\ 4} = \frac{n^4 + 6n^3 + 11n^2 + 6n}{1.\ 2.\ 3.\ 4} = \frac{n(n+1)(n+2)(n+3)}{1.\ 2.\ 3.\ 4}$, atque ita in aliis. Invento jam termino generali, ſeries poterit interpolari: ita e. g. ſi velis medio loco inter primum & ſecundum ſeriei terminum inſerere numerum congruentem, faciendum eſt $n = \frac{3}{2}$, eritque terminus inter 1 & 5 medius $\frac{3.5.7.9}{1.2.3.4} \times \frac{1}{2^4}$; ſi $n = \frac{5}{2}$, prodibit $\frac{5.7.9.11}{1.2.3.4} \times \frac{1}{2^4}$ pro termino medio inter 5 & 15; atque adeo ſeries, juxta medietatem interpolata, eſt 1, $\frac{3.5.7.9}{1.2.3.4} \times \frac{1}{2^4}$, 5, $\frac{5.7.9.11}{1.2.3.4} \times \frac{1}{2^4}$, 15, $\frac{7.9.11.13}{1.2.3.4} \times \frac{1}{2^4}$; ſi vero inter ſingulos binos terminos ſeriei velles duos alios inſerere, faciendum eſſet ſucceſſive $n = 1\frac{1}{3}$, $1\frac{2}{3}$, $2\frac{1}{3}$, $2\frac{2}{3}$ &c. adeoque inter 1 & 5 caderent $\frac{4.7.10.13}{1.2.3.4} \times \frac{1}{3^4}$ atque $\frac{5.8.11.14}{1.2.3.4} \times \frac{1}{3^4}$; inter 5 & 15 caderent $\frac{7.10.13.16}{1.2.3.4} \times \frac{1}{3^4}$ &c. atque $\frac{8.11.14.17}{1.2.3.4} \times \frac{1}{3^4}$, & ſic de ceteris.

Liceat jam ex Geometricis exemplum producere. Linea primi ordinis duci poteſt per duo puncta; ſecundi, per quinque; tertii, per novem; quarti, per quatuordecim; quinti, per viginti; & ſic porro. Tot enim, non plures, termini ex variis coordinatarum poteſtatibus tam ſolitariis, quam conjunctis, formari, atque coefficientibus affici,

 poſ-

poſſunt, quorum valores a punctis, quæ Curvam trajicere oportet, pendebunt. Ita omnes Lineæ tertii ordinis continentur æquatione, $\alpha u^3 + \beta u^2 + \gamma u + \delta z^3 + \varepsilon z^2 + \zeta z + \eta u^2 z + \theta u z^2 + \kappa u z = 0$, ubi origo utriusque coordinatarum u & z in ipſam Curvam incidit. Si itaque novem dentur puncta, per quæ Curvæ transeundum ſit, habebuntur totidem æquationes, quarum ope determinabuntur α, β, γ, δ, &c. Si itaque noſſe cupias, per quotnam puncta tranſire poſſit linea ordinis n; vides, idem eſſe, ac ſi ſeriei 2, 5, 9, 14, 20, &c. terminum generalem indagare velles. Sumtis itaque differentiis, habes $a = 2$, $d' = 3$, $d'' = 1$, $d''' = 0$; unde $Q = 2 + \frac{3(n-1)}{1} + \frac{(n-1)(n-2)}{1.\ 2.} = \frac{n^2 + 3n}{2}$. Ita intelligitur, lineam ordinis centeſimi tranſire per puncta $\frac{100^2 + 300}{2} = 5120$. Patet quoque, inter quemvis linearum Algebraicarum ordinem infinitas numero tranſcendentes cadere.

Si proponatur ſeries quævis fractionum, $\frac{a}{\alpha}, \frac{b}{\beta}, \frac{c}{\gamma}, \frac{d}{\delta}, \frac{e}{\varepsilon}$, &c. termini generales ſeriei tam numeratorum, quam denominatorum, ſingulatim inveſtigari poterunt, ex iisque terminus ſeriei propoſitæ generalis formari. Quodſi enim primi termini differentiarum ſucceſſivarum in numeratoribus dicantur d', d'', d''' &c. in denominatoribus vero, Δ', Δ'', Δ''', &c. erit in ſerie numeratorum terminus ordine $n' = a + \frac{(n-1)}{1} d' + \frac{(n-1)(n-2)}{1.\ 2.} d'' +$ &c. atque in ſerie denominatorum, $\alpha + \frac{(n-1)}{1} \Delta' + \frac{(n-1)(n-2)}{1.\ 2} \Delta'' +$ &c. ex quibus formatur fractio, quæ propoſitæ ſeriei $\frac{a}{\alpha}, \frac{b}{\beta}$, &c. terminus generalis eſt. Diximus, ita terminum inveſtigari poſſe; idque magno aliquo laboris compendio,

ſi in

Digitized by Google

ſi in utraque, vel ſaltem alterutra, ſerierum ad differentias conſtantes perveniri poſſit. Sin minus, fractiones ſtatim tractari ut tales, earumque differentias ſucceſſivas exquiri, ſatius erit.

Porro, inſignis methodi uſus in ipſis ſerierum ſummis perſcrutandis elucet. Quicquid enim, hujus eſt negotii, id totum ad Interpolationes, vel inveniendos ſerierum terminos generales reduci, in eo ſum, ut oſtendam. Exponatur namque ſeries Quantitatum quævis

A) α, β, γ, δ, ϵ, ζ, η, θ, &c. Quo facto, accipiantur ſummæ particulares terminorum ſucceſſive, α; $\alpha+\beta$; $\alpha+\beta+\gamma$; $\alpha+\beta+\gamma+\delta$; $\alpha+\beta+\gamma+\delta+\epsilon$; & ſic porro, hæque diſponantur in novam ſeriem *B*, quam vides:

B) α, $\alpha+\beta$, $\alpha+\beta+\gamma$, $\alpha+\beta+\gamma+\delta$, $\alpha+\beta+\gamma+\delta+\epsilon$; &c. Hæc ſeries *B*) dici poterit *Summatrix* ipſius *A*), ab officio nomine illius deſumto. In oculos igitur incurrit, quemvis ſeriei *B*) terminum æquari ſummæ omnium in ſerie *A*) a primo uſque ad hunc, cujus index loci idem ſit cum indice termini in *B*); ita e. g. tertius in ſerie *B*) æqualis eſt eſt aggregato terminorum, primi, ſecundi, tertiique, in ſerie *A*. Unde mox concluditur, ad inveniendam ſeriei *A*) ſummam ad quemvis numerum terminorum *n* nulla alia re opus eſſe, quam ut terminus generalis, locum *n* in ſerie ſummatrice *B*) occupans, definiatur; adeoque ſummationem Seriei *A*) ad Interpolationem τῆς *B*) deduci; quod primo quidem oſtendere animus erat.

Accipiendis jam differentiarum ordinibus in ſerie *B*), erit prima primarum $=\beta$; prima ſecundarum $=\gamma-\beta$; prima tertiarum $=\delta-2\gamma+\beta$; prima quartarum $=\epsilon-3\delta+3\gamma-\beta$; prima quintarum $=\zeta-4\epsilon+\beta\delta-4\gamma+\beta$, & ſic deinceps. Unde, per Theorema generale, erit terminus generalis ad locum *n* ſeriei *B*) pertinens; ſive $Q=\alpha+\frac{(n-1)}{1}\beta+$

$$\frac{(n-)(n-2)}{1.\quad 2}(\gamma-\beta)+\frac{(n-1)(n-2)(n-3)}{1.\quad 2.\quad 3}$$

$$(\delta-2\gamma+\beta)+\frac{(n-1)(n-2)(n-3)(n-4)}{1.\quad 2.\quad 3.\quad 4}$$

(ε—

$(\varepsilon - 3\delta + 3\gamma - \beta)$ + &c. hacque ipſa formula exprimitur ſumma tot terminorum ſeriei *A*), quot ſunt unitates in n. Facile autem perſpicitur, regulam ad uſum paulo concinnius accommodari poſſe, ut nihil amplius opus ſit ſummatrice *B*), idque hunc in modum: Expoſita, ut prius, quantitatum ſerie *A*), cujus termino primus $= \alpha$, ſecundus $= \beta$; excluſo primo α, capiantur ſinguli differentiarum ordines a ſequentibus β, γ, δ, &c. ſitque prima primarum differentiarum ab his qualitatibus $= d'$, prima ſecundarum $= d''$, prima tertiarum $= d'''$, &c. numerus terminorum $= n$, ſumma a termino primo uſque ad n^{tum} incluſive, $= Q$: tunc erit $Q = \alpha + \frac{n-1}{1}\beta + \frac{(n-1)(n-2)}{1.\;2}d' + \frac{(n-1)(n-2)(n-3)}{1.\;2.\;3}d'' + \frac{(n-1)(\ldots\ldots)(n-4)}{1.\;2.\;3.\;4.}d''' +$ &c. Unde generaliter inferre licet, omnis ſeriei ſummam ad quemvis numerorum terminum formula finita exprimi poſſe, modo termini ſeriei tandem deducant ad differentias alicujus ordinis conſtantes, ut ulteriores evaneſcant. Ultro quippe patet, formulam abrumpi, ſi d', vel d'', vel d''', &c, $= 0$.

Exempli loco, proponatur invenienda ſumma Cuborum a numeris naturalibus, ab 1 uſque ad n; nempe $1 + 8 + 27 + 64 + 125 + 216 \ldots\ldots + n^3$. hoc caſu $\alpha = 1$, $\beta = 8$; excluſa jam 1, ſumtisque ordine differentiis reliquorum terminorum, erit, $d' = 19$, $d'' = 18$, $d''' = 6$, $d^{\text{iv}} = 0$; hinc

$$Q = 1 + 8(n-1) + \frac{19(n-1)(n-2)}{1.\;2.} + \frac{18(n-1)(n-2)(n-3)}{1.\;2.\;3} + \frac{6(n-1)(n-2)(n-3)(n-4)}{1.\;2.\;3.\;4},$$

quæ formula contrahetur ad $\frac{1}{4}n^4 + \frac{1}{2}n^3 + \frac{1}{4}n^2$, qua proinde ſumma cuborum $1 + 8 + \ldots\ldots + n^3$ deſignatur.

Generalius inveniri poſſunt ſummæ omnium hujusmodi ſerierum: $a^q + (a+b)^q + (a+2b)^q + (a+4b)^q + (a+5b)^q + \ldots\ldots + (a+nb)^q$; ſemper enim pervenitur

ad dif-

ad differentias conſtantes ordinis q, reliquis evaneſcentibus. Aliæ quidem methodi pro hiſce ſummis poteſtatum apud Autores paſſim exſtant, ſed omnes facilitate longe inferiores hac, quâm deſcribimus. Hac occaſione paucis indicare animus eſt, qua ratione ſeries infinita pro $1 + 2^q + 3^q + 4^q + 5^q + \ldots + n^q$ ope ejuſdem methodi inveniri poſſit, a ſolo q dependens. Quem in finem inſpicienda eſt Tabula ſummæ poteſtatum particularium numerorum naturalium, a *Jac. Bernoullio* in Arte conjectandi *pag.* 97 conſtructa, quam huc transferre, cum liber omnium manibus teratur, nihil attinet. Ubi quidem ſtatim percipitur, ſeriei quæſitæ formam fore $An^{q+1} + Bn^q + Cn^{q-1} - Dn^{q-3} + En^{q-5} - Fn^{q-7} +$ &c. atque A primo intuitu deprehenditur $= \frac{1}{q+1}$; $B = \frac{1}{2}$. Ad determinandos autem coefficientes reliquos, quærendi ſunt ſucceſſive termini generalis coefficientium in ſeriebus Tabulæ verticalibus. Ita, pro C inveniendus terminus ſeriei $\frac{1}{6}, \frac{1}{4}, \frac{1}{3}, \frac{5}{12}, \frac{1}{2}, \frac{7}{12}$, &c. quarum fractionum differentiæ primæ ſtatim ſunt conſtantes, quippe $= \frac{1}{12} = \frac{1}{3 \cdot 4}$; unde terminus generalis hujus ſeriei eſt $= \frac{x+1}{3 \cdot 4}$, denotante x numerum terminorum. Sed, quoniam fractionum ſeries (ceu ex Tabula patet) incipit a poteſtate ſecunda, exiſtente nimirum $q = 2$, liquet, eſſe $x + 1 = q$, atque adeo terminum generalem ſeriei $\frac{1}{6}, \frac{1}{4}$ &c. per q expreſſum, hoc eſt, valorem τοῦ C in ſerie aſſumta eſſe $= \frac{q}{3 \cdot 4}$. Pro inveniendo D quærendus eſt terminus generalis coefficientium ſeriei ſequentis in Tabula, nempe $\frac{1}{30}, \frac{1}{12}, \frac{1}{0}, \frac{7}{24}$, &c. quæ deducunt ad differentias conſtantes tertias, nempe omnes $= \frac{1}{2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5}$; vel, ſi toties repetita in numeris fractis ſubtractio nimis moleſta videatur,

Digitized by Google

tur, fractiones omnes ad communem denominatorem reducantur, qui erit $= 2.3.4.5.6$; numeratores autem reſpectivi erunt, 24, 60, 120, 210, 336, 504. 720, &c. Sumtis jam ordine differentiis, erit $d' = 36$, $d'' = 24$, $d''' = 6$, $d^{IV} = 0$; eſt autem $a = 24$; denotante igitur x numero terminorum, erit $Q = 24 + 36(x-1) + 12(x-1)(x-2) + (x-1)(x-2)(x-3) = x^3 + 6x^2 + 11x + 6 = (x+1)(x+2)(x+3)$. Reſtituto jam communi fractionum denominatore, erit earum terminus generalis $= \frac{(x+1)(x+2)(x+3)}{2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6}$; Quoniam autem hæc ſeries, monſtrante Tabula, incipit ad poteſtatem quartam, ubi $q = 4$, liquet, eſſe $x + 3 = q$; unde idem terminus generalis eſt $\frac{q(q-1)(q-2)}{2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6} = D$. Pari ratione quærendus eſt valor τῦ E per terminum generalem ſeriei $\frac{1}{42}, \frac{1}{12}, \frac{2}{9}, \frac{1}{2}, 1, \frac{11}{6}, \frac{22}{7}, \frac{143}{28}$, &c. quæ inſtituto examine deducere invenitur ad differentias quintas inter ſe æquales: Typum operationis commodiſſimæ ſubjungo. Series eſt, denominatoribus fractionum in componentes ſuos diſſolutis:

$$\frac{1}{6.7},\ \frac{1}{2.6},\ \frac{2}{9},\ \frac{1}{2},\ \frac{1}{1},\ \frac{11}{2.3},\ \frac{22}{7},\ \frac{143}{4.7},\ \text{\&c.}$$

differ. 1^{mæ} $\frac{5}{2.6.7},\ \frac{15}{2.6.9},\ \frac{5}{2.9},\ \frac{1}{2},\ \frac{5}{2.3},\ \frac{55}{2.3.7},\ \frac{55}{4.7}$ &c.

2^{dæ} $\frac{60}{2.6.7.9},\ \frac{15}{2.6.9},\ \frac{4}{2.9},\ \frac{2}{2.3},\ \frac{20}{2.3.7},\ \frac{110}{2.3.4.7}$ &c.

3^{tiæ} $\frac{45}{2.6.7.9},\ \frac{9}{2.6.9},\ \frac{6}{2.3.9},\ \frac{6}{2.3.7},\ \frac{30}{2.3.4.7}$ &c.

4^{tæ} $\frac{18}{2.6.7.9},\ \frac{9}{2.3.6.9},\ \frac{12}{2.3.7.9},\ \frac{6}{2.3.4.7}$ &c.

5^{tæ} $\frac{1}{2.3.6.7},\ \frac{1}{2.3.6.7},\ \frac{1}{2.3.6.7}$ &c.

Habe-

Digitized by Google

Habemus ergo $a = \frac{1}{6.7}$, $d' = \frac{5}{2.6.7}$, $d'' = \frac{5}{7.9}$, $d''' = \frac{5}{2.6.7}$, $d^{iv} = \frac{1}{6.7}$, $d^{v} = \frac{1}{2.3.6.7}$, $d^{vi} = 0$; unde $Q = \frac{1}{6.7}$
$+ \frac{5}{2.6.7} \cdot \frac{(x-1)}{1} + \frac{5}{7.9} \cdot \frac{(x-1)}{1} \cdot \frac{(x-2)}{2} + \frac{5}{2.6.7} \cdot \frac{(x-1)\ldots(x-3)}{1.\ 2.\ 3} +$
$\frac{1}{6.7} \cdot \frac{(x-1)..(x-4)}{1.\ 2.\ 3.\ 4} + \frac{1}{2.3.6.7} \cdot \frac{(x-1)\ldots(x-5)}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5}$, id quod, calculum recte tractando deprehendetur

$$= \frac{9x^5 + 135x^4 + 765x^3 + 2025x^2 + 2466x + 1080}{2.\ 3.\ 4\ \ 5.\ \ 2.\ 3.\ 6.\ 7.\ \ 9},$$

hoc eſt, quia diviſor 9 ſingulos metitur coefficientes, $=$

$$\frac{x^5 + 15x^4 + 85x^3 + 225x^2 + 274x + 120}{2.\ 3.\ 4.\ 2.\ 3.\ 5.\ 6.\ 7} =$$

$$\frac{(x+1)(x+2)(x+3)(x+4)(x+5)}{2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6.\ 7.\ 6}.$$

Jam vero, quoniam ſeries, oſtendente Tabula, incipit a poteſtate ſexta, erit $x+5=q$; unde habebitur $Q = \frac{q(q-1)(q-2)(q-3)(q-4)}{2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6.\ 7.\ 6}$; & ſic pro ceteris, ut vel tandem ſit $1 + 2^q + 3^q + \ldots + n^q =$
$\frac{1}{q+1} n^{q+1} + \frac{1}{2} n^q + \frac{q}{2} \times \frac{1}{6} n^{q-1} - \frac{q(q-1)(q-2)}{2.\ 3.\ 4} \times \frac{1}{30} n^{q-3}$
$+ \frac{q(q-1)(q-2)(q-3)(q-4)}{2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6} + \frac{1}{42} n^{q-5}$ — &c. quam ipſam ſeriem exhibet *Bernoullius l. c.* quamvis methodum non exhibeat, illam a ſeriebus particularibus abſtrahendi. Plura autem de uſu ſeriei, atque natura numerorum $\frac{1}{6}$, $-\frac{1}{30}$, $+ \frac{1}{42}$ &c. apud Virum laudatiſſimum invenias.

Sed revertamur ad ſummas ſerierum hac methodo inveniendas. Sit ſeries quævis

 A).

A). $\alpha u + \beta u^2 + \gamma u^3 + \delta u^4 + \epsilon u^5 +$ &c. in infin. in qua poteſtates ipſius u conſtituant progreſſionem geometricam in ratione $1 : u$, coefficientes autem α, β, γ, δ, ejus ſint naturæ, ut vel tandem deducant ad differentias alicujus ordinis conſtantes; dico, hujus quoque ſummam haberi poſſe.

Deducat enim ſeries coefficientium ad d^μ, hoc eſt, ad differentias ordinis μ, inter ſe æquales; ſitque numerus terminorum ſeriei quivis $= n$; erit itaque terminus ſeriei, cujus index eſt n, ſive $Q = u^n(\alpha + \frac{n-1}{1} d' + \frac{(n-1)(n-2)}{1.\ 2} d'' + \frac{(n-1)(n-2)(n-3)}{1.\ 2.\ 3} d''' + \ldots\ldots + \frac{(n-1)(\ldots\ldots)(n-\mu) d^\mu}{1\ 2 \ldots\ldots \mu})$. Jam ſubſtituantur in hac formula ſucceſſivi τῷ n valores, nempe 1, 2, 3, 4, &c. atque termini, exinde reſultantes, æquentur his, qui reſpondent in ſerie *A*); poſito nempe,

$n = 1$; eſt $Q = \alpha u = \alpha u$

$n = 2$; ... $Q = \alpha u^2 + d' u^2 = \beta u^2$

$n = 3$; ... $Q = \alpha u^3 + 2 d' u^3 + d'' u^3 = \gamma u^3$

$n = 4$; .. $Q = \alpha u^4 + 3 d' u^4 + 3 d'' u^4 + d''' u^4 = \delta u^4$

$n = 5$; ... $Q = \alpha u^5 + 4 d' u^5 + 6 d'' u^5 + 4 d''' u^5 + d^{iv} u^5 = \epsilon u^5$

$n = 6$; ... $Q = \alpha u^6 + 5 d' u^6 + 10 d'' u^6 + 10 d''' u^6 + 5 d^{iv} u^6 + d^{v} u^6 = \zeta u^6$

$n = 7$; ... $Q = \alpha u^7 + 6 d' u^7 + 15 d'' u^7 + 20 d''' u^7 + 15 d^{iv} u^7 + 6 d^{v} u^7 + d^{vi} u^7 = \eta u^7$.

et ſic porro. Unde in oculos incurrit, eſſe ſeriem *A*) ſive $\alpha u + \beta u^2 + \gamma u^3 +$ &c. $= \alpha(u + u^2 + u^3 +$ &c.$)$ $+ d'(u^2 + 2u^3 + 3u^4 +$ &c.$+ d''(u^3 + 3u^4 + 6u^5 +$ &c.$)$ $+ d'''(u^4 + 4u^5 + 10u^6 +$ &c.$)$ $+ d^{iv}(u^5 + 5u^6 + 15u^7$ $+$ &c.$)$ $+$ &c. uſque ad terminum, qui ducitur in d^μ. Jam vero conſtat, eſſe $u + u^2 + u^3 +$ &c. in inf. $= \frac{u}{1-u}$; $u^2 +$

$2u^3 +$

Digitized by Google

$2u^3 + 3u^4 +$ &c. $= \frac{u^2}{(1-u)^2}$; $u^3 + 3u^4 + 6u^5 +$ &c. $=$ $\frac{u^3}{(1-u)^3}$; $u^4 + 4u^5 + 10u^6 +$ &c. $= \frac{u^4}{(1-u)^4}$, & ſic de ceteris; ad cujus demonſtrationem conf. *Jac. Bernoull. de Ser. inf.* §. 38 *ſeq.* vel admove Theorema Binomiale. Quare $\alpha u + \beta u^2 + \gamma u^3$ $\delta u^4 +$ &c. in infin. $= \frac{\alpha u}{1-u} + \frac{d' u^2}{(1-u)^2} + \frac{d'' u^3}{(1-u)^3} +$ $\frac{d''' u^4}{(1-u)^4} + \frac{d^{iv} u^5}{(1-u)^5} + \ldots\ldots + \frac{d^{\mu} u^{\mu+1}}{(1-u)^{\mu+1}}$; Quæ ſeries neceſſario ad hunc ultimum terminum abrumpetur, cum $d^{\mu+1}$, $d^{\mu+2}$ &c. ſtatuantur $= 0$. Hac quidem ſerie valor alterius *A*), in infinitum excurrentis, definitur. Si u minor ſit unitate, ſeries *A*) ad nihilum converget, ac proinde $\frac{\alpha u}{1-u}$ $+ \frac{d' u^2}{(1-u)^2} \ldots\ldots + \frac{d^{\mu} u^{\mu+1}}{(1-u)^{\mu+1}}$ erit æqualis ſummæ ſeriei *A*), idque ſenſu ſtrictiſſimo; ſin $u = 1$, ſinguli termini fiunt infinite magni, unde $\alpha + \beta + \gamma + \delta +$ &c. in inf. $= \infty$, quod quidem per ſe patet. Si denique u major eſt unitate, ſeries *A*.) adhuc magis erit divergens, adeoque $\frac{\alpha u}{1-u} + \frac{d' u^2}{(1-u)^2} +$ &c. erit æqualis ſummæ ejusdem, ſenſu laxiori, nempe hoc, ut termini $\frac{\alpha u}{1-u}$ + &c. in ſeries infinitas explicati, atque ad ſe invicem additi, reſtituant ipſiſſimam *A*; qua quidem de re in ſequentibus paulo plura.

Quæ de ſumma ſeriei *A*) diximus, facile patet, hunc quoque in modum oſtendi poſſe: Sit $A = \alpha u + \beta u^2 + \gamma u^3$ $+ \delta u^4 +$ &c. Ponatur $u = \frac{z}{1+z}$; unde $\alpha u = \alpha z - \alpha z^2$ $+ \alpha z^3 - \alpha z^4 + \alpha z^5 -$ &c. $\beta u^2 = \frac{\beta z^2}{(1+z)^2} =$

 βz^2

$\beta z^2 - 2\beta z^3 + 3\beta z^4 - 4\beta z^5 +$ &c. $\gamma u^3 = \frac{\gamma z}{(1+z)^2}$ $= \gamma x^3 - 3\gamma z^4 + 6\gamma z^5 +$ &c. $\delta u^4 = \frac{\delta z^4}{(1+z)^4} = \delta z^4$ $- 4\delta z^5$ &c. quare $A = \alpha z + (\beta - \alpha) z^2 + (\gamma - 2\beta + \alpha) z^3$ $+ (\delta - 3\gamma + 3\beta - \alpha) z^4 +$ &c. hoc eſt, monſtrante differentiarum Tabula, $A = \alpha z + d' z^2 + d'' z^3 + d''' z^4 +$ &c. ſed propter $u = \frac{z}{1+z}$ erit $z = \frac{u}{1-u}$; ergo $A = \frac{\alpha u}{1-u} + \frac{d' u^2}{(1-u)^2} + \frac{d'' u^3}{(1-u)^3} +$ &c. ut prius.

Porro non difficulter intelligitur, ſummam ſeriei A) non ſolum in infinitum, ſed & ad quemvis terminorum numerum n protractæ, haberi poſſe. Terminus, cujus index eſt n, ſit πu^n; ſequentes autem ρu^{n+1}, σu^{n+2}, τu^{n+3}, ϕu^{n+4}, &c. Ab his capiantur ſucceſſive differentiarum ordines, ſintque Δ', Δ'', Δ''', &c. primæ differentiarum primarum, ſecundarum, tertiarum, &c. dum perveniatur ad Δ^μ, ultra quam per hypotheſin nullæ dantur amplius: Tunc eadem, qua prius, ratione evincetur, fore $\rho u^{n+1} + \sigma u^{n+2} + \tau u^{n+3} + \phi u^{n+4}$ $+$ &c. in infin. $= \frac{\rho u^{n+1}}{1-u^{n+1}} + \frac{\Delta' u^{2n+2}}{(1-u^{n+1})^2} + \frac{\Delta'' u^{3n+3}}{(1-u^{n+1})^3} + \frac{\Delta''' u^{4n+4}}{(1-u^{n+1})^4} + \ldots\ldots\ldots + \frac{\Delta^\mu u^{(n+1)\mu}}{(1-u^{n+1})^\mu}$. Quo enim jure eſt e. g. $\frac{u^2}{(1-u)^2} = u^2 + 2u^3 + 3u^4 +$ &c eodem quoque eſt $\frac{u^{2(n+1)}}{(1-u^{n+1})^2} = u^{2n+2} + 2u^{3n+3} + 3u^{4n+4} +$ &c. Subtracta jam poſteriore ſerie a prima, differentia earundem exhibebit ſummam terminorum ſeriei A) a primo uſque ad eum, cujus index eſt n. Poſſet calculus diduci & concinnari, quod autem facere anguſtia ſpatii prohibemur.

Fatendum eſt, præter ejusmodi ſeries, qualis eſt A, infinitas dari alias, quârum ſummæ ad quemvis terminorum numerum

Digitized by Google

merum, non hac quidem, ſed aliis methodis, formula finita exprimi poſſunt: Has inter eminent, quæ vulgo *Recurrentes* audiunt, atque hujus ſunt indolis, ut quivis earum terminus ad datum quendam præcedentium numerum, certam & invariabilem relationis legem teneat. Verum nihil hoc præſtantiæ methodi, quam expoſuimus, officit. Quicquid enim eſt incommodi, ejus compenſatur univerſalitate, qua ſeries omnes, quas concipere licet, comprehenduntur. Nil itaque miremur, ſi methodis particularibus ſæpe elegantia & brevitate cedat. Interim vero hac occaſione notaſſe juvabit, omnes ſeries, quæ ad differentias conſtantes deducunt, genere *Recurrentium* contineri. Habeat v. g. ſeries A, de qua hactenus diximus, differentias tertias inter ſe æquales; evaneſcent igitur quartæ; adeoque erit $\varepsilon - 4\delta + 6\gamma - 4\beta + \alpha = 0$, $\zeta - 4\varepsilon + 6\delta - 4\gamma + \beta = 0$, &c. ſive $\varepsilon = 4\delta - 6\gamma + 4\beta - \alpha$; $\zeta = 4\varepsilon - 6\delta + 4\gamma - \beta$; & ſic de ceteris. Patet igitur, terminum ε eadem lege referri ad præcedentes $\delta, \gamma, \beta, \alpha$, qua quidem ζ refertur ad totidem antegreſſos, $\varepsilon, \delta, \gamma, \beta$. Quare, ſi ſeries quædam habeat differentias ordinis μ conſtantes, erit eadem *Recurrens*, lege relationis deſumta ex coefficientibus binomii $1-a$ evecti ad poteſtatem $\mu+1$. Quin imo locum habebunt leges relationis ex unciis ipſius $(1-a)^{\mu+\pi}$ depromtæ, exiſtente $\pi > 1$; ſi enim differentiæ ordinis μ ſint æquales, nullæ erunt reliquæ omnium ordinum ſuperiorum $\mu+1, \mu+2, \mu+3$, &c.

Exinde pendet demonſtratio Theorematis cujusdam oppido elegantis, quod memini ante biennium mihi enarrare Cel. *Eulerum*, meque valde mirari. Ita autem habet: Quicunque ſint numeri rationales integri & poſitivi, μ & ν, modo $\mu > \nu$, erit omni caſu $a^\mu - \frac{\nu}{1}(a+b)^\mu + \frac{\nu.\nu-1}{1.\ 2}(a+2b)_\mu + \frac{\nu.\nu-1.\nu-2}{1.\ 2.\ 3}(a+3b)_n + \frac{\nu.\nu-1.\nu-2.\nu-3}{1.\ 2.\ 3.\ 4}(a+4b)^\mu -$ &c. $= 0$. Nam ſeries $a^\mu + (a+b)_\mu + (a+2b)^\mu +$ &c. eſt, ut ſupra monuimus, ejus indolis, ut habeat differentias ordinis μ inter ſe æquales, evaneſcentibus reliquis: unde etiam *Recurrens* erit, lege relationis deſumta ex unciis ipſius $(1-a)^{\mu+1}$, adeoque etiam ex unciis τῶν $(1-a)^{\mu+2}$, $(1-a)^{\mu+3}$ &c. & in gene-

Digitized by Google

genere ex unciis τῦ $(1-a)^\nu$, exiſtente $\nu > \mu$. Quodſi igitur brevitatis gratia termini ſeriei a^μ, $(a+b)^\mu$, $(a+2b)^\mu$ &c. A, B, C, D, E, &c. erit $E - \frac{\nu}{1}D + \frac{\nu.\nu-1}{1.2}C - \frac{\nu.\nu-1.\nu-2}{1.2.3}B + \frac{\nu.\nu-1.\nu-2.\nu-3}{1.2.3.4}A$ — &c. $= 0$. Jam vero in ſerie unciarum binomii $(1-a)^\nu$, termini extremi, & qui ab extremis æqualiter diſtant, inter ſe æquantur: ita, ſi v. g. ſupponas, ſeriem ad $\frac{\nu.\nu-1.\nu-2.\nu-3}{1.2.3.4}$ terminari, evaneſcentibus, qui ſequuntur: erit hic ipſe terminus $= 1$; $\frac{\nu.\nu-1.\nu-2}{1.2.3} = \frac{\nu}{1}$; $\frac{\nu.\nu-1}{1.2} = \frac{\nu.\nu-1}{1.2}$ &c. adeoque $A - \frac{\nu}{1}B + \frac{\nu.\nu-1}{1.2}C - \frac{\nu.\nu-1.\nu-2}{1.2.3}D + \frac{\nu.\nu-1.\nu-2.\nu-3}{1.2.3.4}E$ — &c. $= 0$, ſive $a^\mu - \frac{\nu}{1}(a+b)^\mu + \frac{\nu.\nu-1}{1.2}(a+2b)^\mu - \frac{\nu.\nu-1.\nu-2}{1.2.3}(a+3b)^\mu$ + &c. $= 0$.

Quæ igitur huc uſque diximus, ita comparata eſſe ſperamus, ut methodus interpolandi in apricum producta, atque ad tantam facilitatem redacta ſit, ut ab iis, qui ad conſcribendos Curſus mathematicos animum appellunt, Elementis in poſterum inſeri queat. Variæ adhuc obſervationes non levis momenti ſubjungendæ eſſent, quibus methodus adhuc perfici magis, ejusdemque incommodis occurri, præcipue vero uſus in transmutandis ſeriebus lente convergentibus oſtendi, poteſt. Sed cum hæc adeo paucis exponi non poſſint, ut in præſenti Schediaſmate locum inveniant, eadem in tertium quoddam, alia occaſione proditurum, rejicere ſatius putamus.

Errata in *Actis Anni 1745.* hæc ſunt emendanda:

Pag. 122 lin. 33 leg. *y*; *pag. 137 lin. 24* l. $\pm$ *1*; *pag. 142 lin. 10* l. *noſtri*; *pag. 144 lin. 9* in fine adſcribe a^q; *pag. 649 lin. 8* in fine loco + ſcribe ×; *ibid. lin. 29* l. $\frac{fy}{r} \times \frac{1}{2}y$; *pag 651 lin. 4* terminos *Pdz* & *Nn* interſtingue lineola; *pag. 657 lin. 21* l. *ac ſi ſumtus fuiſſet Valor ipſius Z*; *lin. 23* leg. *Z*.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXLVI.

Pars II.

BARNABÆ BRISSONII, REGII IN GALlia Conſiſtorii quondam Conſiliarii, & in ſupremo Senatu Pariſienſi Præſidis, de Verborum, quæ ad Jus Civile pertinent, ſignificatione Opus præſtantiſſimum, in meliorem commodioremque ordinem redactum, innumeris mendis emaculatum, & poſt aliorum curas plurimis acceſſionibus obſervationibusque philologicis, criticis, juridicis, locupletatum. Prodit opera ſtudioque JO. GOTTLIBII HEINECCII, Potentiſſimo Pruſſorum Regi a Conſiliis ſanctioribus, & Profeſſoris P. O. præmiſſa Præfatione nova de interpretationis grammaticæ in Jure Civili fatis & vario uſu, nec non hujus novæ editionis prærogativis, JUSTI HENNINGII BOEHMERI, JCti, & Acad. Frideric. Director.

Halæ Magdeburgicæ, impenſis Orphanotrophei, 1745, fol. Alph. 16 plag. 7.

Poſtremus ille labor eſt, qui *Heineccium* nobis nulla manu aliena immutatum oſtendit. Quanquam enim præſtantiſſimum hoc Opus poſt annum demum a morte ipſius, quæ ante triennium, ultimo Auguſti die, non ſine conturbatione bonorum omnium, contigerat, in lucem commodo publico prolatum fuit; ea tamen Vir beatus adhuc uſus eſt

 feli-

felicitate, ut *primum* Operis *Tomum* non ſolum, bene ſe habens, ſudare ſub prelo, ſed etiam, graviſſimo fatalique morbo implicitus, ad finem perductum, viderit, cetera vero ſua maximam partem manu deſcripta reliquerit, iis, quæ in ſchedis nondum rite diſpoſita latebant, Clariſſimi filii, *Jo. Chri. Gottlibii*, fidei atque ſtudio commendatis. Ille etiam, dexterrimus paternarum virtutum æmulus, curam prætermiſit nullam, nullis pepercit vigiliis, ut beati parentis ſatisfaceret voluntati, & famæ ejus, tot illuſtribus ingenii monumentis partæ, quovis modo proſpiceret. Nec deerit ſane, ſi quid judicio valemus, pro laudabili hoc conatu eruditæ civitatis plauſus, tanto quidem majore jure exſpectandus, quanto certius eſt, hanc *Briſſoniani* Operis editionem inter priores omnes ita eminere, ſicut inter ignes luna minores ſolet. Luculenter id cognoſcimus ex eruditiſſima Præfatione illa, quam illuſtris Vir, & conjunctiſſimus B. *Heineccii* Collega, *Juſtus Henningius Bœhmerus*, magno inſtructus rerum apparatu, præmittere non recuſavit. Cujus ſummam ne ignorent Lectores noſtri, paucis, quantum fieri poterit, de ea nunc diſſerendum eſt. Præcipue graviſſimus Autor *de interpretationis grammaticæ fatis & uſu vario in Jure Romano* agit, & initio dictum
§. 1. *Celſi* in *l. 17 D. de Legibus*: *Scire leges non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem*, illuſtrat, miraturque, *Anton. Auguſtinum*, *Emend. & opin. Lib. II Cap. 1*, multa in Digeſtis Græco dicendi genere reperiri, probantem, hunc tamen *Celſi* locum, aperto Græciſmo conſpicuum, intactum penitus reli-
2. quiſſe. Hoc facto, inquirit potiſſimum in Grammaticæ originem, eamque ipſam interpretationem præcepta tradere dicit, ſecundum quæ tum verba, maxime ſcripta, in ſe, tum nexus eorum, recte intelligi, ſeu illa colligi notio & cogitatio poteſt, quam ſcribens ſub ejusmodi notis atque ſignis commu-
3. nicare cum aliis voluit. Tum diſcrimen docetur *grammaticam* inter & *logicam* interpretationem legum, quæ ſcilicet non, ut illa, in verborum ſignificatione ſubſiſtit, ſed ex adæquata legum ratione principia format ſolida, ex his vero concluſiones legitime nectit, atque ſic pleniorem ejus ſenſum eruit,

earundem licet verba eum exprimere haud videantur. Utramque interpretationem, quod erudite evincitur, olim etiam agnoverunt JCti & Imperatores, ac, diſtinctam licet inter ſe quoad concipiendi modum; nexu tamen perpetuo combinandam eſſe, crediderunt. Indiſtincte vero unionem hanc, in recta ratione fundatam, paulo poſt XII Tab. leges, non tulit priſcum reipublicæ Romanæ forum, ſed prævaluit eo tempore in plerisque cauſis interpretatio grammatica, unde non potuit non Jurisprudentiæ facies paulo horridior, eaque ab omni remota æquitate, videri. Erat profecto tunc temporis ſuperſtitioſa verborum, quibus leges conceptæ, veneratio, diſputationibus forenſibus corroborata, quæ grammatica interpretatio ſtricti juris mater fuit, ita dicti, quod nimis aſpere verbis legum alligatum eſſet. Inde poſtmodum evenit, ut Prætores, pro antiquo hoc jure civili, ex æquitate, derelicta hactenus, emolliendo, omnes ingenii nervos intenderent, propoſitisque contra illud edictis interpretationem logicam variis artibus, & per indirectum, reducerent, ſummum hac ratione inter jus civile ac prætorium diſcrimen conſtituentes. Dici autem vix poteſt, quantopere Patricii grammaticam interpretationem promoverint, cum, promulgatis XII Tab. Legibus, actionum mox formulas componerent, easque certas eſſe vellent ac ſolennes, ne populus has ipſas actiones pro arbitrio inſtitueret. Collegit, quæ ad eam rem conducere poſſunt, & in ordinem redegit, ſtupendæ diligentiæ vir, *Briſſonius*. Quatuor tamen in ejus Opere *de Formulis Romanis*, Cel. *Bœhmeri* judicio, deſiderantur. Primum enim certas ſolennesque formulas cum aliis conſuetis dicendi in foro modis, magis vero arbitrariis, commiſcuit, quæ ſane ob diverſos juris effectus ſeparari merito debuiſſent. Deinceps formularum forenſium ſingnificationes haud adjecit, nec ſpeciatim determinavit, ſed in nuda tantum collectione ſubſtitit. Porro, quod formulæ determinatæ & ſolennes adeo ſollicite ad ſyllabam obſervandæ erant, ut facile cauſa caderet, qui vel in ſyllaba erraret, nec formula præſcripta accurate uteretur, effectus harum formularum civiles, & concluſiones, inde de-

§. 4.

5.

6.

 ductæ,

ductæ, ſine quibus earum uſus nullus eſt, omnino tangendæ ab Autore fuiſſent. Denique majus Operi pretium acceſſiſſet, ſi ad perveſtigandam illorum carminum vim ac poteſtatem, adeoque ad interpretationem logicam, cum in gerendis rebus, tum in litibus ordinandis, reſpicere voluiſſet

§. 7. *Briſſonius*. Tandem, variis excogitatis mediis, interpretationi grammaticæ, quæ luminibus juris admodum offecerat, adjunctam quoque logicam eſſe, Ill. *Bœhmerus* oſtendit, quam primus, *Cicerone* ſocio, excoluit *Servius Sulpicius*, ita quidem, ut novam inchoaſſe periodum, & jus civile ſcientifica methodo tradidiſſe, pariterque hoc modo in artem deduxiſſe, videatur. Latius deinde hæc interpretatio logica per Imperatores, variis reſcriptis, proceſſit, & a *Conſtantini M.* tempore, ſublatis antiquarum formularum ſolennitatibus, magis

8. magisque in foro invaluit. Interim JCti veteres, bene gnari, quanta verborum ac formularum forenſium autoritas eſſet, grammaticæ interpretationis ſtudium non deſeruerunt, ſed potius, *Sulpicii* exemplo commoti, cum dialectica conjunxerunt. Teſtes hujus ſtudii ſunt *Atejus Capito*, & *M. Antiſtius Labeo*, qui cum prima fuerint ſectarum inter JCtos

9. capita, non dubium eſt, quin etiam ſucceſſores eorum in profundiorem verborum cognitionem penetrarint. Interpretatione tamen grammatica pariter atque logica feliciter reſtituta, multum perdidit Latinæ linguæ elegantia, cujus ſtudioſi admodum fuerant JCti veteres in ſcriptis ſuis. *Iſthæc* corruptio, translata ſede Romana Conſtantinopolin, contigiſſe potiſſimum videtur. Quamvis enim *Conſtantinus M.* ſerio voluerit, ut Latinæ linguæ uſus etiam in Græcia ſervaretur; ipſa tamen rerum documenta commonſtrant, priſcum hujus linguæ ac ſincerum nitorem ſenſim evanuiſſe, & ab Imperatoribus in legibus ſuis novum, idque barbarum, dicendi genus adhibitum eſſe, quo ipſo ingens grammaticæ interpretationi ob-

10. ſtaculum intervenit. Seculis quibusdam *Juſtinianum* ſubſequentibus non conſenuit quidem Romani Juris autoritas in foris Italiæ; at deſiderabantur tamen, qui jus illud interpretari, & vera ejus fundamenta docere, poſſent, donec gliſceret

Digitized by Google

ret hoc ſtudium Seculo XII, poſtquam illud novos nactum interpretes fuerat, qui adeo excitarunt infinitorum juvenum ſitim, ut, quaſi agmine facto, undecunque Bononiam advolarent. Iſti vero JCti cum omni cultiorum literarum præſidio carerent, grammatica etiam interpretatio quorundam cedere autoritati debebat, quæ tanta erat profecto, ut piaculi loco haberetur, ſi quis eorundem relinquere & improbare doctrinas vellet. Sed lætior afſulſit lux circa Seculum XVI, quo humaniores artes re- §. 11.
viviſcere, & ad vitam e ſepulchro reduci, cœperunt, quæ certe gloria *Andreæ Alciato*, ejusque ſociis, potiſſimum debetur, *Martini* ac *Bulgari* regnum graviter impugnantibus. Horum deinceps exemplo alii etiam, in Gallia cumprimis, incitati ſunt, ut grammaticæ interpretationis ope ad barbariem, horrendum illud monſtrum, ex Jurisprudentiæ finibus depellendam omnes ingenii nervos intenderent. Cui, quæſumus, ignoti ſunt *Cujacius*, *Budæus*, *Auguſtinus*, *Hottomanus*, *Duarenus*, *Donellus*, *Pancirollus*, *Briſſonius*, fratres *Pithœi*, aliique ſummi viri, quorum veſtigia mox Batavi, & poſt eos Germani etiam noſtri, conatu non infelici legerunt?
Quemadmodum autem grammaticæ interpretationis virtutes 12.
duæ ſunt, altera, ut verborum evidenter corruptorum integritas reſtituatur, & vera ſejungantur a falſis, altera, ut verborum obſcuritati, orationisque ambiguitati, lux clarior affundatur; ita etiam hi ipſi, qui elegantiores literas ad Juris Romani ſplendorem excoluerunt, in utroque capite ſolertiſſimi indagatores fuerunt, & ad hæc uſque tempora laudabiles fecerunt progreſſus. Ad primum quod attinet, arte critica opus eſt, quæ ipſa ne temerario adhibeatur auſu, Ill. *Bœhmerus* egregias ſuppeditat regulas, omnibus iis, qui in emendandis Juris Romani verbis occupati ſunt, de meliori com- 13.
mendandas. Si quis autem, emendatione feliciter peracta, verborum etiam ſenſum eruere genuinum voluerit, ille temporis illius, quo aliquid ſcriptum eſt, accurate intelligere linguam, Autoris ipſius propria Philoſophiæ, cui addictus fuit, principia cognita habere, rem ipſam, de qua agit, quamque

 verbis

Digitized by Google

verbis exponit, intelligentia ac ratione comprehendere, ac denique varias vocum ſignificationes probe obſervare, debet. Quem ſane in finem non Lexica tantum generatim interpretationem grammaticam admodum juvant, ſed illi etiam viri ſpeciatim inſignem ſtudio juris præſtant operam, qui verborum juris ſyllogen ordine alphabetico perficiunt, variasque eorundem ſignificationes ex antiquitatibus, literisque humanioribus illuſtrant. Summam igitur laudem me-
§. 14. retur *Briſſonius*, quod ejusmodi laborem, moleſtiſſi-
15. mum omnino, in ſe ſuſceperit, quem licet poſt Autoris obitum novis inſtruere copiis auſi fuerint *Jo. Otto Tabor*, & *Jo. Chriſtianus Itterus*, parum tamen dextre hoc ceſſit negotium, ut Cel. *Bœhmerus* ſole meridiano clarius oſtendit. Aptior
16. huic operi nemo erat B. *Heineccio*, omnia quippe in promtu habenti, quæ gloriæ *Briſſoniani* nominis, & rei literariæ
17. inſervire commodis, poſſent. Leges, quas eruditiſſimus ille vir in tanto ſibi labore præſcripſerat, hæ ſunt: Primum operam dedit, ut confuſus literarum ordo tum in ipſa articulorum, quos vocant, ſerie, tum in ſingulis eorum membris atque ſectionibus, ſæpenumero perverſe poſitis, tolleretur. Deinceps vocabula illa, quæ propriam merebantur ſedem, & tamen extra eam vagabantur, diligentiſſime conquiſivit, &
18. convenientiori loco collocavit. Tum innumerabilibus fere vocibus ſignificationes, a *Briſſonio* omiſſas, addidit, earumque varietatem, ſi qua eſſet, ordinatius notavit, cujus rei tot propemodum exempla in ipſa Operis perluſtratione ſe exſerunt, quot ſunt articuli. Porro B. Editor diverſis verborum ſignificationibus, nulla ratione antea diſtinctis, ſed mole collectis indigeſta, ſignum adjecit idoneum, totque numeros, quot eſſent peculiares notiones; quo ſane effectum eſt, ut uno quaſi conſpectu quævis, quæ ad unam eandemque ſe-
19, 20. ctionem pertinent, facillimo negotio perluſtrari poſſint; frequentiſſime etiam leges allegandæ a *Briſſonio* neglectæ, nec Autores, quorum tamen verba in medium prolata, nominati, imo nonnunquam ſcriptorum veterum, vel legum, loca male adducta fuerant, cui pariter morbo mederi ſtuduit præſtantiſſimus

tiſſimus Editor. Hinc ſingulas pæne leges, quarum ingens numerus eſt, omnesque, qui in partes vocantur, Autores antiquos, indefeſſa opera evolvit, maturoque perpendit judicio, ne quid irreperet forte, ſcriptorum legumve ſenſui minus apte reſpondens. Repetitiones autem, in *Briſſoniano* Opere paſſim obvias, ad perpetuum nunc exilium damnavit. §. 21. Ut iis etiam conſuleretur, qui vel ignorant Græca, vel leviter tantum intelligunt, teſtimoniis Autorum Græcorum interpretationem Latinam eſſe comitem juſſit, quæ, ſi meliores verſiones deficerent, ab ipſo *Heineccio* adornata fuit. 22, 23. Denique, quod rei caput eſt, permultæ acceſſerunt in hac nova editione voces obſervationesque; quam operam non parum promoverunt *Bynkershœkii* ſcripta, & *Duckeri* Opuſculum *de Latinitate veterum JCtorum*. Haſce additiones ne quis forte *Tabori*, vel *Ittero*, tribueret, primis nominis ſui literis: *Hein.* & manus ſigno, quid ex ſuo profluxerit ingenio, comprobavit. 24. Uno verbo, non tam ædificium antiquum refectum, quam novum prorſus, ruderibus antiquis quodammodo retentis, exſtructum videtur. Quilibet igitur, cui humanior Juriſprudentia in deliciis eſt, terram *Heineccio* levem precabitur, vel ob ſolum hunc *Briſſonianum Theſaurum* elegantiſſime pulcherrimeque ad lucem publicam reductum æternis laudibus digniſſimo. Nos enim certo ſumus perſuaſi, neminem facile in legendo Corpore Juris Romani, cujus ſæpe textus unica vocula obſcuros reddere ſolet, verſari feliciter poſſe, niſi ad manum habuerit Opus illud, centum aliis longiſſime præferendum.

HISTORIA MONASTERII S. MICHAELIS DE Paſſiniano, ſive Corpus hiſtoricum, diplomaticum, criticum, ab Adm. R. P. D. *FIDELE SOLDANI, Monacho Congregationis Vallis umbroſæ, S. Th. Magiſtro, ac Eminentiſſimi Principis ALEXANDRI ALBANI, S. R. E. Cardin. regni & ſtatus Regis Sardiniæ Protect. Theologo, juxta chronologicam Abbatum Paſſinian. ſeriem elaboratum, in quo ſummorum Pontificum*

Conſti-

Conſtitutiones, Imperatorum Regumque Diplomata, & Privilegia, huc uſque inedita, eidem Cœnobio totique Vallumbroſano Ordini collata, recenſentur. Cui etiam accedunt, & primo in lucem prodeunt, Monaſteriorum quamplurimorum fundationes, jura, dotationes, pleraque alia memorabilia monumenta, aliorſum ſpectantia, lucubrationes Sanctorum Patrum, virorumque illuſtrium Ordinis ejusdem Acta, quæ in Archivis Vallumbroſanis aſſervantur. Tomus primus, ab anno 400 circiter uſque ad annum 1040.

Lucæ, typis Salvatoris & Joannis Dominici Mareſcandoli, 1741, fol.

Alph. 3 plag. 14, cum Tab. geneal. 3.

Ediderunt hunc theſaurum Italiæ diplomaticæ Duumviri, promeritis in orbem eruditum inclytiſſimi *Andreas Borbonis*, Marchio montis S. *Mariæ*, & *Dominicus Maria Mannius*. Prior hunc ac conſecutum *Tomum*, cupide quæſitum, ſuoque ære jam in vulgus ire juſſum, Ampliſſimo & Excellentiſſimo Viro D. *Marco de Beauvau* S. R. I. Principi *de Craon* inſcripſit ipſe ac dicavit. Poſterior indicavit ſcopum ac diligentiam eruditiſſimi Monachi, qui Diplomata illa veſtigaverat, eruerat, collegeratque, immo ad trutinam Critices diplomaticæ ſeveriorem revocaverat. Significavit idem, ſibi MStum a D. Marchione *Andrea Borbonio del Monte* fuiſſe commendatum, ut formis publicis deſcriberetur; ſeſe opus pro viribus vindicaſſe a mendis, rerumque ſeriem diſtincta claraque methodo diſpoſuiſſe Marte ſuo; illud ad annum 1040 ſecuiſſe, ut locum faceret Operi continuando, ac laborem perfeciſſe, cum ſibi otio perfruendi data fuiſſet occaſio. Cel. Marchio in Præfatione ſingulari oſtendit, qua ratione MStum ad *Joannem Lamium*, Virum a nobis ſæpius concelebratum, & ab hoc ad ſeſe, pervenerit, & quanta repugnantia quidam Vallumbroſani ſocii editionem ejus impedire contenderint. Solet enim inertia ac invidia utiliſſimis præclariſſi-

clariſſimisque operibus moliendis obices opponere. Gratulamur Viris ſummis præſtantiſſimisque, qui repagula illa haud curarunt, librumque, diligentia adamantina collectum, publicæ luci expoſuerunt. Illuſtrant hunc *Tomum* tres Tabulæ genealogicæ, quarum tertia dominos *Spinellos* exhibet, ad noſtram uſque ætatem ex Seculo inde decimo recenſitos. *Prima* Pag. 186.
ſuppeditat ad *pag. 58* Comites *Vallis Peſianæ* ac *Petroji*, quos a *Schiatta* & anno 884 Autor deduxit. *Secunda* lectori offert ſeriem quorundam Marchionum ex *Borboniis* Montis S. *Mariæ*, ad quos genus Ill. *Andreæ Borbonis* eſt referendum. Progeniem vero hanc perducit ad *Henricum*, ſeu *Rigonem*, Marchionis *Hugolini* filium, Caſtilionis Aretini dominum, A. 1212 florentem. *Paſſinianum* eſt vetus Hetruriæ oppidum, celebre, ac peramplum. Ex Vallumbroſanæ ibi Congregationis ruinis enatum fuit monaſterium Benedictinum in ea regione, quæ *Vallis Peſa* appellatur, eo quod ad occidentem a Peſa flumine irrigatur. *Libri ſex* hoc *Tomo* continentur. *Primus Liber* offert fundationem Paſſinianenſis monaſterii, tum fictam, tum veram, tempus fundati Cœnobii Septimiani, fundationem monaſterii Ripulenſis, ejusque originem, & Abbates, atque reliquias ſacras, fundationem D. *Petri* in palatiolo per *Walfredum*, ejusque Abbates, viciſſitudines memoratu dignas atque reliquias. 17.
Libro ſecundo exponitur de *Joanne*, primo Paſſinianenſis Cœnobii Abbate, de primordiis monaſterii S. *Salvatoris*, poſtea S. *Michaelis* de Fonte Thaona, de ejusdem bonis, in Commendam conceſſis, de origine 28.
monaſterii S. *Thomæ*, quod *Fontis benedicti* vocatur, atque ejus memorabilibus incrementis, atque de monaſterii Ficidenſis origine ac privilegiis. *Libro tertio* diſſeruit Rev. Autor de *Valperto*, Presbytero ac Abbate, de divo *Joanne Gualberto*, nobilibusque familiis, quæ conſanguinitatem ad eum 52.
referunt, de genealogiis illuſtrium aliquot veterumque familiarum, de fundatione Cœnobii Petroji, de nobiliſſimæ *Borboniæ* familiæ natalibus, propagatione, ac potentia, de D. *Joannis Gualberti* ortu ac ætate, de Abbatiæ Strumenſis fundatione, de Comitum *Guidiorum* in Vallumbroſanum Ordinem 123.

Digitized by Google

beneficiis, de monaſterio Strumenſi, aliisque Cœnobiis, illi
ſubjectis, de monaſterio S. *Hilarii*, vulgo S. *Ellero*, ac de
Pag. 145. Camaldulenſis 40 Cœnobii fundatione. *Libro tertio* agitur
de *Sizone*, tertio Abbate Paſſinianenſi, ac de reductione
Joannis Gualberti ad frugem bonam, de prodigioſæ imaginis
Jeſu Chriſti in cruce pendentis translatione, de dotatione
162. monaſterii Caſtri Sirenæ per *Martinum*, Vallis umbroſæ Ab-
batem, nec non de *Spinellia* nobili familia. *Libro quinto*
Rev. Autor diſſeruit de *Valperto*, Abbate Paſſinianenſi quar-
to, de *Joannis Gualberti* rebus, momentum trahentibus,
193. de Abbatia *Criſpini*, quæ Vallumbroſano Ordini conceſſa qui-
dem fuit, ſed poſtea tamen exemta, de monaſterio Bifurci,
Rimualdo ad reformandum tradito, de monaſterio S. *An-
dreæ de Candelis*, ac de alio monaſterio, quod S. *Miniatis ad*
252. *Montem* prope Florentiam appellatur. Provehimur tandem
ad *Libri ſexti* ſummam. Materies in eo mirifice creſcit. Ex-
ponitur enim hic de *Sizone II*, vel *Sigizone*, Abbate quinto,
254. ejusque regimine. Attigit Autor res *Lamberti*, Florentini an-
tiſtitis, qui in ſolitudinem ſe contulit. Commentatus eſt de
Gerardo, Epiſcopo Florentino. Expoſuit de *Bonifacio* Magno,
Etruriæ Marchione, ac de Soanenſis Abbatiæ reformatione,
de S. Patris *Joannis Gualberti* in monaſterium Caluellenſe be-
264. neficiis, de exſtructione Cœnobii *de Muſceto*, ad *Anſelmum*
Comitem *de Petra mala* cognominatum referenda. Expoſuit
de S. *Salvii* monaſterii origine ac privilegiis. Ediſſeruit fun-
dationem monaſterii S. *Pauli de Razzolo*. Expendit dona-
tionem, quam *Conradus* Imperator monaſterio Vallis umbroſæ
274. impertivit. Sumſit occaſionem commemorandi nonnihil
de primo Fæſulanæ Eccleſiæ antiſtite. Addidit Diploma, quo
Conradus Imperator monaſterium S. *Joannis* Evangeliſtæ Par-
menſe, ejusque jura, confirmavit. Perluſtravit donatum lo-
cum, in quo monaſterium Montis Scalarii erectum inveni-
284. tur. Adjunxit donationem, qua *Itta*, S. *Hilarii* Abbatiſſa,
Vallumbroſanum Cœnobium nobilitavit. Haud omiſit char-
tam, qua *Henricus III* Imperator bona ac jura monaſterii S.
Petri apud Montem Viridem confirmavit. Inveſtigavit porro,

an

Digitized by Google

an idem *Henricus* perpetua ſtabilitate bona, quæ *Bonifacius* Pag. 290.
Marchio monaſterio S. *Salvatoris de Fontana Thaonis* con-
tulerat, confirmaverit. Tandem diſſeruit de vita S. *Romuli*, &
Homilia infra octavam ejusdem Sancti. Suffixus eſt *Tomo* In- 298.
dex, diligenter elaboratus. Hoc eſt *Tomi* hujus argumen-
tum, loco promulſidis excipiendum. Luſtrare nunc juvat
nonnulla libri momenta, copioſius expoſita. Originem Paſ-
ſinianenſis monaſterii ad *Zenobium*, Epiſcopum Florentinum,
Autor refert, nec tamen repudiat *Sichelmum*, qui quingentis
poſt annis illud pæne dirutum denuo exſtruxerit. Abeſt a 3.
Florentia duobus duntaxat milliaribus monaſterium Ripulenſe.
Id Autor credit Paſſinianenſi eſſe proximum antiquitate. Pro- 5.
fert, ut hoc demonſtret, donationis chartam, A. 790 Ripu-
lenſibus datam, quam quidem edidit *Ughellus Italiæ ſacræ To-
mo III*, ſed aliquot periodis truncatam. Ripulenſe mona-
ſterium, initio Seculi VIII conditum, Abbatiſſæ primum &
virginibus ſacris Benedictinis fuit dicatum, ac *Bartholomæo*
ſacrum, A. 1188 ad Vallumbroſanum Ordinem tranſiit, ac A.
1452 ſubtractum eſt facultati extraneorum, qui antea Abba- 8.
tem ejus denominabant, vel deſignare contendebant, nomina-
tim Dominorum *de Caſtiglionchio*. Singula Diplomatibus
chartisque Autor confirmat, fide dignis. Omnium mona- 13.
ſteriorum Ordinis Vallumbroſani Abbates exſtiterunt perpetui
fere per quatuor Secula. Anno autem 1469, nova congregatio-
ne in eo Ordine per P. D. *Blaſium del Milaneſe* inſtituta, Abba-
tes renuntiati ſunt triennales, ac poſtmodum quadriennales.
Solus Abbas Vallis umbroſæ perpetuus eſſe perſeveravit uſque
ad annum 1540, quo *Joannes Spigliatus de Pupio* primus illius
Cœnobii Abbas triennalis electus fuit. Abbas Ripulenſis A.
1469 a *Paulo II* Pontifice ſummo declaratus fuit, unico anno
recturus. *Sixtus IV* A. 1473 conſtitutionem hanc repetivit. 15.
Hodie Abbas Ripulenſis eſt quadriennalis, ac per definitores
Ordinis generales eligitur, atque in hoc monaſterio Ripulenſi
ſedes exiſtit ordinaria Patris generalis. Quæ eſt ratio præro-
gativarum & exemtionum, quibus Ordinum Præſides per-
fruuntur. Monaſterium S. *Petri* in Palatiolo, poſtea in

Digitized by Google

Pag. 17. Montem Viridem translatum, originem cepit anno circiter
763 a S. *Walfredo*, Patricio Piſano, ex vetuſtiſſima Comi-
tum *Gherardeſcha* familia orto. *Henricus II*, Rex Germaniæ &
21. Imperator, id confirmavit A. 1014. Bona, caſtra, & benefi-
cia, ejus enumeravit in literis bullatis *Alexander III* A. 1176.
Nunc illud tam celebre monaſterium S. *Petri* dirutum jacet.
Rudera exſtant in excelſo colle, ab aliis interjecta planitie dis-
juncto, ac duobus tantum milliaribus a Monte Viridi diſtant.
Cœnobium Montis-Viridis junctum fuit A. 1423 per *Marti-*
25. *num V* Monaſterio Vallis umbroſæ. *Hugonis*, Italiæ Regis,
32. *Alda* mariti, Diploma Autor ad A. 927 dedit, quod haud
ſecus ac *Henrici* Imp. A. 1015 datum, ſpectat ad monaſte-
rium *Fontanæ Thaonis*, cujus bona dudum perpetuo in Com-
mendam data fuerunt nobili familiæ Florentinæ *de Pazzis*.
Monaſterium S. Trinitatis in Alpibus inter annos 950 & 961
fundatum fuiſſe, patet ex Diplomate antiquo, quod Autor
35. ſuppeditavit. Illud mox in tantas opes vireſque excrevit,
ut Abbas eſſet Princeps ſacri Romani Imperii. Monachi ejus
Cœnobii A. 1424 ſeſe gubernationi Abbatis Vallis umbroſæ
ſubmiſerant. Quæ cum Autor oſtendiſſet, ipſe paulo poſt
51. Comites *Petroji* vetuſtiſſimos genealogice recenſuit. Caſtrum
vero Petrojum ad *Paganum*, *Hugonis* filium, pervenit, qui il-
lud A. 1103 Abbati Paſſinianenſi dono conceſſit. A *Ruſo*,
Pagani filio, deſcendunt quatuor familiæ Florentinæ, cogno-
minati *de Azzinis*, *de Miniatis*, *de Vivianis*, & *del Riccio*, ſeu
65. *de Latteringhis*. *Bonifacii*, Marchionis Hetruriæ, nepotem,
Adelbertum Autor oſtendit, filium fuiſſe *Bonifacii II*; hunc
enim *Gamurrinus Guidoni* ſucceſſorem filiumque tribuerat.
71. Memorabile eſt *Caroli Magni* Diploma, in quo fit mentio *Vi-*
ri illuſtris Arimberti Principis baroniæ Borboniæ, quem ipſe
creavit *Marchionem & perpetuum Primarium, ſeu potius Vica-*
rium Imperialem civitatum Aretii & Tiferni. *Gamurrinus*
contendit, *baroniam Borboniam* in rerum natura haud exſti-
75. tiſſe. Hunc refellit Noſter, ac Diplomatis fidem tuetur. *Ca-*
rolus, Marchio Tuſciæ, ad A. 871 memoratur in Diplomate
77. *Ludovici* Imperatoris. *Carolus* creditur filium nactus *Uguccio-*
nem.

num. *Uguccioni* fuit filius cognominis, *Marchio de Colle* dictus. Hi & inde exorti ſatique libere adhuc dominantur in Montem S. *Mariæ*, Marzanam, Lipianum, Giorellum, Paternum, ac Sorbellum, caſtella. Pag. 93.

Ad *Widones*, Comites Seculi undecimi, illuſtrandos Autor permulta Diplomata produxit, poſtquam de S. *Joanne Gualthero* copioſe diſſeruiſſet. Ad nobiliſſimam familiam *Spinellorum*, e Biſarno originem trahentium, affert lectiſſima illuſtrandam, ſilva Diplomatum pro more pronuntiata ſua muniens. Genealogiam ejus pertexit ab *Azzone* uſque ad *Spinellum* A. 1290. 163. Inſtitutum *D. Joannis* majoris, Abbatis Vallis umbroſæ, ex toto cum lectore communicat 184, 187 *pag. 224 ſeq.* ſeq. Complectitur illud liturgica per univerſum annum, & monaſticam vivendi rationem. Qui hiſtorias Imperatorum diplomaticas moliuntur, in hoc apparatu paſſim inveniunt amnes ac fontes, e quibus ſitim reſtinguant. Nec recordamur, nobis in conſpectum veniſſe Hiſtoriam, de aliquo Cœnobio conſcriptam, in qua tot chartæ, literæ bullatæ, Acta publica, & Diplomata, fuerint producta, quibus ſingulæ propemodum ſententiæ extra controverſiam ſint collocatæ. Et hæc nos adducit ratio, ut Nobiliſſimos Editores perhonorifice rogemus ac obteſtemur, ne *Tomum alterum* nobis exhibere; publicaque luce donare, graventur.

SE OGGIDI' SCRIVENDO SI DEBBA USARE LA LINgua Italiana del buon Secolo, Dialoghi cinque.

id eſt,

AN OPORTEAT EOS, QUI NOSTRA ÆTATE ſcribunt, Italicum boni ſeculi ſermonem adhibere, Dialogi V.

Veronæ, ſumtibus Dionyſii Ramanzini, 1734, 4.

Plag. 13.

Elegantiſſimos hoſce Dialogos conſcripſit, & judicio popularium ſubmiſit, *Julius Cæſar Becelli*, Vir aliis ſcriptis cla-

Digitized by Google

rus. Prooemium Dialogis præmiſit, quo exponit fructus & damna, quæ ex diverſitate ingenii humani, diverſiſſimoque ejus ſtudio & judicio, emanant. Dialogi ipſi in eo verſantur, ut expendat Autor utramque, per Italorum terras vagantem, opinionem, unam eorum, qui ſermonem Italicum in dies locupletare, vocibus phraſibusque augere, ac ſenſim a claſſicæ ætatis norma diſcedere, malunt; alteram vero illorum, qui claſſicos affectantur Autores, atque eorum elegantiam in ſuccum ſanguinemque convertunt. Qui ſolide, ac lectione optimorum Autorum defuncti, in Italia ſcribunt, non poſſunt non aliis tramitem eundem ſuadere inſiſtendum. Cum igitur in horum quoque numero Autor nomen profiteatur ſuum, & argumenta, in utramque partem collata, ponderet; noſtrum non eſt, ſigillatim de Dialogorum ar gmentis commentari.

OSSERVAZIONI CRITICHE INTORNO LA MODERNA Lingua Latina, &c.

id eſt,

OBSERVATIONES CRITICÆ IN LINGUAM Latinam hodiernam, Autore PAULO ZAMBALDIO, Nobili Feltrino.

Venetiis, apud Simonem Occhi, 1740, 8.

Plag. 18.

Joanni Antonio Crotta Cl. Autor Opuſculum hoc, more Dialogorum concinnatum, inſcripſit. Scopus ſcripti in eo conſiſtit, ut magiſtri, qui pueros Latinam docent linguam, diſcant ſapere, nec tenerrimam ætatem in tricis grammaticis detineant, eamque ad vocabula lambenda, cultura judicii intacta & ſilveſcente, adſtringant per complures annos. Cui enim incomperta eſt illa ſtultitia, quæ præceptores haud paucos veluti ſcabies invaſit, in eo occupata, ut pueri & adoleſcentes ab attingendis intuendisque ſcientiis arceantur? ut hi ſtilum vertere diſcant, antequam recte ſolideque cogitare, materiemque cogitandi, didicerunt? Nonne præſtat, imbuere

pueros

Digitized by Google

pueros ac adoleſcentes cognitione rerum, comprehenſu facilium, Geographia, Chronologia, Hiſtoria & ſacra, & profana, Arithmetica, Geometria, Logica, ac demum, hiſce ſalutatis, elementis oratoriis? Undenam faſtidioſum illud, & inæquale, & jejunis modulis adſtrictum, ſcribendi genus exortum eſt, niſi ex præceptis ſtili, ante culturam judicii rerumque cognitionem inculcatis? Nonne ludimagiſtri plerumque adoleſcentes magis corrumpunt, ac judicii uſu exuunt, quam provehunt & emendant? Poterat Latina addiſci lingua magnam partem ex præceptorum quæſtionibus, colloquiis, & docendi ratione, dummodo hi nollent docere linguam, qua ipſi nequeunt loqui. Si magiſtri cœperint adoleſcentes docere Grammaticam, 13 vel 14 annis pares, ac ante ætatem ſermonibus ſociatis Latinis illos ad notitiam linguæ Latinæ deduxerint, inſtitutioni ipſi non poteſt non promtiſſimus adſpirare ſucceſſus. Cum vero homines ſemel formati ſunt ad ea ediſcenda, quæ nec norunt, nec intelligunt, ipſi difficulter eam proficiendi rationem, quæ omnem judicii uſum interimit, poſthæc omittent. Hæc & hiſce ſimilia Autor in Præfatione ſolidiſſima & diſerte & libere ediſſeruit. Dialogo primo id egit, ut exagitaret homines, qui, ſcientiis neglectis, in terendis atque tergendis vocibus ac periodis pede *Ciceroniano* metiendis conſeneſcunt. Invectus jam fuit *Eraſmus* æque ac *Juſtus Lipſius* in delicatulos hoſce verborum venatores. Tum vero oſtendit, quanto intervallo diſtet illud loquendi genus, quo Itali inter ſeſe colloquendo Latine utuntur, ab antiqua Romanorum dictione. Hinc ad Orthographiam & pronuntiationem literarum progreditur. Tandem adjungit diſcrimen, quo ſcientia noſtra diſcrepet a veteri Latina, & quot quantaque inſtrumenta ac ſcientiæ ſcientiarumque vocabula poſt *Ciceronis* exequias invaluerint. In tractatione nunquam non ad illud *Horatianum* reſpexit:

- - *ridiculum acri*
Fortius ac melius magnas plerumque ſecat res.

Stilum dictitat alium eſſe *linguæ*, alium *ſeculi*, alium *Autoris*. Quid impedit, quo minus addamus *ſtilum argumenti?* Quis enim Pag. 237.

enim, Trigonometriæ tractandæ immorans, a vocabulis formulisque loquendi ac dicendi, ſemel invectis, abſtinebit?

Im Jahre 1741 wöchentlich herausgegebener hiſtoriſcher Müntzbeluſtigung XIIIter Theil, ꝛc.

id eſt,

JO. DAVIDIS KOELERI, P. P. PARS XIII hiſtoricarum e Numis Deliciarum, A. 1741 ſingulis hebdomadibus editarum, in qua varii commemorabiles ac rariores Thaleri, & Metalliones, nec non alia ſingularia ex auro & argento Numiſmata multiplicis ætatis, æri inciſa, deſcribuntur, ac hiſtorice exponuntur. Præfationis loco ediſſeruntur Numiſmata Hannibalica & Kochiana.

Noribergæ, apud viduam B. Chriſtophori Weigelii, ſenioris, Chalcographi, 1741, 4.

Alph. 2 plag. 18.

Conſecrata eſt hæc Sylloge Illuſtriſſimo *Erneſto de Steinberg*, Regis Britanniæ Magnæ a Conſiliis intimis, Domino Bodenburgi, cujus ſtirps antiquiſſima meritisque florentiſſima jure quodam celebratur. *Ehrenreich Hannibal* Holmiæ A. 1678, 9 Apr. lucem adſpexit, *Carlſteinii* diſcipulus, A. 1705 Hannoveræ cœpit agere formatorem figurarum, quæ numis ſolent imprimi. A. 1715 Clausthalienſes numorum formas incidere juſſus fuit. Debitum naturæ reddidit A. 1741, 13 Mart. Recenſet Autor numos, ab ipſo delineatos, quorum numerus ad 102 aſſurgit. Adjicit huic promulſidi deſcriptionem duorum rariſſimorum Numiſmatum, A. 1699 percuſſorum, quibus nuptiæ *Joſephi*, Regis Romani, ac *Benedictæ Henricæ Philippinæ* exponuntur. Hanc fuiſſe *Joannis Friderici*, Ducis Brunſuico-Luneburgici, filiam, quis eſt, qui ignorat? Deliciarum apparatum aperit Numiſma *Caroli VII*, Regis Galliarum, A. 1457 circiter percuſſum, emendatæ rei militaris index. Expoſitio, adjuncta Metallioni, vindicat famam *Caroli* ab eorum, qui ipſi obtrectarunt, calumniis. Memoriam aliquot

Digitized by Google

TAB. IV ad Nov. Act. Erud. A. 1746 Mens. Sept.
P. II pag. 543 et 544



Fig. I.

enim, Trigonometriæ tractandæ immorans, a vocabulis formuliſque loquendi ac dicendi, ſemel invectis, abſtinebit?

Im Jahre 1741 wöchentlich herausgegebener hiſtoriſcher Müntzbeluſtigung XIIIter Theil, ꝛc. id eſt,

JO. DAVIDIS KOELERI, P. P. PARS XIII hiſtoricarum e Numis Deliciarum, A. 1741 ſingulis hebdomadibus editarum, in qua varii commemorabiles ac rariores Thaleri, & Metalliones, nec non alia ſingularia ex auro & argento Numiſmata multiplicis ætatis, æri inciſa, deſcribuntur, ac hiſtorice exponuntur. Præfationis loco ediſſeruntur Numiſmata Hannibalica & Kochiana.

Noribergæ, apud viduam B. Chriſtophori Weigelii, ſenioris, Chalcographi, 1741, 4.
Alph. 2 plag. 18.

Conſecrata eſt hæc Sylloge Illuſtriſſimo *Erneſto de Steinberg*, Regis Britanniæ Magnæ a Conſiliis intimis, Domino Bodenburgi, cujus ſtirps antiquiſſima meritisque florentiſſima jure quodam celebratur. *Ehrenreich Hannibal* Holmiæ A. 1678, 9 Apr. lucem adſpexit, *Carlſteinii* diſcipulus, A. 1705 Hannoveræ cœpit agere formatorem figurarum, quæ numis ſolent imprimi. A. 1715 Clausthalienſes numorum formas incidere juſſus fuit. Debitum naturæ reddidit A. 1741, 13 Mart. Recenſet Autor numos, ab ipſo delineatos, quorum numerus ad 102 aſſurgit. Adjicit huic promulſidi deſcriptionem duorum rariſſimorum Numiſmatum, A. 1699 percuſſorum, quibus nuptiæ *Joſephi*, Regis Romani, ac *Benedictæ Henricæ Philippinæ* exponuntur. Hanc fuiſſe *Joannis Friderici*, Ducis Brunſuico-Luneburgici, filiam, quis eſt, qui ignorat? Deliciarum apparatum aperit Numiſma *Caroli VII*, Regis Galliarum, A. 1457 circiter percuſſum, emendatæ rei militaris index. Expoſitio, adjuncta Metallioni, vindicat famam *Caroli* ab eorum, qui ipſi obtrectarunt, calumniis. Memoriam aliquot

TAB. IV ad Nov. Act. Erud. A. 1746 Menſ. Sept. P. II pag. 543 et 544.



Fig. I.



Digitized by Google

aliquot Galliæ urbium maritimarum, A. 1693 & 1694 ab Anglis Bataviſque igni afflictarum, conſervat numus *Guilielmi*, Anglorum Regis, ea ætate cuſus. *Conſalvi Fernandez* Cordubenſis victoriam, a Gallis ad Cerignolam A. 1503 reportatam, refert Numiſma, quod illi ſuccedit. Mira felicitate Cel. Autor incidit in primum Sileſiorum Principum Thalerum, Principis Ducisque Lignicenſium & Brigenſium, *Friderici II*, memoriæ conſecratum, & A. 1541 cuſum, ac, poſtquam eum deſcripſit, expoſuit de fœdere ſucceſſorio *Friderici* hujus cum *Joachimo*, Electore Brandenburgico, per *Ferdinandum* Regem A. 1546, 18 Maji, Wratislaviæ reſciſſo. Hiſtoriam fraternitatis illius hæreditariæ ac ipſa fata hic legiſſe juvat. Expoſitionem numi, qui ad *Chriſtianum*, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, Epiſcopum Mindenſem, eſt referendus, excipit Diſſertatiuncula ad *Partem I Numophylacii Burckhardiani*. De primis Comitibus Diepholtanis Autor diſſerit ſuccincte. Metallionem, qui *Rabanum de Canſtein*, Conſiliarium Electoralem Brandeburgicum, refert, doctiſſima illuſtrat expoſitione. Ut Thalerum Epiſcopi Curienſis, *Joſephi Mohrs*, A. 1628 cuſum, luce perfundat, de ſtatu Epiſcopatus Curienſis Diatribam adjicit commatis non quotidiani. Affert Thalerum, Vicariatus Saxonici indicem, A. 1740 cuſum, ac Vicariatus hujus originem in Palatinatu Saxonico figit. Nec ipſius attentionem effugit rariſſimum Numiſma mnemonicum, quod equites Meclenburgicos A. 1718 bonis ſuis expulſos ſymbolice indicat. Sacramentum, ſubjectionis indicium, præſtiterunt ordines Auſtriæ inferioris *Mariæ Thereſiæ* A. 1740, 22 Nov. Solennitatem numumque, ejus indicem, exhibet Cel. Autor. Idem incidit auſpicato in rariorem *Joannis Ludovici*, Comitis Leiningenſis & Dagſpurgenſis, Thalerum. Hæredem Comitatus Dagſpurgenſis, *Gertrudem*, nupſiſſe *Sigismundo*, Comiti Leiningenſi, eique Comitatum Dagſpurgenſem hæreditarium adjunxiſſe, ipſe ex *Alberico* Monacho ad A. 1225 it comprobatum, notans, vocem *Dagſpurg* ibi a *Leibnitio*, monadibus mundique optimi ideæ intento, haud potuiſſe legi. Convertimus nos ad Numiſma mnemonicum, quo

Pag. 9. 17. 33. TAB. IV Fig. 1. 40. 46. 75. 81. TAB. IV Fig. 2. 113. 137. 153.

memoria *Hieronymi Wurmbrandt*, domini Stuppacenſis, Conſiliarii Cæſarei, celebratur, ad annum 1573 referendo. Periclitatur Vir præſtantiſſimus vires in illuſtriſſima *Wurmbrandiorum* progenie illuſtranda. Comitum, *de Windiſchgratz* appellatorum, genus ac ornamenta concelebrat ad *Leopoldi*
Pag. 169. *Victorini Joannis* Thalerum, A. 1732 percuſſum. Tum vero lectori exhibet Thalerum Vicariatus Bavarico-Palatini ad annum 1740, eumque illuſtrat hiſtoricis de hoc Vicariatu annotationibus atque transactione, A. 1724, 25 Maji, ſuper hoc Vicariatu inter Domum utramque Electoralem inita:
179. Ad Numiſma *Chriſtinæ*, Romam Sueciæ præferentis, adjecit idem hiſtoricam de ea commoratione commemorationem,
185. tum jucundam lectu, tum candore excellentem. Duos Thaleros Abbatum Werdinenſium rariores ad A. 1636 & 1698 lectori offert, atque ad eos illuſtrandos de origine & gloria Abbatiæ Werthinenſis diſſerit, nonnihil in *Coccejo* notans, qui territorium Cœnobii Werthinenſis vocaverat compagem, e bo-
196. nis privatis ruſticisque conflatam. Ad alios duos Thaleros Werdinenſes illuſtrandos attulit vitam S. *Ludgeri*, ex *Alt-*
209. *frido* deſumtam. Hinc produxit Thalerum Abbatiſſæ ac Principis Eſſendienſis, *Annæ Salomes*, ad A. 1672, ac Diploma *Altfridi* circumſcriptionis convicit, reliquaque jura & privilegia
223. recenſuit. Rei numariæ Polonicæ hiſtoriam illuſtraturus, Tympſium Polonicum anni 1665 expoſuit. Omittimus numos aliquot Polonicos ac Thalerum pagi Helvetici Tugienſis, A. 1621 cuſi, cui hiſtoria Tugii adjecta fuit. Procedit Autor
257. Cel. ad *Karlſteeni* Numiſma, quo *Joannes Calvinus* exhibetur. Anonymus reprehendit *Calvini* ardorem in puniendo *Serveto*. Offert Numiſma, quo Academici Piſani *Henricum Noriſium* Cardinalem immortalitati conſecrarunt, ac vitam *Noriſii* ad-
265. dit. *Antonium Magliabechi* ex numo & adjuncta vita propius noſſe, quem non delectet? In eundem cenſum venit
TAB. IV miſſilis numus ordinis medici Pariſienſis, quo ad A. 1652 De-
Fig. 3. canus *Guido Patinus* offertur viſendus. Tractatio de imaginibus *Jeſu* curioſorum allicit lectorem. *Joannis III*,
337. Ruſſorum Imperatoris, numus Rubel ſucceſſu temporis evadet rarus.

narus. Feliciter is per Cel. *Kelerum* conſervatur, qui vitam Ducis *Erneſti Joannis Bironi* adjunxit, ac icona Comitis *Oſtermanni*. Pag. 361.
Metallio, qui *Annam* Imperatricem ac victoriam Chocimenſem, A. 1739, 7 Sept. ex Turcis reportatam, exhibet, præſtantia artis effulget. Rariſſimus eſt Ducatus *Iſabella*, Reginæ Hungarorum, ejusque filii, Regis *Joannis II*, ad A. 1559. 377.
Nec minus præſtabilis eſt Cel. Autoris de Academia *Francica* expoſitio. *Chriſtianum Wolfium*, numo expreſſum A. 1740, ab *Alethophilo* ſalibus perfrictum, repræſentat denique, ne poſteritas *Holmannianum* ingenium ignoret. Sed ſingula cur referemus?

Joh. Friedrich Ungers Beyträge zur Matheſi forenſi, &c. hoc eſt, *ELECTA MATHESEOS FORENSIS, VARIA, quæ in judiciis, cura reipublicæ, rebus cameralibus, ipſiusque vitæ communis negotiis, occurrunt, continentia; cum Præfatione JO. ANDR. SEGNERI, Med. Phil. Nat. & Math. Prof. Ord. in Academia Georgia Auguſta.*

Partes II.

Gœttingæ, apud Abr. Vandenhœk, 1743 & 1744, 4.
Alph. 2 plag. 13.

Laudandum eſt docſiſſimi Autoris inſtitutum, quo tum Matheſin rebus forenſibus atque œconomicis applicare, tum, quæ in variis vitæ humanæ negotiis ad calculos recte ſubducendos requirantur, curatius explicare ſuſcipit. Licet enim hoc labore non facile ſcientiarum limites ampliores reddantur, cum omnia fere intra leves Arithmeticæ & Geometriæ elementaris uſus ſubſiſtant, aut ad ſummum calculum aliquem literalem potius, quam algebraicam analyſin, admittant; expedit tamen, ea notiora reddi, quæ, cum utplurimum a peritis myſteriorum inſtar premantur, non poſſunt, niſi magno cum diſpendio, aut neceſſitate aliorum fidei penitus ſe permittendi, ignorari, decetque præterea, Jurium cultores præcipue,

 qui

Digitized by Google

qui ſolent in cameralibus ſimilibusque negotiis adhiberi, monere, parum eſſe, ut quis memoriæ leges mandaverit, niſi in applicandis ad facta legibus, aut talibus expediendis, quibus normam nullam leges dare potuerunt, ex aliis cognitionis humanæ generibus auxilium petere queat. Primo itaque in Præfatione, operis initio præfixa, Celeb. *Segnerus* de interuſurii computatione agit. Hæc, a divo *Leibnitio* in his *Actis A. 1683* tradita, quam diu ante in libellis arithmeticis ſub intereſſe compoſiti nomine explicatam eſſe, obiter monemus, inſignes nacta eſt & defenſores, & adverſarios. Horum plerique uſurariam pravitatem opponunt, licet mirari ſubeat, quomodo poſſint viri, Juriſconſultorum elogio ornati, anatociſmum, quem, ne debitor inops uſurarum uſuris ſolvendis nimium gravetur, vetuerunt leges, ad eos caſus trahere, in quibus non egens debitor benignitatem creditoris implorat, ſed creditor pecunia, olim ſibi demum ſolvenda, citius, quam par eſt, frui geſtit; neque agnoſcere, omnes fructus, ex ſorte juſto prius percepta oriundos, in ſortem imputari debere, cum illos jure meritoque ſibi acquirere, poterat, qui prius, quam obſtrictus erat, ſolvit. Id vero Cel. *Segnerus* recte monet, in genere dici non poſſe, quod injuſte uſurarum uſuræ a *Leibnitio* computentur, licet poſſit id in caſibus particularibus, qui legibus decidendi ſint, iniquum exiſtere; deinde, quomodo, uſurarum uſuras perpetuas computando, poſſit inveniri facili calculo, ad quantam magnitudinem data ſors dato tempore excreſcat, oſtendit. Ipſe *Ungeri* labor *Parte prima decem Sectiones* continet. Earum *prima*, interuſurii computum, ab *Hofmanno in der Klugheit Haus zu halten* traditum, *Polakio* etiam in Matheſi forenſi probatum, algebraica formula, (id omne eſt, quod *Ungerus* hic fecit,) explicat. Sit enim numerus indicans, quoties uſura ſorti inſit, (puta 20 in uſuris quincuncibus,) $= b$, & x quantitas loco datæ ſortis anticipanda dato annorum numero m, erit ex hoc calculo $x + mx : b = a$ & $x = ab : (b + m)$, ſcilicet uſura annua $x : b$ ſortis x auget hanc ſortem toties, donec ſumma uſurarum cum ſorte x fiat $= a$. Hoc vero calculo, juſto plus accipere creditorem anti-

tici-

ticipantem, ex noſtra ſententia evidentiſſimum eſt. Utamur ipſius Clar. Autoris exemplo. Qui poſt 8 annos 6000 thaleros accipere debet, ex ejus ſententia jam $4285\frac{5}{7}$ accipit. Nam annuæ uſuræ ipſorum $4285\frac{5}{7}$ octies ſumtæ efficiunt $1714\frac{2}{7}$, adeoque ſorti primæ additæ ſummam 6000. Jam manifeſtum eſt, ſortis $4285\frac{5}{7}$ uſuram primo anno eſſe ultra 214. His 214, ſub finem primi anni acceptis, creditor anticipans totis ſeptem annis fruitur, quaſi illarum uſuræ annuæ nihil eſſent. Si nullos exinde fructus percipit, in arcam illos reponit, male certe patrisfamilias officio fungitur, quem pecuniam, in ſortem imputatam, non otioſam relinquere decet. In ſortem enim imputantur hi 214, & adeo pars ſortis ſunt. Si vero pars ſortis ſunt, & ſi accipiuntur ſeptem annis ante, quam ulla ſortis pars debebatur, ſequitur, ut anticipentur ſeptem annis. Quid igitur hoc eſt, creditorem 214 anticipare poſſe ſeptem integris annis, deinde alios 214, uſuras nempe ipſius 4285 anno II ſex annis, & alios 214 quinque, & ſic porro, nulla horum omnium compenſatione debitori facta? At, ſi tantas ſortis partes tot annis anticipare licet, illisque frui, cur non totam ſortem? Decebat Juriſconſultos illos, qui anatociſmi reum *Leibnitium* agunt, vulgati illius effati reminiſci: idem juris eſſe in toto, ac in parte, neque tam male inter ſe cohærentia *Leibnitianis* præferre. Hæc addere libet non tam contra Cel. Autorem, qui in ſpernenda *Leibnitii* methodo autoritates aliorum, non rationes, allegat, ſed contra illos, qui, tam futilibus argumentis uſi, ſummi Viri aſſerta elevant. Jam Doctiſſ. *Ungerus*, cum videat, *Leibnitii* principia deducere ad formulam $ab^m : (b+1)^m = x$, monet, inſignes fore difficultates regulæ ejus ad praxin deducendæ, etſi juſta ſupponatur. Hic, ut non urgeamus, non facilitatem, ſed juſtitiam, quæri, miramur, eum, qui de *Leibnitii* methodo judicium ferre ſuſtinet, tabulas, ejus gratia concinnatas, ignorare, quales tum in *Actis loc. cit.* tum in compluribus, Anglorum præcipue & Batavorum, libellis arithmeticis, exſtant, deinde non perpendere eum, quod illa, quam tantopere timet, ad potentias altiores evectio logarithmorum ope penitus evitari poſſit faciendo $lx = la + m(lb - l(b+1))$. Sed ad reliquas

Digitized by Google

libelli *Sectiones* progredimur. Si pecunia, ex publicis reditibus redacta, certum in locum transmitti debeat, ſumtus ad transmiſſionem neceſſarii (*das Porto*) interdum inter illas expenſas ſimul computandi ſunt, quæ a reditibus ſubtrahantur exceſſu demum transmiſſo. V. g. ſi a 1 Maji 1741 ad 2 Maji 1742 exceſſus 12000 fuerit, in calculo expenſarum, quocum hi 12000 transmittuntur, ſumtus illorum transmittendorum ſimul annotari debent. Hic itaque quomodo computatio inſtituenda ſit, ſequens regula docebit: Sint x ſumtus transmiſſionis, a reditus accepti (*die Einnahme*), b expenſæ ſine ſumtibus transmiſſionis, m numerus indicans, quoties hi ſumtus in exceſſu redituum ſupra expenſas contineantur, erit exceſſus verus $= mx$, ſumma vere expenſa $b + x$, ergo $a - b - x = mx$ & $(a - b) : (m + 1) = x$. *Tertia Sectio* ſimilem fere caſum computat, ea ſaltem differentia, ut, præter ſumtus transmiſſionis, ratio habeatur quoque ejus, quod perditur, pecuniam minoris valoris interni cum pecunia, cujus major eſt bonitas interna, permutando, quod *agio* vulgo vocant. *Quarta* conſiderat, quantum ſummæ alicui libere (*franco*) transmittendæ adjici debeat, ut eam illibatam accipiat, cui transmittitur, ſi non poſſit ob jura diverſa rhedarum publicarum a transmittente in loco, ubi is degit, totum vecturæ pretium præmumerari. *Quinta Sectio* uſuras uſurarum computare docet. Hic ipſe Clar. Autor fatetur, dari caſus, ubi ei computationi anatociſmi macula inuri nequeat, v. g. ſi redituum publicorum adminiſtratori injunctum ſit, ut ſingulorum annorum reditus denuo in fœnus exponat. Hic ad formulam, ante a nobis indicatam, Autor rem reducit, logarithmorum etiam compendium adducens, ut adeo non videamus, cur *Leibnitium* impugnans, de difficultate calculi hujus conqueratur. *Sexta Sectio* conſiderat, quomodo calculus ineundus ſit, ſi creditor ex pignore ſibi dato fructus perceperit. Caſus talis eſt. Poſſideat *Cajus* creditor in crediti ſecuritatem hypothecam, (ita loquitur Clar. *Ungerus*, minus accurate certe, cum pignus a creditore poſſideatur, hypotheca a debitore;) majores fructus ferentem, quam ſunt uſuræ, ex mutuo debitæ.

Hunc

Hunc exceſſum debebat *Cajus Sempronio* debitori ſingulis annis tradere, quo recepto, poterat *Sempronius* partem debiti ſolvere, adeoque ab uſuris ejus partis præſtandis ſe liberare. Id ſi *Cajus* non fecerit, re vera uſurarum uſuras percepit. Ponatur *Cajus* ex pignore *Sempronii* quotannis 80 reditus percipere, & patet, rem eo redire, ac ſi *Cajus* a *Sempronio* mutuum 1600 uſuris quincuncibus ſtipulatione promiſſis accepiſſet. Si ergo *Cajus* eadem lege *Sempronio* 1000 mutuo dederit, poteſt *Cajus* fingi *Sempronii* debitor, & quidem ſortis majoris 1600, cum rurſus ſit *Sempronius Caji* debitor ſortis minoris 1000. Itaque calculum ſic fingit Clar. Autor: Significent a, b, m, quæ ante A, ſummam majorem, quam creditor debitori debere fingitur, ut 1600 in caſu noſtro. Erit

Debitoris, qui pro creditore ſortis majoris habetur
Sors, uſuris uſurarum computatis, $A.(b+1)^m : b^m$
Uſuræ uſurarum ſolæ $A(b+1)^m : b^m - A$
Creditoris ſors cum uſuris uſurarum $a.(b+1)^m : b^m$
Uſuræ uſurarum ſolæ $a.(b+1)^m : {}^m - a$

Ergo id, quod a vero creditore extradi adhuc debet debitori,
$A(b+1)^m : b^m - A - a.(b+1)^m : b^m + a$
& quod ipſi facta compenſatione ex ſorte ſua reſtat,
$a - A.(b+1)^m : b^m + A + a.(b+1)^m : b^m - a =$
$A + a(b+1)^m : b^m - A.(b+1)^m : b^m = x$, ſeu ſi $A - a = q$
$A - q.(b+1)^m : b^m = x$. Hæc ea de cauſa adduximus, quia attendenti facile patet, eo principio Clar. Autorem uti, ex quo *Leibnitianus* interuſurii calculus manifeſte conſequatur. Ponere, creditorem debere uſuras uſurarum ejus, quod, ad debitorem ſpectans, apud ſe retinet, & tamen *Leibnitii* calculum rejicere, id eſt, principium confiteri, neceſſariam, quæ inde indivulſo nexu pendet, conſequentiam non agnoſcere. Reliquæ hujus *Partis Sectiones* agunt de contractu vitalitio, de vaſorum, quibus vinum, aut alia potulenta, ſervantur, cavitate metienda, & de quibusdam ad calculum impenſarum ædificii alicujus ineundum neceſſariis. Alter libellus, quomodo, quæ vel a pluribus, vel pluribus conjunctim, debentur, juſte dividi debeant, conſiderat (*von der Reparti-*

Digitized by Google

partitions- und Contributions - Rechnung) deinde, quas regulas calculus poſtulet, ſi termini, quibus ſolvi quid debebat, mutentur; poſt, alia quædam, inprimis addenda *Libro primo*, exhibet, in quibus, notamus, eum de interuſurii calculo *Leibnitiano* melius ſentire, quam in *priore* opuſculi *Parte*. Ex his, quæ adduximus, facile erit perſpectu, utilem omnino Clar. Autorem navaſſe operam, non novis quidem veritatibus inveniendis, ſed uſui tamen inventarum notiſſimarumque ampliſſimo oſtendendo.

Uberzeugender Beweiß, daß die Chriſtliche Religion die wahre ſey, ꝛc.

id eſt,

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ ſolida tractatio, cum defenſione ejusdem contra contemtores; Autore JO. ERNESTO SCHUBERTO.

Jenæ, ex bibliopolio Melchioriano, 1744, 4.

Alph. 3.

Diu multumque inter doctos & indoctos diſputatum eſt homines, quænam doctrina ad beatas æternasque ſedes viam monſtraret, ſeu, quod vulgo dicitur, quænam religio ſit vera. Non deficiunt libri, qui de hac re temporibus noſtris, & ſuperioribus etiam Seculis, fuerunt conſcripti, quoniam numerus eorum, qui de religione Chriſtiana dubitant, inde ab initio inſtauratæ doctrinæ ſalutaris, admodum magnus invenitur. Placuit vero ſingulis Autoribus ſingula attingere momenta rerum ſanctiorum, &, creſcente malitia, exquiſitorum etiam virorum, qui quo veritate divina pugnarent, diligentia mirifice crevit. Autor noſter inde rerum neceſſitatem urget, &, novas profanorum hominum artes nova poſtulare munimenta, recte judicat. Collaturus inde ad hanc piam cauſam ſymbolam, in præſenti *Libro primo* agit de Deo, quatenus cognitio ejusdem religionem juvat. Hic primo monſtrat, quid Deus ſit, & quæ ſit ratio intellectus & voluntatis illius. Ex hoc demonſtrat, Deum eſſe ſpiritum, ſimplici gaudere

Digitized by Google

gaudere eſſentia, juſtumque & ſapientem eſſe. Circulos hic paulo turbatos videmus, quos tamen in ordinem redigere ſtudet, dum de reliquis, huc pertinentibus, eſſentiæ divinæ facultatibus verba facere inſtituit. Voluntas divina ipſi eſt facultas, qua omnia appetit Deus quæ re vera bona exiſtimantur. Minus vero coarctata iſta ſunt. Vult enim Deus punire peccatores, vult perdere, vult damnare, immorigeros, & tamen re vera *bona* hæc dici non poſſunt. Quando majus appetit bonum, vehementior eſt illa, quam in reliquis rebus, quæ veriſſimæ ſunt, &, quando aliquid præ reliquis eligit, ſine ulla dubitatione optimum illud eſſe oportet. Sed minus hæc ſibi conſtant, dum ratiocinatio, moroſa rerum comtemplatio, & electio denique optimorum, fines intellectus noſtri quidem attingit, quod de Deo fas non eſt dicere; includit enim fines. Licet concedere velimus, quod Deus quoque remediis ſemper utatur facillimis, certiſſimis, & optimis; tamen inde non fluit, quod ſola iſta ſint optima, cum infinita ejus ſapientia & alias vias, quæ itidem eſſent optimæ, id quod noſtrum non eſt dijudicare, ingredi poſſet. Reliqua incommoda, inde oriunda, jam ſilentio præterimus. Juſtitiam divinam nominat Cl. Autor illam proprietatem divinam, qua ſapientia cum bonitate conjungitur, & leges ſapientiæ pro norma agendi Deus habet. Hinc manifeſtare Deum juſtitiam, quando beneficia conferat aliis, quatenus finis quidam promoveatur; vel quando beneficia aliis eripiat, quatenus finis quidam, a Deo intentus, impediatur. Manca hæc omnia videntur, dum nec origo, ſive fundamentum, juſtitiæ, nec vera ejus forma, plene traditur. Quando enim Deus homines ſecundum ſuam juſtitiam doloribus corporis animique punit, tunc adeſt aliquid, quod ad hanc ejus finitionem non quadrat. Vellemus præterea diſtinctius eſſe propoſita illa, quæ de Deo hic præcipiuntur. His præmiſſis, argumenta pro exiſtentia Dei profert, quid de ſingulis eorum quondam ſit judicatum, monet, quæque uniuscujusque interna vis & pondus ſit præcipuum, ſatis explicite monet. Nec omittit ea, quæ ab atheis rejiciuntur, deſtruere. Pluribus etiam ſecundum morem docendi conſue-

Pag. 6. 7. 9. 25.

Digitized by Google

tum de contingentia mundi, de mundo optimo, de ratione
ſufficiente, aliisque, quæ plurimi tractant, hic agitur, ubi,
quæ moneri ſolent, & quidem recte, omittenda eſſe putamus.
Pag. 41. Unicum illud addamus, minus accurate *potentiam* deſcribi,
quæ, ipſo autore, ita ſe habet, quod conſtans ſit niſus, fines
ſuos atque limites mutandi. Sed, qualis hæc ſit mutatio, inde
intelligere non licet, quia nulla res finita fines mutare poteſt,
ſed retinet eosdem, licet varie determinentur atque exerce-
antur. Nec ſemper adeſt niſus, ubi eſt potentia. Ad cer-
77. tum fortaſſe genus rerum hoc referri deberet. De origine
cultus peregrinorum & falſorum Deorum docte differit, &,
quæ ſunt inter ſe diſtinguenda in hac quæſtione, ex veritate
81. rerum tradit. Nec minus placent, quæ de *Zoroaſtre*, ejus-
demque doctrina, monentur, ſecundum quam non, duos Deos,
malum alterum, & alterum bonum, ſtatuiſſe ipſum, creden-
dum ſit, ſed perfectionem tantum, & lucem, ipſi eſſe Deum,
tenebras vero res creatas, limitibus circumſcriptas, ab eo no-
93. minari. Quæ de ratione denominandi mundi optimi addu-
cuntur, accuratius erunt expendenda, quia difficile nobis di-
ctu videtur, *Deum mundum deteriorem meliori prætuliſſe, ſi,*
rebus ſic ſtantibus, peccatum cum iis, quæ inde ſequuntur, im-
pediviſſet, uti verba Autoris fluunt. Namque hoc eſt falſiſſi-
mum, quod Deus peccata non impediat, niſi cauſa moralis
97. peccati habeatur. Deinde minus commode inde colligitur,
Deum quam maxime proprietates ſuas permiſſione peccati
oſtendiſſe atque amplificaſſe. Undenam, quæſumus, id conſtat;
vel qui aſſeri poteſt, mundum, in quo malum permittitur,
meliorem multo eſſe eo, in quo plane eſſet impeditum,
quia melius eſt medium, ut ita loquamur, ad promovendos fi-
nes divinos. Quando peccatum deſcribitur per complexum
actionum ſpirituum, quibus manifeſtatio divinæ majeſtatis im-
pediatur, aut obſcuretur, nimis alte hoc repetitum videtur, &
110. effectum magis, quam formam, peccati deſignat. Dubitamus
quoque, an cognitio naturalis convincere quos poſſit de im-
mortalitate animæ noſtræ, & de vita poſt hanc futura. *Ca-*
put ſecundum, quid & quotuplex ſit religio, inquirit, in quo

pre-

Digitized by Google

præclare dicta multa leguntur, de eo tantum dubitamus num convenientia cum divina revelatione criterium revelatæ religionis dici poſſit. Unum idemque ſic dictum eſt, & circulus orationis commiſſus. In *tertia Sectione* demonſtratur obligatio ad religionem profitendam, ubi quæſtio quædam forte ſubnata affirmatur, quod errores in doctrina multo magis ſint noxii, quam extrema impietas. Sed refellere in univerſum id facile poſſimus, ſi dicamus, multos errores intra pectora manere ſeclusos, plurimosque ita eſſe comparatos, ut non immediate ad impietatem animum propellant, quod tamen vitiorum turba efficit. Quodſi etiam accidat, ut error quidam improbitati januas aperiat, tunc, quod ipſe Cl. Autor innuit, pravitas animi inprimis vires & radices agit ex voluntatis ſeditione, errores lubentiſſime alente, & veritatem opprimente. Religionis naturalis rationem exponit *Caput* ſubſequens *quartum*, in quo illud modo obſervandum venit, Autorem in ſe conſiderare religionem naturalem, non quatenus ſubjective exiſtit, ſed quatenus exiſtere debebat. Excipit hanc tractationem *Caput quintum*, de neceſſitate religionis revelatæ, quam ex fine hominis ultimo demonſtrat Cl. Vir, affirmando ſcilicet recte, homines ſine veritate divinitus patefacta nec æterna ſupplicia effugere, nec in æternas ſedes commigrare, potuiſſe. Poſtea *Caput ſextum* deſcribit criteria divinæ revelationis; qua occaſione non ſolum ea repetuntur, quæ ab aliis jam fuerunt confirmata, ſed ea quoque, quæ obſcurius interdum dicuntur, dilucidiora redduntur. Ex his ulterius docetur *Capite ſeptimo* religionem Chriſtianam vere divinitus patefactam eſſe doctrinam, quod perſpicuitate quadam conſueta eleganter & ſolide etiam pertractavit. Reliqua pars libri occupata eſt in refellendo *Tindalio*, homine notiſſimo & peſtilentiſſimo, cujus doctrinam primo loco Autor noſter proponit, &, quam diligentiſſime fieri potuit, ex ſyſtemate, ſeu centonibus, ejus eruit. Deinde per partes quaſi eundo ſingula retractat, & non ſine graviſſimis rerum argumentis, exulare ea a veritate, comprobat. Reliquorum hujus farinæ hominum ineptias hic repe-

Pag. 129. 151. 173. 199. 228. 246. 331.

 tere

tere noluit, quoniam ſatisfeciſſe ſibi omnino videbatur in
Pag. 491. refellendo unico hoc *Tindaliano* opere. Ne tamen quid deeſſet huic labori, Appendicem ſubnectit obſcuri cujusdam ſcriptoris, cui ſub literis *A—X* latere libuit, cogitationes rationales de methodo mathematica in revelata doctrina profligaturus. Superſedere huic labori voluerat, ſperans, fore, ut Cel. *Ahlwardus* in Meditationibus ſuis, Auguſtana ſuper Confeſſione inſtitutis, emetiretur hunc campum omnem. Cum vero, judice *Schuberto*, minus ille feliciter id laboris perfecerit, ſuarum partium eſſe putavit, melioribus auſpiciis frivoli hujus ingenii numeros, calculo quaſi ſubtracto, ad nihilum reducere. Ceterum laudanda eſt diligentia Cl. Autoris, quod tanta claritate opus ſuum exornare, & ſingulari perſpicue ſcribendi genere nobis commendare, voluerit; quandoquidem rerum poſtulat neceſſitas, ut hujus doctrinæ libri ea conſcribantur ratione, quo ab omnibus legi atque intelligi facile queant.

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSImi THEOPHANIS PROKOPOWICZ Miſcellanea ſacra, variis temporibus edita, nunc primum in unum collecta, publicoque exhibita. Acceſſerunt ejusdem Poemata quædam, quibus adjuncta ſunt 1) Elegia Illuſtriſſimi Metropolitæ Riazanenſis Jaworskii jamjam morituri ſupra Bibliothecam ſuam; 2) MICHAELIS MALARDI etiam Poemata nonnulla; & 3) KRESLINGII Epiſtola ad Illuſtriſſimum ac Rev. RAPHAELEM, Archiepiſcopum Metropolitam Kijovienſem.

Wratislaviæ, cura Joannis Jacobi Kornii, 1744, 8.

Plag. 19½.

Qui Hiſtoriam amant literariam, eis haud injucundum eſſe poteſt hoc Academiæ Kijovienſis monumentum, quæ, præſidio Auguſtiſſimæ Imperatricis *Eliſabethæ* evecta, atque Profeſſori-

Digitized by Google

feſſoribus Doctoribusque publicis abundans, præter opinionem noſtram in præſens ſeſe effert, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. In ipſo libri, quem in compendium mittimus, veſtibulo exhibetur D. *Theophanis Prokopowicz Apologia fidei, in qua reſpondetur ad literas doctiſſimorum quorundam Lutheranorum*, & eas quidem, *quas* ipſi *ad Patrem Michaelemſchi, Monachum Pieczarienſem, Regiomonto dederunt, reſpondentes ad ejus literas compellatorias, quas ipſe prius ad eos miſit*, inſcriptas *de vera fide orientalis Græco-Ruthenicæ Apoſtolicæ Eccleſiæ*. Monachus Pieczarienſis reſpondendi provinciam ſuſcepit loco alterius. Ipſe de ſe ſic prodidit Epiſtolæ Autor: *Si privatim de me, quid hominis ſim, cognoſcere cupitis, ſcitote, me omnium veritatis ſtudioſorum eſſe cunctiſſimum, nec, ut amem aliquem talem, habeo. Habeo opus, ut ipſum videam, ſatis eſt, ſi audiam, ſtudere eum veritati.* Literas ipſe perlegit, a Regiomontanis Theologis ad R. Patris *Michaelis* Epiſtolam reſcriptas. Hic enim illos, ſtudio veritatis commotus, per literas compellaverat. Repetit ſummam epiſtolæ Regiomontanorum, ac eam transſcribit. Spectat hæc ſumma ad caput doctrinæ, de eccleſia inſcribi ſolitum, ut dilucceat, Eccleſiam Lutheranam eſſe catholicæ, & veræ, ejusque Apoſtolicæ, partem, Græcos e contrario a veritate primæ doctrinæ, a Jeſu & Apoſtolis traditæ, hinc inde diſcrepare. Ægre fert Monachus eos, qui præ ſe tulerant ac confeſſi erant, Eccleſiam Græcam Eccleſiæ catholicæ partem haud eſſe. Negat & pernegat, Eccleſiam ſuam ullius erroris dogmatici eſſe ream. Eccleſiam ullam quaquaverſum eſſe diffuſam, negat. In imperio Ruſſico nullos inveniri indigenas Anabaptiſtas, Calviniſtas, Pontificiosque, contendit. Monarchicum eccleſiæ ſtatum, qualem *Bellarminus* delineavit, horret. Unitatem eccleſiæ collocat in unitate ſententiæ dogmatumque conſenſu, ac ad unicum caput Chriſtum dominum aggregatione. Amplitudinem eccleſiæ inter notas veræ eccleſiæ adſciſcere recuſat. *Lucas* enim numerare potuit membra eccleſiæ primæ Chriſtianæ, ejusque Hieroſolymitanæ. Calamitates ſæpe Eccleſiam Chriſti ad paucos redegerunt.

Pag. 2. (beside "dit Epiſtolæ Autor") · 3, 4. (beside "Spectat hæc ſumma") · 6. (beside "haud eſſe") · 9. (beside "Calamitates")

Digitized by Google

Stupuit orbis, teſte *Auguſtino*, ſeſe totum brevi tempore red-
ditum eſſe Arianum. Laudat reſponſor *Gregorii* Orationes
contra Arianos, quippe qui eccleſiam multitudine profiten-
tium haud definivit. Deſiderat eccleſia vera ſui diffuſionem,
Pag. 13. licet ea nunquam effectui detur. Interrogat antagoniſtas, an
multitudo Græcorum Chriſtianorum inferior ſit Eccleſiæ Evan-
gelico-Lutheranæ ſodalibus. Recuſat Græcos comparare Do-
natiſtis. Eccleſiam Græcam eſſe catholicam, inde comproba-
re conatur, quod ipſa per omnia cum Evangelio & doctrina
Apoſtolorum, totaque antiqua Eccleſia, ad amuſſim conſpiret
& congruat. Solam eccleſiam Græcam pro vera & Apoſtolica
15. ac catholica reputat. De *Luthero* idem ſentit ac *Hieronymus*
17. de *Lactantio*. Objicit Lutheranis ſententiam de interitu, vel
occultatione, eccleſiæ, per ſeptem Secula infeliciter continuata.
Quærit deinde: Cujusnam, quæſo, Eccleſiæ pars eſt veſtra ec-
cleſia? Addit alia, ſubtiliter ſatis excogitata. Negat, veram
Chriſti eccleſiam conſtare ex pugnantibus inter ſe confeſſioni-
19. bus & ſectis. Signa genuinæ eccleſiæ conſiſtere in pura ver-
bi divini prædicatione, & legitima Sacramentorum adminiſtra-
tione, negat, eo quod *Manichæus* idem de ſuis prædicaturus
ſit. Diſputationem ingreditur de proceſſione Spiritus ſancti
a filio, miratus, qui evenire potuerit, ut Proteſtantes hoc
doctrinæ caput, dum omnia Pontificiorum dogmata ad mal-
21. leum & incudem revocaverint, omiſerint intactum. Monet,
M. Antonium de Dominis, quem *Magnum* vocat, ſtatuiſſe, do-
gma illud incertum eſſe. Laudat *Adamum Zernikowium*, ante
viginti annos ob inſtabilitatem illius dogmatis ad Græcos trans-
greſſum. Laudat ejus librum, quo monſtraverit, proceſſio-
nem illam a ſolo Patre arceſſendam. Argumenta deinde La-
tinorum revocat ad examen. Negat, miſſionem a filio &
proceſſionem eſſe unum idemque, cauſatus, filium miſſum
25. eſſe a Spiritu Sancto, *Luc. IV, 18*, nec tamen ab eo dici pro-
cedere. Si dixerimus, miſſionem illam eſſe *opus ad extra*, tum
reſpondet, filium hac ratione mitti a ſemet ipſo. Miſſionem
cum *Ambroſio* exponit de ſocietate & unitate naturæ, pro-
27. ceſſionem de origine. Laudat *Gregorium*, haud ſecus ſen-
tientem.

Digitized by Google

tientem. Spiritum ſanctum dici Spiritum filii, largitur. At monet, Patres primos id intellexiſſe de una eademque cum filio eſſentia, a quo quippe manifeſtatus rebusque creatis impertitus ſit. Enodare deinceps aggreditur argumenta complura, in eandem ſententiam propoſita. Addit, ſacras literas & primam eccleſiam per aliquot Secula ignoraſſe illam Spiritus ſancti a filio proceſſionem. A *Nicolao I* illud dogma deducit, qui Sorbonicos doctores ad illud defendendum excitaverit. Nondum vero oſtendit, Sorbonicos doctores jam tum exſtitiſſe. *Adami Zernicowii* librum Theologis Regiomontanis commendat. Subjungit Græcorum argumenta, reſponſionibus ſuis ad finem deductis. Conciliorum, legitime celebratorum, autoritatem extollit. Liturgiam Græcorum prædicat, quippe a *Jacobo* minori Apoſtolo compoſitam, a *Baſilio* autem, *Paulo*, & *Chryſoſtomo*, redditam breviorem. Liturgia *Chryſoſtomi* Kievienſibus in uſu eſt. Liturgia *Baſilii* ſemel quotannis celebratur. Illam *Jacobi* celebrari Hieroſolymis anno vertente in feſto *Jacobi* Apoſtoli, tradit, pollicens ſimul, ſe peculiari libro dogma de proceſſione Spiritus Sancti a filio novasque alias hæreſes, in quas Lutherani inciderint, eſſe confutaturum. Invocationem Sanctorum ſibi eripi non patitur, provocans ad *Jer. XV, 1,* ad *2 Macc. XV, 12,* ad *Apoc. VI, 10, XV, 7,* vel potius *VIII, 3.* Subdit: *Orant ergo pro nobis Sancti. cur igitur non implorandi ſunt, ut orent pro nobis?* Requirimus evidentiam conſecutionis, mandatum & promiſſum Dei luculentum. Prædicat *M. Antonium de Dominis,* idem ſecum ſentientem *VII, 12, n. 12.* Numerat Evangelicos inter hæreticos, ut pavones & accipitres avibus annumerantur. Traditiones, ſacris literis repugnantes, rejicit, reliquas, e. g. Deiparæ poſt partum virginitatem, non damnat. Confugit ideo ad *Baſilium de Spiritu ſancto Cap. 29,* ac ad *2 Theſſ. II, 15.* Diſcernit miracula a portentis ſatanæ & impoſtorum. Quatenus miracula ſint ſigna veræ eccleſiæ, definit. Miracula quædam Græcorum recentia recenſet. De Latinorum miraculis ſingulare opuſculum edere ipſi animus eſt Quæ de igne Hieroſolymitano paſchali narrantur, in medio relinquit. Miram eccleſiæ Peczarienſis

Pag. 45. 53. 54. 55. 58. 61.

zarienſis erectionem e numero miraculorum delere detrectat. Provocat potius ad *Neſtorem*, S. *Roxolanæ* præconem. Provocat ad *Neſtoris* per tot Secula non corrupti oſſa. Addit illud: *Venite & videte. Venerat & admiratus erat veſter homo Joannes Herbinius, ut ipſe teſtatur in libello de Cryptis Kijovienſibus.* Denegat Evangelicis nomen Chriſtianorum, niſi illi oſtenderint, ſe per omnia parere & obſequi Chriſti Evan-
Pag. 63. gelio, aut niſi Græcæ aggregent ſe eccleſiæ. Tandem Regiomontanos, eosque Germanicos, Theologos ad reſponſionem invitat. Succedit Apologiæ uni altera. Excipit illam *Apologia ſacrarum reliquiarum Patrum Græcorum, qui poſt ſuum obitum in cryptis Kijovienſibus* quieverunt. Autori viſum eſt inibi evincere, quod hæ reliquiæ divina, eaque ſupernaturali, virtute dotem integritatis ſortitæ ſint, & incorruptæ ſerventur.
67. Negat, eas arte naturali a putredine defendi. Prædicat, illa corpora tot Seculorum curſu nondum ullam noxam, ullum vitium, perpeſſa eſſe. Diſtribuit tractationem in *duo Capita. Priori* aggreditur argumenta phyſica, quæ Latini conſtruxerunt, ſolvere ac deſtruere; *poſteriori* diſſolvit argumenta
96. hiſtorica ac theologica. Succedit *Theophanis*, Archiepiſcopi
123. Novogrodeſiani, *Oratio gratulatoria ad Annam Imperatricem de commodis Monocratiæ & incommodis Ariſtocratiæ.* Ejusdem ſubjiciuntur Carmina aliquot Latina, haud infelici venæ tri-
161. buenda, Romanis Poetis claſſicis accommodatiſſima. Succedit *Adductio Miniſtri Anglicanæ Epiſcopalis Eccleſiæ, Domini Michaelis Franciſci Malardi, ad Orientalis Græco-Roſſiacæ vere orthodoxæ Apoſtolicæ Eccleſiæ profeſſionem* per Rev. *Dominum Theophanem, Archiepiſcopum Novogrodenſem*, 1733. Memorabilia ſunt capita, quæ *Theophanes* candidato Græcæ eccleſiæ per literas propoſuit. Memorabilis æque eſt *Malardi* co-
166. pioſior reſponſio. Ex hac enim intelligitur, quid proſelytus ille in ſingulis religionis Chriſtianæ modulis formisque reliquis deſideraverit. In Proteſtantibus notat, quod ipſi Apocrypha V. T. & *Librum II Maccabæorum* recuſant in ca-
170. nonem recipere ſacri Codicis, nec infantibus impertiunt Euchariſtiam, nec fermentato utuntur pane in Euchariſtia, infan-

Digitized by Google

infantes baptizandos guttis aliquot aquæ adſpergunt, reformatores dono miraculorum caruerunt, &c. Commendanda hæc eis epiſtola, qui interiora eccleſiæ Græco-Ruſſicæ capita diſpicere cupiunt. Omittimus Poemata aliquot Latina. Digniſſimum tamen legi eſt illud, quod *Stephanus Jaworskius*, Metropolita Razanenſis & Muræmenſis, paulo ante mortem, Bibliothecæ valedicturus, pepigerat. Initium Elegiæ eſt: *Ite, meis manibus geſtati ſæpe, libelli. Ite meus ſplendor, luxque decusque meum.* Pag. 216.
Memoranda eſt *Epiſtola Kreslingii ad Archiepiſcopum Kiovienſem Raphaelem*, Wittebergæ A. 1739, Cal. Febr. ſcripta, ad ſtatum eccleſiæ Græcæ hiſtoricum ſpectans, conjunctionisque eccleſiaſticæ deſiderio plena. In calce exhibentur *Theophanis Prokopowicz* Orationes Aſceticæ, Ruſſica lingua habitæ ac conſcriptæ. Dolemus, quod in ultima earum deficiant poſtrema. Gaudemus vero, quod tantum notitiæ de rebus ſtatuque & doctrina eccleſiæ Græco-Ruſſicæ in hoc libro lectoribus ſuppeditatur, licet nobis vitio nemo ducturus ſit, quod ne micam quidem judicii noſtri hic inſerere voluimus. Tradimus illam aliis lampada, ſatis habentes, ſi ſummam libri alii per nos habuerint propius cognitam & perſpectam. 224. 229.

LAUR. REINHARDI, S. S. THEOL. D. ET PROF. P. Eccleſiaſtæ in templo metropolitano Vinarienſi, Societ. Lat. Jen. & Teut. Gœtt. Collegæ, Introductio in hiſtoriam præcipuorum dogmatum Eccleſiæ Evangelicæ, per omnia N. T. Secula breviter commemoratam.

Jenæ, impenſis Georgii Michaelis Marggrafii, 1745, 4.

Plag. 7.

Dudum S. Rev. Autori in animo fuit, B. D. *Jo. Wilh. Baieri*, ſenioris, *Theologiam hiſtoricam* continuare. Perſuaſit vero ipſi poſtea D. *Jo. Balth. Bernholdus*, primarius Atolfinorum Theologus, ut proprio ipſe *Hiſtoriam*

 dogma-

Digitized by Google

dogmatum Marte conſcriberet. Hinc factum, ut Cel. Autor
ceperit conſilium, eandem per partes publicandi. In præſens
partem primam exhibuit, ſeu *Capita IV.* *Capite primo* oſten-
dit, originem Calicis ſacri, ejusque autoritatem divinam, nun-
quam non in eccleſia Chriſtiana reverenter habitam, & adver-
Pag. 8. ſus Antiſcripturarios propugnatam. Antiſcripturarios diviſit
in Philoſophos, Hiſtoricos, Criticos, Dogmaticos, *Joannem*
Tolandum, *Jo. Laurentium Schmidium*, Schweinfurtenſem,
qui malitia, impudentia, & cavillandi libidine, reli-
9. quos Scripturarum diviniorum hoſtes facile vicit in nova ſua
Pentateuchi *Moſaici* translatione vernacula, ac *Jo. Chriſtia-*
num Edelmannum, a S. Rev. *Jo. Chriſt. Klemmio* aliquot
Diſſertationibus Academicis Tubingæ refutatum, hominem
nefarium, pervicacem, & plane impium, in hanc claſſem re-
10. bellium, Deoque adverſantium, retulit. Laudat Cl. *Car. Chriſt.*
Reſtelium, qui antiquitatem, veritatem, ac divinitatem, libro-
rum V. ac N. T. canonicorum firmis aſſeruit argumentis. *Sectio-*
ne Capitis primi ſecunda, integrum & verum eſſe canonem no-
12. ſtrum Sacræ Scripturæ, evicit. Laudat *Joannem Friekium*, qui in
Commentatione de Cura Eccleſiæ veteris circa Canonem Sacræ
Scripturæ ſolidiſſimis oſtendit rationibus, canonem N. T. non
demum ab Eccleſia Seculi II, ſed ab ipſis Apoſtolis, eſſe re-
petendum *2 Petr. III, 15, 16, Apoc. XXII, 18, 19*, atque conſtitu-
tum fuiſſe N. T. canonem in congregatione virorum Apo-
ſtolicorum, præſide *Joanne*, & negotium moderante *Polycar-*
po, qui ideo totius Orientis nomine ad *Anicetum*, Epiſcopum
Romanum, fuerit ablegatus. *Capite ſecundo* Cel. Autor de
18. myſterio ſacroſanctæ Trinitatis, ſemper & ab initio in Eccle-
ſia Chriſtiana probato, exponit, ac eorum merita, qui illud
propugnarunt, ſuccincte veneratur. Attingit nonnihil de
Symbolis, Apoſtolico, Nicæno, de Tritheitis, ac homini-
bus, Trinitatem vel oppugnantibus, vel minus dextre inter-
pretatis. Petrobruiſianos & Bogomilos teſtibus veritatis an-
23. numerat. *Petrum Fayditium* Abbatem in Tritheitis ducit.
Memoratu digna ſunt illa *pag. 26: In Germania Anonymus qui-*
dam A. 1737 in peſtilentiſſimo Tractatu philoſophico pluralita-

tem

Digitized by Google

tem perſonarum in Deitate methodo Mathematicorum demonſtrare voluit, & magnos excitavit motus, cujus libelli infauſtam hiſtoriam malo ſilentio ſupprimere, quam divulgare. O tempora! o mores! At, ſi rem ſpectes, *Keckermannus* aliique idem tentarunt, veritatem hac ratione minus dextre propugnantes, quorum de cetero merita prædicantur. *Capite III* Autor acceſſit ad doctrinam, de Angelis Sanctisque non invocandis præcipientem. Si quis ſenſerit, ſanctos cœlites pro eccleſia Pag. 29. militante Deum orare, ac beatos in cœleſti vita preces ad eum emittere pro relictis cognatis & amicis, quorum memoriam ſecum beati tranſtulerunt in ſtatum meliorem, ejus opinionem Autor vocat *errorem turpiſſimum, opinionem perverſam. Joannes Gerhardus* moderatiorem ſe in hoc argumento præbuit. 30. Diſtinguimus merito quæſtiones duas. Prior eſt, an cœlites pro viribus eccleſiæ militanti generatim faveant, & pro ea Deum orent, ac ſpeciatim pro membris piis, in mundo paulo ante relictis. Poſterior eſt, an Deus nobis præſcripſerit preceptum invocandi cœlites, ac ad eorum opem in neceſſitatibus noſtris confugiendi. Illa non ſolum eſt tolerabilis, ſed etiam plerisque Theologis probata; hanc negando & pernegando Proteſtantes excipiunt. *Capite VI* Autori viſum fuit hiſtoriam dogmatis de peccato originali exponere. Ut reli- 36. qua etiam *Capita* adjungat, & hac ratione de re ſacra bene mereri pergat, id vero eſt, quod maximopere ipſum rogamus.

Bedencken über Chriſtian Wilhelm Chriſtliebs kurtzen Auszug aus den Selichoth, oder Jüdiſchen Bußgebeten, ꝛc.

id eſt,

RESPONSUM IN CHRISTIANI WILHELMI CHRISTLIEBII compendiariam expoſitionem Judaicarum in Chriſtum & Chriſtianos obtrectationum, quæ in Judæorum precibus pœnitentialibus deprehendi traduntur, ex amore & veritate, cœtus Judaici in Germania cujusdam flagitatu, ſuppeditatum a D. CHRISTIANO

BENEDICTO MICHAELIS, *Fridericianæ ad Salam Prof. Theol. & Ling. Orient. Prof. P. O.*
Halæ Venedorum, 1745, 4.
Plag. 3.

Chriſtianus Wilhelmus Chriſtlieb Judaicæ religioni dixit vale; Chriſtianam vero amplexus, edidit epitomen obtrectationum Judaicarum ex precibus Judæorum pœnitentialibus, quæ *Slichos* dicuntur, quibus honori Jeſu Chriſti ac doctrinæ Chriſtianæ illuditur, A. 1745, 4, 6 plag. Hoc ſcriptum Cel. Autori fuit exhibitum eo fine, ut ſententiam ſuper eo ſuam ſignificaret per literas. *Slichoth* ſunt preces Judæorum, quæ a Judæis recitantur diebus pœnitentialibus ac ineunte anno in ſynagogis, ac partem liturgiæ eorum explent. Editiones earum retenſuit B. *Joannes Chriſtophorus Wolffius* in *Bibliotheca Hebr. P. II pag. 1383-1386.* Adhibuit *Chriſtlibius* editionem, Amſtelodami A. 1712 evulgatam, cui annotationes nonnullæ ſunt adjectæ. Judæi Halenſes utuntur editione, Amſtelodami A. 1706, 4, publicata. Credidit *Chriſtlibius*, a Chriſtiano magiſtratu uſum precum illarum Judæis haud amplius permittendum eſſe. Suaſit, ut Chriſtiani doctores Judæorum preces evolvant, percurrant, & noxia loca deleant, & ut Chriſtianus magiſtratus ea proſcribat. Quæritur itaque, an Judæi in illis precibus Chriſto & ejus doctrinæ obtrectent, & an ſcopo ac deſtinationi ejus ſit velificandum. *Chriſtlibius* 15 loca allegavit. Reſpondet Noſter, in eis locis ſecundum editionem, qua Judæi Halenſes utuntur, memoriam Jeſu, Mariæ, & Chriſtianorum, haud inveniri. In editione vero, quam *Chriſtlibius* excitavit, obtrectationes ejusmodi occurrunt a R. *Juſpa* profectæ. Judæi permulti has nec probant, nec eis utuntur, eo quod ipſi inde calamitatibus ſeſe exponere dubitant. Gloſſæ nonnullorum precibus ipſis haud imputandæ, quæ plerumque e verbis V. T. contractæ & generatim conceptæ ſunt. Sunt loca, quæ *Chriſtlibius* male vertit, & ſiniſtre expoſuit. Chriſtiani nominatim in *Slichoth* haud roduntur. Videntur inibi nonnulla ad Pontificios, non ad

Evan-

Digitized by Google

Evangelicos, ſpectare. Romam videntur alicubi deſignare. Pag. 15.
Sed quid hoc ad Evangelicos? Paganos & Turcos queruntur, qui iter in Palæſtinam Judæis denegarunt. Quid hoc ad Evangelicos? 17.
Autor Reſponſi apprecatur tandem *Chriſtliebio* mentem in Judæos *Paulinam*, & pluſculum amoris in gentem ſuam. Quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

ELEMENTA JURIS CAMBIALIS, COMMOda Auditoribus methodo adornata a JO. GOTTLIEB HEINECCIO, JCto & Antecessore.

Amſtelodami, apud Janſonio-Waesbergios, 1742, 8. Plag. 4.

Qui ſæpius jam de republica literaria, maxime JCtorum, inſigniter meritus eſt, *Jo. Ludovicus Uhlius*, clariſſimus nunc in Academia Viadrina Anteceſſor, iis nobili conſulere ſtudio pergit, qui in Themidos æque ac in Muſarum caſtris militant. Ecce enim, Lector, in lucem publicam profert Elementa Juris Cambialis, a magno quondam præceptore ſuo adornata, quæ ſane, quanquam poſthuma ſint, tantum tamen abeſt, ut in jejunorum opuſculorum rejici claſſem debeant, ut divinum illud *Heineccii* ingenium ſpirent, quo complures ſui ordinis homines longo poſt ſe intervallo reliquerat Vir memoriæ immortalis. Commode igitur prælectionibus Academicis hic inſervire libellus poteſt, cujus argumenta hæc ſunt: *Caput I de jure cambiali in genere* agit, *ejusque origine*; *Caput II de cambio generatim, variisque ejus generibus*, inſcriptum eſt; *Caput III* doctrinam *de contractibus cambialibus* complectitur; *Caput IV literas cambiales, earumque curſum*, exponit; *Capite V* producuntur *perſonæ cambiales*; quod ſequitur, *VI Caput partim obligationes, quæ naſcuntur ex literis cambialibus, partim modos, quibus eædem exſtingui ſolent*, eleganter recenſet; *Caput* denique *VII, de proceſſu cambiali*, in *quatuor* diviſum eſt *Sectiones*, & *de foro competente, actionisque libello*; *de citatione*, *& termino recognitionis*; *de*

Digitized by Google

ſententia deſinitiva, & de remediis contra ſententias, quæ alteri iniquiores videntur, harum rerum cupidos utiliter inſtruit. Adjecta eſt ab Editore Conſultiſſimo *Georgii Henrici Ayreri*, illuſtris Viri, Commentatio brevis *de cambialis inſtituti veſtigiis apud Romanos*, olim ſeparatim excuſa, ſed reviſa nunc & aucta paſſim, a cujus lectione nemo ſine voluptate ſumma recedet. Nos ceteroquin dolemus, variis, levioribus licet, typographi erroribus hunc eſſe maculatum libellum, cujus alias ſplendor externus non niſi gratus eſſe oculis poteſt.

BREVIARIUM ANTIQUITATUM ROMANArum Cellario-Freyerianum ſuppletum & recognitum.

Hafniæ, impenſis Ottonis Chriſtophori Wentzelii, excudebat Andreas Hartvicus Godiche, 1743, 8.

Plag. 15½.

Fœtum iſthunc poſthumum, atque ob id ipſum truncum, ingenii *Cellariani*, ſæpius editum, &, quamvis potioribus partibus ſuis mutilum, perſpicuæ tamen brevitatis commendatione cupide petitum, ſupplevit, addito de ſacris Romanorum Capite integro, atque aliis ad calcem libri nonnullis, Clariſſ. *Freyerus*. Attamen ita etiam velut ſine capite prodibat ille libellus, cum prius ſcire debeam, qui aut unde Romani, quam quæ ipſorum ſacra fuerint atque inſtituta. Id cum Clar. *Jo. Petrus Ancherſen*, cujus ad mentem hæc diſputamus, dum alii forte ad Hiſtoriam id ac Geographiam, aut Τοπογραφίαν, antiquam pertinere mallent, ne ἀκέφαλον eſſet corpus tam ſolidum ac ſucci plenum, curavit ſedulo, ſcripta jam A. 1733 & publicata *Notitia Romæ generali*, in ſupplementum Breviarii Antiquitatum *Cellario-Freyeriani*, in quo modum arctati operis non exceſſit, niſi *Sectione VI*, de portis urbis, in quarum recenſu, licet imperfecto, immorari eum coegerat explicatio loci de hac re palmarii apud *Plinium Lib. III Cap. 5*, a nemine, ut ait, antea intellecti, atque adeo propemodum deſperati. Hoc idem ſupplementum, non ſine correctioni-

bus,

bus, licet perpaucis, atque additamentis neceſſariis, hic una comparet, atque adeo auctarium libri conficit. Romæ autem notitia iſta *ſeptem* conſtat *Sectionibus*. Harum *prima* eſt de cultu Romæ divino & nominibus. Roma ſcilicet honoribus divinis ab aliis primo, ut Smyrnæis, *M. Porcio* Conſule, & Alabandenſibus, *Licinio Caſſio*que Conſulibus, deinde & a ſuis, adorata, ipſiusque imago conſecrata fuit, quam quidem varie exhibent numiſmata. Proprie autem Romæ nomen ſuperſtitionis ergo ignorabatur, ac forſitan erat Valentia. Romæ denominationem alii a רום, *exaltari*, unde רוֹמָה, *elatio*, *Mich. II*, 3, alii a Syriaco רוֹמַח, *haſta*, quæ Quiris antiquis, alii aliunde, plurimi tamen a ſermone Græco, derivant. Originem hu- Sect. II pag. 5.
jus urbis, quam *ſecunda Sectio* pandit, quod ad incolas ante *Romulum* attinet, referre poſſumus ad Siculos indigenas & barbaros, qui, a ſacrata, vere ſacro, Aboriginum juventute pulſi, Sicaniæ inſulæ, Siciliæ, nomen dederunt. Aborigines autem, ſeu Aberrigines, ab Oenotriis oriundi, vicatim paſſimque in montibus habitantes, receptis demum in jura civitatis Tyrrhenis Pelasgisque, caſtella in montibus munierunt. Poſteros illorum, in montibus hærentes, quo greges melius paſcerent, in unum corpus collegit *Romulus*, cum fratre *Remo*, ingenti multitudine adjecta, Trojanorum inprimis atque Albanorum, anno primo Olymp. ſeptimæ ante Chriſtum natum 750. Coloni tunc urbis recens conditæ fuerunt 3300, domus 1000. Poſt, aſylo aperto, raptu Sabinarum, traductis in urbem ex Cœninatibus, Antemnatibus, Etruſcis, Sabinis, *Romulus* peditum quadraginta ſex millia, equitum propemodum mille, moriens reliquit. Ita vero pedetentim urbs incrementa cepit, majoribus intenta, de quibus, ut & de ſitu ſeptem montium, *Sectio III* diſputat. Romam nempe in Pa- 9.
latino colle quadratam ſtatuit *Romulus*, Cœlium Etruſcis habitandum tradiderat, qui poſt *Cælii Vibenni* obitum in Vicum Tuſcum deducti. Inde *Cælium*, qui etiam *Querquetulanus* & *Auguſtus* dicitur, coactis Romam migrare Albanis, quo frequentius habitaretur, ſedem regiæ cepit *Tullus Hoſtilius*. Capitolium inſedit cum ſuis *Titus Tatius*, parte Sabinorum in

Quiri-

Quirinali etiam collocata. Aventinum montem, Murcium, & Remurium, civibus Politorii, Tellenarum, & Ficanæ, ibi locatis, muro circumdedit *Ancus Martius*. Eſquilinum atque Viminalem, ſeu Fagutalem, urbi adjecit *Servius Tullius*. Murum a *Servii Tullii* tempore non progreſſum eſſe ulterius, obſervat. *Dionyſio Hal.* nec poſt ejus tempora inſignis aliqua ante *Aurelium* Imperatorem acceſſio memoratur, qui muros quidem ampliavit, pomœrium vero non protulit. Prona indidem tra-
Pag. 14. ctatio *Sectionis IV* de magnitudine urbis. Nimirum, *Tulliani* muri ſi circuitum ſpectes, cujus adhuc veſtigia reſtant, quæ oculis ſubjecit *Borrichius*, non ultra 10 milliaria Italica in circuitu extenſum fuiſſe, profeſſus eſt. Aureliani vero ad 14 milliaria pari pæne cum hodierno ambitu, neque, ut jactat *Vopiſcus*, ad quinquaginta prope millia paſſuum, dilatatus fuit. Accuratius tamen loquendo magnitudo Romæ veteris incerta eſt ob muro inædificata immenſa ſuburbia. Neque ex luſtris conditis cujuslibet temporis magnitudinem urbis colligere licet, niſi priora illa reſpexeris, ante frequentiores colonias; nam in eis quoque cenſebantur cives Romani. Certior ex multitudine ædificiorum conjectura. Numerant Autores 46902 inſularum, quæ ſecundum *Feſtum Pompejum* domus ſunt, non communibus parietibus cum vicinis junctæ, ædium vero 2117, ut prætereamus templa 400, curias 30, urbium inſtar thermas 19, ſpectaculis dicata loca ampliſſima 17, horrea publi-
17. ca 327, fora 19, vicos 424. Tam ampla civitas, quam *Sectio V* docet, varia quoque indigebat diviſione. Et quidem *Romulus* in tres tribus, in quatuor *Servius*, dividebat; quæ diviſio maxime in ſacris erat Romanorum recepta. Erant autem Suburbana, Eſquilina, Collina, & Palatina, quas hoc ordine regiones dixere ſacerdotes Argei, quorum ſacraria in ſeptem et viginti partes urbis, Capitolio Aventinoque exceptis, erant diſpoſitæ, parœcias hodie diceres. A primis autem Romæ Chriſtianæ antiſtibus in ſeptem regiones, ratione ſacrorum, urbs dividebatur. Sed notiſſima eſt *Auguſti* diviſio, qua urbs in 13 regiones deſcribitur, quamque ſemper adhibent ſcriptores; quæ, ſolo numero excepto, non conveniunt cum diviſione

viſione Romæ hodiernæ. Ad portas quod attinet, *Sectione VI* conſideratas, earum notitia perquam eſt difficilis. Clare & perſpicue videtur *Plinius* veri nominis portas Romæ *Veſpaſianorum* tempore ad duodenarium numerum reducere. Si enim tempore *Procopii de Bello Goth. Lib. I Cap. 19 Aureliani* muri, adhuc ſuperſtitis, ejusdemque amplioris, quatuordecim tantum fuere portæ, non duplex erit numerus in antiquioribus admittendus. Conſtituit autem *Plinius* tres portarum claſſes. In prima collocat ſeptem portas deperditas, in ſecunda duodecim veras, in tertia XVIII bis terve numerandas, hic & illic per urbem & ſuburbia ſparſas. Cum enim primis maxime temporibus integri ſæpius urbi acceſſerint montes, prioribus antea ſic ſatis munitis, murusque Romanis ſacer ſemper fuerit habitus, unde etiam portæ a portando, vomere ſcilicet, dicuntur; vero ſimile maxime eſt, muros veteres ſtatim non fuiſſe disjectos, ſed labi temporum & propriis fatis relictos, atque hinc vetera portarum monumenta & nomina fuiſſe retenta, cujus rei plura in majoribus urbibus etiamnum ſuperſunt exempla. Septem portæ primæ claſſis ſunt Mugonia, Romanula, Janualis, Mucionis, Saturnia, Tarpeja, Trigonia; duodecim ſecundæ Flumentana, Collina, vel Quirinalis, Viminalis inter aggeres, Collatina, ſeu Gallicana, Eſquilina, Labicana, Cælimontana, Latina, Capena madida, Trigemina, Portuenſis & Janiculenſis, ſeu Aurelia antiqua. Hæ portæ principales ab *Aureliano* prolatæ ſunt, adjectis duabus. Inter ſecundarias portas, a Tiberi & ſeptentrione filum muri tegentibus, ſeu claſſis tertiæ, 18 ſunt, Carmentalis, ſeu ſcelerata duplicis Jani, Stercoraria, Ratumena, Catularia, Salutaris, Nomentana, ſeu Figularis, Gabiuſa, Ferentina, Sangualis, Querquetularia, Nævia, Roduſculana, Lavernalis, Piacularis, Fontinalis, Minucia, Navalis, & Mucia. Ubi autem collocandæ ſint Triumphalis ac Mœcia *Plauti*, Noſter omnino ignorat. Superſunt fata civitatis, *ſeptima Sectione* dinumerata, quæ peſſima fuerunt ſub *Juſtiniano*, ubi Roma intra quindecim annorum ſpatium ſexies capta eſt ac recepta; nec deinceps multo clementioribus fatis utebatur, donec a *Leone IV* Pontifice reſtitueretur, prolatis etiam pomœriis A. 896.

Pag. 19.

29.

Digitized by Google

Ad ipſum contextum quæ deinceps Cel. Editor paſſim annotavit, brevitatis ergo ſilentio præterimus.

JO. ADAMI FLESSÆ, REGII CONSIST. Aſſeſſoris, Gymnaſ. Acad. Direct. ac S. Theol. Prof. Faſciculus Commentationum varii argumenti, præcipue hiſtorici ac literarii.

Altonæ & Flensburgi, ſumtu Kortiorum, 1744, 8.
Plag. 18½.

Venerabilis harum Commentationum Autor ſpecimen in illis edit ſub initium novi muneris diligentiæ, qua illo ſe fecerit dignum. Inſunt autem Faſciculo elaborationes undecim, nequaquam inelegantes. *Prima* ſiſtit vitam *Georgii Fri-*
Pag. 1. *derici Caroli*, Marggravii Brandenburgici piæ memoriæ, nomine publico Collegii *Chriſtian-Erneſtini* A. 1735 conſcriptam. Cujus Principis majores, pueritia, itinera, nominatim Holſaticum, Gallicum duplex, Belgicum, Anglicum, Italicum, pericula in Italia, Baruthi, & in Rhodano, matrimonium & liberi, educatio liberorum, regimen, cura juventutis ſtudioſæ reique ſacræ, aliæ conſtitutiones, conſtantia, variis ſeſe obſtaculis opponentibus, ædificandi ſtudium, atque obitus, breviter adumbrantur. *Altera*, ſcripta primum Baruthi A. 1727, inqui-
29. rit, num *Albertus I* Brandenburgicus ludis equeſtribus invictus fuerit. Initium faciunt, poſt nonnullas obſervationes de dubiis in hiſtoria, laudes *Alberti*; hinc ſequuntur Autores, qui eum in ludis equeſtribus equo dejectum tradunt, & contra teſtimonium *Æneæ Sylvii* vocatur in partes, cujus etiam fides, poſtquam illa *Ge. Ruxneri* ſuſpecta facta fuit, *Rentſchneri*que ſuſpicio confutata, defenditur, tandem, dubitari ſaltem poſſe, colligitur, &, ſi quid tale vel maxime factum, nihil tamen ideo *Alberti* de gloria decedere. Sequenti Diſſertatione *Agnes* Auguſta, *Henrici*
65. *III* mater, ab adulterii ſuſpicione liberatur. Qua occaſione tempora *Henrici* triſtia cauſæque calamitatum oſtenduntur. Hinc, inſimulatam quidem eſſe adulterii, ſed innocentem videri, Auguſtam, demonſtratur. Id quo evincat Autor, quibus ſcriptoribus laudata, quibus vituperata, docet, deque teſtibus fert judicium,

invidiam

Digitized by Google

invidiam *Agneti* gravem removet, rationes alias, ex quibus Auguſtæ innocentia pateat, adducit, narrationemque de *Henrico* antiſtite multis eſſe partibus ſuſpectam, evincit. *Quartum* occupat locum ad vitam *Georgii Hornii*, Profeſſoris Lugdunenſis in Batavis, ſymbola collata, quam Commentationem Præſide Autore A. 1738 propugnarat *Ludov. Joſeph. Dœrfflerus.* Habentur ibi de alio *Georgio Hornio* nonnulla, item de obſcuritate vitæ *Georgii-Hornii*, Kemmetani, deque ſcriptoribus, tangentibus eundem, cujus patria, parentes, majores, natalis, diſcrimina juvenilia, præceptores, conſilium de Lugduno relinquendo, cauſa delirii mortisque inopinatæ, & alia, ſiſtuntur. *Quinta* de iis agit Romanorum temporibus, quibus nec vitia ſua, nec remedia, pati poterant, ad *Livii* Præfat. *Decad. I*, tractatque *Livii* Hiſtorici laudes & nævos, locum hunc ipſum memorabilem, ætatem *Livii* ac tempus ſcribendi, ætatem, in quam *Liviana* querela cadat, & qua reſpublica Romana ierit præceps, *Liviani* loci illuſtrationem, cauſas reipublicæ peſſundatæ, priſcæ mores, diſciplinam collapſam, quæ remedia adhibita, curque parum profuerint, providentiam criminum ultricem, quæ & aliis exemplis, ex hiſtoria depromtis, corroboratur, eademque occaſione *Caſparis Peuceri* teſtimonium ex epiſtola, qua *Carionis* Chronicon *Auguſto* Saxoni dedicavit, ejusque ſoceri *Phil. Melanchthonis* itidem ex Dedicatione tali conſenſus, affertur. Sequitur Apologia pro *Joachimo I* Brandenburgico, magicarum artium inſimulato; ibidemque leguntur laus *Joachimi*, Principis Electoris, aliorum calculo firmata, nec nævis ſilentio præteritis, magiæ ſuſpicio, & *Leutingerianæ* narrationis epitome, cum ipſius dubitatione, diviſione, veræque ſententiæ exploratione; qua occaſione inquiritur, num vere *Franciſci* de Ordine ſacro ſodalis, qui Landsbergæ plurima flagitia patraſſe dicitur, tot effecerit mira, curque multa dubia videantur, & evincitur, hominem iſtum nebulonem fuiſſe ſceleratiſſimum, quo nec *Joachimus*, multo minus *Joannes*, filius, miniſtro ſint uſi; cujus rei, ac generatim innocentiæ utriusque, poſt tractationem de chartis *Joachimi* manuſcriptis, rationes adduntur, generatimque, quid infamiæ præbuerit occaſionem, edicitur, aliorumque exemplo confir-

Pag. 79. 103. 125.

Digitized by Google

Pag. 155. matur. *Septimum* occupat locum memoria *Georgii Chriſtophori Hæſlichii*, Baruthano Principi a conſiliis ſanctioribus qui fuit, cujus ad vitæ curriculum quæcunque inprimis notatu digniora
169. pertinent, enarrantur. Idem inſtitutum eſt Commmentationis, hanc ipſam excipientis, monumentum quæ continet *Gottliebio Friderico Hæſlichio*, J. U. Candidato, conſecratum, ubi & alia, ſplendidam illam familiam quæ ſpectant, continentur, atque officium, eorum, quos amamus, memoriam conſervandi, aſſeri-
189. tur. *Nono* loco proponitur *Phil. Melanchthonis* teſtimonium, ut conjectura licet conſequi, nondum editum, quo *Chriſtophorum Evandrum*, Bonſidelienſem, ornavit, nomine ordinis philoſophici, cui tunc Decanus præerat *Philippus*, conſignatum. Factus autem eſt *Chriſtophorus* ille *Evander* celebris in patria atque alibi verbi divini præco, fuitque gener laudatiſſimi Theologi, *Nic. Medleri*, quem & magiſtrum, ut in teſtimonio eſt, antea coluerat. *Penultima* eſt Commentatio de Dictatibus
199. *Gregorii VII*, Pontificis Romani, quorum hunc eſſe Autorem, ſeptem argumentis negatur, & a mancipio quodam curiæ Romanæ *Henrici V* circiter tempore fuiſſe compoſitos, ut jura & poteſtas & privilegia Pontificis Romani proponerentur in
209. nuce, per conjecturam evincitur. Poſtremum locum primo digna tenet Oratio, de ſtudio eccleſiaſtico per injuriam e ſcholis paſſim exulante, qua munus docendi publicum in Gymnaſio Altonano die 30 Maji A. 1741 auſpicatus eſt Noſter. Argumenta vero, quibus propoſito ſatisfecit, ſunt inprimis, quæ ſequuntur: Si profanos ſcriptores lectitamus, quidni & Chriſtianos? Si profanas antiquitates perdiſcimus, quidni & Chriſtianas? Si profanam humanitatem magni facimus, quidni & ſacram? Si res patriæ terreſtris curæ cordique habemus, quidni & cœtus divini patriæ cœleſtis? Ut cetera argumenta, ab utilitate generatim, ratione judicii de ſtatu cœtus divini, ratione veritatis, ſanctitatis, diſciplinæ, petita, taceamus; id ſaltem monentes, quod utilia multa hic explicata dederit Autor, atque etiam ſaluberrima conſilia hujus ipſius ſtudii excolendi ſingulatim ac diſtincte ſubjunxerit.

ENCHIRIDION, SIVE PRUDENTIA PRIVATA

ac ci-

Digitized by Google

ac civilis T. Pomponii Attici, M. & Q. Ciceronum, Cn. Julii Agricolæ, Imp. Cæſ. Nervæ, Trajani, a Nepote, Ciceronibus, Tacito, Plinio, deſcripta. In uſum prælectionum Academicarum recenſuit JO. MATTH. GESNERUS.

Gœttingæ, apud Jo. Pet. Schmid, 1745, 8.
Plag. 19.

Quæcunque ex manu ac penu Celeberrimi *Geſneri* accipimus, polita ſunt, ornata, ſuoque modo perfecta, ſi vel levia imperitis, minimeque digna primi nominis eruditis, videantur. Eundem in ordinem referenda nobis hæc collectio videtur, ſive inſtitutum, ſive ſelectum, ſive denique Præfationem, ſpectemus. In hac, ſtatim ab initio, ſtrenuum ſe elegantiorum literarum vindicem profitetur, quippe quas & autoritatibus & argumentis defendit. Ad teſtimonia ſpectat, quod *Fabius l, 4, 6,* de Grammatica pronuntiat: *Interiora velut hujus ſacri adeuntibus apparebit multa rerum ſubtilitas, quæ non modo acuere ingenia puerilia, ſed exercere altiſſimam quoque eruditionem & ſcientiam, poſſit.* Profecto mirifice falluntur, qui, Philologos ſaltem nugis occupari, neque ad veram aliquid eruditionem conferre, arbitrantur. Quid ædificium ſine fundamento? & annon rideretur, qui, quod iſtud haud ornatum, haud adeo conſpicuum, eſt, flocci eſſe cenſendum, ſibi perſuaderet? Ejusdem generis ſunt, qui de umbra ſcholarum, de minutiis Philologorum, loquuntur, imperiti. Sunt, fatemur, inter Philologos, qui, rebus relictis, conſeneſcere in verbis, quique de ambiguis apicibus, tanquam pro aris ac focis, vel ſalute Græcorum, acerrime pugnant. Sed inter Theologos, Jureconſultos, Medicos, num omnino deſunt in res ſe minimi momenti, nulliusque commodi, ingurgitantes? vel potius, num ordini eſt univerſo, num arti, tribuendum, artificum quorundam vitium? Ars non habet oſorem, niſi ignorantem; neque talem facilem patronum accipiet. Non riderentur tanquam parva, ſine quibus magna ſubſiſtere nequeunt, ni, velut illotis manibus, tot nomine magis, quam re, eruditi, altiora ſacra tractanda ſuſciperent. Megni ſunt, qui gemmis, lapidibus, conchis, herbis,

ſerpentibus, papilionibus, inſectorum generibus, colligendis, in loculos ſuos digerendis, oculo armato luſtrandis, perque amplificantia illa vitra minutiis conſiderandis, & ſexcentis id genus negotiis, ætatem impendunt; reliquis vel poſthabitis, vel modo delibatis: cur contemnitur, ſi quis alius otium ſuum vel oblectare, vel conſumere, velit in curioſiore verborum cujusque linguæ, veterum novorumque, inquiſitione? Hic etiam divinam ſapientiam, bonitatem, juſtitiam, admirari, novas veritates eruere, ſermonem, a brutis quo ſeparamur, nobile illud divini Numinis donum, emendare, vehicula ſcientiis admovere, ſcientias ipſas vel eminentiores juvare, poterimus. Hinc etiam ad publicam non parum utilitatem redibit, licet non omne ſtatim videre ac palpare valeamus omnes. At hoc non eſt honorum ac numorum acquirendorum cumulandorumque compendium. Generoſior erat humilibus iſtis *Fabius*, qui, *ne velim quidem*, ait, (*I, 2, 17,*) *lectorem dari mihi*, *quid ſtudia referant*, *computaturum*. Numque ſcimus, quid craſtinum ferat? Ut nihil pietate ac virtute lucroſius, quanquam multum abeſt a lucri cupiditate; ita omne ſtudium, in quacunque naturæ parte poſitum, primum ipſa exercitatione & mentis adverſione prodeſt, ſive ocyus illud, ſive ſerius, patefiat. Verum enim vero ille demum cenſuram meretur æquiſſimam, ſi quis, cum formare juniores ad virtutem & ſcientiam juſſus ſit, non ſuum otium, ſed tempora, tantæ rei deſtinata, minoribus ejusmodi conſumat. Nihil is ſapientior erit homine, qui, mercatorem formare juſſus, per omnem numerorum primorum, perfectorum, cubicorum, fractorum, conſiderationem circumducat adoleſcentem, ceterorum vero, quibus ad rem quærendam ſervandamque mercatores utuntur, omnium rudem relinquat. Ipſa veterum ſcriptorum lectio, præter verborum cultum, rerum ſimul utilitatem ſtatim commendat, prudentiamque vivendi ſuffulcit. Adeo inde ab *Homeri* ætate propoſitum fuit bonæ notæ ſcriptoribus, facere lectores non verborum ſolum oratores, ſed & actores rerum, *Il. I, 443, Cic. de Orat. III Cap. 15*, quam quidem perfecti viri civilis imaginem recte appellat *Ariſtoteles de Rep. Lib. VIII*. Hoc idem fuit propoſitum indefeſſi *Geſneri*. Nihil habuit Roma libera ſublimius Conſulatu, de cujus petendi atque adipiſcendi ratione

tione *Marcum* fratrem præclare monet *Q. Cicero:* Nihil glorioſius ac lucroſius Proconſulatu, de quo nemo melius præcipere potuit, quam ille vir, cujus Conſulatus & Proconſulatus quædam vivi hominis eſſe conſecratio videbatur, Romanorum diſertiſſimus. Bellicas autem res attigit *Julius Agricola*, Britannorum ille domitor, ingenio, generi quem habuit, comſummatæ prudentiæ viri propoſitus. Faſtigium denique humanæ magnitudinis tenuiſſe videntur Imperatores, in quibus optimi ſibi nomen comparavit *Trajanus*, quem velut in tabella depingit *Plinius*. Atque eadem illa ſunt ſcripta, quæ accuratiſſimis ſtudiis atque emendatiſſime repetita uni velut obtutui ſubjicit. Ipſe Præfationi additus correctorum index demonſtrat, quam ſtudioſus fuerit *Geſnerus* in contextu accuratiſſime & ad intelligendum convenientiſſime proponendo.

MEMORIAM SECULAREM FUNERIS ET SEpulcri D. Martini Lutheri recolere ſtudet D. CAROLUS GOTTLOB HOFFMANNUS, S. Theol. Prof. Circ. Elect. Sax. Super. Gen.

Vitebergæ, impenſis Jo. Joachimi Ahlfeldii, 1746, 4. Plag. 14.

Iniquum ſane videtur, virorum de republica ſacra inprimis meritorum memoriam negligere, & ingrati hominis, quod vitium omnium omnino eſt maximum, facinus id æque putatur, ac ſi quis benefactorum temere obliviſcitur. Eo majoris criminis indicium putatur, quo majora exſtant beneficiorum teſtimonia. Nefas hinc commiſiſſet Academia Vitebergenſis, ſi *Lutheri* me- Pag. 3.
moriam renovare, & pie celebrare, noluiſſet, cum tanta in eam exſtent pietatis illius monumenta, quanta laudibus ipſius vix ſatis digne celebrari poſſunt. Præter ea amplius quid neceſſitatem hujus rei injungit, quoniam tanta calumniatorum turba obitum B. *Lutheri* placidiſſimum vituperare ſtudet. Veritatis itaque mani- 5.
feſtandæ cauſa S. Ven. Autor ſibi proponit fideliter enarrandum, quicquid de pompa funebri, & omni honore ſepulchrali, ex antiquitatis monumentis afferri poteſt, quo mendacia putidiſſima *Bellarmini*, *Cochlæi*, *Thyræi*, *Delrionis*, *Caroli Cren-* 13.
tzii, *Bozii*, *Bredembachii*, *Pazmanni*, quin imo errores *Maimbur-*

gii

gii & *Fontani*, validius propugnari atque profligari queant. Ad-
ducuntur eum in finem ſingula ſingulorum mendacia, quæ de
genere mortis *Lutheri*, & conditione corporis demortui, ab ad-
verſariis ficta fuerunt. Qua occaſione etiam *P. Bælii* & *G. Arnol-*
Pag. 25. *di* iniqua cenſura & petulantia de morte *Lutheri*, & pompa ejus
funebri, acutiſſime caſtigatur. Poſtea teſtimonia locupletiſſima
Thuani, *Sleidani*, *Pauli Eberi*, *Joachimi Camerarii*, *Jonæ*, *Cœlii*, &
Aurifabri, in rem præſentem afferuntur, qui *Lutherum* placide
mortuum, & honorifice ſepultum, ad unum omnes aſſerunt.
Omnes res circumſtantes ex induſtria hic repetuntur, ex quibus
conſtat, *Lutherum*, Islebiæ defunctum, in lecto ferali fuiſſe col-
32. locatum; Principem Septemvirum Saxoniæ, autore *Juſto Jona*,
de exequiis *Lutheri* quæſitum; mandatum a Principe de fune-
37. re Vitembergam deducendo datum; *Lutherum* depictum, non
quidem a *Cranachio*, ſed ab Halenſi quodam pictore, *Luca For-*
tennagel dicto, cujus ἀρχέτυπον Lipſiæ in Academica Biblio-
theca aſſervatum putatur, & nunc denuo æri inciſum in fronte
hujus libelli ſecularis apparet. Porro narrantur juſta, *Luthero* in
templo S. *Andreæ* Islebiæ habita, eademque die ſequenti repe-
tita, & tum demum in Academia Vitebergenſi indicta, atque ce-
lebrata. Hic deductio funeris ex ordine deſcribitur, & ordo
57. pompæ univerſæ funebris indicatur. Laudationem funebrem
Pomeranum Germanice, & *Melanchthonem* parentationem Latine,
62. habuiſſe, monetur. Adduntur poſtea dubia quædam vexata de
ætate B. *Lutheri*, annis, menſibus, & diebus, quæ cenſura quæ-
64. dam, *Junckero* afflicta, excipit. Tum longa & accurata quæſtio in-
ſtituitur de epitaphio *Lutheri*, ubi *Sennertus* leviter notatur, qui
plane eadem ratione illud non deſcripſit, qua debebat. Denique
hoc argumentnm, recenſitis quibusdam de inviolato *Lutheri* ſe-
pulchro hiſtoricis circumſtantiis, aliisque, quæ jam nota ſunt, fi-
nitur. Appendix, huic ſcriptioni addita, complectitur *Phil. Me-*
lanchthonis Orationem, in funere D. *Mart. Lutheri* recitatam; item
Bugenhagii & *Juſti Jonæ* laudationem funebrem, cum M. *Mi-*
chaelis Cœlii Oratione. Quæ omnia in memoriam nobis revocant,
quanta *Lutheri* in nos etiam fuerint merita, quamque præcla-
rum vitæ exitum habuerit, qui, etſi multis contumeliis adſper-
geretur, placidiſſimus tamen & omnibus bonis expe-
tendus contigit.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno M DCC XLVI.

ΗΣΥΧΙΟΥ ΛΕΞΙΚΟΝ. *HESYCHII LEXICON, CUM Notis doctorum Virorum integris, vel editis antehac, nunc auctis & emendatis, HADR. JUNII, HENR. STEPHANI, JOS. SCALIGERI, CL. SALMASII, JAC. PALMERII, FRANC. GOYETI, GODOFR. SOPINGII, JO. FUNGERI, JO. COCCEJI, J. F. GRONOVII, JO. CASP. SUICERI, TAN. FABRI, CORN. SCHREVELII, ED. BERNARDI, &c. vel ineditis HENR. VALESII, DAN. HEINSII, PHIL. JAC. MAUSSACI, TH. BRUNONIS, IS. VOSSII, JO. VITI PERGERI, THOM. MUNKERI, MARC. MEIBOMII, JO. VERWEJI, inprimis KUSTERI, HEMSTERHUSII, JO. CHRISTIANI BIEL, &c. præter ſelectas JENSII, TRILLERI, D'ARNAUD, ABRESCH, &c. Ex autographis partim recenſuit, partim nunc primum edidit, ſuasque animadverſiones perpetuas adjecit, JOANNES ALBERTI, Theol. D. & Prof. Ord. in Acad. Lugd. Bat. cum ejusdem Prolegomenis & Apparatu Heſychiano.*

Tomus I.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmans & filium, 1746, fol. Alph. 10 plag. 21.

Si ullus nobis liber Græcus reſtabat, qui lucem & expolitionem ab ingenio & doctrina Viri alicujus excellen-

Digitized by Google

tius in Græcis literis verſati deſideraret, & in quo quis emendando illuſtrandoque inprimis magnam gratiam inire ab harum literarum ſtudioſis, utilemque operam navare, poſſet, is profecto erat *Heſychianus*, qui Gloſſas Græcas interpretatur. Nam, cum in eo magni Græcæ eruditionis theſauri lateant, ſed ii ſub plurimarum corruptelarum & cujusdam propriæ Gloſſariis talibus obſcuritatis tenebris abditi ac retruſi, ut neque invenire quiſque bona illa, neque iis recte uti, poſſit; quomodo non optabile erat, ut aliquis corruptelis amovendis, & obſcuritate eruditionis lumine diſpellenda, aditum ad eos muniret, eorumque uſum monſtraret? Atque ea res fecit; ut multi inſignes Græca eruditione homines *Heſychium* expolire & illuſtrare inſtituerint; quorum tamen nemini licuit ad exitum conſilii & inſtituti pervenire. Quo magis bene de Græcis literis meritus eſt *Joannes Alberti*, V. C. cum illam exquiſitam Græcarum literarum ſcientiam, tot luculentis jam documentis probatam, ad *Heſychium* emendandum & illuſtrandum contulit, in eaque re multos annos hoc eventu conſumſit, ut jam *primam* ejus *Partem* feliciſſime excultam & exornatam habeamus, de qua nobis jam diligentius erit exponendum.

Operi univerſo præmiſſa ſunt luculenta *Prolegomena*. Ea in *quinque Capita* deſcripta ſunt. *Primum* de *Heſychio*, ejusque ætate, exponit; *alterum* de ejus editionibus; *tertium* de editione *Schreveliana*; *quartum* de editionibus promiſſis, & notis latentibus; *quintum* de hac ipſa editione & apparatu, quo inſtructus V. C. hanc editionem curavit. Ex his quædam decerpere non pigebit.

Heſychium quendam Autorem hujus Lexici fuiſſe, de eo quidem ſatis convenit; ſed, quis fuerit, quove tempore vixerit, haud facile pro certo dici poteſt. Atque id ipſum etiam quæritur, Chriſtianusne fuerit, nec ne; de qua tamen quæſtione maxima doctorum pars adhuc ita judicavit, ut eum haud dubie in Chriſtianis numerandum cenſerent, confiſi inprimis tot locis, e ſacro Codice petitis. Sed *Albertus* noſter ita contra illam ſententiam diſputat, ut nullum ejus defen-

dendæ

dendæ locum relinquat. Maxime autem ei ſententiæ opponitur hoc, quod *Heſychius* in Præfatione, cum fontes, unde hauſerit, tam diligenter indicet, nullam omnino mentionem facit ſacrorum librorum, Patrum eccleſiæ, Lexicorùmque eccleſiaſticorum, e quibus multa totidem verbis deſcripta in hoc Gloſſario reperiuntur, neque quidquam omnino dicit, unde vel leviſſima Chriſtianiſmi ſuſpicio poſſit exiſtere. Quodſi de Gloſſis ſacris in hoc Lexico frequenter obviis quæras, unde ſint; reſpondet, eas aſſutas eſſe *Heſychiano* operi, in eoque magnum *Bentlejum* adſtipulatorem habet, haud paulo gravem. Sed de hac re jam dixerat Vir Clariſſ. ante, cum in *Obſ. miſc. Vol. IV Tom. II pag. 263*, tum in Præfatione ad *Gloſſ. Nov. Teſt.* Quod autem ad ætatem *Heſychii* attinet, recte monet V. C. nihil certi de ea dici, niſi hoc unum, poſſe, eam eſſe poſteriorem ætate eorum, qui in Præfatione commemorantur. Nam ex ipſis Gloſſis nihil tuto colligi poteſt propterea, quod, cum tantopere interpolatus ſit *Heſychius*, ſatis certo dici non poteſt, quæ Gloſſæ ſint ab *Heſychio*, quæ non. Itaque fruſtra in ea re definienda Viri docti laborant.

Ceterum hujus Gloſſarii unum tantum exemplum MStum repertum eſt, quod nunc ſervatur Venetiis in Bibliotheca S. *Marci*, e qua prima nata eſt editio *Aldina* A. 1514 in fol. valde illa vitioſa; quam ſecuta eſt primo Florentina apud *Juntas*, curante *Francino* A. 1520, ad *Aldinam* fere expreſſa, deinde Hagenoenſis A. 1521, haud paulo ſuperioribus emendatior, ab ingenio & doctrina editoris, incertum eſt cujus. Commemoratur etiam Baſileenſis. Fruſtra. Secuta eſt longo intervallo *Schreveliana* Lugd. Bat. A. 1668 in 4, cum Notis doctorum virorum. Sed ea editio, etſi eleganti ſpecie eſt, tamen plurimos nævos habet. Nam contextus quidem e vitioſiſſima *Aldina*, neglecta Hagenoenſi, expreſſus eſt, omiſſis adeo per negligentiam verbis nonnullis. Accedunt vitia gravia orthographica, diſtinctionum, ſpirituum, & accentuum, perturbationes, particularum & vocum inſitiones, corruptelæ etiam e compendiis ſcribendi non intellectis. Sed multo plura in notis ſunt peccata. Nam multæ multorum notæ ſunt

Digitized by Google

mutilatæ, plures omiſſæ, quædam alienis verbis ſubjectæ, nonnullæ etiam ita confuſæ, ut e pluribus una fieret, tum corruptæ plane, falſis Autoribus tributæ, multaque alia ejus generis ſunt admiſſa, quæ imperitorum erroribus locum faciant. Ceterum tot peccatorum culpa fortaſſe non in *Schrevelio* reſidet, ſed in iis, qui eam editionem, mortuo *Schrevelio*, curarunt. Poſt *Schrevelium*, ut alios promiſſores taceamus, de nova *Heſychii* editione parandа ſerio cogitavit *Jo. Verwey*, *Grævii* quondam diſcipulus, Græce doctiſſimus, ad eamque rem egregia ſubſidia habuit. Nam a *Nic. Heinſio* accepit exempla duo *Heſychii*, *Dan. Heinſii* notis plurimis referta. Habuit vero etiam notas *Henr. Valeſii*, Commentarium avtographum *Palmerii*, notulas *Arcerii*, *Rulei*, *Munkeri*, margini *Heſychiano* adſcriptas. Sed morte præventus *Verwejus*, deſtinata perficere non potuit. Ceterum felici literarum fato accidit, ut *Verwejanus* apparatus in *Alberti*, V. C. manus veniret, eique conſilium expoliendi *Heſychii* injiceret. Is & *H. Junii*, *Joſ. Scaligeri*, *Palmerii*, *Sopingii*, & *Munkeri*, notas & emendationes, item *Heinſianas*, cum avtographis diligenter contulit, in ceteris *Schrevelii* & *Verweji* fidem ſecutus; & *Verwejanas* copias multis aliis conquirendis ſubſidiis auxit. Nam accepit primo Codicem, cum *Iſ. Voſſii* notis, multas illis quidem bonas obſervationes continentibus, ſed tamen etiam emendationes ſæpe contortas, quales in aliis etiam *Voſſianis* libris reperiuntur; deinde *Jo. Viti Pergeri* notas copioſas ineditas, niſi quod ſpecimen earum in *Anecdotis Græcis* publicavit *J. C. Wolfius*, acceptas a *J. A. Fabricio*; cujus exemplum haud dubie deſcriptum eſt, ſive excerptum, ut *Trillero*, V. C. videbatur, e Codice avtographo, quem habuit olim *Godofr. Olearius* noſtras, a quo ad fratrem, ex hujus autem Bibliotheca ad *Menzium* noſtrum, V. C. pervenit, qui eum cum *Trillero*, V. C. communicavit. Eæ notæ plurimum reconditæ doctrinæ continent. Ceterum recte Cl. *Albertus* in emendationibus εὐςοχίαν criticam deſiderat. Eadem porro *Wolfii Anecdota* ei ſuppeditarunt notulas *Q. Septimii Flor. Chriſtiani* & *Eduardi Bernardi*. Maximum autem præſidium acceſſit a *Ludolphi Kuſteri*, exercitatiſſimi in hoc genere viri, notis

notis elaboratis, & eo animo ſcriptis, ut ederentur, ſed in principio elementi Θ deſinentibus. Has notas accepit a *Servino* & *Solierio*, Pariſienſibus; per quos etiam duo *Heſychii* Codices, alterum *Mauſſaci*, alterum *Sorberii*, nactus eſt. Ex utroque nonnulla decerpſit Cl. *Albertus*, ſed pauciora e poſteriori. His acceſſit Lexicon Græcum MStum e Bibliotheca regia Pariſienſi, illud ipſum, ut exiſtimat V. C. quod *Cangius* in *Gloſſ. Græc.* laudat nomine Cod. Reg. 2062, una cum variis, ad *Heſychium* pertinentibus, ſchedis, quibus omnibus rite ac dextre ad *Heſychium* expoliendum uſus eſt. Miſit etiam ſelectas in *Heſychium* obſervationes *Jo. Chriſtianus Biel*, Sacerdos Brunſuicenſis doctiſſimus, e S. Codicis locis maxime, & *Cyrilli* Lexico MSto Bremenſi. Ex aliis præterea Codicibus, notatis doctorum virorum manibus, ut *Vlitii*, *Cuperi*, *Meibomii*, *Relandi*, *Almeloveenii*, *Maſvicii*, quædam hauſit. Delibata etiam ſunt e Criticorum libris ſparſim ad emendandum illuſtrandumque *Heſychium* dicta, inprimis e ſcriptis *D'Arnaud*, *Abreſch*, omninoque Miſcellaneis Cel. *d'Orvillii* Obſervationibus, *Trilleri*, *Jenſii*, neque neglecta, quæ *Buberius*, *Hemſterhuſius*, *Weſſelingius*, *Valkenaerius*, *Wetſtenius*, *Reiſkius*, aliique, communicarunt. Atque etiam oblata quædam ſunt *Alberto*, quibus, ne in immenſum creſceret *Heſychius*, uti noluit; in quibus fuit etiam Codex, *Struntzii*, Prof. Viteb. manu notatus; quem nos ante paucos annos inſpeximus. Non eſt autem, quod inde quis multum adjumenti ad *Heſychium* exornandum ſperet. Nihil enim prope aliud egit *Struntzius*, quam ut ad quodque verbum loca Scriptorum Græcorum, ſed ſolis paginarum numeris, notaret, ubi idem verbum ipſe reperit, etſi alia, quam Gloſſæ *Heſychianæ* deſiderant, ſignificatione; deinde ea ipſa loca ita laudavit, ut reperiri non poſſint, niſi tu forte eandem habeas editionem, quam ipſe tum in manibus habuit; quæ qualis fuerit, ex ipſo libro nuſpiam intelligi poteſt. Itaque non potuimus intelligere, quid conſilii Vir doctus in eo labore ſecutus ſit.

Sed præter illum obſervationum apparatum plurimum uſus eſt Lexicis & Gloſſariis & Scholiaſtis Græcis antiquis, cum

 editis,

Digitized by Google

editis, tum ineditis, quæ ſæpe profecto MSti *Heſychiani* locum obtinent, propterea quod multa vel e communibus fontibus, vel ex *Heſychio*, ducta ſunt, vel *Heſychius* ab ipſis ſumſit. Inedita Lexica quatuor habuit, duo *Cyrilli* nomen præferentia, quæ nuper *J. A. Fabricii* fuerunt, poſt *Reimari*, V. C. liberalitate ad ipſum venere; tertium *Photii*, acceptum a *J. C. Wolfio*; quartum denique Lexicon *Homericum Apollonii* Sophiſtæ, quem ipſe *Heſychius* in fontibus ſuis numerat; denique, præter ſpecimina Gloſſariorum, paſſim edita, *Gloſſarium Græco-Latinum*, *Michaelis Apoſtolii*, Byzantini, manu ſcriptum.

Hæc qui conſideret, facile, vel conjectura, intelligat, quanta lux acceſſerit *Heſychio* in hac *Albertina* editione, cum V. C. præter ingenium ſuum ſuamque doctrinam tot aliunde accepta præſidia ad eam exornandam contulerit. Prima igitur laus ei debetur elegantiæ ac diligentiæ, quod primo contextum *Heſychianum* curavit integrum & purum cum a manifeſtis ac certis corruptelis, tum a mutationibus, ſola probabili aliqua conjectura nixis; deinde, quod in notis aliorum digerendis ratione ea uſus eſt, quæ & ad brevitatem aptiſſima, & ad uſum lectorum facillima, eſſet. Nam, quod contextui nullam Latinam verſionem adjecit, non laboris fugiendi cauſa fecit, ſed ne laborem inanem ſuſciperet. Laudanda deinde ac prædicanda venit ſagacitas in fontibus corruptelarum, & locis Autorum Græcorum, ad quæ *Heſychianæ* Gloſſæ reſpiciunt, indagandis; felicitas porro in emendando, & infinita pæne lectionis antiquæ & novæ copia. Quodſi qua in re aut non ſatisfecit omnibus, aut lapſus eſſe V. C. videatur, hoc facilius id debebit ei condonari, quod in omni alio opere facilius eſt ſatisfacere, lapſusque vitare. In animo erat Viro Clariſſ. peculiarem tractationem de præſtantia & uſu Lexici *Heſychiani* Præfationi addere, regulasque, in *Heſychio* legendo & corrigendo obſervandas, in aliis deinde etiam Autoribus utiles futuras; ſed, cum iſta jam ſparſim in notis dicta eſſent, & Præfatio jam ſatis longa videretur, hoc labore ſuperſedere placuit. Addidit etiam in Apparatu, ſubjecto Præfationi, in quo varia, ad *Heſychium* pertinentia, reperiuntur,

Digitized by Google

J. A. Erneſti, V. C. Proluſionem Academicam de vera indole & recto uſu Gloſſariorum, inprimis *Heſychii*. Ac fortaſſe tempus locusque patietur, ut in *altero Tomo* comparere poſſit. In illo Apparatu exhibentur etiam, præter *Præfationes* omnium editionum, ineditam *Palmerii*, & primas lineas Præfationis ejus, quam *Dan. Heinſius* præpoſiturus erat ſuæ editioni, *Excerpta Epiſtolarum Suiceri*, *Wetſtenii*, aliorumque, ad *Heſychii* editionem pertinentium, quam *Suicerus* parabat: cujus ſpecimen Obſervationibus ejus ſacris ſubjectum habemus; *R. Bentleji* Epiſtola inedita de Gloſſis ſacris in *Heſychio* inſititiis; *Sevini* & *Sallierii* ad *J. A. Fabricium* Epiſtola de nova *Heſychii* editione, a *Kuſtero* cœpta, a ſe autem abſolvenda; *Bibliothecæ Græcæ Fabricianæ Lib. IV Caput 35*, & *Lib. V Caput 5*; *Thorſchmidii* Diſſ. *de Heſychio illuſtri Chriſtiano*, & tandem *Teſtimonia* de *Heſychii* Lexico.

Reſtabat, ut ſpecimina notarum, primum editarum, *Albertinarum*que, de more noſtro, proponerentur. Sed, ne nimis longi ſimus, alio loco, certe cum *alter Tomus* prodierit, larga manu dabimus. Unum hoc nunc addamus, Operi huic magnam commendationem acceſſiſſe a chartæ & typorum inſigni elegantia ac nitore.

TRAITE' DE LA VERITE' DE LA RELIGION Chrétienne, &c.

id eſt,

TRACTATUS DE VERITATE RELIGIONIS Chriſtianæ, excerptus ex Diſſertationibus Latinis JO. ALPHONSI TURRETINI, Prof. Theol. & Hiſt. Eccleſ. Genevenſ.

Partes VI.

Genevæ, apud Goſſium & ſocios, 1740 & 1745, 8 maj.

P. I-III Alph. 1, P. IV Alph. 1 plag. 2, P. V & VI Alph. 1.

Librum hic enarrandum ſuſcipimus, qui dignus eſt, ut ab omnibus cujuscunque generis & conditionis hominibus lega-

legatur, quorum alii cognitionem ſuam, lecto hoc libro, certiorem reddi gaudebunt, alii ſuæ impietatis, & frivolæ de ſacris rebus judicandi rationis, ita arguentur, ut ſimul, ad frugem redeundi, conſilium capere poſſint. Autoris quidem nomen in prima libri fronte non apparet; at in Præfatione, *Parti tertiæ* præmiſſæ, *Jo. Vernetius*, Eloquentiæ & Hiſtoriæ Profeſſor Publicus Genevenſis, ita ſe Autorem hujus Commentationis profitetur, ut *Turretino* in eo ſcribendo primæ, ipſi ſecundæ, partes conveniant. In Gallicum ſermonem convertit, quod ille Romano ore protulerat, ipſam tractationis formam commutavit, & inſigniter *Turretini* laborem amplificavit, ut ſic non immerito novum opus nominari poſſit. Variis lucubrationes ſuas *Partibus* diſtinxit, quarum *priores duæ* de *neceſſitate & characteribus revelationis* agunt.
Pag. 3. In *primo primæ Partis Capite*, quod introductionis locum tuetur, rationem omnem libri ſui conſcribendi init, &, quæſtionem ſibi cum *Deiſtis* quam maxime inſtituendam eſſe, docet, qui quidem aliquam religionis ſpeciem præ ſe ferre videntur, at ejus tantum, quæ in ſola ratione eſt fundata, & omnem librorum ſanctorum autoritatem, omnemque revelationem, plane negligit, cauſam interferendo, quod Chriſtiani ille nomen mereatur, qui tantum ex ratione teneat, quantum ipſa de Deo, ejusque cultu, de legibus morum, & futura quadam vita, præcipiat. Quam periculoſa vero hæc ſit præceptio, dum vel atheiſmi crimen foveat, vel facile eo homines perducat, Autor noſter exponit, &, quam neceſſaria ſit revelatio divinitus facta, ad confirmandam rationis legem, eamque amplificandam & perficiendam, ita oſtendit, ut conſtans revelationis autoritas permaneat. In univerſum etiam hic notat turpiſſimos errores, quos errarunt populi, qui lumine revelato fuerunt deſtituti, id quod
10. *Capite ſecundo* conficitur, ubi multa primo de ſimulacris Deorum, divino honore habitis a profanis gentibus, diſſerit, deinde crudeliſſimum, nefandum, & ſceleratum, recenſet cultum, quem plurima pars hominum profanorum Diis hiſce in ludis & feſtis quibusdam diebus habuit, ex quo factum eſt, ut doctrina morum corrumperetur, & futilis plane redderetur. Nec

objici

Digitized by Google

obiici poteſt, quod *Muhametis* aſſeclæ, veritatem Chriſtianam Pag. 30.
non profitentes, tale quidpiam non admittant in cultu ſuo religioſo, lumen quaſi naturæ ſolum ſequentes, cum certiſſime conſtet, illum non Philoſophum, ſed Prophetam, ſe geſſiſſe, revelationesque divinas jactitaſſe, quas quidem maximam partem ex Judæorum & Chriſtianorum tabulis ſurripuit, quo autoritatem & fidem, non humanam, quam minus ſufficientem putabat, ſed divinam, conciliaret doctrinis ſuis. Multo minus in cauſa eſſe poteſt diſſoluta quorundam Chriſtianorum vita, ut patefactionem divinam inutilem habeamus, cum nulla hic inter paganos & Chriſtianos inſtitui poſſit comparatio, utpote quorum
præceptiones & doctrinæ ſunt veritati convenientes, licet vita 34.
ſingulorum non conſentiat, quod vel indicio eſt, quam neceſſaria ſit revelatio, cum ne ipſi quidem Chriſtiani a ſuperſtitione & pravis moribus alienum habeant animum, licet rationem a paganis erroribus purgarint. Nec Philoſophos profa- 36.
nos in hoc judicio eſſe abſolvendos, *tertium Caput* docet. Hi enim, licet plebis opiniones præconceptas exuerint, ſuas tamen, ut cujusque ſectæ ratio ferebat, nugas ſententiarum, vix ſatis ridendas, defendebant. Pergit hoc Noſter oſtendere ex præceptionibus *Pyrrhonicorum*, *Academicorum*, *Epicureorum*, *Peripateticorum*, aliorumque, quæ, facile cognoſcitur, quam vanæ falſæque fuerint. Si qui vero ex illis ſapientiores reli- 47.
quis fuerint, eo tantum vires ingenii ſui conferebant, ut ſubtilius, quam par erat, de rebus excelſis diſputarent, de emen- 49.
dando cultu divino nihil cogitantes; tantum aberat, ut plebem, anili ſuperſtitione infectam, emendare, & ad rectiorem Deos colendi viam reducere, ſtuderent. Accedit huc ipſa quampluriniorum ex Philoſophis & Legislatoribus confeſſio,
qui, rationis defectum ſentientes, aliunde auxilia, illum ſup- 59.
plendi, neceſſaria expetenda eſſe putabant, id quod ex teſtimoniis *Democriti*, *Socratis*, *Tullii*, *Platonis*, *Lycurgi*, *Numæ*,
& reliquorum, qui in *Capite quarto* nominantur, ſatis abun- 65.
deque confirmatur, ut vel exinde neceſſitas revelationis cœleſtis appareat. Obverti tamen hic poſſe, Autor probe perſpicie-

Digitized by Google

ſpiciebat, quod hæc omnia in antiquos modo Philoſophos
Pag. 65. convenirent, a quibus hodierni doctores multis fortaſſe
paraſangis abeſſe, exiſtimari poſſent. Id ut refellat, in
Capite quinto hac ſuper re quæſtionem inſtituit, &, optima
quæque ex Chriſtianorum præceptis deſumta eſſe, do-
cet. Deinde etiam in *ſequenti Capite* vanitatem hujus aſſerti
76. indicat, quo perhibetur, recentiores Philoſophos Theologiam
naturalem perfectiorem reddidiſſe, ita ut altiori divinaque luce
amplius non opus ſit hominibus. Vitia hinc illius ſenten-
84. tiæ retegit, & diverſa ſubjungit argumenta, quæ confirmant, nu-
dam Philoſophorum doctrinam quam minime ſufficere, ut via
85. felicitatis & ſalutis inde demonſtretur, cum, vel aliis omiſ-
ſis, multa eo pertineant, quæ omnes rationis fines exce-
dunt, & ea, quæ illi proferunt, autoritate divina deſtituta, non
niſi conſilia putari poſſint, quæ homines ſapientiores quidem,
91. ſed fallere non neſcii, ſuppeditarunt. Sub finem inde conclu-
dit Noſter, ad religionem ſtabiliendam autoritate divina opus
eſſe, id quod etiam *Numa* & *Minos* intellexerant, & Deiſtarum
doctrinam eſſe mancam atque mutilam, imo ita depravatam,
ut ad omnem evertendam religionem vires ſuas conferre re-
97. cte cenſeatur. Pergimus ad *ſecundam* hujus Operis *Par-
tem*, quæ de characteribus revelationis præcipit. Hic in
primo ſtatim *Capite* Autor eam examinat quæſtionem, num
revelatio univerſalis eſſe debeat, ratione temporis habita.
Quidam enim adverſariorum urgent inprimis univerſali-
tatem revelationis, & certiſſimam ejus evidentiam. Prius
Cl. Autor ita expedit, ut reſpondeat, revelationem ori-
ginem mundi æquare, cum Deus primis hominibus, eorum-
que poſteris, ſubinde ſe revelaverit, &, licet ſequioribus tem-
103. poribus pedetentim tenebræ obductæ ſint naturali cognitioni,
ſummum tamen Numen ſemper quoſdam ſibi conſervaſſe ado-
ratores, uſque dum recentioribus Seculis veritas divinitus pa-
105. tefacta per omnes terrarum fines propagata fuerit. Addit hic
nonnullas conjecturas, ex Hebræorum ingenio, & gentilium
conditione, petitas, ut doceat, qua de cauſa non citius hæc
111. revelatio facta ſit. Nec negandum eſt, plurima, quæ hic
profe-

Digitized by Google

proferuntur, veriſimilitudine quadam gaudere. Inde progreſſus ad *ſecundum Caput*, hic diſquirit, num univerſalis debuerit eſſe revelatio, ratione perſonarum habita. Ante omnia hic monetur, ex hiſtoriis ſacris, vel Græcis, Ægyptiis, Babyloniis, aliisque populis, non incognitis, & in fabulas redactis, abunde conſtare, revelationem non tam arctis contineri finibus, quam vulgo exiſtimatur. Deinde docet Autor, ſano ſenſu revelationem illam univerſalem dici, quæ per ſe ita eſt comparata, ut in omnibus locis cognoſci, omnesque homines ſanctificare, queat. Id quod ex Chriſtiana patet Pag. 116.
religione, quæ Judæos æque ac Chriſtianos ad ſacra admittit ſua, nec quidquam continet, quod non poſſit accipi & exerceri ab omnibus populis. Hinc vero patet, talem non urgeri debere revelationem, quæ actu ſit recepta & cognita ab omnibus populis orbis terrarum, quoniam res non ſolum externæ, ſed internæ etiam, multos ab illa avocarunt. Denique 119.
fatetur Autor, hanc quæſtionem, num revelatio divina plus, vel minus, inter gentes nota fuerit, plane eſſe acceſſoriam, nec ad fundamentum fidei pertinere. *Caput tertium* quæſtionem de 124.
evidentia revelationis, quam volunt adverſarii habere vim inexpugnabilem omnium animos convertendi, erudite expedit. Præſtruitur hic, convictionem aliam ex ſenſibus, aliam ex ratiociniis, aliam ex teſtimoniis & autoritatibus, provenire, ex quibus concluditur, convenientiſſimum Deo viſum fuiſſe, in doctrinis ſacris talem nobis convictionem 132.
exhibere, quæ fidem ſimul exigat, quo habeat, in quo nos exerceat & tentet. His peractis, in *Capite quarto* veræ reve- 136.
lationis ſigna expenduntur; quorum primum eſt, quod doctrina divinitus accepta non repugnet rationi; alterum, quod ſibi ipſa conſtare, nec ſecum pugnare, debeat; tertium, quod naturalem cognitionem perfectiorem reddat, in rebus potiſſimum illis, quæ ad cultum divinum pertinent; quartum, ut ſuppeditet auxilia gratiæ, quibus homini peccatori opus eſt; denique, ut autoritatem divinam, ex vaticiniis & miracu- 153.
lis depromtam, ſibi conciliet. Perſpecta itaque neceſſitate revelationis cœleſtis, diſquirendum venit, multa quidem cir-

cumſpectione adhibita, ubi ea ſit invenienda. Longum fo-
ret, omnes omnium gentium hic evolvere libros religioſos;
Pag. 157. ſufficit, unicam & veram religionem inveſtigare, quo facto,
reliquas per ſe ruere, neceſſe eſt. Agit hinc Autor in *tertia Parte*
161. de veritate revelationis Judaicæ, & inprimis doctrinam de Deo
ita exponit, ut omnium aſſenſu dignus ſit, licet difficultates quæ-
dam hinc inde enaſcantur, quas ratio ſcribendi & intelligen-
di nectit, ubi tamen etiam notandum eſt, quod in iis parti-
168. bus, quæ attributa relativa, ut dicunt, Dei nobis patefa-
ciunt, quam clariſſima ſit doctrina revelata, cum plurimum
uniuscujusque noſtrûm interſit, ea plane habere cognita at-
171. que perſpecta. Reliqua doctrinæ Judaicæ capita *ſequens* per-
ſequitur *Caput*, &, quod vera revelationis ſigna habuerint Judæi,
177. docet. Per partes deinde eundo, *Capite tertio* legem Moſai-
cam, & primo quidem loco, ſecundum diviſionem, vulgo
receptam, moralem examini ſubjecit, &, quam ſancta, inte-
gra, & perfecta, illa ſit, ſive rationem habeas officiorum, Deo
& aliis exhibendorum hominibus, ſive ad ſe ipſum quis il-
lam referat, amplius docetur, ubi etiam dubitatio, ex du-
187. riſſima Cananæorum exactione enata, docte reſolvitur. Præ-
ter hanc legem, alia etiam Judæis promulgabatur lex ſacra, de
cultu divino publico externo mores & cerimonias exponens.
Admodum ſcite de ea in *Capite quarto* diſſeritur, &, quæ cau-
ſa originis ejusdem, quæve ratio & uſus illius, quondam in
197. gente Judaica fuerit, clare demonſtratur. Præter re-
liqua comparatio, inter templum Judaicum & palatium quod-
202. dam regium inſtituta, apprime jucunda lectu eſt. Sub fi-
nem de civilibus legibus eorum, ſapientiſſime a Deo latis,
206. diſputatur. *Caput quintum* partem hiſtoriæ antiquioris, &
primam quidem librorum *Moſis*, exhibet, omni veneratione di-
gnam propter antiquitatem æque, ac propter gravitatem re-
rum, ibi enarratarum. Nihil hic deſiderari jure poſſe,
demonſtratur, dummodo attendas, quod *Moſis* inſtitutum
non permittat, integram hiſtoriam totius generis humani per-
208. ſcribere, ſed breviter modo ipſe enarrare voluerit, quæ
ab origine inde mundi conditi geſta fuerunt, & ad majores po-
puli

Digitized by Google

puli Judaici inprimis pertinent. Reliqua ad confirmandam antiquitatem hujus libelli, & rationem illum explicandi, referuntur, inter quæ enarratio de lucta *Jacobi* cum Deo occurrit, de Pag. 218.
qua ita ſtatuit Autor, quod literaliter nihil amplius illa ſibi velit, quam quod homo quidam contra Dominum pugnarit, & eum vicerit. Quæ omnia, vel typice, vel allegorice, expoſita, hunc uſum nobis practicum exhibent, quód ſancti perſeverare debeant in precibus, nec deſiſtant, uſque dum Deum 227.
vincant. Sequens *Caput ſextum* hiſtoriam & miracula, quæ in ſecundo libro *Moſaico* leguntur, ut & reliquam Pentateuchi partem, enarrat. Quatuor hic falſæ hypotheſes recenſen- 229.
tur, ut de antiquitate *Moſaica* certius aliquid conſtet. Vel enim dicendum eſt, *Moſen* nunquam fuiſſe in rerum natura, & fictum ejus nomen eſſe; vel impoſtorem fuiſſe, qui, præſtigiis uſus, populum Judaicum fefellerit; vel ficta ipſius miracula populo non invito perpetrata eſſe, quo ſcilicet ille in communionem gloriæ & honoris apud poſteros veniret; vel cogitandum denique eſt, hanc hiſtoriam multis temporibus poſt, quam hæc omnia evenerunt, conſcripta fuiſſe, ubi figmenta plurima conſarcinare licuit. Cum vero iſta omnia nullum plane locum in recenſenda hiſtoria *Moſaica* habeant, id quod Autor per hoc & *ſequens Caput* 246.
ſolide demonſtrat, & præterea nullus exceptioni locus detur; recte inde colligitur, veriſſimam eſſe hiſtoriam *Moſaicam*. Nec reliquos libros Veteris Teſtamenti aliquid contine- 261.
re, quod nos moretur, *Caput octavum* evincit, ſcite monente Autore, in eo libros hiſtoricos diſtingui a profanis, quod in enarratione rerum geſtarum ſemper Dei rationem habeant, ſive de populo, ſive de Rege, aliquid literarum 266.
monumentis conſignent. Præter ea tamen obſervandum hic eſt, quod noſtra tempora & antiquiſſima Judæorum juxta æſtimari nequeant, quodque in ſingulis locis, ubi diverſitas quædam apparet, non niſi apparens ſit repugnantia, vel vitium ſcribarum. Tale quidpiam vel ex *2 Paral. XXI* & *XXII*, & 270.
2 Reg. VIII, 26, de ætate *Achaſi* colligi poſſe, ſcribit Autor. Eandem dignitatis gloriam tuentur Prophetæ V. T. qui, divino

 flami-

flamine acti, nil, niſi verum, dicere auſi ſunt, uti *Capite nono* declaratur. Confirmat hoc tum ſinceritas & vitæ ſanctimonia, ſummaque abſtinentia, tum etiam rerum gravitas, quas prædixerunt, in quibus ſcilicet omnia ſunt collocata,
Pag. 275. quæ divinitatem eorum inexpugnabilem reddunt. Ne vero quis confundat hæc vaticinia cum profanis oraculis, characteres veri vaticinii Noſter proponit, quorum tres recenſet: primo, quod fuerit ante eventum; deinde, quod evenerit in puncto temporis, & ea ſub ratione, qua prædicta erat; denique, quod hujusmodi rebus occupatum fuerit, quas nemo mortalium prævidere & augurari ullo modo potuerit. Hujus rei exempla
284. quædam ex *Levitico* & *Jeſaia* repetuntur & explanantur, quibus ſub calcem autoritas *Danielis* vindicata adjicitur. *Ca-*
287. *put decimum* concluſiones, ex ſingulis rebus circumſtantibus petitas, profert, & capita ſumma rerum connectendo dilucide ex prioribus confirmat, quod Judaica hæc revelatio ſit vera.

Deſcendit nunc Autor ex hac Judaica antiquitate ad recentiora Chriſtianorum tempora, hac ratione rebus noſtris ſanctioribus ſubveniri & conſuli optime, arbitratus, ſi, præpoſitis illis, doctrina Chriſtianorum, ſeu Novi Fœderis, ab omnibus dubitationibus liberetur, & veritas illius firmo conſtituatur talo. In *Parte* itaque *quarta*, ejusque fronte, aſſerit, duplici modo religionem quandam poſſe confirmari, dum vel internam, vel externam, faciem illius conſiderare velis. Prius per *Partem* hanc omnem conficere molitur, quæ ideo de excellentia & dignitate religionis Chriſtianæ, in ſe ipſa conſideratæ, inſcribitur. Tunc demum autem interna Chri-
4. ſtianæ doctrinæ forma recte oſtenditur, ſi excellentiam ejus tum quoad dogmata, & præceptiones, tum etiam quoad res promiſſas, contemplamur, quod ſtrictim in *Capite primo* recenſetur. His inſiſtens veſtigiis Autor, præſentem *Partem* in *tria membra* ſecat, quorum prius dogmata Evangelii, ſecun-
6. dum præcepta, tertium denique promiſſiones ſanctioris doctrinæ, complectitur. *Capite ſecundo* primas lineas
9. omnium doctrinarum Chriſtianarum, quas credere fas eſt, ducit, & inde excellentiam earum in univerſum confirmat, dum

dum nil niſi ſublimia tractent, cum recta ratione ubique conveniant, nec ipſi repugnent; illa fideliter ſuppleant, quæ Pag. 10.
ratio conſequi non valet; optima quæque a gentilibus dicta longo intervallo poſt ſe relinquant, & denique perfectionem & claritatem ſuppeditent, quæ in Judaica adhuc deſiderabatur doctrina. Quo vero amplius quid de ſingulis his momentis conſtet, Autor in *Capite tertio* illa diligenter ruminat, & dilu- 11.
cide exponit. *Caput quartum* inſtituit conſiderationem excellentiæ doctrinæ Chriſtianæ ſpecialiorem, & primo quidem ratione veræ Dei cognitionis. Hic præclare oſtenditur, quam 18.
ſublimior graviorque idea ſit, de Deo concepta a Chriſtianis, quam illa, quam gentes profanæ ſibi de eo formarunt. Quin imo cives veteris ſocietatis ſacræ rudiores quasdam, ad- 25.
huc relictas, in cultu divino externo, tot tantisque cerimoniis peracto, quaſi fovebant de Deo cogitationes, quas Chriſti doctrina omnes exulare jubet, in ſpiritu & veritate Deum adorari jubens. Sub prioribus temporibus tanquam ultor, 27.
Dominus tremendus, Deus fortis & exercituum, erat metuendus; ſub his Evangelii diebus vero ut Pater, & Deus plenus tenerrimi amoris & intimæ commiſerationis, vult amari. *Caput quintum* ea docet, quæ ex diſciplina Chriſtiana ad na- 29.
turam hominis, ejusque finem ultimum, pertinent. Hic prærogativæ non ſolum naturæ humanæ evolvuntur, ſed etiam 34.
infirmitates ejus abunde reteguntur, &, quantis auxiliis gratiæ indigeat iſta, indicatur. Hinc progreditur ad ea Autor, quæ ſolius revelationis ſunt,& myſteria dicuntur, quorum nulla, 38.
ut *Capite ſexto* docetur, rationi repugnant, dum vel *factis* conſtant, quorum veritas multis teſtimoniis probatur, vel *doctrinis*, quæ rationis quidem limites transſcendunt, neutiquam 40.
vero in contrarium eunt. Jam, cum omne genus humanum eſſet in deploranda conditione, perſona opus erat, quæ in priſtinum illud reduceret ſtatum, quod per Chriſtum fiebat, cujus adventus & divina hic demonſtratur natura, quæ, cum humana arctiſſime conjuncta, licet myſterii ſit pleniſſima, 44.
nemo tamen tam ex Judæis, quam gentilibus, in eo aliquid reperiebat myſterio, quare non fides illi ſit habenda,

dum

dum prioribus id longe antea prædictum erat, poſteriores vero, ſubtiliori aſſueti arti ratiocinandi, nihil incredibile hic invenire poterant, ſi ita volebant. His ſubjungitur in *Capite ſeptimo*
Pag. 47. *mo* myſterium trinitatis, cujus ratio ex ſacris tabulis confirmatur, & deinde a calumniis adverſariorum defenditur. Exinde ad ea, unde digreſſus erat, redit Autor, de humili Chriſti ſtatu, ejusque calamitatibus, ita *Capite octavo* ſentiens, quod opinio ſit præconcepta pueri-
62. lis, de doctrina viri cujusdam judicare ex iſtius externo habitu. Multo minus miſera vitæ conditio virtuti humanæ
64. aliquid detrahit, quin eam potius illuſtrat. Melius autem judicatur de viro, ſi fines nobiscum perpendamus, quos ſibi conſequendos propoſuit. Hæc ſi applicentur ad miſſionem Servatoris, ejusque vitam, facile apparebit, illam cum vitæ ejus condi-
67. tione convenire, præſertim cum Chriſtiana religio non ſit confundenda cum civili quadam externa ſocietate, ejus-
70. que gubernatione. *Nonum Caput* mortem Chriſti ut ſacrificium contemplatur peractum, ubi omnia præclare omnino dicta exiſtimari debent, ſi ipſius mortis primo cauſam, deinde
76. rationem, & denique effectus conſideres ſalutares. In *decimo Capite* de gloria, ad quam evectus eſt Chriſtus poſt per-
89. actam miſeræ vitæ conditionem & mortem, diſſeritur. Denique ex omnibus iis, quæ hactenus dixit, concludit Autor, hanc gratiæ œconomiam nihil in ſe continere, quod homini non ſit ſalutare, & quod non exacte reſpondeat ei, cujus ratio habe-
96. ri debet in revelatione cœleſti. Poſtrema hujus *membri Capita* de ultimis fidei Chriſtianæ partibus agunt, de immortalitate ſcilicet animæ, de corporis reſuſcitatione, & denique de
100. fine hujus mundi & judicio noviſſimo, in quibus omnibus nec ſolida doctrina, nec acuta objectionum confutatio, deſidera-
125. tur. Succedit nunc *membrum* hujus *Partis ſecundum*, quod ad Chriſtianam ſpectat doctrinam moralem. *Caput primum* ſummas attingit præceptiones, oſtendens deinde excellen-
128. tiam earum præ civilibus legibus. Ut vero hæc omnia clarius pateſcant, ad quatuor inprimis momenta Autor reſpici
132. jubet, quorum primum eſt juſtitia & æquitas naturalis, quæ

per

Digitized by Google

per omnia cum recta ratione in Chriſtianorum regulis vitæ convenit. Secundum, quod conſiderari meretur, eſt ratio utilitatis, quæ ex iis ad omnem ſocietatem, tum ad ſingulos etiam cives, redit. Tertio tanta ſunt efficacia & autoritate, ut nihil ſupra addi queat, ſive claritatem certitudinemque, ſive rationes commoventes & auxilia, quibus præcepta illa exerceri, & facile ſervari, poſſunt, contemplemur. Quarto denique tanta ſunt perfectione, ut aliæ leges, ſeu doctrinæ, tale quid plane non complectantur, quod in hac morali invenitur præceptione.
Hæc ſi recte demonſtrentur, minime Autor noſter dubitat, quin Pag. 133.
ſatis ſuperque legibus Chriſtianis character perfectionis attribui queat. Laborem hinc in ſe illum ſuſcepit, & in *Capite ſecundo* de juſtitia & ſanctitate præceptorum Evangelicorum
præcepit, ita, ut ex re ipſa primo hanc evinceret, deinde 140.
teſtimoniis externis, *Ammiani* ſcilicet *Marcellini*, *Juliani Apoſtatæ*,
Plinii, & *Trajani*, eandem conformaret. Hac occaſione 142.
in *Capite tertio* oſtenditur, doctrinam morum Chriſtianam nec ſeveram nimis, nec nimis remiſſam, eſſe, ſed æquitati per
omnia conſulere, ut nec moroſos homines & difficiles reddat, 153.
nec leves, atque voluptatibus deditos. Succedit nunc *Capite quarto* demonſtratio utilitatis doctrinæ morum Chriſtianæ, & quidem quatenus hæc ad commoda ſpectat rei publicæ, in qua magiſtratus admittit civiles, &, ut cives ipſis
obedientiam præſtent, ſerio mandat, hinc pacificos ex omni 159.
parte homines eſſe cupit, & prohibet, quo minus lites vel religioſæ, vel civiles, ferantur, quibus quietus rerum publica-
rum ſtatus haud parum turbatur; quin & ea removenda ſua- 162.
det, quibus officia tolluntur civilia, licet ſpeciem religionis præ
ſe ferant. Quatenus vero lex eadem Evangelica ſingulis per- 125.
ſonis utilitatis nomine ſe commendet, id in *Capite quinto* recen- 177.
ſetur, & per omnes virtutum partes, quæ in hunc cenſum referri
poſſunt, declaratur. *Caput ſextum* modum, quo Evangelica uti- 188.
tur doctrina in promulgandis legibus, deſcribit, ut & incitamenta, & cauſas, ad vitam ſecundum illas leges dirigendam moventes,
quod argumentum per *ſequens* quoque *Caput* continuatur, ita 199.
tamen, ut de remediis gratiæ inprimis ibi agatur, quibus exer-

 citia

Digitized by Google

citia pietatis juvantur. *Capitis octavi* ratio tendit eo, ut oſtendat
Pag. 210. Noſter, quantum emineat doctrina morum Chriſtiana præ
215. omnibus aliis vitæ morumque regulis. Iſtæ maxima ex parte approbabant cultum alienorum Deorum, & alios deterrimos abuſus, qui tunc temporis regnabant. Minus ſufficienter tradebant doctrinam de officiis hominis, &, licet Philoſopho-
219. rum dicta meliora viderentur, ſuis tamen hi deſtituti erant fun-
224. damentis certis bonisque, quin imo doctrinam quam rariſſime exemplis ſuis efficaciorem reddere ſtudebant. In *Capite nono*
231. comparatur doctrina juris naturæ cum doctrina morum Evangelii, quæ nunc etiam æque neceſſaria & præclara, ac olim, æſtimari debet, licet illa noſtris temporibus magis magisque exculta fuerit. In fine hujus *Capitis* de Judaica & Muhamedana morum doctrina, inter ſe collata, quædam adduntur, & excel-
239. lentia Chriſtianæ inde illuſtratur. *Tertium membrum*, de promiſſionibus agens Evangelicis, in *primo Capite* in univerſum de rebus in doctrina ſanctiore promiſſis præcipit, & ſimul ſpe-
252. ciatim commoda recenſet, quæ ex pietate Chriſtiana in hac vita ad cultores ejus redundant, quo *ſecundum* etiam *Caput* eſt
263. referendum. In *tertio* deinde *Capite* præmia & remunerationes enarrantur, quæ ad futuram ſpectant vitam, &, quos in
270. nobis iſtæ promiſſiones effectus producere debeant, per *ſequens Caput* declaratur. Sub finem totius hujus *Partis* exhiben-
305. tur *Turretini* Theſes de religione, ex Latino ſermone in Gallicum converſæ.

Succedit nunc *Pars quinta* & *ſexta*, junctim editæ, & typis literarum continuis exaratæ, ubi in fronte tum Autores recenſentur, qui in libellis ſuis eadem opera, quam aggreditur Noſter, fuerant defuncti, tum etiam cauſæ graviſſimæ enarrantur, quibus inductus fuit ad continuandum hoc negotium. Sequamur nunc hunc ducem viæ, & iter ſuccincte emenſuri, primo Lectorem moneamus, quod *Pars quinta* clavem quaſi ſequentis teneat, & in hac omnia iſta præſtruantur, quæ ad confirmandam religionem Chriſtianam in medium proferri poſſunt, ſi rationem habeamus externorum teſtimoniorum. Revocandum nobis ſcilicet in memoriam hic eſt, quod in ſuperioribus jam declaravimus, Autoris conſilium

eo

Digitized by Google

eo ſpectare, ut primo ex internis rerum argumentis, deinde ex externa eorum facie, veritatem religionis Chriſtianæ demonſtraret. Hac itaque mente in *Capite primo* quatuor conſtituit genera dicendorum teſtimoniorum, quorum primum ex Pag. 2.
vita, conditione, moribus, & omnibus iis, quæ perſonarum nobis imaginem & characterem vivis quaſi coloribus depingunt, ſi ad Servatorem & Legatos ejus iſta applicentur, deſumitur. Alterum miracula, per Chriſtum & Apoſtolos divinitus edita, urget. Tertium ad vaticinia veterum nos revocat, quorum alia vates prædixerunt, alia Chriſtus ipſe de ſe & aſſeclis ſuis futuris edidit. Quartum occupant locum omnia, quæ de admirandis cœtus ſanctioris incrementis, progreſſu, & conſervatione, dici merentur. Ut vero ſciatur, genuina & probatæ fidei hæc argumenta eſſe, nunc confirmare aggreditur Noſter autoritatem monumentorum, ex quibus teſtimonia ſua repetiit. Quo conſilio *Capite ſecundo* decem ſuppeditantur criteria & ſigna evidentiſſima, ex 4.
quibus judicari poſſit, num monumenta quædam literarum hiſtorica fidem mereantur, nec ne. Non opus erit, ſingula hic enumerare monumenta, cum ex *ſequentibus Capitibus* facile conſtare poſſit, qualia illa fuerint, & quem præſtare uſum poſſint. *Caput* hinc *tertium* veram & indubitatam librorum Novi Fœderis oſtendit originem, &, fidem his nullo modo de- 14.
negari poſſe, hic evincitur, quod horum ſcriptores fuerint maxima ex parte teſtes oculati rerum, a ſe ſcriptarum, vel, ſi in rem præſentem non venerint, æquales tamen & coævi ſint; porro, quod maxima teſtium nubes, parvo intervallo ab illis Scripto- 19.
ribus diſſitorum, eandem fidem confirmet; tum etiam, quod ex Judaicis & profanis Autoribus, ſive cum Chriſtianis diſceptent, ſive ſimpliciter aliquid enarrent, veritas ſacrorum Hiſtoricorum appareat; quibus denique ad evehendam fidem eorum additur, quod lingua fuerint uſi ſatis adhuc nota, & ſcribendi 22.
genere admodum expedito. In *quarto Capite* incipit demonſtrare Autor, quod libri Novi Fœderis neutiquam ſubleſtæ fidei, aut ſuppoſititii, eſſe poſſint, ſed quod veram ſuam origi- 24.
nem illis ipſis Autoribus debeant, quorum nomina in fronte gerunt, id quod primo hic ex iis rebus, quæ continentur in

Digitized by Google

Pag. 26. eorum libris, variis, iisdemque certiſſimis, modis eruitur. Con-
37. tinuatur hæc diſputatio per *Caput quintum*, ita tamen, ut ex-
terna modo indicia hic prodantur, quæ multis mo-
46. dis rem propoſitam examinant atque corroborant. Inter
quæ præſertim Autor non omittit libros dubiæ quondam
autoritatis, *Epiſtolam* ſcilicet *ad Hebræos*, *ſecundam Petri*, item-
que *ſecundam* & *tertiam Joannis*, illam *Jacobi* & *Judæ*, ac vati-
ciniorum *Joannis* librum, ſuæ integritati & autoritati reſti-
tuere. *Sextum Caput* Autoris confirmat ſatis ample, ſatis-
54. que erudite ac ſolide, quod libri Novi Fœderis non ſolum
ſuppoſititii non ſint, ſed quod etiam non corrupti fuerint, aut
commutati in illis, quæ ad eſſentiam & naturam rerum,
64. in iis perſcriptarum, pertinent. Licet etiam diverſæ legen-
di rationes multæ a multis ineantur, iſtæ tamen non niſi men-
da ſunt negligentiæ, quæ in deſcribendis & typis exprimen-
68. dis libris quibuscunque obveniunt; nec tantæ ſunt multitu-
dinis, quantam ſevere & moroſe admodum *Millius* conſar-
cinavit. Confecto itaque hoc negotio, & dilucide ſa-
tis demonſtrato, quod Autores ſacri fidem omnem me-
reantur, ex his nunc colligit Noſter teſtimonia, pro pri-
mis religionis Chriſtianæ conditoribus ibi reddita, ut rei
ſacræ veritas inde ſua conſtet. Dicata eſt huic la-
77. bori *Pars* ſequens *ſexta* integra, cujus *Caput pri-
mum* capita rerum recenſet, quas explicandas ſibi in to-
ta *Parte* ſumſit Autor. Perſonas ſcilicet nobis proba-
80. tas ut reddat, quæ prima noſtræ ſanctioris doctrinæ initia, un-
de nata & generata ſunt omnia, poſuerunt, imaginem earum
deſcribere molitur. Melius hoc ut intelligatur, confirma-
tur primo, quod nuntii fuerint, extra ordinem a Deo miſſi,
quorum officium eſt, ut genuinam prodant miſſionis ſacræ
ſpecialis teſtificationem, ut ea, quæ dicant, rationi proben-
tur, & ipſa vita demonſtrentur, quin etiam, ut excelſum il-
82. lud & altum, quod admirentur auditores, haud dubia, ſed certa,
habeat indicia, divinitus ipſis ſuppeditatum fuiſſe ac inſpiratum.
Omnia hæc vero ſacris competunt religionis noſtræ autori-
86. bus, quod ſequentia declarant teſtimonia; ergo inde recte col-
ligi-

Digitized by Google

ſigitur, veram eorum eſſe doctrinam. Examinatur hoc fine in *Capite ſecundo* vita *Joannis* Baptiſtæ, anteceſſoris conditorum religionis Chriſtianæ, ex qua, ejusdemque doctrina, divina ipſius miſſio judicari debet, ſive ſacra conſulas teſtimonia, ſive profana, inprimis *Joſephi*, Autoris locupletiſſimi, qui *Lib. XVIII Cap. 7 Antiq. Jud.* easdem vitæ & doctrinæ *Joannea* lineas, quas *Matthæus* & reliqui vitæ Chriſti ſcriptores, ducit, licet cauſam mortis ipſius, ſive quod non potuerit, ſive quod noluerit, non ſatis accurate definiat. Explicatius nunc Autor tradit, quæ ad primos religionis noſtræ autores pertinent, & in *Capite tertio* ante omnia confirmat, quod non humani fuerint doctores, quos poſterorum fama evexit atque exaltavit; ſed quod miſſio vere divina illis competat. Præmonetur hic, toto cœlo ab iis differre profanarum gentium decantatos doctores & præſtigiatores, quales *Confucius* & *Apollonius Tyanæus* fuerunt, cum noſtram cauſam voces cœlitus delapſæ, & ipſius Chriſti, & auditorum ejus, teſtimonia, confirment, quibus miracula, vires humanas excedentia, maximum addunt pondus. Taceamus, quod & profani ſcriptores mirifice celebrant ſummum Novi Teſt. conditorem. Quodſi vero objiciat aliquis, primos rerum ſacrarum autores falſo ſibi divinam tribuiſſe originem, imaginationis quadam vi deceptos, vel quod artificiis uſi, callide ſpectatoribus verba dederint; neutrum tamen de iis recte aſſeri poſſe, ex ſecundo Autoris argumento patet. Pertractat hoc Autor *Capite quarto*, *quinto*, & *ſexto*, ubi injuſte Chriſtianæ doctrinæ indagatores infirmioris mentis & fatuitatis accuſari, probat. Eo conſilio varia Noſter primo explicat genera mentis alienatæ & fanaticiſmo, ſeu enthuſiaſmo, infectæ; deinde vitam Chriſti examinat, &, quam longe ille ab omni mentis aberratione, & vana ejus illuſione atque imaginatione, abfuerit, clare docet; id quod denique pari ratione de diſcipulis atque legatis Chriſti evincitur, in quorum moribus ne tantillum quidem invenias, quod hujus contumeliæ fontes reddere poſſit; ubi nec dubitationes, contra hanc ſententiam ſuborituræ, omittuntur, ſed accurate examinantur atque

Pag. 92. 95. 97. 102. 110. 114. 118. 125. 135. 154.

Digitized by Google

Pag. 165. removeatur. Tertia res, hiſtoriam circumſtans, adeoque ad
ſigna externa pertinens, eſt eminens virtus, quam primi rei
Chriſtianæ autores exercuerunt. Primario huc eſt revocan-
da pura & ſancta vita Chriſti, quæ admirandos emiſit radios,
175. & tam mirifice ſe conſpiciendam omnibus præbuit, ut ſum-
mos attigiſſe gradus videatur. Quod uti in *ſeptimo Ca-
pite* eſt pertractatum; ita & diſcipulis & legatis eadem di-
179. ligentia idem virtutis faſtigium in *octavo Capite* tribuitur, li-
cet in his infirmitates quædam & maculæ appareant, quæ qui-
dem gloriam virtutis eorum adeo non obſcurant, ut illuſtrio-
rem magis reddere videantur, quando, ex vanis & rerum
186. humanarum cupidiſſimis hominibus alieniſſimos a terreſtri læ-
titia & gloria effectos eſſe, intelligimus. Ex inſtituto hoc
ipſum perſequitur Noſter, & de ſingulis Apoſtolis & Autori-
195. bus ſacris hoc evincere laborat. In *Capite nono* amplius, quæ
dicta hactenus fuerant, confirmantur, & objectionibus qui-
219. buſdam ibi factum eſſe ſatis videmus, quas in *Capite decimo*
excipiunt quædam, ex his fluentes, conſiderationes, in qui-
bus declaratur, tantam virtutum copiam & eminentiam
viribus humanis ſolis vix poſſe attribui, ſed divinæ po-
229. tius efficaciæ duci. *Caput undecimum* quartum defi-
nit rei confirmandæ argumentum, quód exinde produci-
tur, quia nulla fuerunt commoda externa, ſeu fortunarum
opes, in illuſtri loco poſitæ, penes primos hominis Chriſtiani
autores, quibus ſibi autoritatem conciliare potuerint, ſive pa-
triam, ſive perſonam, ſive reliquam eorum conditionem, ad-
235. ſpicias, quo accedit, quod literarum quæ famam ſummorum
ingeniorum alunt, utplurimum expertes fuerint, ſi *Paulum* mo-
do excipere velis. Et, ſi etiam excipias, quod natura for-
246. te ſtudioſi fuerint religionis novæ introducendæ, & con-
ſtituendæ, minime tamen, rebus ſic comparatis, hoc con-
ſilium peracturi forent legati divinitus miſſi, quia omni
ſplendore, dignitate, & ſpecie externa, deſtituti appare-
bant, quod cum reliquis huc pertinentibus argumen-
253. tis in *duodecimo Capite* expeditum legitur. *Decimum ter-
tium Caput* quintum evolvit momentum, quod ad finem
vitæ,

Digitized by Google

vitæ, & fata conditorum doctrinæ Chriſtianæ reliqua, ſpectat, ubi contemplatione dignum, & ſuo ab inſtituto non alienum, Autor exiſtimat, commemorare, quod ipſi in paupertate, miſeria, calamitate, & vexationum omni genere, vixerint, & deceſſerint, ſecundum ea, quæ Chriſtus ſibi Pag. 262.
& auditoribus ſuis prædixerat. Nihilo tamen minus Chriſti doctrinam deſerere cupiebant, et intima potius flagrabant cupiditate, vitam pro nomine Chriſtiano perdendi, ſuosque ſocios ad ſuſtinendas quascunque calamitates ſtrenue excitandi. Ex his & reliquis quinque argumentis, in uſum ſuum collectis, demonſtrat Autor, quam ſolide Chriſti & lega- 266.
torum ejus miſſio divina cognoſci inde poſſit. Nervus denique argumentorum, quæ in hac *Parte* fuerunt adhibita, in *ſequenti Capite* indicatur, &, quam multa, minus cohæren- 274.
tia, admittenda ſint, ſi contrariam quamcunque tuearis ſententiam, non quidem ample, ſed accurate tamen, doce- 279.
tur. *Ultimum Caput* nos monet, autores nominis Chriſtiani nullo modo cum reliquarum ſectarum conditoribus comparandos eſſe, cum nihil plane in eorum actionibus & moribus occurrat, quod non ex humanis viribus ſit explicandum; e contrario vero res a Chriſto & Apoſtolis geſtæ, eorumque vita, altiora & divina nos plane cogitare cogant, niſi in ænig- 292.
mata omnem hiſtoriam reſolvere velimus. In illis fraudes & impoſturæ aperte regnant, quæ ab his tam longe abſunt, ut ne ſuſpicari quidem hujusmodi quidpiam poſſimus. Hæc eſt facies Operis, nondum confecti quidem, ita tamen comparati, ut ingenium, doctrina, & acumen judicii ſingulare, hinc eluceat. Placuit Cl. Autori *duas* adhuc *Partes* nobis promittere, quibus, ſi Deo ita videatur, totum Opus abſolvet.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIARUM Imperialis Petropolitanæ, ad annos 1732 & 1733. Tomus VI.

Petropoli, typis Academiæ, 1738, 4 maj.
Alph. 2 plag. 4, Tab. æn. 22.

Quan-

Quanta voluptate, quantoque plauſu, ab omnibus, ſive mathematica, ſive phyſica, ſive critica, ſcientia imbutis, huc uſque excepta fuerint, quæ illuſtris Academia Petropolitana ad harum ſcientiarum incrementum edidit, *Volumina*, id ſatis inter omnes conſtare arbitramur. Nullum vero dubium eſt, quin & hic, qui ejusdem illuſtriſſimæ Academiæ opera ante aliquot annos prodiit, *ſextus Tomus Commentariorum*, eundem, quem præcedentes, applauſum & mereatur, & ſibi ſit conciliaturus. De quo certo perſuaſi, non eſt, quod multi ſimus in hoc Opere laudando; quin id potius nobis datum eſſe negotii putamus, ut, quot ad incrementa ſcientiarum augenda præclare excogitatas veritates hoc *Volumen* complectatur, indicemus, easque, quantum id cum argumenti, tum inſtituti noſtri, ratio permittet, Lectoribus noſtris ante oculos ponamus. Quæ hoc *Tomo* continentur, æque ac in præcedentibus, in tres claſſes, *Mathematicam*, *Phyſicam*, & *Hiſtoricam*, *Criticam*que, diviſa ſunt, quibus adjectæ ſunt Obſervationes eclipſium Satellitum Jovis, in Imperiali obſervatorio Petropolitano a Cel. *De l'Isle* & Cel. *Heinſio* per integrum annum 1738 inſtitutæ. In claſſe *Mathematica* 1) habetur *Obſervatio ſolſtitii æſtivi, facta anno 1730 Petropoli a Georgio Wolffg. Krafftio.* Cœli ſerenitas, quæ per aliquot ſeptimanas ſolem ab omni nube liberum oſtenderat, invitabat Cel. *Krafftium* ad hanc Obſervationem, quæ res magni momenti magnæque difficultatis eſſe ſolet. Uſus eſt Quadrante ad obſervandas altitudines Solis, in Anglia fabricato, cujus radius eſt duorum pedum Pariſienſium cum $2\frac{1}{4}$ poll. cujus limbus, orichalco obductus, ſingula minuta prima exhibet, & de cujus fide variis examinibus ſeſe certiorem reddiderat. Altitudines Solis meridianas collegit per methodum ſuam, quam in horum *Commentariorum Tomo IV* propoſuit, cui etiam hac in ſcriptione nonnihil addit, quod ad conſiderationem declinationis pertinet. Ad horologium dirigendum meridiem obſervavit ſingulari ac ingenioſa ratione, quæ digna eſt, ut hic ipſius Autoris verbis exponatur. *Cum aſſuetus*, inquit, *eſſem illi methodo, qua Cl.* De l'Isle *meridiem obſervare ſolet exactiſſime*

Digitized by Google

actiſſime, ope meridianæ alicujus capillaris, quam imago Solis, in conclave obſcuratum per foramen immiſſa, percurrit; facile judicavi, exactiorem viam vix inveniri poſſe. Sed denegabant mihi circumſtantiæ ejusmodi conclave, in quo, feneſtris clauſis, noctem efficere poſſem. Igitur cura mentem ſubiit, an fortaſſe in Muſeo, a ſole illuminato, idem efficere liceat, ſalva rei exactitudine. Quapropter in hunc finem parieti lapideo feneſtræ illius conclavis, in quo obſervare datur, infixi horizontaliter cylindrum orichalcinum cavum, cujus apertura æquat 7 lineas pedis Pariſini, cui aperturæ immiſi cylindrum alium ſolidum, in priori cavitate horizontaliter volubilem, ſemper tamen firmum, qui in extremitate ſua annulum affixum gerit, cui vitrum politum commode inſeri poteſt. Ex pluribus vitris ſelegi tale, quod imaginem Solis exceptam in diſtantiam 5, vel 6, pedum projiceret, diſtinctam, & utroque limbo exactiſſime terminatam; effeci autem, ut cylindrus hic mobilis gyrari poſſet in immobili, ut varias altitudines Solis meridianas ſequi ſemper poſſem, & imago, inde procreata, quovis anni tempore in charta perpendiculariter objecta rotunda exacte appareret. Porro huic Machinæ oppoſui capillum tenuiſſimum, verticaliter extenſum, in diſtantia trium pedum, ſuperius atque inferius firmatum; quibus omnibus non ſine voluptate obtinui, ut imaginis ſolaris appulſum ad umbram hujus capilli in dimidio quoque minuto ſecundo horologii propinqui notare potuerim, etiam in conclavi non obſcurato, ſed a ſole illuminato. Refractionum tabulam uſurpavit eam, quam Cel. *Caſſinius* in *Comment. Acad. Pariſ. A. 1714* publicavit. Hoc igitur apparatu determinatis tribus altitudinibus Solis meridianis, proxime ſe invicem ſecutis, primo ſecundum methodum *Hallejanam*, deinceps & per eam, quam B. *Mayerus* in *Tomo II* horum *Commentariorum* docuit; in tempus verum ſolſtitii inquiſivit, ejusque momentum invenit die 10 Junii ſt. v. h. 9 m. 20 poſt meridiem. Idem Cel. *Krafftius* 2) *de Ungulis cylindrorum varii generis* commentatur. Ungulam appellat ſolidum, ortum ex ſectione cylindri cujuscunque, ad axem ejus oblique facta, & inchoata in alterutra ejusdem cylindri baſi. Cylindri vero nomen omni ſolido tribuit, quod motu figuræ planæ curvilineæ ad ductum alicujus rectæ ſemper parallelo-

Digitized by Google

genitum concipi poteſt; etiamſi hoc in loco non niſi de cylindris rectis diſpiciat. Ungulas conſtituit duplices: quasdam ungulas per axem, alias per ordinatatam, vocans; quoniam planum ſecans aut per axem figuræ, quæ baſis eſt cylindri, aut per aliquam ejus ordinatam, duci poteſt. Et has diverſiſſimas eſſe oſtendit; quanquam ad id animum non attenderint, qui ante eum de ungulis nonnulla tradiderunt, *Gregorius a S. Vincentio*, *Robervallius*, *Walliſius*. Primum autem examinat ſoliditatem & ſuperficiem ungularum, quæ ex cylindris conicarum ſectionum oriuntur; deinde tranſit ad cylindros aliarum curvarum, videlicet Ciſſoidis, Cycloidis, & curvæ cujusdam, quæ a Cel. *Jo. Bernoullio* in *Actis* noſtris *A. 1695 pag 550* per æquationem $x^2 dx + y^2 dx = a^2 dy$ definitur. 3) Cel. *Eulerus ſolutionem ſingularis caſus circa Tavtochroniſmum* exhibet. Cum enim diligentius in tavtochronas pro fluidis inquiſiviſſet; univerſalem detexit methodum, Problemata hujusmodi omnia ſolvendi, quæ ipſum & ad hujus Problematis ſolutionem deduxit: Datæ curvæ in dato puncto adjungere curvam ejus proprietatis, ut omnes deſcenſus gravis, alicubi in curva adjuncta incipientes, uſque ad imum datæ curvæ punctum, fiant temporibus æqualibus. Solutionem hujus Problematis ex computatione aliquot caſuum ſpecialium, qui ſub eodem continentur, ſingulari artificio analytico derivavit. Sequitur 4) *Jacobi Hermanni* Diſſertatio *de Superficiebus, ad æquationes locales revocatis, variisque earum affectionibus.* Quoniam *Hermannus* intellexit, Geometras huc uſque parum cogitaſſe de aliis ſuperficiebus, quam planis, aut his, quæ revolutione figuræ curvilineæ circa lineam quandam generantur; hoc ſibi negotium ſumſit, ut ad defectum Geometriæ hac in parte ſupplendum viam pararet. Æquationes locales ad ſuperficies, tres indeterminatæ, paucis caſibus exceptis, ingrediuntur. Nam concipe ſuperficiem quamcunque, plano horizontali inſiſtentem, & in hoc plano duc rectam utcunque, in qua fixum punctum tibi pro lubitu eligas, deinde ex puncto quodam ſuperficiei demitte rectam plano horizontali normalem, & a puncto, in quo hæc ordinata plano occurrit, age ad rectam illam, in plano hori-

horizontali primo ductam, (quam Autor *directricem* vocat,) perpendicularem; habebis ergo tres rectas variabiles & indeterminatas, quarum prima eſt ordinata perpendicularis in planum, ſecunda perpendicularis in directricem, tertia pars directricis abſciſſa, inter punctum fixum & ſecundam, quæ in plano ducta erat, rectam. Per haſce tres indeterminatas cujusvis puncti in ſuperficie locus determinatur, ipſæque adeo æquationem localem ad ſuperficiem ingrediuntur. Tales autem æquationes locales qua ratione ſint tractandæ, Autor aliquot exemplis commonſtrat. Aſſumtis his æquationibus: I. $az+by+cx-e^2=0$; II. $z^2-ax-by=0$; III. $z^2-xy=0$; IV. $z^2-ax^2-bxy-cy^2-ex-fy=0$; V. $az^2+byz+cy^2-exz+fx^2+gz-bx$; VI. $u^2-y^2-x^2=0$; docet poſitionem ſuperficiei & naturam eruere, maximam applicatam illius determinare, plana tangentia per data in ſuperficie puncta ducere, &, quod huic conſequens eſt, perpendicularem ſuperficiei in dato puncto excitare, &c. Prima harum æquationum oſtenditur eſſe locus ad planum, cujus poſitio determinabitur, ſi binæ trium indeterminatarum, ſucceſſive poſitæ, fuerint nihilo æquales. Conſtructioni hujus æquationis Autor totius Trigonometriæ ſphæricæ tanquam compendium ſubjungit; dum ſine ullo ad ſphæram reſpectu ope pyramidis trigonæ, cujus vertex in centro ſphæræ intelligitur, & cujus latera in baſi ad arcus trianguli ſphærici certo modo referuntur, omnes circa triangula ſphærica quæſtiones inſigni cum facilitate & brevitate trigonometrice ſolvere docet. Secunda æquatio invenitur eſſe ad ſuperficiem cunei parabolico-cylindrici; ſi ſingulæ indeterminatæ ponantur ſucceſſive æquales nihilo. Tertia eſt ad conum. Quarta ad ſuperficiem alicujus Conoidis, cujus baſis exponitur æquatione $cy^2+bxy+ax^2+fy+gx=0$, quæ pro diverſo habitu coefficientum ad ſingulas ſectiones conicas ſpectat. Quinta eſt locus ad ſuperficiem Conoidis, & ſubinde etiam coni, elliptici. Septima denique, in qua u notat quantitatem, ex tertia indeterminata z et conſtantibus utlibet compoſitam, non ſolum ad omnis generis ſolida rotunda ſpectat, quæ revolutione figurarum curvilinearum circa axem, ex cen-

Digitized by Google

tro circuli, in plano horizontali deſcripti, ad idem planum normaliter excitatum oriuntur; ſed etiam ad omnis generis ſolida conoidea baſi obliqua, ſi modo axis ad horizontem inclinatus ſit, & ordinatæ ſuperficiei ad eundem axem ſint parallelæ. Quo autem uſum theoriæ ſuperficierum, ad æquationes locales revocatarum, ad Problematum difficiliorum ſolutiones Autor oſtenderet; adducere ipſi placuit ſolutionem Problematis, quod *Carteſii* ævo Geometrarum exercuit induſtriam: Datis poſitione & magnitudine ſectione quavis conica, parabola nempe, aut ellipſi, aut hyperbola, & puncto extra planum ejus, invenire poſitionem & magnitudinem circuli, qui baſis eſt coni, ex quo data figura ſecari potuerit. *Carteſius* primus hoc Problema ſolvit in *Epiſt. 75 Part. 3*, ita, ut illud in tres caſus diſtingueret. Citatur etiam ab Autore Marchionis *Hoſpitalii* ſolutio ejusdem, quam in *Tractatu de Sectionibus conicis* dedit. Uterque vero longe aliam viam, ac Autor noſter, in ſolutione hujus Problematis iniit, quippe cujus ſolutio haud procul petita, & ita univerſalis, eſt, ut ad omnes ſectiones conicas levi mutatione applicari queat æquatio, quæ circuli diametrum, & ejus ad horizontem inclinationem, determinat. Quoniam æquationes, quas Autor maxima ex parte pro lubitu aſſumſerat, non niſi ſuperficies planas, cylindricas, conicas, & conoideas, exhibuerant; ſpecimen methodi ſuæ etiam circa alias ſuperficies, quæ ad iſta genera nequeunt referri, daturus, brevem theoriam Conocunei illius addit, de quo *Walliſius* ad calcem *Algebræ* ſuæ integrum Tractatum edidit, atque æquationem localem ad ejus ſuperficiem, una cum præcipuis affectionibus hujus ſolidi, indicat. Sub finem hujus Diſſertationis *Hermannus* methodum proponit, inter data duo puncta ſuperficiei cujuscunque curvæ lineam breviſſimam ducendi, quæ huic principio innititur: Si primo data puncta intelligantur valde vicina, eam lineam fore breviſſimam, quæ ſic per illa tranſeat, ut ſimul occurrat rectæ, ex medio puncto lineolæ rectæ, data puncta jungentis, in ſuperficiem curvam perpendiculari. Ex hoc principio derivatur, ope generalis æquationis

Digitized by Google

nis differentialis ſuperficiei, æquatio differentialis ad curvam per data puncta ducendam; quæ hic quidem eſt differentialis ſecundi gradus, quam poſſe tamen ad primum gradum in caſibus particularibus reduci, facile apparet. Sed *Hermannus* hic filum ſuum abrumpit, ipſique ſuccedit 5) Cel. *Eulerus*, qui *Methodum generalem ſummandi progreſſiones* orditur. Olim expoſuimus methodum, innumeras progreſſiones ſummandi, quam Cel. Vir in præcedente *Tomo* horum *Commentariorum* propoſuerat. Synthetica illa erat, utpote quæ, aſſumtis generalibus formulis, ſeries exhibebat, quarum ſummæ illis formulis exprimebantur. Quam autem hic nobiscum communicat methodum, analytica ea eſt, atque ex ipſius ſeriei natura terminum ſummatorium educit. Latiſſime quidem patet, ſed ad omnes tamen progreſſiones in hac Diſſertatione non extenditur. Eas ſaltem reſpicit, (quanquam & harum numerus ſatis ingens eſt,) quæ terminum generalem habent hujus formæ: $\frac{AP}{BQ}x^{n\alpha+\beta}$, ubi n æquale eſt numero indicanti, quotus ordine ſit progreſſionis quilibet terminus; A & B terminos ordinis n quarumcunque progreſſionum algebraicarum, vel etiam producta ex terminis homologis plurium progreſſionum, deſignant; P vero factum eſt ex $\gamma n+\delta$ terminis progreſſionis cujusque algebraicæ, & Q ſimile factum ex $\epsilon n+\zeta$ terminis etiam cujuscunque algebraicæ progreſſionis. In expoſitione autem hujus methodi Autor viam maxime naturalem iniit, & a ſimpliciſſimis initium faciens, ad magis compoſita progreſſus eſt. Poſtquam nimirum methodi ſuæ generalis certitudinem in iis progreſſionibus declaravit, quarum ſummæ dudum in Geometrarum poteſtate fuere; docet ſummam, aut prorſus algebraicam, aut a curvæ cujusdam quadratura pendentem invenire primo pro illis progreſſionibus, quarum ſinguli termini ſunt hujus formæ: $Ax^{n\alpha+\beta}$, ſecundo pro illis, quorum termini ſunt ut $\frac{x^{n\alpha+\beta}}{B}$, tertio pro il-

lis, quarum termini ſunt ut $\frac{A}{B}x^{n\alpha+\beta}$, quarto ad illas progreſſiones progreditur, pro quibus valet $Px^{n\alpha+\beta}$, quinto, pro quibus $\frac{x^{n\alpha+\beta}}{Q}$, ſexto, pro quibus $\frac{P}{Q}x^{n\alpha+\beta}$, ſeptimo, pro quibus eſt $\frac{A}{Q}x^{n\alpha+\beta}$. Nam, quanquam hæc methodus ſummatoria hac ſemper lege procedit, ut progreſſio propoſita certis operationibus aut ad aliam ſimpliciorem, aut iterum ad ſe ipſam, reducatur, tamen ad ſingulos caſus, modo enumeratos, diverſa paulum ratione applicari debet. Ut igitur hujus methodi aliquam ideam, pro inſtituti noſtri ratione, formemus, applicationem ejusdem ad aliquot enumeratorum caſuum breviter exponere lubet. Et primo quidem ad illam progreſſionum claſſem nos convertimus, cujus termini generaliter exponuntur per $Ax^{n\alpha+\beta}$. Sit progreſſio ſummanda $ax^{\alpha}+(a+b)x^{\alpha+\beta}+(a+2b)x^{\alpha+2\beta}+\text{-----}+(a+(n-1)b)x^{\alpha+(n-1)\beta}$, ubi n æqualis eſt numero terminorum progreſſionis ſummandorum. Dicatur ſumma eorum s. Ergo inter s & propoſitam progreſſionem æquatio oritur, quæ multiplicetur per $px^{\pi}dx$; & prodit $psx^{\pi}dx = pax^{\alpha+\pi}dx + p(a+b)x^{\alpha+\beta+\pi}dx + \ldots\ldots + p(a+(n-1)b)x^{\alpha+(n-1)\beta+\pi}dx$. Ut deinceps terminorum coefficientes tollantur, ponatur nunc $p(a+(n-1)b) = \alpha+(n-1)\beta+\pi+1$, &, cum p & π ab n pendere non poſſint, ponendum $pa-1=\alpha+\pi$, & $(n-1)pb = (n-1)\beta$, ex quibus æquationibus valores aſſumtarum p & π determinentur, qui deinde in ſuperiorem æquationem inducantur. Æquatio ſic transformata integretur: & erit

$$\frac{\beta}{b}\int x^{\frac{\alpha\beta-\alpha b-b}{b}} s\,dx = x^{\frac{a\beta}{b}} + x^{\frac{(a+b)\beta}{b}} + \ldots\ldots + x$$

$+ x^{(a+(n-1)b)\frac{\beta}{b}} = (x^{\frac{a\beta}{b}} - x^{\frac{a\beta+nb\beta}{b}} : (1-x^{\beta})$. Hæc æquatio differentiata dabit s. Si coefficientes poteſtatum ipſius x pluribus factoribus conſtant, e. g. ſi progreſſionis propoſitæ terminus ordine n, eſt $(na+b)(nc+e)x^{\alpha+(n-1)\beta}$: operatio, modo explicata, toties eſt inſtituenda, quot adſunt factores; & ultima æquatio integralis totidem continebit ſigna integralia. Si fuerit progreſſionis ſummandæ terminus generalis $\frac{x^{\alpha+(n-1)\beta}}{an+b}$, quæ ergo in ſecunda claſſium, ſupra enumeratarum, continetur: operatio a priori in hoc tantum differt, ut hic differentiatione abſolvi debeat, quod ibi integralibus ſumendis perficiebatur, ideoque æquatio inter s & propoſitam progreſſionem non per $px^{\varpi}dx$, ſed per px^{ϖ}, multiplicetur. Si denominatores terminorum talium progreſſionum fuerint producti ex pluribus factoribus; idem notandum eſt, quod modo in caſu ſimili indicavimus; præterea autem hoc, quod, ſi factores illi fuerint æquales, expreſſionem termini ſummatorii quantitates logarithmicæ ingredientur. Ex prima & ſecunda claſſe oritur tertia, pro termino generali habens $\frac{A}{B}x^{n\alpha+\beta}$. Tales progreſſiones Autor etiam reducit ad progreſſiones geometricas, tollendo numeratorem A ope integrationis, & denominatorem B ope differentiationis, quemadmodum in prima & ſecunda claſſe ſeorſim id peragere docuerat. Omnes autem progreſſiones, hiſce claſſibus annumerandæ, aut algebraice ſummabiles ſunt, aut a logarithmis, ſive realibus, ſive imaginariis, pendent; neque ullam aliam quadraturam hujusmodi progreſſiones exprimere poſſunt. Sequitur nunc aliud progreſſionum genus, quarum termini generales algebraice exprimi nequeunt, ſed ad ſeries pertinent, quas Autor hypergeometricas vocat. Hujusmodi ſeriem hic Autor proponit hanc: $(\alpha+\beta)x + (\alpha+\beta)(2\alpha+\beta)x^{2} + \ldots$

$+ (\alpha+\beta)$

$+(\alpha+\beta)(2\alpha+\beta)----(n\alpha+\beta)x^n$, pro qua valet forma $Px^{n\alpha+\beta}$. Summæ ejusmodi progreſſionum ita ſunt inveſtigandæ: Sit terminus ſummatorius propoſitæ ſeriei s; multiplicetur æquatio inter s & illam ſeriem per $px^\pi dx$, & fiat integratio; ponatur deinde $p=\frac{1}{\alpha}$ & $\pi=\frac{\beta}{\alpha}-1$, & æquatio ſic transformata dividatur per $x^{\frac{\beta}{\alpha}+1}$. His factis progreſſio propoſita reducta erit iterum ad ſe ipſam, ſed ultimo termino truncatam. Prodit enim $\frac{\int x^{\frac{\beta}{\alpha}-1} s\,dx}{\alpha x^{\frac{\beta}{\alpha}+1}}-1=(\alpha+\beta)x$

$+ \ldots . + (\alpha+\beta)----(\alpha(n-1)+\beta)x^{n-1}=s-Ax^n$ (dicto A coefficiente ultimi termini propoſitæ ſeriei). Ex qua æquatione, ad legitimum ordinem redacta, & iterum differentiata, valor ipſius s erutus dabit terminum ſummatorium. Qui methodum hujusmodi ſeries ſummandi cum methodo, quam pro prima claſſe expoſuimus, comparabit, is facile intelliget, quæ ſimilitudo utramque methodum intercedat. Quare id ſaltem indicaſſe ſufficiat, quod methodus ſummatoria pro quinta & ſexta illarum claſſium, quas ſupra conſtituimus, methodo pro ſecunda & tertia pariter ſimilis ſit. Denique, ſi progreſſionis termini ſunt hujus formæ: $\frac{A}{Q}x^{n\alpha+\beta}$,

ut ſi datur ſeries hæc $x+\frac{3x^2}{1.2}+\frac{5x^3}{1.2.3}+\ldots.+\frac{(2n-1)x^n}{1.2.3\ldots n}$, cujus ſumma s quæratur: primo coefficientes algébraici differentiatione & integratione debent tolli, ut ſupra factum eſt; & ſic proveniet $\frac{1}{2}x^{\frac{1}{2}}\int x^{\frac{3}{2}}s\,dx=x+\frac{x^2}{1.2}+\frac{x^3}{1.2.3}+\ldots.+\frac{x^n}{1.2.3\ldots n}$.

Digitized by Google

$\frac{x^n}{1.2.3\ldots n}$. Nunc differentietur hæc æquatio, & licebit erue-re valorem ipſius s. Erit autem, facta differentiatione

$$\frac{\int x^{-\frac{3}{2}} s\,dx}{4x^{\frac{1}{2}}} + \frac{s}{2x} = 1 + \tfrac{1}{2} x^{\frac{1}{2}} \int x^{-\frac{3}{2}} s\,dx - \frac{x^n}{1.2.3\ldots n},$$

ſeu poſito $1.2.3\ldots n = A$, erit $(1-2x)\int x^{\frac{3}{2}} s\,dx = 4x^{\frac{1}{2}} - 2s\,x^{-\frac{1}{2}} - \frac{4}{A}x^{n+\frac{1}{2}}$, quæ æquatio ipſius s valorem ſuppeditabit. Progredimur nunc ad 6) Schediaſma, quod *Goldbachium* Autorem habet, & *de Criteriis quibusdam æquationum, quarum nulla radix rationalis eſt*, inſcribitur. Non omni quidem methodo huc usque caruimus, utrum æquatio data, etiamſi ea quartam dimenſionem excedat, radicem rationalem admittat, dijudicandi; at vero, cum hæc methodus, quæ diviſionem æquationis per diviſores ultimi termini, quem abſolutum vocant, cum quantitate incognita junctos, tentare jubet, ſæpe longe operóſiſſima ſit, de faciliori methodo ſollicitus Autor, deprehendit, innumeris caſibus fieri poſſe, ut, quamvis magni & quantitatibus indeterminatis permixti ſint coefficientes & terminus abſolutus, tamen, æquationem datam radice rationali omnino carere, ex natura, coefficientium & termini abſoluti uno quaſi momento appareat. Nimirum, quotiescunque demonſtrari pottſt, terminum abſolutum α æquationis hujus formæ $x^n = \alpha + \beta x + \gamma x^2 +$ &c. talem eſſe, ut additus ad $\beta x + \gamma x^2 +$ &c. producere nequeat numerum poteſtatis n, toties demonſtratum erit, æquationem illam radicem rationalem non admittere. Quod innumeris modis accidere poteſt. Nam, omnes numeros, præter binarium, ita comparatos eſſe, Autor affirmat, ut, ſi alii numeri certarum poteſtatum per eosdem dividantur, non niſi certi aliqui reſidui maneant; ſin alius reſiduus præter illos ſit, tuto affirmari poſſe, numerum ſic diviſum radicem rationalem ejusdem dignitatis non habere. E. g. omnes numeri quadrati, per 3 diviſi,

viſi, aut nihil, aut unitatem, relinquunt. Erunt enim omnes hujus formæ: $(3m-1)^2$, $(3m-2)^2$, $(3m)^2$. Simili ratione evincitur, omnem numerum tertiæ, quintæ, aut cujusvis imparis, poteſtatis, per 4 diviſum, aut 0, aut 1, aut 3, relinquere. Quibus conſequens eſt, nullum numerum hujus formæ $3p+2$ eſſe quadratum, vel, poſito ſigno ♊ pro æquatione impoſſibili, fore x^2 ♊ $3p+2$; nullum numerum, qui per 4 diviſus relinquat 2, habere radicem rationalem dignitatis $2q+1$, vel x^{2q+1} ♊ $4p+2$. Iisdem veſtigiis inſiſtens Autor, porro notat, ſemper fore x^2 ♊ $4p+\alpha$ (ſi α fuerit $=2$, vel 3,) x^2 ♊ $5p+\alpha$ (ſi $\alpha=2$, vel 3,) x^4 ♊ $5p+\alpha$ (ſi $\alpha=2$, vel 3, vel 4,) x^2 ♊ $7p+\alpha$ (ſi $\alpha=3$, 5, vel 6,) x^3 ♊ $7p+\alpha$ (ſi $\alpha=2, 3, 4, 5$,) x^{2q+2} ♊ $8p+\alpha$, & x^{6q-3} ♊ $9p+\alpha$ (ſi $\alpha=2, 3, 4, 5, 6$, vel 7,) &c. Atque eodem modo pro reliquis diviſoribus eruendi ſunt numeri reſidui, indicantes, numerum diviſum nullam rationalem radicem habere. Nunc, quoniam pro p ſubſtitui poteſt quævis ſeries finita hujus formæ $\beta x+\gamma x^2+$ &c. patet etiam hujus methodi ad numericas æquationes applicatio. Sit v. g. æquatio data $x^{2n}=3ax^m+3bx+3c+2$. Quoniam antea oſtenſum eſt, nullum numerum quadratum, per 3 diviſum, relinquere 2, quod tamen fieret in hac æquatione, ſi poſſibilis eſſet; ſtatim apparet, neque x^n, neque x, (quoniam n & x numeri integri eſſe ponuntur,) numerum rationalem eſſe. Et hæc methodus ad omnes illos caſus pertinet, in quibus æquatio in duas partes ita poteſt diſpeſci, ut altera ſit quantitatis cujusdam exacta poteſtas, altera vero, per aliquem numerum diviſa, tale reſiduum det, quod non conveniat poteſtati prioris partis, ſi æquatio poſſibilis ſit. Sic, æquationem $x^{10}=7x^6+x^5+7cx-6$ nullam habere radicem rationalem, Autor inde oſtendit, quod, addendo utrobique $6x^5+9$, æquatio ita transfotmari poteſt, ut prior pars quantitatem ſecundæ dignitatis contineat, altera vero, per 7 diviſa, 3 relinquat.

Digitized by Google

linquat. Denique addit Autor hoc theorema generale: Si fuerint e & m numeri unitate majores, p autem numerus primus, & X ſeries finita, ex poteſtatibus literæ x & coefficientibus compoſita; ſemper erit $x^e = p^m X + p$ æquatio impoſſibilis. Sequuntur 7) *Euleri Obſervationes de Theoremate quodam Fermatiano, aliisque ad numeros primos ſpectantibus.* Cum Cel. Autor deprehendiſſet, *Fermatium* erraſſe, dum hoc theorema conderet, omnes numeros a binario quadratice in ſe ductos, & unitate auctos, eſſe numeros primos, id quod ſtatim de triceſima ſecunda poteſtate binarii affirmari nequit, quippe quæ per 641 dividi poteſt; & idem, Cel. *Wolfium*, intellexiſſet, in *Elementis Analyſeos* numeros 511 & 2047 falſo pro primis reputaſſe, quorum illum 7, hunc 23 & 89, metiuntur; in affectiones numerorum diligentius inquiſivit, & ſic in theoremata quædam incidit, quæ tanto majoris æſtimanda putat, quod aut demonſtrari prorſus nequeant, aut ex ejusmodi propoſitionibus ſequantur, quæ demonſtrari non poſſint. Tale eſt hoc theorema: Numerus $a^n - b^n$ ſemper poteſt dividi per $n+1$; ſi $n+1$ fuerit numerus primus, atque a & b non metiatur; de quo, licet demonſtrationem dare nequeat Autor, tamen certiſſimum ſe profitetur. Huic adjungit ſequentia: Si fuerit n numerus primus; omnis potentia exponentis $n-1$, vel $n^{m-1}(n-1)$ per n, vel n^m reſpective diviſa aut 0, aut 1, relinquit: Si m, n, p, &c. ſint numeri primi inæquales, ſitque A minimus communis dividuus eorum, at unitate minutorum; omnis potentia exponentis A per mnp &c. diviſa, aut 0, aut 1, relinquit, niſi ipſe numerus, cujus A exponens poteſtatis eſt, per m, n, vel p, dividi poſſit: Denotante $2n+1$ numerum primum, poterit 3^n+1 dividi per $2n+1$, ſi ſit $n=6p+2$, vel $6p+3$, & 3^n-1 dividi per $2n+1$ poterit, ſi $n=6p$, vel $6p-1$: Numerus 3^n+2^n vel 6^n+1 poteſt dividi per $2n+1$, ſi ſit $n=12p+3$, vel $12p+5$, vel

 $12p+6$,

$12p+6$, vel $12p+8$; at 3^n-2^n, vel 6^n-1, poſſunt per $2n+1$ dividi, ſi ſit $n=12p$, vel $12p+2$, vel $12p+9$, vel $12p+11$. Cel. *Dan. Bernoulli* tradit 8) *Theoremata de Oſcillationibus corporum, filo flexili connexorum, & catenæ, verticaliter ſuſpenſæ.* De his cogitandi anſam ipſi dedit aliquando catena, verticaliter ſuſpenſa, & motibus oſcillatoriis agitata. Videnti enim, illam motibus valde irregularibus jactari, primo mentem ſubiit cogitatio, ad quamnam curvam catena eſſet inflectenda, ut, omnibus ejus partibus ſimul moveri incipientibus, hæ quoque in ſitum lineæ verticalis, per punctum ſuſpenſionis tranſeuntis, una pervenirent. Hoc enim modo oſcillationes æquabiles fore, & earum tempora definiri poſſe, intellexit. Mox vero ſentiens, difficilem eſſe determinatu hanc curvam, niſi diſquiſitionis initium fiat a caſibus ſimpliciſſimis, orſus eſt hanc theoriam a corporibus duobus, filo flexili in data diſtantia cohærentibus, poſtea ad tria, quatuor, &c. tandem ad quotcunque corpora, & qualescunque diſtantias progreſſus eſt, & naturam oſcillationum catenæ perfecte flexilis, cum numerum corporum infinitum faceret, vidit. In ſolutione novis uſus eſt principiis, quapropter theoremata experimentis confirmare ipſi viſum eſt, ne de eorum veritate dubium eſſe poſſet. Sed theorematum, quæ hic cum corollariis eorum proponit, demonſtrationes in aliam occaſionem ſervat. 9) Occurrit *Problematis iſoperimetrici, in latiſſimo ſenſu accepti, ſolutio generalis;* qua Diſſertatione Cel. *Eulerus* acumen, quo pollet, univerſalia in ſingularibus perſpiciendi, & difficillimorum Problematum ſolutiones facili methodo adornandi ſcientiam, egregio ſpecimine comprobat. Vidit enim, methodum, qua in Problematibus iſoperimetricis ſolvendis celebres Geometræ, *Jac.* & *Jo. Bernoullii, Taylorus*, & *Hermannus*, uſi ſunt, ut inter omnes curvas ejusdem longitudinis eam, quæ datam maximi minimive proprietatem haberet, invenirent, facile poſſe ad eas etiam quæſtiones extendi, quæ ex omnibus curvis, communi quacunque proprietate præditis, illam, cui alia quædam proprietas in maximo minimove

gradu

Digitized by Google

gradu competat, requirunt. Præterea perpendens ſecum Problemata de curvis celerrimi deſcenſus & minimæ reſiſtentiæ, intellexit non id ſolum, quod hæc Problemata ſub hac quæſtione generali comprehendantur: Inter omnes curvas eam invenire, quæ datam proprietatem in maximo minimove habeat gradu; ſed hoc quoque reſpexit, hanc quæſtionem ſub illa, ut ſpecies ſub genere, contineri. Exemplo ſit Problema de curvis brachyſtochronis, quod e numero illorum eſt Problematum, quæ curvas maximi, vel minimi, proprietate præditas requirunt. Et primo quidem, ſi inter omnes omnino curvas brachyſtochrona requiratur, una tantum, cycloïs, invenietur. At, ſi deinde inter omnes curvas ejusdem longitudinis brachyſtochronam quæras, innumeras invenire licebit. Quare, cum prima quæſtio pertineat ad eam horum Problematum claſſem, quæ ex omnibus curvis eam quærit, quæ datam proprietatem *A* in maximo, vel minimo, gradu contineat; altera autem quæſtio ad eam claſſem, in qua ex omnibus curvis, proprietate *A* æqualiter præditis, ea determinanda eſt, quæ proprietatem *B* maximo minimove gradu habeat; concludit *Eulerus*, primam claſſem horum Problematum in ſecunda, tanquam generaliori & latius patente, contineri. Poſtea deprehendit, dari progreſſum & tanquam ſcalam claſſium horum Problematum, in qua ſequens claſſis continuo amplior eſt præcedente, & quidem eo amplior, ſeu generalior, (quod mirum videri poterat,) quo magis curvarum propoſitarum numerus reſtringitur. Sic duabus claſſibus, modo expoſitis, adjungit tertiam, quæ univerſaliter ſic ſe habeat: Ex omnibus curvis, & proprietate *A*, & proprietate *B*, æqualiter præditis, eam determinare, quæ proprietatem aliam quamcunque *C* maximo, vel minimo, gradu contineat; & quartam claſſem: Ex omnibus curvis, proprietatibus cujusvis *A*, *B*, *C*, ſingulis æqualiter, præditis, eam invenire, quæ proprietatem *D* maximam minimamve habeat. Patet progreſſus; & præterea notandum eſt, ſub *A*, *B*, *C*, quasvis proprietates intelligi, ac poſſe eas inter ſe utcunque permutari. Proprietas vero maximi, vel minimi, quam curva, in his Problematibus quæſita, habere debet, intelligenda eſt, ut nulla intra eosdem terminos detur curva, præter quæſitam, quæ præ-

Digitized by Google

ſcriptas habeat qualitates, & tam magno, vel tam parvo, gradu propoſitam proprietatem contineat. Quare, cum etiam elementis curvæ competere debeat proprietas, cuilibet portioni curvæ competens, Geometræ, qui ſupra memorata Problemata ſolverunt, ſemper in elementis curvæ perquiſitiones ſuas inſtituerunt, & ad Problemata quidem primæ claſſis ſolvenda duo ſaltem elementa curvæ contigua conſiderarunt. Sed, ad Problemata ſecundæ claſſis tria, ad Problemata tertiæ quatuor elementa, & ſic deinceps, conſideranda eſſe, Autor deprehendit. Quo autem facilius intelligeretur, qua methodo in ſingulis claſſibus utendum eſſet, duas etiam priores claſſes, quamvis ſatis jam tractatas, perſecutus eſt; ſed methodo, quæ multo latius patet vulgari, ac ad ſequentes claſſes facilius applicari poteſt. Deinde ad altiorem claſſem adſcendit, & omnem methodum, Problemata illarum claſſium ſolvendi, generali ratione ac mira facilitate exponit. Ad calculum vero, qui in ſuperioribus claſſibus continuo prolixior fit, facilitandum, proprietates, quæ curvis poſſunt competere, in tabulas refert, atque illis proprietatibus eas affectiones adjungit, ex quibus levi opera æquatio ad curvam quæſitam deducitur. In 10) Diſſertatione Cl. *Krafft de Lunulis quadrabilibus, e variarum curvarum combinatione ortis*, commentatur. Quoniam præter Cl. *Wolfium*, qui in *Actis* noſtris *A. 1715* lunulas cyclico-parabolicas contemplatus eſt, omnes fere Geometras de iis tantum lunulis tractaſſe intellexit Cl. Autor, quæ arcubus circulorum terminentur; & infinitæ tamen dantur curvæ, quæ lunulas quadrabiles habent; earum nonnullas hoc ſcripto examinare conſtituit. Refert autem inter lunulas non tantum ea bilinea, quæ utrinque clauſa ſunt, ſed & illa, quæ verſus alteram partem ſunt aperta. Tales igitur lunulas quadrabiles inveſtigaturus, duplici methodo utitur: prima, ut duarum curvarum, ex communi polo deſcriptarum, data una quærat alterius curvæ naturam, quæ cum illa ſpatium lunare quadrabile comprehendat; ſecunda, ut, data curva non quadrabili, determinet aliam, itidem non quadrabilem, ejus tamen naturæ, ut differentia arearum utriusque curvæ quadraturam admittat. Finem huic Schediaſmati imponit analytica

Digitized by Google

lytica ſolutione Problematis, olim a Cl. *Goldbachio* propoſiti, & a Cl. *Daniele Bernoulli* in *Exercitationibus mathematicis*, A. 1724 editis, ſynthetice reſoluti, quod ita ſe habet: In duabus lunulis, ex circulis inæqualibus, ſe invicem interſecantibus, ortis, reſecare utrinque æqualibus rectis partes æquales. 11) *Eulerus ſpecimen* exhibet *conſtructionis æquationum differentialium ſine indeterminatarum ſeparatione*, in quo elegantem minimeque uſitatum oſtendit modum, æquationem $dy + \frac{y^2 dx}{x} = \frac{x\,dx}{xx-1}$ ope rectificationis ellipſeos conſtruendi. Eſt autem hæc æquatio ita comparata, ut nec ex ipſa conſtructione perſpici queat, qua ratione ejus indeterminatæ ſeparari poſſint. Quod præter omnem ſuam opinionem accidere fatetur, quia ſemper ſic exiſtimavit, nullam dari poſſe æquationem differentialem, quæ conſtrui poſſit, & ſeparationem tamen admittat nullam. Idem in 12) Diſſertatione *de Solutione Problematum Diophanteorum per numeros integros* agit, & methodos oſtendit, quibus in iſtis Problematibus, ſi unus ſaltem numerus integer, quæſtioni ſatisfaciens, divinatione fuerit repertus, infiniti integri deinceps ex illo inveniri poſſunt. Pergimus ad Cel. *Hermanni* Schediaſma 13) *de Quadratura curvarum algebraicarum, quarum æquationes locales coordinatas ſibi invicem permixtas involvunt.* In quo oſtenditur, primo, quomodo curvarum trinomiarum, quæ hujusmodi æquationes habent $y^m = ax^n + bx^e y^r$, quadratura ſemper reduci poſſit ad quadraturas curvarum aliarum, quarum areæ per quantitates, unicam tantum indeterminatam involventes, dentur. Methodus generalis, qua hoc efficitur, pluribus exemplis ab Autore illuſtratur, quæ tum a curvis abſolute quadrabilibus, tum a talibus, quarum quadratura a quadratura circuli, vel hyperbolæ, pendet, petuntur. Indicatur etiam hujus methodi uſus in inveniendo centro gravitatis & oſcillationis hujus generis curvarum. Secundo ad curvas quadrinomias hujus formæ $y^m = ax^n + bx^p y^q + cx^r y^s$, *Herman-*

nus

nus progreditur, & in his etiam curvis, præſuppoſita tamen certa inter exponentes terminorum relatione, arearum elementa ad quantitates reducere docet, quæ non niſi unam indeterminatam, cum elemento ipſius & conſtantibus, complectantur. Poſtea exhibetur 15) ejusdem Autoris *Supplementum ad Schedam, in Menſe Auguſto Actorum Eruditorum A. 1719 circa Problema, a Tayloro Mathematicis non Anglis propoſitum, editam.* Occaſionem, ſchedam illam *Actis* noſtris inſerendi, B. *Hermanno* dederat *Taylori* provocatio, ut Mathematici, extra Angliam degentes, in conſtruenda formula $\frac{\zeta^{\frac{\delta}{\lambda}\eta-1}d\zeta}{e+f\zeta^{\eta}+g\zeta^{2\eta}}$ vires ſuas experirentur. Hujus conſtructionem non ſolum Cel. *Jo. Bernoulli Menſe Junio A. 1719 Actorum* elegantiſſima Diſſertatione docuit; ſed etiam *Hermannus*, cum quo Ill. *Montmortius* formulam *Taylorianam* communicaverat, ibidem *Menſe Auguſto* explicavit methodum, ejusmodi fractiones reducendi; quam Cel. *Gabr. Manfredi* deinceps novis incrementis adauxit in *Tomo II Supplem. Diarii Veneti.* At vero, cum A. 1722 in lucem prodiiſſet *Rogeri Coteſii Harmonia Menſurarum*, innotuit demum, Problema illud *Taylorianum* non *Taylorum*, ſed *Coteſium*, habuiſſe Autorem, quippe cujus opus maxima ex parte circa conſtructiones ejusmodi formarum verſatur. Hæ conſtructiones ſuperſtructæ ibi reperiuntur egregio theorematı de Circuli in partes æquales diviſione, cujus tamen demonſtrationem *Coteſius* ipſe ibidem non ſuppeditavit. *Hermannus*, cumprimum in *Actis* hiſce theorema illud expoſitum vidiſſet, de demonſtratione ejus ſollicitus eſſe cœperat, ſed, poſtquam aliquoties fruſtra eam tentaſſet, & poſt aliquod tempus demonſtrationem ejusdem, ab Anonymo ad calcem Operum *Coteſii* propoſitam vidiſſet, de theoremate hoc demonſtrando cogitare plane deſierat. Multo tempore interjecto incidit in Cel. *Moivræi Miſcellanea analytica de ſeriebus & quadraturis*, in quo perpulchro opere demonſtrationem theorematis *Coteſiani*, & methodum fractiones conſtruendas

das ad formas ſimpliciores reducendi, ex Lemmate deductas vidit ſequenti: Si in circulo, cujus radius eſt 1, ſint duo arcus A & X, quorum coſinus ſint l & x; ſitque $x + \sqrt{(xx-1)} = (l + \sqrt{(ll-1)})^{\frac{1}{n}}$: erit arcus A ad arcum X, ut n ad 1. At vero fatetur *Hermannus*, ſibi poſt lectionem utlibet attentam corollariorum, uſum Lemmatis illius illuſtrantium, ſemper aliquem ſcrupulum remanſiſſe, qui impedierit, quo minus credere poſſet, ſe acutiſſimi Autoris mentem recte percepiſſe. Qua re permotus, in animum induxit, hoc Lemma ſua ipſius demonſtratione munire, deinde illud ad theorema *Coteſianum* demonſtrandum, alia tamen via, quam qua Autor ille inceſſit, applicare, & hoc ipſo methodum ſuam, jam A. 1719 in hiſce *Actis* expoſitam, occaſione inventorum Cel. *Moivræi* extendere. Hæc ea ſunt, quæ Lector in hoc Schediaſmate deprehendere poterit. Ultima duo Schediaſmata Claſſis *mathematicæ* toties jam laudati *Euleri* nomen etiam præ ſe ferunt. Et penultimum quidem exhibet nobis eximii hujus Analyſtæ *Conjectationem de formis radicum æquationum cujusque ordinis.* Æquationis quadraticæ, in qua ſecundus terminus deeſt, radix x ſemper habebit hanc formam $\sqrt{A}$, poſita A radice æquationis unius dimenſionis $z^2 = a$. Æquationis cubicæ, ſublato ſecundo ejus termino, radix x ſemper habebit hanc formam $\sqrt[3]{A} + \sqrt[3]{B}$, exiſtentibus A & B radicibus æquationis quadraticæ cujusdam $z^2 = \alpha z - \beta$. Similiter demonſtrat Autor, radicem x æquationis biquadraticæ, cujus terminus ſecundus deficit, ſemper induere poſſe hanc formam, ut ſit $= \sqrt[4]{A} + \sqrt[4]{B} + \sqrt[4]{C}$, denotantibus A, B, C, radices æquationis cujusdam cubicæ $z^3 = \alpha z^2 - \beta z + \gamma$. Exinde conjicit *Eulerus*, in ſuperioribus quoque æquationibus rem ita fore, & v. g. æquationis quinti gradus, termino ſecundo deficiente, radicem x dari poſſe hanc $\sqrt[5]{A} + \sqrt[5]{B} + \sqrt[5]{C} + \sqrt[5]{D}$, ita ut A, B, C, D, ſint alicujus æquationis

 biqua-

Digitized by Google

biquadraticæ $z^4 = \alpha z^3 - \beta z^2 + \gamma z - \delta$ radices, in genere autem pro æquatione $x^n = a x^{n-2} + b x^{n-3} + c x^{n-4} +$ &c. reſolvenda fore aliquam æquationem (quam *reſolventem* vocat) uno gradu depreſſiorem, $z^{n-1} = a z^{n-2} - \beta z^{n-3} + \gamma z^{n-4} -$ &c. cujus cognitis radicibus omnibus A, B, C, D, &c. numero $n-1$, fit $x = \sqrt[n]{A} + \sqrt[n]{B} + \sqrt[n]{C} + \sqrt[n]{D} +$ &c. Hujusmodi quidem æquationes reſolventes pro omnibus quadradicis, cubicis, & biquadraticis, æquationibus, quarum ſecundus terminus deficit, Cel. Autor hoc loco aſſignat; verum pro altioris ordinis æquationibus illas reſolventes æquationes generatim definire nondum poteſt; quod ſi fieri poſſet, cujusvis æquationis radices, progrediendo ad æquationes ordine continuo inferiores, tandem aſſignari poſſent. Ne cui tamen prorſus temeraria videatur hæc conjectura, monendus hic nobis eſt Lector, poſſe Autorem æquationem reſolventem illis caſibus ſemper exhibere, in quibus æquatio reſolvenda, cujusvis ea ſit dimenſionis, ita comparata eſt, ut in æquatione reſolvente omnes termini, præter tres altiſſimos, evaneſcant; cujusmodi æquationes ſunt ex ipſæ, quas Cl. *Moivræus* in *Tranſactionibus Philoſophicis N. 309* pertractavit. Hoc ubi Cel. Autor ſpecimine quodam comprobavit, docet methodum, omnes æquationes *reciprocas*, quas dicit, id eſt, illas, quæ, radicis reciproco in locum ipſius radicis ſubſtituto, formam non mutant, reſolvendi; & ſub finem hujus Diſſertationis modum exponit, quo ex aſſumtis æquationibus *reſolventibus* ipſæ *reſolvendæ* erui debeant. Ultima Diſſertatione oſtendit methodum directam, propoſitæ æquationis differentialis conſtructionem inveniendi, eamque in conſtructione æquationis $ax^n dx = dy + y^2 dx$ declarat. Equidem, ex quo tempore Clar. Comes *Riccati* hanc formulam Geometris examinandam propoſuit, nemo adhuc ejus conſtructionem, niſi pro certis literæ n valoribus, dedit; Cel. tamen *Eulerus* hoc loco exponit univerſalem & omni-

omnibus numeris abſolutam ejusdem conſtructionem, quæ innumeris etiam modis variari poteſt. Quare non dubitat eam præſtantiam methodo huic ſuæ adſcribere, ut ad omnes æquationes differentiales conſtruendas, in quibus aliæ methodi fruſtra ſunt adhibitæ, viam ſit commonſtratura. Sed, ut hujus methodi indolem oculis Lectoris exponamus, neque ipſius methodi concinnitas, neque limites nobis præſcripti, permittunt. Quæ ad *Claſſem Phyſicam* pertinent proxime nos occupabunt.

METHODUS INVENIENDI PRO CURVIS, quæ radios, ex dato puncto emanantes, poſt binas reflexiones in idem colligunt, æquationes inter radium primum incidentem & perpendiculum in tangentem, Autore ABR. GOTTHELF KÆSTNERO,

Lipſ. Math. P. P. E.

Sit z longitudo radii incidentis a puncto radiante, ſeu CM, in *Fig. 2 Tab. II Actor. Erud. Aprilis* hujus *Anni*, p perpendiculum in tangentem ad M, R ſumma ex CM et radio reflexo usque ad cauſticæ punctum reſpondens, t quantitas certa, quæ pro N abit in $-t$, T ejus aliqua functio par, & dantur æquationes hæ:

I) $R = \text{Conſt.} + 2Tt + 2\int(dT:t)$

II) $z = pp : \sqrt{(pp - TT)}$ III) $2Tt = R - 2\sqrt{(pp - TT)}$.

Sumta ergo T functione quacunque pari ipſius t, datur R ex *I*, & hinc z & p dantur per t & ejus functiones, atque, eliminatis quantitatibus a t pendentibus, datur æquatio inter z & p. *Ex.* Sit $T = c : \sqrt{(1 + t^2)}$ fit $R = \text{Conſt.} + 2tc : \sqrt{(1+t^2)} - 2tc : \sqrt{(1+t^2)} = \text{Conſt.}$ Jam ex *II* & *III* conjunctis eſt $\sqrt{(pp - TT)} = p^2 : z$ & $2p^2 : z = R - 2Tt$, ſeu eliminato T, $2p^2 : z = R - 2ct : \sqrt{(1 + t^2)}$. Rurſus ex *III* eſt $4pp = (R - 2Tt)^2 + TT$, unde eliminato T habetur $\frac{RR - 4p^2 + 4c^2}{4Rc} = \frac{t}{\sqrt{(1+t^2)}}$. Ergo $\frac{2p^2}{z}$

 $= R$

$= R - 2c. \frac{RR - 4pp + 4cc}{4Rc}$, unde deducitur, $4p^2 = (RR - 4cc)z : (R - z)$ Æquatio ad Sectionem conicam, ut decet.

AN ENQUIRY INTO THE EXILITY OF THE VESSELS in a human Body &c.

id eſt,

DISQUISITIO EXIGUITATIS VASORUM HUmani corporis, in qua animalis identitas explicatur, & cum nullo individuo totius generis communicari poſſe oſtenditur, per CLIFTONUM, WINTRINGHAMUM, Jun. Regiæ Societatis Socium.

Londini, apud Thomam Osborne, 1743, 8 maj.
Plag. 3.

Incrementum corporis humani a primis ſtaminibus uſque ad convenientem magnitudinem ſingularia prorſus & admiranda conſideranti exhibet phænomena. Singula vaſa corporis in minutiſſimo animalculo delineata eſſe, pauci negabunt. Fluidum enim per ſe, niſi vaſis definitis vehatur, partes evolvere, vel ſiſtere, nequit, quod & in vegetabilibus ſatis clare perſpicitur, quæ non in parte abſciſſa, ſed in remotiori alia, ramum novum producunt, & in animalium inprimis generatione obſervatum fuit, non cauſas tantum externas, ſed ipſam diſpoſitionem organorum, evolutionem partium, motu præſtandam, ſiſtere. Nutritionem non tantum in diſtenſione, ſed & in appoſitione, partium minimarum conſiſtere, cognitum eſt, ſimulque perſpicitur, denſitatem & robur augeri, ſi perpendimus, & ligna, in glutinoſis liquoribus cocta, denſiora fieri, licet externe nihil apponatur; ex quo partes extraneas accedentes incrementum efficere, & inde laxitatem & rigiditatem corporum morboſorum dijudicari debere. Partes vero corporis animalis accedentes & nutritiæ ad ſenſum nihil conferunt, ſed tantum eam denſitatem inducunt,

Digitized by Google

ducunt, qua animal omnibus motibus externis, machinam deſtruentibus, reſiſtere valet. His præmiſſis, Cl. Autor ex obſervationibus, cum microſcopio inſtitutis, exiguitatem vaſculorum in corpore adulto aſſumit, & inde ad minima animalculi ſpermatici concludit. Hæc vero numeris ſuis iterum repetere ſuperfluum ducimus, ſed tantum exiguitatem partium in corpore humano, ut omnia creatoris opera, admiramur, & concluſiones, inde formandas, addimus. Multi quidem aſſumunt, corporis particulas ſemper mutari, & novas, prioribus ſimiles, introduci; ſed hoc tantum de acceſſoriis aſſumendum eſt, quoniam ſtamina in origine præſentia, quibus acceſſoriæ particulæ interpoſitæ fuerunt, ſemper durant, & ſenſationis fundamenta ſunt. Inde vero non concludendum eſt, hæc prima ſtamina nullo modo mutari, ſed debilitas facultatum animi, & defectus vigoris in corpore ipſo, quæ in ſenio obſervantur, mutationem aliqualem ſatis declarant. Dubitari quidem poſſet, an non materia accedens & nutriens, corpori certo modo adhærens, apta quoque ſit ad ſenſationes cum animo communicandas; ſed pars quædam læſa cum ſeceſſu ſubſtantiæ propriæ corporis in partibus iterum reſtitutis, non adeo libere ſentit, & ſenſationes promovet. Et ipſa humorum indoles a primis ſtaminibus animalis diverſimode afficitur; eodem enim victu nutrita animalia diverſam carnem obtinent. Ex his aliisque phænomenis Cl. Autor concludit, primariam differentiam corporum animalium diverſæ ſtructuræ ſtaminum in origine præſentium adſcribendam eſſe, & hoc quidem non tantum ratione externi habitus, ſed etiam ratione fluidorum & carnis inde nutritæ, quod identitatem corporum animalium nulli communicandam efficit. Idem in vegetabilibus declaratur; ſed inde non prorſus negatur, diverſum victum corpora mutare, licet certiſſimum ſit, animalia ejusdem generis diverſo victu nutrita. Per diverſam itaque modificationem ſimilis materiæ, autor naturæ non ſolum diverſam carnem hominis, animalium quadrupedum, avium, & piſcium, ſed indefinitas ferme differentias in diverſis gene-

 ribus

Digitized by Google

ribus produxit. Inde ſcitur, cur alia animalia calore majore indigeant, alia in frigore conſerventur, cur humores unius animalis morbo peſtilentiali afficiantur, cur in aliis diverſi generis nulla mutatio fiat, cur ideoſyncraſia ſit in individuo unius generis, cur hæc vel prorſus non, vel difficulter, mutetur.

CHRISTIANI WILHELMI KÆSTNERI, Phil. & Med. D. Bibliotheca medica.

Tomi II.

Jenæ, ſumtu C. H. Cunonis, 1746, 8.
Alph. 2 plag. 2½.

Cujus duos, ad Hiſtoriam Medicinæ pertinentes, libros *A. 1732 pag. 465*, & *A. 1741 pag. 419*, recenſuimus laudavimusque, ejus nunc exhibemus ***Bibliothecam medicam***, cum in modum confectam, ut libros hujus generis, ab aliis emiſſos, magno poſt ſe relinquat intervallo. Non eſt enim merus nomenclator, variarumque editionum index, ſed judicia ſimul profert præſtantiſſimorum Medicorum de plerorumque librorum pretio. Diviſit autem Clariſſimus Autor hoc Opus ***duos*** in ***Tomos;*** quorum prioris ***Caput primum*** exhibet ſcriptores Hiſtoriæ medicæ, tum generales, tum ſpeciales, Biographos item, Bibliothecographos, Lexicographos, & Methodographos; ***ſecundum*** ſcriptores rei medicæ claſſicos, tum Græcos, tum Latinos, tum denique Arabes; ***tertium*** novatores & reformatores ſcientiæ medicæ, conciliatores item & ſcepticos medicos; ***quartum*** ſcriptores Inſtitutionum & Compendiorum medicinalium; ***quintum*** conditores ſyſtematum medicorum; ***ſextum*** ſcriptores errorum & controverſiarum medicarum, ſcriptores item Epiſtolarum, Problematum, variarum lectionum, & miſcellaneorum medicinalium; ***ſeptimum*** collectiones

nes, ſive ſyllogas, medicinales, tum generales, tum ſpeciales. *Poſterioris Tomi primum Caput* eſt de ſcriptoribus anatomicis, *ſecundum* de phyſiologicis, *tertium* de pathologicis, *quartum* de ſemiologicis, *quintum* de ſcriptoribus materiæ medicæ, *ſextum* de therapevticis, *ſeptimum* de pharmacevticis, tum *Galenicis*, tum chemicis, *octavum* de chirurgicis, *nonum*, quod eſt poſtremum, de diæteticis. In *primo* omnium *Capite pag. 5* ait, ſe illo in *Capite* ob oculos habuiſſe illum *Elenchum Medicorum*, quem *Bibliotheca* ſuæ *Græca* inſeruit *Fabricius*, ſed tum ejus errores, quorum aliquot hic indicat, correxiſſe, tum eum auxiſſe, & juſtum redegiſſe in ordinem. In *Capitis primi Sectione prima* ſcriptores Hiſtoriæ medicæ literariæ univerſalis recenſens, obſervat, primum *Conringium* ejus exhibuiſſe ſpecimen, e quo appareat, eum, ſi totus huic labori vacaſſet, editurum fuiſſe omnibus partibus perfectam eruditionis medicæ hiſtoriam. Hinc *Dan. Clerici*, *Freindii*, *Schulzii*, & *Cliftoni*, labores eximie laudat, ceterorum ſcripta hujus generis contemnit. Quam ipſemet una cum *Stollio* elaboravit, editam A. 1731 *Hiſtoriam Medicinæ*, aliorum permittit judicio. Conſtat autem jam, non mediocri eam exceptam fuiſſe laude; qua etiam digniſſima eſt ejus *Epitome Hiſtoriæ Medicinæ*, Germanico ſermone A. 1743 in lucem in 8 emiſſa Halæ, & unum implens alphabetum. In *ſecunda Sectionis* §. *IV* docet, multos habere nævos magnosque *Goelikii Hiſtoriam Anatomiæ*. *Paragr. XIX* commemorans *Conringii* & *Borrichii* de veterum Ægyptiorum ſcientia medica litem, illius judicium ſibi præplacere, non diſſimulat. *Par. XX* proptereą admiratur *Reimmanni Hiſtoriam medicæ artis Germanorum*, quod Theologus, qui munere ſcholaſtico & eccleſiaſtico a prima fere juventute functus fuerit, ejusmodi opus elaborarit, cui ſcribendo e centum Doctoribus Medicinæ vix unus aptus foret. In *Sectionis tertiæ*, in qua ſcriptores vitarum Medicorum ſingulari induſtria congre-

gre-

Digitized by Google

gregantur, §. *VII* miratur, *Petri Caſtellani Vitas Medicorum* ſuo *Theſauro Antiquitatum Græcarum* inſeruiſſe *Gronovium.* Narrationem enim eſſe jejunam plerumque & macilentam, interdum etiam plane falſam, ac præterea multos Medicos fuiſſe ſilentio præteritos. In *ſecundo Capite*, ubi de ſcriptoribus medicæ artis primariis veteris ævi agit Græcis, Latinis, Arabibus, ſtudioſe ſupplet Cl. Autor, quæ de iis *Fabricius* protulerat in Bibliothecis ſuis, Græca & Latina. De Arabum autem Medicis ipſe doctiſſime & luculentiſſime diſſerit, adjungens iis Judæum *Maimonidem. Capitis tertii*, ſummo ſtudio elaborati & perpoliti, *Sectio* præcipue *tertia* Lectoribus jucunda erit. Producuntur enim ibi *Sceptici medici* magno numero, de iisque non ſolum ſingulis fertur judicium, ſed notitia promitur tam accurata, ut plane reſtinguatur ſitis legentium. Subſiſtimus vero hic, medendique ſcientiæ cultoribus de meliori nota commendamus hanc *Bibliothecam*, non ſolum inſtructiſſimam, ſed etiam ubique fere conditam ſale ſani judicii, adeoque dignam utique, quæ inter tot editas Bibliothecas variarum diſciplinarum locum teneat præcipuum. Sed, uti fieri vix poteſt, ut tales ingenii fœtus, qualis hic eſt, primo ſtatim partu pleni & maturi excludantur, nec quidquam per totum corpus macularum oſtendant, ita ſperandi cauſam habemus, futurum, ut in hoc etiam libro ſive augendo ac perficiendo, ſive modis omnibus exornando, privato ſtudio occupari pergat Autor optimus & de bonis literis meritiſſimus, hujusque ſtudii eos nos fructus ferre patiatur, ut, ſi quid paſſim ab eo commiſſum errorum ſit, quos magis ab hoc opere abeſſe vix poſſe judicamus, quam inter perlegendum animadvertimus, id in nova libri doctiſſimi editione, quam & exſpectamus cupide, & ipſe, quod ſperamus, certiſſime parabit, feliciter ac diligenter videamus emendatum. Habent ſane elegantiores literæ, cur a doctrina & induſtria Autoris multum ſibi & decoris, & incrementi, promittant.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXLVI.

TITI PETRONII ARBITRI SATYRICON, QUÆ ſuperſunt, cum integris doctorum Virorum Commentariis & Notis, curante PETRO BURMANNO, cujus accedunt Curæ ſecundæ. Editio altera.

Tomi II.

Amſtelædami, apud Janſonio-Waesbergios, 1743, 4 maj. Alph. 9 plag. 3.

Nova hæc *Petronii*, Latiniſſimi ſcriptoris, editio, quæ Celeberrimi quondam *Burmanni* curis ſecundis adaucta jam prodiit, melior partim priore eſt, quæ Trajecti A. 1709 viderat lucem, ſed & partim deterior. Id qua ratione intelligendum ſit, dicemus. Poſt obitum *Petri Burmanni*, cum filium pie defuncti doctiſſimum, *Caſparem*, rogaſſet *Waesbergius*, bibliopola, ne, qui huc uſque deſiderabatur, *Petronius*, & cujus novæ editioni parandæ vivens adhuc *Burmannus* aliquot ipſe primis in foliis ultimas manus admoverat, diutius premeretur, ſed cura corrigendi atque avtographum *Burmannianum* Viro ceterum docto, *Jo. Jac. Reiskio*, committeretur; ille editoris in ſe, non correctoris, ſuſcepit vicem, ſuoque ex arbitratu ac ingenio multas, a priore *Petronio Burmanniano* diſcrepantes, lectiones in contextum invexit; præterea ipſe, in Arabicis forte, quam in humanioribus literis, verſatior, pro ſuo lubitu hinc inde, in Notis, in con-

Digitized by Google

textu, varia male correxit, mutavit, inſeruit, idque tam ſecit præcipiti conſilio, ut, libro nondum evulgato, multæ ipſi conjecturæ, quas modo adoptarat, jam diſplicuerint, & ut lectorem in Indice, vel male a ſe aliquid mutatum eſſe, vel ſe de admiſſa mutatione nunc dubitare, ſæpius monuerit. Indicem enim Lectionum earum adjecerat, quas a priore *Petronio* diſcrepantes, vel manu ſcriptis Codicibus, neſcimus quibus, jubentibus, vel doctorum hominum ſuaſu, in hanc ſecundam introduxerat. Male igitur, ut debebat, illa res cum bibliopolam, tum longe maxime hæredem *Burmanni*, habuit, qui & peculiari adjecta ſcheda Correctoris hujus, qui Editoris ſibi perſonam male ſumſerat, audaciam ſevere caſtigavit, & adjecit indicem ſatis grandem, quatuor ſpiſſis conſtantem plagulis, & literis minutiſſimis expreſſum, partim mutationum, ab illo in contextum adſcitarum, partim mendorum, a quibus editio non omnino liberata eſt, typographicorum, quorum alia ex ignorantia, alia ex negligentia, alia denique ex malo commiſſa animo eſſe, arbitratur, partim etiam annotationum, quibus *Reiskius* editionem commaculaverat. Atque hæc ſane ita comparata ſunt omnia, ut, niſi variis aliis additionibus, quæ in priori non exſtiterunt, hæc commendaretur editio, nec præferri illi poſſet, & pauciſſimos nactura emtores ſit. Ita vero in ea, præter omnes omnium Notas, Commentarios, Lectiones, Emendationes, Præfationes, & Diſſertationes, in *Petronium* editas, Promtuarium etiam puriſſimarum omnium vocum *Arbitri* ampliſſimum, quæ omnia inſerta quoque priori editioni fuerant, (de qua in *Actis* noſtris *A. 1710 Menſ. Septembr. pag. 381* expoſitum,) conſpiciuntur omiſſæ *Dupeyratii* eruditiſſimæ Notæ, Pariſiis A. 1687 impreſſæ, ex quarum tamen numero expunctæ ſunt, quas inde excerptas *Erhardus* Commentario ſuo intexuit. Exhibentur præterea *Bourdelotii* & *Reineſii* Animadverſiones, quarum poſteriores B. *Burmannus* ex Bibliotheca *Creniana* ſibi comparavit. Ipſe Celeberrimus Vir Curas ſuas ſecundas addidit, quæ non Notis quidem conſtant auctioribus, quam Collationibus potius Codicum vario-

riorum, Editionumque, quas poſt primam editionem inſtituit. Tales fuere Codex *Colbertinus*, quem, cum A. 1717 Pariſiis eſſet, conſuluit, Codex Leidenſis, ad cujus oram magnus *Scaliger* varia adſcripſit, Codex *Voſſianus*, & editio *Tornæſiana*, quam opera *Petri Vlamingii* ex Bibliotheca Ampliſſ. *Witzii* utendam nactus eſt. Ad ejus marginem Vir quidam doctus, qui Anonymi nomine in hac editione venit, varia, & inprimis collationem Codicis *Memmiani*, adſcripſit. Ibidem inſuper *Douſæ*, *Scriverii*, & aliorum, manus apparebant, quæ omnia cum erudito orbe, in hac ſecunda editione, primum communicata ſunt. Eadem hac editione olim etiam *Hadrianidem* & *Boſchium* fuiſſe uſos, Doctiſſimus *Caſp. Burmannus*, ex illis conſtare, admonuit, quæ *Boſchius* ad *Cap. XIV pag. 71* annotavit. Quæ quidem omnia ſunt ejusmodi, ut novæ huic editioni magnam præ illa priori prærogativam jure ſuo atque merito concedant. Ceterum non permittit ratio inſtituti, Notas copioſe excerpere, quarum pleræque elegantiſſimæ ſunt, cum, ſi vel multa etiam illarum adduceremus ſpecimina, infinita tamen relinquenda adhuc maneant; inprimis cum ejusmodi quid in talibus ſcriptis & difficillimum ſit, & fieri omnino non debeat. Optandum autem majorem in modum fuiſſet, ut ſcribendis ille ſatiricis Præfationibus, quibus literiones traducebat, illuſtris & doctiſſimus *Burmannus* tam diu ſupervixerit, ut novam ſaltem editioni Præfationem relinquere potuiſſet. Ut graviter depexum, puerisque deridendum petulantibus, expoſuiſſet *Chreſtomathiæ Petronio-Burmannianæ* Autorem Anonymum, niſi more potius magnæ feræ minutorum latratus canum ſecurus exaudiviſſet!

HISTOIRE GENERALE DE LA MARINE, &c.

id eſt,

HISTORIA REI MARITIMÆ, EJUSQUE NAvalis, generatim deſcripta, originem ejus apud univerſos terræ populos, illius progreſſus varios, ejus ſtatum

Digitized by Google

præſentem, ac expeditiones maritimas, veteres æque ac recentiores, exhibens.

Tomus I.

Pariſiis, apud Petrum Prault & Antonium Boudet, 1744, 4.

Alph. 3 plag. 10½.

Res ardua eſt, *Plinio* teſte, vetuſtis novitatem dare, novis autoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis lucem. Arduum ſane opus ſuſcepit Autor elaborandum. In eo tamen nihilo minus fuit felix, quod vetuſtis novitatem, ac novis autoritatem, univerſæ tractationi gratiam, dedit. Repſit ille per monumenta ætatum omnium, ut telam, quam ortus eſt, digne pertexeret, aliisque redderet approbatam. Complectitur hic *Tomus Libros viginti*. *Primo* expoſuit Autor de navigatione primorum telluris incolarum. *Secundo* de primarum monarchiarum navigatione diſſeruit. *Tertio* expoſuit de Græcorum navigatione. *Quarto* navigationes Græcorum percenſuit. *Quinto* egit de ſucceſſorum *Alexandri Magni* navigatione. *Sexto* de re Pœnorum nautica Commentarium exhibuit. *Septimo* de Romanorum navigationibus expoſuit. *Octavo* de eis diſſerit inde a bello Punico tertio uſque ad *Auguſti* imperium. *Nono* tractavit rem Romanorum nauticam, imperante *Auguſto* florentem. *Decimo* dixit de re Romanorum navali a *Tiberii* inde ætate uſque ad *Conſtantinum M. Undecimo* ad peritiam rei nauticæ, qualis ea ad *Juſtinianum* uſque primum exſtitit, ſeſe convertit. *Duodecimo* rem Imperatorum Orientis navalem ediſſeruit. Eidem tractationi *Librum XIII* impendit. *Decimo quarto* complexus eſt de re Turcarum navali ad *Muhammedem II* uſque notitiam. *Decimo quinto* inde ad *Selimum II* fuit progreſſus. Tum vero *Liber decimus ſextus* ad *Muſtapham* uſque, & *ſeptimus decimus* ad ætatem uſque imperii Turcici præſentem decurrit. *Libro decimo octavo* de navigationibus expeditionum cruciatarum diſſeruit Autor. *Undeviceſimo* rem

rem Venetorum nauticam, ac *viceſimo* Genuenſium, diſpexit. Operæ pretium fuerit, librum ipſum legiſſe. In nebulis priſci orbis diſpellendis Autor haud moroſam oſtendit diligentiam. Certiora ſunt ea, quæ de Seculis, propius ab ætate noſtra remotis, e penu copioſa depromſit. Judicio plerumque uſus eſt pragmatico, ut lectorem redderet prudentiorem. Teſtimonia ſcriptorum ipſa haud exhibuit ex gentis ſuæ inſtituto, pleriſque ad minimum ibi placente. Ea tamen ob oculos habuit continenter. *Javanem* credit Græciam occupaſſe, ac inſulas, utrobique adjectas. Ab *Aſcenaſo*, *Japheti* Pag. 2.
nepote, putat, dictum fuiſſe *pontum Euxinum*. Tharſis, ex ipſius judicio, in literis ſacris *mare* denotat, ſicubi de re navali eſt ſermo. Sedem Chittimo tribuit Cyprum inſulam. *Audax Japeti genus* prima vice truci pelago commiſiſſe ratem, *Horatius* eſt autor. An remigium piſcium aviumque 3.
anſam dederit hominibus inveniendæ artis navalis, recuſat definire. Sidonii, Sebulonitæ, Tyrii, navigarunt jam ante *Salomonem*. *Moſes* jam de arte navigandi, tanquam de re ſatis cognita, diſſeruit ἐν παρόδῳ. *Salomo* primus Regum Judai- 3.
corum commercium navale inſtruxit. Variant eruditi de regionibus Ophir & Tarſchiſch. Credit Noſter, locum *Aſiongeber* ad ſinum maris Arabici eſſe figendum. Largitur tamen, *Necbum*, Ægypti Regem, inſtruxiſſe primum commercia in mari Arabico navalia. Recenſet ipſe varias Autorum ſententias. Ipſe tandem *Ophir* exponit de India, ac Tarſchiſch ipſi eſt 9.
America, arbitrato, Tharſin in ſacris literis eſſe mare mediterraneum. *Meliten Pauli* putat eſſe Maltam. Ægyptii diu 10.
horrebant mare, rati, Typhona in eo fuiſſe ſubmerſum, na- 11.
vigatores eſſe homines impios, Typhona infeſtum eſſe navigantibus. Ipſi tandem, Tyriorum exemplo excitati, animum ad æquor Oceani fatigandum ſeſe converterunt. *Oſiris* perhibetur Indiam ſubegiſſe orientalem. *Seſoſtris* dicitur mari Arabico navibus longis egreſſus. *Danaus*, frater ejus, cri- 12.
mine rebellionis inviſus Ægyptiis, Argos, Peloponneſi oppidum, fugit nave arrepta. *Pſammetichus* neglectam rem navalem inſtauravit. *Necbus*, ex eo genitus, negotium id ipſum

 urgere

Pag. 15. urgere & continuare ſuarum duxit eſſe partium. *Apries* Sidona urbem terra marique obſedit. *Amaſis*, ejus ſucceſſor & percuſſor, Cyprum occupavit, a *Polycrate*, Sami tyranno, adjutus. Phœnicum gloriam navalem ignorat nemo unus. *Ezechiel* Tyro prædixit cladem, navigationi inimicam. *Sam. Bochartus*, colonias Phœnicum exquiſiturus, ſæpe in conjectu-
17. rarum male fidarum ſcopulos incidit. Cyprus certe ac pleræque maris mediterranei inſulæ a Tyriis fuerunt occupatæ. *Hercules* ad Gades uſque dicitur progreſſus. Ipſos in Taprobanen uſque Indicam transfretaſſe, Noſter arbitra-
18. tur. Hæc ad ejus *Librum primum* ſpectant. *Semiramidis* juſſo naves tribuit. *Nebucadnezari* fuiſſe claſſem ad lit-
20. tus Phœnices, ſibi perſuadet. *Cyrus* immortuus eſt deſtinationi Carthaginem expugnandi, non niſi terra belligerans. *Cambyſes*, claſſe Tyriorum ſublevatus, Peluſium Ægypti ce-
24. pit. *Darius Hyſtaſpides* claſſem in mari Ægéo tenuit. Ipſe
27. ac *Xerxes* ponte commiſerunt Boſporum Thracicum. Prior, a Scythis male habitus, claſſem maximam adornavit. Pugna Marathonia infeliciter defunctus, Græcos excitavit ad claſſes
37. majores comparandas. *Xerxis* claſſis fuit maxima, eique Græci oppoſuerunt ſatis magnam. Omittimus utrorumque concertiones. Celebratur jam Argonautarum expeditio navalis, *Peliasque*, Rex Theſſaliæ, qui per eam *Jaſonem* ivit perditum.
56. Trojam Græci petierunt navibus expugnandam. *Ulyſſes* per mare huc illuc dicitur, navi vectus, iter feciſſe, vel oberraſſe. Troja everſa, Græci variæ gentis in Siciliam & Italiam navi-
60. bus tranſierunt. Phocæenſes longas primi ſuſceperunt navigationes, ac in Iberiam uſque trajecerunt. Athenis laudi ducitur potentia navalis. Megarenſes navalem peritiam calluerunt. Lacedæmonii eam gloriam Athenienſibus invide-
64. runt, ipſi haud minus rei maritimæ ſtudioſi. Utrique & inter ſeſe & cum Perſis mari conflixerunt. Corcyræi claſſem haud
73. unam inſtruxere, ac Dyrrhachium ceperunt. Gloriam Lacedæmoniorum navalem prædicant veteres, iique fide pleni, ſcriptores. Hæc eſt ſumma ſpecialior *Librorum trium*, qui ceteros præcedunt. In rebus Perſarum ac Græcorum recenſendis mire Autor excel-

excellit. Nec eandem diligentiam deſideravimus in reliquis *Libris*, quorum argumenta ſingula ad fidem ſcriptorum probatiſſimorum ſunt exacta, ac ita compaginata, ut e prioribus continuo pateſcat vinculum, quo poſteriora ex eis fluunt ac deducuntur.

DELLE OPERE DEL SIGNOR STEFANO BENEDETTO PALLAVICINI.

id eſt,

OPERA STEPHANI BENEDICTI PALLAVICINI.

Tomi IV.

Venetiis, apud Joannem Baptiſtam Paſquali, 1744, 8.

Tom. I plag. 20, Tom. II plag. 19, Tom. III plag 15, Tom. IV plag. 12½.

Ill. *Franciſco Algarottio* orbis eruditus hanc debet Operum *Pallavicini* editionem. Libuit Viro Perilluſtri inſcribere hanc editionem ſplendidam Regi Auguſtiſſimo *Auguſto III*, Domino noſtro Indulgentiſſimo, cujus effigiem in modum protomes *Tomo primo* præfixit. Præmittitur *Tomo* eidem vita *Pallavicini*, ejusque effigies blanda ac liberalis. Subjicitur vitæ Epitaphium. Tum vero ſuccedit id, quod *Tomo primo* magis eſt proprium, Præfatio ſcilicet *Pallavicini* ad ſuam verſuum *Horatii* metaphraſin poeticam Hetruſcam, vita *Horatii*, Italice ſcripta, & Odæ *Horatii*, in Italicum converſæ, ad Carmen usque ſeculare. Hæc *Tomi primi* eſt ſumma. Epitaphium, quod illuſtris Dreſda ſpectandum præbet, differt ab eo, quod *Algarottius* excogitavit. En illud:

Stephanus Benedictus Pallavicini
e lacu Benaco
claris parentibus ortus. Patavii natus
hic jacet
a ſecretis & a conſiliis
Aug. III Reg. Polon. Sax. Elect. &
in aula Chriſtiane vivendo
virtutum genere omnium

ita

ita ſe laudavit, ut piaculum ſit
in ævo viventem laudare,
Hiſtoricus, Poeta, Philoſophus,
puritatem Livii, Horatii robur,
Senecæ gravitatem, aſſecutus,
notus doctrina, candidus fide,
integer amicitia,
conceſſit naturæ XVII Kal. Majas
Anno ſalutis MDCCXLII.

In lucem ſuſceptus fuit *Pallavicinus* A. 1672, 21 Mart. Patavii, patre *Carolo Pallavicino*, cive Salodii honeſtiſſimo, ac *Julia Roſſi*, cive Patavina. Salodii educatus formatusque, ac Philoſophia practica literisque humanioribus per 12 annos egregie imbutus, conceſſit cum patre in Germaniam. Hic in aula regia Dreſdenſi præfectum Collegii muſici, quod *Capellam* vocant, egit, obiitque A. 1688. Favit pupillo aula Auguſtiſſima, Poetæ jam menſuram impleturo. Defuncto Electore *Joanne Georgio III*, officia ſua aulæ Electoris Palatini *Joannis Guilielmi* præſtitit poetica. Evectus fuit ibidem, quod addimus, ad nomen Conſiliarii Cameralis. Romæ eum Academia Arcadum circa id temporis Societati ſuæ adſcripſit. Addimus, ipſum quoque Academiæ Salodienſi, cujus ſodales *Unanimi* vocantur, aggregatum fuiſſe. Electore Palatino defuncto, Dreſdam *Pallavicinus* repetivit, dignitate Viri a ſecretis Regis, ac Poetæ aulici, ornandus. Laudarunt Arcades puritatem ſtili *Pallaviciniani*, Odis *Horatianis*, Italice factis, accommodati, in Tragœdia *l'Achille ſpoſo*. Libet cum aliis communicare rationem, qua *Pallavicinus* inductus, ſeſe ad *Horatium* verſibus Hetruſcis exprimendum convertit. Anſam inſtituto nobiliſſimo ſubminiſtravit *Academia Phrygum*, quam Illuſtriſſ. Comes *de Wakerbart*, militiæ Saxonicæ Mareſchallus, ſcientiarum artiumque patronus, in palatio ſuo honorificentiſſime inſtituerat. Viri eruditiſſimi, Dreſdenſes ac Lipſienſes, in eam ſuſcepti, ſingulis hebdomadibus ſemel indidem convenerunt. Ad initiandam hanc Academiam propoſita fuit metaphraſis *Odæ Horatianæ III Libri II*: *Æquam memento*

Digitized by Google

mento rebus in arduis. Interpretationem poeticam, eamque Hetruſcam, elaboravit Noſter id temporis, quo numeroſa eruditorum induſtria & Germanice & Gallice idem tentabat. Applauſerunt ei tunc illi, qui de ingeniis ac poetico hoc conatu poterant judicare. Ex eo Noſter cum *Horatio* ſingularem familiaritatem contraxit. Edita eſt ejus translatio *Horatii* Italica hic Lipſiæ A. 1736, quantum ad librum Carminum attinet. Tum vero Rex Auguſtiſſimus juſſit *Pallavicinum* porro Satiras *Horatii*, Epiſtolas, libellum de arte poetica, ad eundem modulum interpretari. Tranſtulit *Pallavicinus* præterea non pauca alia in linguam Hetruſcam, quorum pars in hanc ipſam editionem Operum coaluit. Comitatus fuit idem Comitem, *di Lagnaſco* dictum, cujus a ſecretis fuit in duabus legationibus, Romam & Vindobonam ſuſceptis. Acceſſiones honorum A. 1738 idem ſenſit benignas. Conſiliarium enim legationis eum Rex Potentiſſimus renuntiavit, ab Ill. Comite *Wakerbartio* rationes indivulſas habiturum. Comitatus eſt idem Principem juventutis regium in Italiam, ibique applauſus ac puncta Italorum ad unum omnium tulit, quantum ad metaphraſin ejus *Horatianam* attinebat. Redux Dreſdam, vitam haud ita multo poſt cum morte cummutavit. Perill. *Algarottius* deſcriptionem animi virtutumque hiſce adjecit talem, quæ *Pallavicini* Manibus eſt admodum honorifica. Regi Auguſtiſſimo viſum fuit in lucem edi Opera *Pallavicini*. Illuſtriſſ. Comes *de Brühl* juſſu Regis clementiſſimo id operæ Perilluſtri tradidit *Algarottio*, Viro quippe ſpeciminibus ingenii præſtantiſſimis claro, ac Italicæ Poeſeos peritia admodum illuſtri. Dolemus, verba *Horatii* Latina haud ſimul e regione translationis Hetruſcæ apparere. Vidimus ſchedam, cui aliquis hæc inſcripſerat: *Dovevaſi anche a queſto volume unire il teſto Latino, dovendoſi ragionevolmente preſumere; che tal foſſe la mente dell' Autore, che lo volle al ſuo canzionere nel 1736. L' è moſtrata poca awedutezza in far imprimere, non diceſi molte parole vſcene, ma molti interi verſi, che devevano eſſere ſolamente puntati. Nè ſcuſa, che coſì ſi trovino nel MS. non paſſando queſto nelle mani di ogni uno, come queſti maltrattati volumi. Finalmente con libertà da non tollerarſi ſi à in molti luoghi corretta la*

verſione, giacchè in vece delle espreſſioni dell' Autore, ſi ſono impreſſe quelle del criticante. Nonnunquam Editor aliquid omiſit. Sermonem, cujus eſt initium: *O tu che giaci a capo dell' Esquìlie*, præceſſit olim Epiſtola ad *Paulum Zolli*, qui Autori, ut ſuſciperet hanc translationem, ſuaſor fuerat. Hanc hic deſideramus *Tomo II.* Deſideramus etiam plura. Odem primam Libri primi *Pallavicinus* ſic inchoavit canens:

D' Atavi Re degna progenie, e mio
Dolce ſoſtegno, Mecenate, e pregio,
Per l' olimpica lizza è chi coperto
Andar gode di polvere, e ſchivata
Colle fervide rote aver la meta
E lo ſolleva al ciel la nobil palma.

Tomo ſecundo Ill. *Franciſcus Algarotti* præmiſit formulam dedicationis, *Ignatio Guarini*, Societatis Jeſu Sodali, conſecratam, ac judicium, critice in Epiſtolas ac Satiras, a *Pallavicino* translatas, conformatum. Notat inibi tria in *Pallavicini* metaphraſi: 1) enarrationem aliquot *Horatii* locorum, 2) nævos quosdam, translationi affricatos, 3) ſtudium nonnunquam recedendi a norma verborum & rituum *Horatianorum*, quibus conſuetudinem recentiorem ſubſtituerit *Pallavicinus*, e. g. Veſtalibus virgines velo ſacro ornatas, ritui litandi Diis Manibus ſacrificium pro mortuis miſſaticum, collegio augurum conventum purpuratorum curiæ Romanæ, &c. Addidit *Pallavicinus* Satiræ: *Non quia Mecenas* &c. in fine hæc:

A pranſo ſobrio più d'un Eremita.

Horatius Epiſtolam XV Libri primi ita inchoavit: *Quæ ſit hiems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni, Quorum hominum regio, & qualis via? Nam mihi Bajas Muſa ſupervacuas Antonius; & tamen illis Me facit invíſum, gelida cum perluor unda Per medium frigus.* In fine metaphraſeos ſubjecit *Pallavicinus* hæc:

In ſomma d' ogni coſa per minuto
Il tuo Flacco informar non ti diſpiaccia,
Ond' io ritorni qua con una faccia
Da Padre Abate lucido e paſſuto.

Ut

Digitized by Google

Ut vero *Horatius*, ne legi intelligique recuſaret, figuras elocutionis ſtilumque ad genium ætatis ſuæ inflexit; ſic *Pallavicinus* ab Italis ætatis noſtræ volebat legi ac intelligi. Debuit igitur hic genium Italici ſeculi præſentis ſequi. Ut Perill. *Algarottius* tria illa animadverſionum capita redderet illuſtriora, intexuit ipſe nonnihil comparationum, ex inſioetis aliorum factis depromtarum, ac critico examini ſubjecit ex *Pallavicino* exempla. Oſtendit ſe hic ubique ingenio & doctrina magnum; ſed mallemus tamen, monſtraſſet Vir egregius ea, quæ eminent ac excellunt in poeſi *Pallaviciniana*, quæ ſunt imitatione aliorum digna, & quæ cretam, non obelum, merentur, vel videntur mereri. Per nævorum contemplationem raro emendatur genus humanum. Sin vero reliquis laudatiſſimum perfectionis iter oſtenderis, ac præiveris alacriter; magno beneficio tibi genus devinxeris humanum, quod exemplis pravis, licet ad fugiendum propoſitis, præter conſilium & deſtinationem, clanculum abripitur, bonis vero exemplis recta ad honoris templum luſtrandum excitatur, licet vias, alio ferentes, ignoret. At ſuffecerit, hæc ad *Tomos* priores *duos* indicaſſe. *Tertio* & *quarto Tomo* nil habetur porro *Horatianum*. *Tertius* complectitur varia. Scenam aperit liber *Joannis Lockii de Educatione*, ex *Coſti* metaphraſi Gallica proſa in verſus Hetruſcos transfuſus, Sequitur tractationem hanc *Euripidis Hecuba*, verſu conſimili elaborata. *Tomus quartus* complectitur Odam, *Auguſto III*, in ſolium regni Poloniarum evecto, ſacram; hymnum, vel carmen, in *Mariam Joſephum*, Reginam Poloniæ auguſtiſſimam; Carmen in Natalitium diem Sereniſſimi Principis Saxoniæ, in ſpem Electoratus Regnique geniti; Carmen in mortem *Auguſti II*, Regis Poloniarum invictiſſimi; Dithyrambum, cui eſt inſcriptio: *Vindemia Pilnicenſis*; Eclogam, cui titulus eſt *Timandra*; Odam, quæ Principi juventutis Hiſpanico adventum in Italiam gratulata Pag. 67.
fuit; Dialogum muſicum, feliciſſimo natalitio feſto Sereniſſimæ Reginæ decantatum; Dialogum conſimilem, quo Autor nuptias 74.
Joannis Adami Baronis *Efferenſis* ac *Mariæ Annæ* Baroniſſæ *de Spée*, proſecutus fuit; Carmen in inventos terræ fœtus nigros 85.
in Miſniæ collibus. Fœtus illos ſubterraneos Itali vocant *tartufi*. Sequitur Carmen, decantatum ad tumbam Servatoris die Veneris

Digitized by Google

neris ſancto, Dresdæ in regia æde ſacra erectam. Excipiunt
Pag. 95. haſce dapes fercula haud viliora. Legi dignum eſt Carmen,
nomini anniverſario Baroniſſæ *Eugenii Lœwenthalenſis* conſecra-
105. tum, cum alio, *Clementis XII*, Pontificis Romani, honoribus di-
127. cato. Non eſt, quod in reliquis Carminum breviorum ti-
tulis recenſendis ſimus longi. Quis enim negat, Euterpen
tibias *Pallavicini* moderatum eſſe? Quis neſcit, Polyhymniam
137. ejus barbiton tetendiſſe? Quis ignorat, carminum, quæ de-
dit, congeriem amicis verique amatoribus nunquam non vi-
ſam fuiſſe opus a novem Muſis cælatum? Non eſt igitur dubi-
tandum, Perilluſtri *Algarottio*, pulcherrima hæc ingenii *Pallavi-
ciniani* monumenta ad ſeros poſteros transmittenti, & ſui inge-
nii ſalibus, tanquam dulciſſimo condimento, conſpergenti, tan-
tum eſſe gratiæ habendum, quantum, qui ſibi maximo quoque
beneficio orbem eruditum obſtringit, mereri omnium judicio
exiſtimatur.

HENRICI DE COCCEJI, REG. MAJEST. Pruſſ. quondam a Conſil. Secret. & in illuſtri Viadrina Anteceſſ. primarii, Grotius illuſtratus, ſeu Commentarii ad Hugonis Grotii de Jure Belli & Pacis Libros tres, in quibus Jus Naturæ & Gentium, item Juris publici præcipua, explicantur. Adduntur Annotata Autoris, ex poſtrema ejus ante obitum cura. In Commentario id præcipue agitur, ut Grotius ex ipſo Grotio illuſtretur, defectus circa principia Grotiana notentur, & vera Juris Naturæ principia, inprimis quatenus ad interpretationem Juris Romani pertinent, proponuntur. Accedunt Obſervationes S. d. C. H. F.

Tomus II.

Wratislaviæ, ſumtibus Jo. Jac. Kornii, 1746, fol.
Alph. 7 plag. 15.

Poſtulat officii noſtri ratio, ut pauca diſſeramus de *altero* præſtantiſſimi Operis *Tomo*, qui nuper, gaudentibus bonis omnibus, in lucem exiit. De inſtituto Ill. Commentatoris jam diximus in his *Novis Actis A. 1744 Menſ. Maj. pag.*

Digitized by Google

pag. 268 ſeq. cum *Tomum primum* recenſeremus, quo Lectores noſtros merito ablegamus, hoc ſolum monentes, in Commentario id præcipue agi, ut Juris Romani principia generalia Juri naturæ convenientia demonſtrentur, quod a multis in dubium vocatum, a nemine antea fuerat oſtenſum. Debemus vero beneficium hoc *Henrico de Cocceji*, Anteceſſori Viadrino adhuc poſt fata celeberrimo, ejusque Filio Illuſtriſſimo, *Samueli* Lib. Bar. *de Cocceji*, Reg. Majeſt. Pruſſ. Miniſtro Status & Bell. intimo, cujus obſervationes, paterno Commentario adjectæ, operis pretium mirifice augent. Continet hic *Tomus* reliqua *Capita Libri II Grotii de Jure Belli & Pacis*, a *ſeptimo* ad finem, ſiquidem priora *ſex* jam *Tomo I* continebantur. Egerat in *Libro II Grotius* de objecto juris ſecundo, jure nimirum rerum, cujus occaſione in Commentario oſtenditur, 1) diviſionem rerum in communes, publicas juris gentium, & univerſitatis, quam JCti Romani in Digeſtorum libris proponunt, in Jure naturæ eſſe fundatam: 2) originem dominiorum recte a JCtis Romanis ex occupatione rerum nullius derivari, adeoque falſam eſſe *Grotii* opinionem de primæva rerum communione; 3) quaſdam eſſe res natura tales, quæ in dominio eſſe non poſſint, e. g. aerem, aquam profluentem, mare, cet. 4) inter effectus dominii alienationem quoque rerum eſſe numerandam, quæ tamen ad imperia aliave jura publica injuſte extendatur; 5) *Grotium* immerito huc trahere ſucceſſiones, tanquam alienationis ſpecies, cum potius ambæ, ſi liberorum ſucceſſionem excipias, ex Jure civili deſcendant; qua occaſione momentoſa materia de ſucceſſione in imperia, regna, & principatus, *Lib. II Cap. 3, 4, 5, 6, 7*, pertractatur. *Capite octavo*, modos acquirendi omnes, qui in Digeſtis *Tit. de acquir. rer. domin.* enarrantur, ex jure gentium primævo eſſe derivandos, monſtratur, cum contra *Grotius*, illos partim ex jure naturæ pro certo rerum ſtatu, partim ex jure gentium arctiori, partim denique ex jure civili, arceſſendos, non dubitet. Patet hinc, merito modis acquirendi naturalibus Jure Romano accenſeri 1) occupationem rerum, quæ nullius ſunt, (*Lib. II Cap. 8 §. 1, 2, 3 ſeq.*) 2) rerum domino carentium, (*§. 6*) 3) acquiſitiones per theſaurum, (*§. 7*) 4) per fluvialia incrementa, nimirum per alluvionem, alveum deſertum, inſulam,

Digitized by Google

cet. (§. 8-17) per ventrem, (§. 18) 6) per ſpecificationem, commixtionem, & confuſionem, (§. 19 ſeq.) 7) per acceſſionem; (§. 21) & quæ 8) fiunt jure ſoli & ædificii, (§. 22 ſeq.) & quæ 9) per traditionem (§. 25). Nec minus in Commentario demonſtratur, Jure Romano optimo jure aſſeri, 10) piſces quidem in piſcinis, non vero in ſtagnis, occupatos eſſe cenſendos; item 11) feras in vivariis, non vero in ſilvis, etſi circumſeptis, captas videri, (d. Cap. 8 §. 2) 12) incrementa fluvialia cedere poſſeſſori fundi in agris arcifiniis, non in agris limitatis, (d. Cap. 8 §. 16) 13) dominium acquiri per derelictionem alvei, non per inundationem, etſi graviorem, (*ibid.* §. 9, 10, & 13,) 14) non vero naturaliter ſine traditione (*ibid.* §. 25). *Capite nono* modos, quibus dominia finiuntur, enarratos videas, inprimis quando imperia deſinant. Demonſtratur hic inter alia ex Hiſtoria & principiis Juris contra *Grotium*, re vera deſiiſſe imperium Romanorum, translatumque belli jure in Reges Germanorum (d. Cap. 9 §. fin.). *Capite decimo* effectus dominii ratione aliorum hominum, horumque obligationes erga eum, qui dominium rei alicujus habet, monſtrantur; qua occaſione principia generalia omnis naturalis traduntur obligationis, (*pag. 76 ſeq.*) variique Juris noſtri textus ex naturæ ratione explicantur (*Cap. 10* §. 2). *Caput undecimum*, de obligatione perſonæ agens, ex legibus naturalibus deducitur, convenientiaque Juris Romani cum Jure naturæ in plurimis monſtratur capitibus (*Cap. 11* §. 1 *pag. 97 ſeq.*). Differentia inter pacta nuda & contractus novo demonſtratur modo (*pag. 109*), ubi totam Juris Romani de errore doctrinam rationi naturæ conſentaneam, pacta præterea, vi, metu, dolo, ex cauſa vitioſa, cum prædone perfido, tyrannoque, inita, Jure naturæ valida eſſe, (§. 7, 8, 9,) denique ſine acceptatione nullam obligationem oriri ex pacto, (§. 12-17) deducitur, ſimulque elegans quæſtio, an mandatum morte finiatur, & an in hæredes tranſeat, rationibus naturæ deciditur. *Capite duodecimo* in Commentario oſtenditur, doctrinam Juris Romani de jure pœnitendi in contractibus cum Jure naturæ convenire, (*pag. 185 ſeq.*) itemque de præſtatione caſus, ſpeciatim in contractu commodati, (*pag. 185*) in pignore, (*pag. 186 ſeq.*) in venditione, (*pag. 193 ſeq.*) in locatione conductione, (*pag. 201*) eidem eſſe conſentaneam; denique

Digitized by Google

nique effatum JCtorum; quod contrahentibus naturaliter ſe invicem circumvenire liceat, non eſſe æquitati naurali contrarium (*pag. 218*). *Caput decimum tertium* doctrinam de jurejurando proponit, ubi, vera ejus principia, ex ratione deducta, cum iis, quæ Jus Romanum hac de re habet, ex aſſe convenire, (*pag. 122*) monſtratur. Inprimis Ill. Commentator demonſtravit, aſſertum Juris Romani, quod jusjurandum, errore, vi, vel dolo, elicitum, ſit obligatorium, verum eſſe, idque exemplo Gibeonitarum illuſtravit (*pag. 231*); itemque illum æque obligari, qui per creaturas juret, (*pag. 243*) ubi ſimul (*pag. 237*) formula: *corban eſto*, nova ratione, itemque verba Chriſti: *Sermo veſter ſive aſſerat aliquid, ſive neget*, &c. (*pag. 257*) explicantur. *Capite decimo quarto* de contractibus Regum agitur & Principum; ubi ſtatim ab initio oſtenditur, diſtinguendum omnino, utrum Rex ut Rex, an vero ut privatus, contrahat, hujusque diſtinctionis uſus inſignis per omnia Juris objecta (*pag. 266 ſeq.*) demonſtratur, addita quæſtionis deciſione, quo uſque ſucceſſor anteceſſoris facta præſtare teneatur (§. *14 ſeq.*). *Caput decimum quintum* magni momenti materiam de fœderibus (§. *1 - 15*) tractat, eorumque differentiam a ſponſionibus (§. *16 ſeq.*) oſtendit. *Caput decimum ſextum* de interpretatione pactorum, contractuum, fœderum, ſi verba dubie ſint poſita, agit. Cum vero regulæ, a *Grotio* traditæ, neutiquam ſufficere videantur (*pag. 333 ſeq.*); adæquatæ & breviores, in recta fundatæ ratione, proponuntur. Deductis ita ex Jure naturali obligationibus, quæ ex contractu oriuntur, *Capite decimo ſeptimo* ſequuntur obligationes aliæ, & quidem quæ ex delicto oriuntur; ubi ex naturali Jure iterum demonſtratur; eum, qui facto ſuo illicito alii damnum dedit, ad id reparandum eſſe obligatum; (*pag. 379*) quando vero damnum datum videatur, ibidem oſtenditur. Ex quo facile apparet, humani aliquid paſſum eſſe magnum *Grotium*, dum opinetur, nec quaſi contractus, nec quaſi delicta, fundamentum in Jure naturæ invenire, verum deſcendere ex civili Romanorum Jure, cum omnino obligationes iſtæ ex priori jure veniant, ceu oſtenſum in *Commentario ad* §. *5 lit. e.* Et ſpeciatim, tum quod ad conditiones, tum quod ad actionem, qua adverſus nautas, caupones, ſtabula-

bularios, experimur ad reſtitutionem damni, ab aliis dati, quorum opera ſunt uſi (*pag. 385* & *pag. 394 lit. u*). In ſequentibus *Capitibus decimo octavo* & *nono Grotius* duo negotia inter obligationes perſonæ retulit, quæ non ex Jure naturæ, ſed gentium, venire putat, obligationem *erga legatos* & *erga mortuos*. Ill. Commentator contra oſtendit, ſanctitatem legatorum omnino ex jure naturæ eſſe, hac tamen reſtrictione, ut hæc inviolabilitas neque ad eorum contractus, neque delicta, extendatur (*Cap. 18*). Quod ad obligationem ſepeliendi mortuos attinet, eam non ex jure gentium voluntario, ſed ex legibus venire civilibus, probatur; ubi ſimul ratio redditur, cur Romani juxta ac Græci, neceſſitatem ſepeliendi mortuos ex naturæ jure venire, putarint, erronea nempe opinione decepti, Manes non prius quieta frui ſede, quam cadaver fuerit vel igne abſumtum, vel humatum (*Cap. 19*). Sequitur jam *Capite vigeſimo* puniendi jus, quia is, qui delictum commiſit, non ſolum damnum datum reſarcire tenetur, de quo *Capite 17* actum, verum etiam ſimul ad pœnam eſt obligatus. Ill. Commentator, rejectis *Grotii* principiis, quaſi cuilibet homini jus puniendi alterum lædentem competat, quod vero gentium conſenſu, inſtitutisque civitatibus, fuerit mutatum, longe alia proponit *pag. 447 ſeq.* ex quibus tota hæc doctrina deduci commode poteſt. Speciatim oſtenditur, pœnam in talione conſiſtere, eam vero non ita crude, ut vulgo, ſumi debere, cum legislator per eam nihil aliud, quam æſtimationem juxta proportionem delicti, intelligat (*pag. 447 ſeq.*). Inde deducit, talionem, vel æſtimationem, in homicidio, vel adulterio, non aliter fieri poſſe, quam pœna mortis (*pag. 456*). Qua occaſione variæ quæſtiones maximi momenti deciduntur: e. g. num ſumma poteſtas aliam punire poſſit variis ex cauſis (§. *44 ſeq.*). *Capite vigeſimo primo* quæritur, an & quatenus quis ob delictum alienum poſſit puniri, & quidem *a*) ſubditus ob delictum domini, *b*) dominus ob delictum ſubditorum, *c*) liberi ob delicta parentum, *d*) parentes ob delicta liberorum, *e*) hæres ex delicto defuncti. Ubi in Commentario luculente eſt oſtenſum, omnibus his caſibus Jus Romanum cum naturali ex aſſe convenire. *Capite vigeſimo ſecundo* cauſæ belli minus juſtificæ recenſentur; *Capite* vero

ſequenti

Digitized by Google

ſequenti officia belligerantium erga ſe invicem, ſi cauſæ belli dubiæ. Maximi quoque momenti eſt *Caput vigeſimum quartum*, ubi rationibus graviſſimis demonſtratur, quamvis adſint cauſæ belli juſtificæ, tamen non facile bellum eſſe alteri inferendum; & *vigeſimum quintum*, quod caſus varios enarrat, quibus & pro alio juſte bellare licet. Agmen denique claudit *Caput vigeſimum ſextum*, quo diſquiritur, an & quando ſubdito bellum gerere liceat. Brevitas chartæ nos prohibuit, quo minus ex dignitate materiarum pertractatarum plura hic adjiceremus, uberiusque exponeremus; attamen ex his per lancem ſaturam dictis ſatis Lector perſpiciet, non ſine damno carere *Grotio* hoc *illuſtrato* poſſe omnium ſcientiarum homines, non eos ſolum, qui jura publica populorum tractant. Optandum proinde, ut ultimus *Tomus*, qui *tertium Grotii Librum* illuſtrabit, propediem in dias luminis auras prodeat, cui perficiendo Illuſtriſſimo Autori & Editori vegetam ſenectutem, vires corporis firmiſſimas, otium denique jucundum, ex animo precamur.

COMMENTATIO JURIS PUBLICI DE JUSTIS Repreſſaliarum limitibus, tum a gentibus, tum a Statibus S. I. R. G. obſervandis, ex ipſis legibus, Actis publicis, & Diplomatibus, eruta a LUDOVICO MARTINO KAHLIO, D. & P. P. O.

Gottingæ, impenſis J. P. Schmidii, 1746, 4.

Plag. 12½.

Qui inter publici privatique Juris doctores familiam ducunt, de juſtis repreſſaliarum limitibus præceptiones adeo perturbatas tradunt, ut erroribus quaſi conſeneſcere videantur. Alii Imperii Germanici jura ex Romanorum veterum ſcitis eruere ſatagunt, ſoli Imperatori adſcribentes repreſſalias laxandi poteſtatem; alii, penes Status noſtros jus iſtud eſſe in omnibus cauſis, quibus jura gentium illas indulgent, arbitrantur; alii & conſenſionem Cæſaris & Statuum ſemper ad eas requirunt; alii, retorſiones, arreſta, pignorationes, ac diſ-

ficationes, unum idemque ſignificare, autumant; alii aliis ſe addicunt opinionum portentis; ad unum denique omnes, inter ſe diſtinctas maxime jurium ſpecies, tum publicorum, tum privatorum, hic confundunt. Sed Cel. Autor noſter, contra fallaces iſtas ſententias præmuniens lectores, & ſuum cuique aſſignans, juſtos limites, hoc eſt, cauſas modosque, in repreſſaliis obſervandos, tam a gentibus, quam a Statibus Imperii Romano-Germanici, fide niſus ipſarum legum, Actorum publicorum, Diplomatum, & literarum marcæ, eruit in ſua Commentatione. Ut igitur paulo curatius definiamus, quæ in hoc libro conſignata ſint literis placita, ſummatim hæc ediſſerere liceat. *Repreſſaliæ* generatim vocantur bellum minus ſolenne, quo perſonæ, aut res, exteræ civitatis, autoritate Principis, reſarciendi damni cauſa, detinentur. Speciatim vero repreſſalias dicimus detentionem perſonæ, aut bonorum, propter debitum alienum, denegatæ, vel protractæ, juſtitiæ cauſa, conceſſam. Quia vero repreſſaliæ duplicis generis ſunt, ac modo ſuſcipiuntur contra hoſtem, modo contra eos, qui nos non læſerunt, ſed tamen vinculo quodam morali impliciti ſunt cum adverſariis noſtris, de ſingularum juſtitia, ſolidis ratiociniis præſtructis, diſputat Cel. Autor, verasque earum cauſas, tum juri naturali, tum poſitivo, convenienter congruenterque, adumbrat. Dubia etiam, hac in re, Romani & Canonici Juris rite expedit; denique vero, doctrina de injuſtis repreſſaliis prolata in medium, & quæſtione deciſa, an litem debitori vero creare is queat, qui repreſſalias pro debitore vero paſſus eſt, diſpicit Noſter, an repreſſaliis ſtatim tentare eos liceat, qui jus noſtrum qualicunque modo perturbarunt. Rationes nimirum ſubducit ſequentem in modum: Ob læſionem quamvis bellum capeſſere licet, ſi naturæ jus ſequimur; ergo repreſſaliis quoque tentare eos poſſumus, qui injuria nos lacerarunt ulla. Cum vero ſine neceſſitate ~~non facile~~ ad bellum, vel repreſſalias, eamus, ſi juſtitiæ internæ, ſeu humanitatis & prudentiæ, officia accomodare velimus ad res noſtras; quilibet perſpicere poterit, mitiores defendendi modos interdum anteferendos eſſe. Quam ob

rem

Digitized by Google

rem etiam ex legibus Germanorum, & multis Diplomatibus, hic excitatis, collectas videmus probationes, æque ac privilegia Cæſarum, qui civitatibus nonnullis repreſſaliarum jus, ſub conditionibus quibusdam, conceſſere. Prono ex iſtis fontibus fluit alveo, interpellationem, apud judicem competentem factam, jure gentium non eſſe ſemper repreſſaliis præmittendam, nec remedia leniora eſſe neceſſaria; licet moribus id ſit paſſim conſtitutum, conventionibusque ſtabilitum, ut rei plerumque ſint prius evocandi & admonendi, vel Principes horum, ut moleſtiis levent læſum. Imperium enim Germanicum ſi conſideramus, *Ordinat. Camer. P. II Tit. 1 & 8* id declarat luculenter. Attamen bene multæ gentes, per conventiones poteſtatem repreſſalias perſequendi reſtringentes, maximum fructum ferunt rebus publicis. Hinc præconium facit Autor eorum, quæ in pace inter *Carolum II*, Magnæ Britanniæ Regem, & Ordines fœderati Belgii, Bredæ A. 1667 die 31 Jul. Artic. 31 ſancita ſunt, & pacis, inter *Henricum VII*, Regem Angliæ, & *Philippum*, Archiducem Auſtriæ, A. 1495 die 24 Febr. Londini initæ, *n. 28* & *29*, nec non in *Traité de Paix, fait à Utrecht le 26 Juin 1714 entre S. M. Catholique & les Etats Generaux des Provinces unies, Art. 1 §. 5*, ut & pacis, inter *Carolum V* & *Mariam*, Reginam Scotiæ, confectæ die 15 Dec. A. 1550. Huc refert etiam pacem, inter *Philippum III*, Hiſpaniæ Regem, Archiducem *Albertum*, & *Iſabellam*, ex una parte, & Angliæ Regem, *Jacobum I*, ex altera parte, ſancitam A. 1604 *Art. 6*, neque minus *Trattado entre Philippo IV Reg. Catolico de Eſpanna, y las civdades Anſeaticas, Art. 30*, & *Traité de Navigation & de commerce fait entre Charles VI, Empereur des Romains, & Philippe V, Roi d'Eſpagne, ſigné à Vienne le 1 Mai 1725, Art. 41*. His ita conſtitutis, Noſter contra receptam doctorum ſententiam, connexa ratione, hæc exponit: Belli jus leviſſimis producitur læſionibus, (id quod §. 17 demonſtravit,) ergo has etiam repreſſaliis depellere poſſumus, ſi juris ſtricti notionem ponimus apud animum. Errore igitur ducuntur, qui ad juſtas repreſſalias requirunt injurias graves. Non negamus quidem, ex

Digitized by Google

l. 4 D. de in integrum reſtitutionibus colligendum eſſe, injuſtas fieri repreſſalias, quæ ob modicum inſtituuntur damnum, ſed civiles hæ rationes ad integras, inquit Cel. *Kahlius*, gentes, ſeu eas, penes quas jus belli eſt, aqplicari nequeunt. Nihilo minus laudat, qui conventionibus libertatem, hac in re etiam, circumſcribunt, populos, e. c. Hiſpanorum & Belgarum pactum, die 9 April. A. 1609 promulgatum, & pacem, inter Ordines Belgii fœderati generales & Epiſcopum Monaſterienſem die 18 April. A. 1666 confectam, ac docet, Status Imperii Germanici etiam repreſſalias tantum decernere debere ob momenti maximi cauſas. Præterea diſquirit Autor, an penes Status S. I. R. G. & homines privatos jus ſit ſuſcipiendi repreſſalias. Hinc utitur hac fere argumentandi ratione: Repreſſaliarum jus ex naturali libertate & æqualitate hominum pendet; (§. 5) igitur ii ſine ſummi magiſtratus conſenſione hoc non pollent, qui civitatis legibus adſtringuntur; itaque omnino annumerantur regalibus repreſſaliæ juribus, æque ac jus belli; ergo inter cives S. I. R. G. eatenus locum non habent repreſſaliæ, quatenus judicia ſumma in eo vigent, & de litibus motis rite diſpicitur. Attamen Electoribus, Principibus, ac Statibus Imperii, & conſuetudo, & conſenſus Statuum, beneque multæ rationes, deinceps enarrandæ, ſpeciatim vero eorum ſuperioritas territorialis, jus aſſignant, parandi repreſſalias, quemadmodum jure belli, fœderum, aliisque, utuntur, (quæ omnia luce meridiana clarioribus Noſter evicit probationibus,) nec non olim geſtæ ſunt in Germania, teſte *Lehmanno* in *Chron. Spir. Lib. V Cap. 98.* Sunt quidem ſumma Imperii tribunalia, quæ regulariter dirimunt cauſas Statuum, & mandata ſine clauſula plerumque contra Status promulgant, qui laxant repreſſalias; inde tamen non fluit, remediorum juris extraordinariorum, quibus repreſſalias merito annumeramus, Status Imperii non eſſe compotes. Vid. *R. I. de an. 1555 §. Demnach aber.* Fingamus enim, adverſarium potentem non parere judicio Cæſareo, vel executionem alias ob cauſas non inſtitui poſſe, vel damnum irreparabile oriri; niſi adhibeantur repreſſaliæ, vel a tribunalibus Imperii denegatam eſſe juſtitiam;

nemo

nemo erit tam injuſtus exiſtimator, ut iniquum pronuntiet Statum Imperii, hanc ob rationem ſuſcipientem repreſſalias contra alium Statum, qui illata damna reparare noluit. Sane imperii nulla conſtitutio reſiſtit ei, nec naturæ ſe tuendi jura infringit idem Status. Quapropter hæc addit Autor: Approbo, id eo magis fieri oportere, cum adeo ſubjecti infimæ ſortis ſine Principis conſenſione ire ad arma interdum poſſint. Neſcio igitur, quomodo ex manibus Principum imperii extrajudicialis poteſtas omnis debeat extorqueri. Conf. illuſtrantes hanc argumentationem *l. 1 §. 27 D. de Vi & de vi armata*, arg. *l. 5 C. In quib. cauſ. in integr. reſtit. neceſſ. non eſt.* Cum vero ſcriptæ leges promulgatæ refragari videantur Autoris noſtri ſententiæ, inde a *pag. 33* uſque ad *pag. 42* dubitationes obmotæ eximuntur, ratiociniis tam validis, ut ne ullum quidem lectores dubium amplius fatigare queat. Præterea enucleate condocet, Statuum repreſſalias ſpeciatim in cauſis fractæ pacis publicæ ſtabilitas eſſe in *der Handhabung des Friedens, Rechtens, und der Ordnung zu Worms*, edit. A. 1495, §. 2, neque minus in *der Erklærung des Landfriedens zu Augſpurg*, A. 1500 promulgata, & in *dem Landfrieden zu Augſpurg*, A. 1548 ſancita. Id ipſum etiam jus repreſſaliarum, ad quas Status deſcendere poſſe, oſtendit, ſpeciatim datum eſſe in cauſis teloniorum, *Capitulatio Franciſci I Art. 8 § 16* declarat. Præcipue vero provocat ad Weſtphalicam pacem, admittentem Status ad repreſſalias inſtruendas in cauſis religionis, & in caſibus, quibus pacis ejus leges ab aliquo violari contingat, niſi venerit res ad pactionem amicam, vel via juris intra triennium offenſio fuerit lenita: (*Artic. 17 §. 5* & *6*). Quo jure vallati, Elector Brandenburgicus A. 1648 Palatino Neoburgico, ac Boruſſorum Rex, *Fridericus Wilhelmus*, Palatino Neoburgico Electori, intulerunt repreſſalias, ut & Brunſuicenſis Elector Evangelicis Hildeſiæ, ob religionem læſis, præſto fuit jure iſto repreſſaliarum A. 1711. Hanc igitur defenſionem Statuum nemo ſine temeritate reſpuet, & pro nihilo putabit, ſi in ſimilibus cauſis jus ſuum Principes noſtri vindicant, vel tuentur repreſſaliis. Sunt quidem, qui,

Digitized by Google

conſenſum Imperatoris repreſſalias communire debere, exiſtimant; hos autem falli opinione, probat Noſter, cum Status imperii, ſine autoritate Cæſaris, jus belli non raro exerceant, repreſſaliæ autem ſpecies belli ſint, nec leges Imperii præfiniant, conſenſionem Imperatoris repreſſalias molienti Principi eſſe ſemper neceſſariam. Si vero in Germania adverſus exteros Principes Imperii totius nomine decernuntur repreſſaliæ, ad eas requiri Cæſaris conſenſum, ex actis Comitiorum Auguſtanorum, A. 1582 habitorum, nec non ex Comitiis Ratisbonenſibus, A. 1595 celebratis, colligit Cel. *Kahlius.* Pari modo dilucide exponit, Statuum Imperii Jus, bella cum exteris rebus publicis pariter ac repreſſalias gerendi; quoniam contra easdem jure experiri minus poſſunt Status noſtri. Generatim his ita adornatis, animum advertit ad repreſſaliarum cauſas, easque tam ex publici, quam privati, Juris fontibus, ac præcipue ex Receſſibus Imperii, non elicit ſolum, ſed & conventionibus Germanorum, Gallorum, Hiſpanorum, Britannorum, Suecorum, Luſitanorum, Danorum, Batavorum, Venetorum, aliarumque gentium, ita illuſtrat, ut juſtitiæ denegatæ & protractæ limites definitos videat lector, ac ſolide ſtabilitos. Se quoque utilitate ſingulari commendant diſquiſitiones Autoris noſtri de diviſione repreſſaliarum in perſonales, reales, & mixtas, de indole & natura cujuslibet generis, nec non de diſcrimine, quod inter generales & ſpeciales repreſſalias intercedit; quæ omnia ab aliis leviter, a Noſtro autem fuſe & apte, diſputata ſunt. In quibus explanandis id operam potiſſimum dedit, ut his quoque limites juſtos aſſignaret, ac moribus tum veterum, tum hodierna conſuetudine, firmaret doctrinas ſuas corroboraretque. Quamobrem ad regulas reducit cuncta univerſales, nec non ſingulis ſuas ſubjungit exceptiones, prout vel terra, vel mari, inter Europæi orbis nationes, vel jure provinciali, vigent repreſſaliæ. Quemadmodum vero ex Diplomatum ingenti multitudine hauſit Noſter, quæ curate ſemper excitavit, pagina cuilibet collectioni Actorum publicorum adjecta; ita etiam varia interſperſit, quæ in Germania noſtra nullibi fere reperiun-

periuntur. Huc referimus merito ſententias Ducis *de New-caſtle* & Comitis *Sandwichii*, repreſſaliarum cauſa in ſummo Britannorum Senatu, quem Parlamentum appellitant, haud ita pridem propoſitas, neque minus literas Marcarum, ab Hiſpanorum, Britannorum, Suecorum, aliorumque, Regibus nuper promulgatas; porro Admiralitatum officia in repreſſaliis applicandis; excurſionum maritimarum leges, & alia, quæ ſane lectoribus non ingrata erunt, cum ſicco pede præterire ea ſoleant reliqui ſcriptores. Sed hæc, in ſummarium redacta, per ſpecies ſi exequi vellemus, liber, non epitome, exiret. Hoc unum modo, officio ſuo cumulate feciſſe ſatis Autorem noſtrum, addamus.

CONTINUATA VOLUMINIS SEXTI COMMENtariorum Petropolitanorum Recenſio.

Conf. *Nova Acta* hujus *Anni Menſ. Octobr. pag. 597 ſeq.*

In *Claſſe Phyſica* habentur: 1) *G. D. de mutilatis brachiis in puero, cujus Tomo III Commentariorum facta eſt mentio, Diſſertatio anatomico-phyſica.* Eruditiſſimus Autor id ſibi agendum ſumit, ut cauſam pravæ infantum conformationis a matribus conjiciat in embryones ipſos. Quare, quamvis Anatomen contra ſe loquentem habiturus erat, ſupponit, fœtus humanos, poſtquam in utero eſſe cœperunt, nullum cum matribus alere nexum, nec tantum aliquot a conceptione diebus libere huc illuc ferri, ſed & omni geſtationis tempore ſibi relinqui ſolis, placentam, utero adhærere, firmandi fœtus gratia, nec immergi utero placentæ vaſa, ſed his atque utero, chorii intercedere laminam, quo clarum eſſe poſſit, circuitum ſanguinis inter matrem & fœtum haberi nullum. Interea tamen largitur, aliquid ex uteri emiſſariis effundi, quod nutrimenti loco eſſe poſſit. Eſſe embryonem in matre, prout vermes ſunt in inteſtinis, quibus & homini nulla propterea vaſa communia interſint. Provocat ad ova piſcium & volatilium, & ad viviparorum etiam piſcium fœtus, qui uteris neutiquam alligati cernuntur. Quare, cum nihil ſit, quod fœtui atque matri intercedat, nihil etiam terrorem

matrum

matrum ad pravam fœtuum conformationem conferre evincit. Accuſatur ipſe embryo, cujus liquor nerveus parciſſimus, imo fere nullus, eſſe dicitur; quapropter etiam naſcentes nihil capiant mente, nulla re turbentur, nullo ſtrepitu a ſomno avertantur, omnis generis liquores perinde lingant. Habere etiam viſus eſt aliam rationem, inæqualem ſanguinis a corde ad cerebrum projectionem in fœtu; quare fieri haud raro ſoleat, ut male nutrita fœtuum membra flacceſcant, aut alio modo immutentur. Favet ſyſtemati caſus: Gemelli, uno nixu editi, inæquali ſucceſſu naſcebantur, primigenus utroque brachio mutilus, a primo proximus omnibus partibus perfectus, & læte valens. Nocitura erat utrique, ſi tamen nocuiſſet, phantaſia materna; quare, quæ nocuit, cauſam fœtui infuiſſe decet. Additur mutili partus anatome. Quicquid muſculorum ſcapulæ ineſſe, aut in capite humeri figi, decet, adfuit. Os ipſum brachii capite tenus perfectum, cetera nullum. Non leve argumentum & illud viſum eſt, matrem huic errori nullam dediſſe occaſionem, eo quod mutilus infans, ſuo morbo afflictus, thorace & pericardio ſerum ſanguine tinctum & pus contineret. Adduntur quædam de folliculis membranaceis articulorum, quales etiam in inteſtino recto glandularum nomine obſervari ſolent. Hanc ſequitur 2) *de Cordibus villoſis* Diſſertatio *Jo. Weitbrechti.* Tribus vicibus id evenit Eruditiſſ. Autori, cadavera ſecanti, ut cor detegeret cruſta lardoſa tectum, & villis obſitum talis materiæ, qualis eſt polyporum. Pericardiis circumfuit iſtud velum, adſpectu prorſus mirabile, non ex pinguedine forte textum, ſed ſeroſæ originis, dum ſanguinis fluida pars tranſpiratione in pilis ſimilem compagem excrevit. Tale velum alibi ſub coſtis, interque inteſtinorum gyros, deprehenderat. Concreſcere ſerum ſanguinis in cruſtam, novum non eſt. Sanguini pleuriticorum, aut alio morbo inflammatorio laborantium, vena ſecta, ejusmodi cruſta inflammatoria innatare ſolet; quare ex pericardii vaſculis ſanguiferis talem effloruiſſe halitum, ſolidiore forma concreſcentem, nemo facile mirabitur. Hinc legimus 3) ejusdem *Jo. Weitbrechtii de Circulo Sanguinis Cogitationes phyſiologicas.* Poſtquam ab *Harvæo* detectus, a *Pequeto* novis experi-

Digitized by Google

perimentis obfirmatus fuit ſanguinis circuitus, feliciſſima ingenia in eo deſudarunt, ut ſanguinis projectionem, cordis robur, duplicis vaſis ſanguiferi actionem, motuum cordis & vaſorum moras & ſynchroniſmum, acute deſcriberent, nec in alia quacunque phyſiologici argumenti materia ſubtilius philoſophati ſunt eruditi, quam in hac, quæ vitæ rationes deſcribit. Eruditiſſ. Autor, *Graveſandii* principiis innixus, de itu redituque ſanguinis recte meditatus eſt. Deſcribit valvularum in arteriis, pulmonali & aorta, actionem, qua, quod projectum eſt, relabi in eum, unde digreſſum fuit, locum nequit. Non autem, quæ uno ictu cordis proſiliit columna ſanguinis, omnibus ſtatim arteriis diſpergitur, ſed ſubſiſtit primo ante diviſionem aortæ in ramos, deinde, ſuccedente pulſu, novaque pellente columna, ramos ſubit partim, partim trunco progreditur, donec, fluctu pellente fluctum, ſanguis in minima vaſa arterioſa propellatur. Quando cor in diaſtole verſatur, interea non minus ſanguis progreditur. Urgetur enim ab elaſticis arteriarum parietibus in anguſtiora ſenſim & anguſtiora ſpatia, ſicque tandem e minimis arteriolis transit in minima venularum primordia, non forte ſyſtoles tempore, ſed in utroque cordis ſtatu, quo denique efficitur, ut ſanguis in ſpatia ſenſim ſenſimque ampliora deferatur, & tantum illius in dextrum delabatur ventriculum, quantum ſiniſter projecit. Videtur Cel. Autor auriculis nullam largiri actionem, ſed easdem pro venarum habere appendice; negat, intra easdem colligi ſanguinem, earum virtute premi, ſed ſaltem per easdem defluere; provocat ad utriusque auriculæ menſuram inæqualem, ſi tamen inæqualis eſt: nam ſinus venæ pulmonicæ parvitatem ſiniſtræ auriculæ abunde compenſat; provocat ad utriusque ventriculi columnam ſanguineam, quarum hac ad pulmones, illa ad corpus, æqualibus momentis projicitur, hinc auriculas, cum inæqualis ſint capacitatis, ſanguinem æqualium capacitate ventriculorum metiri haud poſſe arguit. Digna eſt, quam totam in ſuccum convertas, Commentatio. Excipit hanc 4) *J. G. D. de Aortæ & ſpinæ dorſalis mira corruptione Diſ-*

ne Diſſertatio. Anevriſmata arteriarum cum carie oſſium, quibus accumbunt, conjunctiſſima eſſe, experientia loquitur. Habent enim id arteriæ, ut vel oſſeis concludantur canalibus, vel oſſibus preſſius accumbant, fulcimentum inde habituræ. Maxime autem aorta, deſcendens vertebris dorſi earundemque ligamentis, mediante habitu pleuræ celluloſo, quem mediaſtinum poſticum haud male dixeris, alligatur, dum copioſiſſimæ abinde per ſubſtantiam vertebrarum ſpongioſam ſubeunt arteriæ. Quare, ubi aorta in anevriſma elevatur, id ſpinæ evenit, quod aliis oſſibus anevriſmati vicinis, quo a deſtillante per tunicas arteriæ humore acri deſtruantur; neque enim aliter caries anevriſmatis effectus eſſe poteſt; quapropter & in hoc, quod nitidiſſimum eſt & oppido rarum exemplo, anevriſmati, ſenſim ſenſimque ad pugni magnitudinem excreſcenti, attribuitur, quod vertebræ a tertia ad ſextam eſſent exeſæ & corruptæ, dum aorta ſeſe factis intra vertebram ſingulam ſinubus accommodaverat, non aliter ac truncus arboris, muro preſſe accumbens, (utitur enim hac ſimilitudine,) ſcrobibus muri ſeſe accommodat, & convenientia iisdem tubera cortice molitur. Intra tunicas aortæ, majorem in modum diſtentas, tophaceæ materiæ vis collecta fuit, ita, ut manu compreſſum anevriſma mire crepitaret. A quatuordecim enim, quæ naturalis plerumque eſt linearum menſura, ad ſex pollicum cum dimidio diametrum aorta excreverat. TAB. V Fig 1. 2.

In *Claſſe tertia*, continente *Hiſtorica, & Critica*, extat 1) *Diſſertatio de Literatura Mangiurica*, Autore *Theophilo Siegfr. Bayero.* Antiquiores Geographi totam ſeptentrionalem Aſiam, & quicquid fere terrarum inter Volgam fluvium, Caſpium mare, Indiam, Sinas, denique Ruſſiam, interjectum fuit, magnam Tartariam vocarunt, ut altera eſſet minor, in Cherſoneſo Taurica. Nondum ſatis ab hoc errore cavent eruditi; etſi jam melius, quam olim, poſſint, cum intra hos paucos annos tantum de his regionibus & populis editum fuerit, quantum antea multis Seculis non fuit exploratum. Jam & Mangiuros rectius novimus, quos olim Miſſionarii in Sinis Tartaros Orientales nuncupare ſolebant;

& Man-

Digitized by Google

Fig. I




Fig. II.

Digitized by Google

Digitized by Google

& Mungalos, qui ab iisdem dicebantur Tartari occidentales. Mangiuri a Mungalis ſermone vehementer diſcrepant; vultu cognationem ab ſtirpe ultima produnt. At *Dürben Oelöbt*, ſeu *Dürben Oeröbt*, qui vulgo a nobis Calmucci appellantur, non modo in vultu, verum etiam in lingua, cum Mungalis conveniunt. Linguæ ea fere eſt diverſitas, quæ ſermonis in ſuperiori inferiorique Germania. Sed ſcriptura omnibus his populis eadem eſt, tantummodo quod pro ratione linguæ cujusque literæ nonnullæ vel omiſſæ, vel adjectæ ad numerum, fuerunt, aut quod in literarum ductibus ſuo quisque populus ingenio indulſit. Sic quædam etiam diverſitas reperitur inter literas penicillo ſcriptas, & typis excuſas. Illæ enim liberioribus ductibus vagantur. Typorum uſum Sini videntur cum his populis communicaſſe; eodem enim modo totas in aſſeribus exſculpunt imprimuntque paginas. Ante aliquot tamen annos *Joannes Renatus*, Holmienſis, apud *Contaiſcham*, Principem populi *Songar*, (quos Calmuccos Orientales vocare ſolemus,) typographiam more Europæorum inſtruxit literis ſtanneis, quæ aptari poſſint in voces & lineas. Sed ipſa in Japania harum literarum veſtigia ex ſpeciminibus *Kæmpferianis* deprehenduntur. Mungali primi omnium has literas a Syris, vel Jacobitis, vel Neſtorianis, acceperunt, quorum ad eam rem ope *Gingiſcanus* uſus fuit. Primum quidem ex ſcripturæ Syriacæ ratione, in Mangiurica, Mungalica, & Calmuccica, lingua retinetur, ut lineæ literarum a ſumma pagina exarentur deorſum uſque ad imum paginæ pedem. Hoc ſcribendi genus *Dionyſii* Thracis Scholiaſta & *Euſtathius* Theſſalonicenſis χαμαιφόρον dixerunt, quo vocabulo, ut aptiſſimo, lubenter utimur. Ita igitur, inquit Autor, ſcribunt, ut Sini, modo tamen alio. Nam Sini lineas illas ſuas a dextera exordiuntur; Mangiuri item, ut Syri, a ſiniſtra. Cum vero hi populi ſchedas ſuas legunt, ſolent nonnunquam iterum ad morem Syrorum eas vertere, ut, quæ χαμαιφόρως ſcripta fuerunt, ea legant a dextera verſus ſiniſtram. Idcirco Sinicum ſcripturæ genus magis proprie

Digitized by Google

eſt *κιονηδὸν*, ut *Dionyſianus* Scholiaſta eloquitur. Literæ Mangiuricæ, Mungalicæ, & Calmuccicæ, ſic ſunt factæ, ut ad celeritatem ſcibendi magis etiam accommodatæ ſint, quam Syriacæ. Nam unaquæque vox ſine interruptione una in linea tanquam perpetuo tractu cohæret. *Altera* Diſſertatio eſt ejusdem *Bayeri de Ruſſorum prima expeditione Conſtantinopolitana*. Expeditio hæc antiquiſſimorum Ruſſorum incidit in annum a Chriſto nato 863, vel 866, quo illi, ducentis lintribus Hierum ingreſſi, per commoditatem ſtationis excurſiones faciebant, & multa cum ſtrage Chriſtianorum deſæviebant, ut *Symeon Logotheta* & *Leo Grammaticus* teſtantur. Sed hæc curatius explicat *Nicetas David Paphlago* in Vita *Ignatii* Patriarchæ, cujus verba, cum ſcrupulus, de tempore a *Niceta* injectus, a nobis ſupra exemtus ſit, huc apponemus:

Κατ' ἐκεῖνον γὰρ τὸν καιρὸν τὸ μιαιφονώτατον τῶν Σκυθῶν ἔθνος, οἱ λεγόμενοι Ῥὼς, διὰ τοῦ Εὐξείνου πόντου προσκεχωρηκότες τῷ Στενῷ, καὶ πάντα μὲν χωρία, πάντα δὲ μοναστήρια διηρπακότες ἔτι δὴ καὶ τὸν τοῦ Βυζαντίου περιοικίδων κατέδραμον νησίων σκεύη, μὲν πάντα ληϊζόμενοι καὶ χρήματα, ἀνθρώπους δὲ τοὺς ἁλόντας πάντας ἀποκτείνοντες. Πρὸς οἷς καὶ τῶν τοῦ Πατριάρχου μοναστηρίων βαρβαρικῷ καταδραμόντες ὁρμήματι καὶ θυμῷ· πᾶσαν μὲν τὴν εὑρεθεῖσαν κτῆσιν ἀφείλοντο, εἴκοσι δὲ καὶ δύο τῶν γνησιωτέρων αὐτοῦ κεκρατηκότες οἰκετῶν, ἐφ' ἑνὶ τροχαντῆρι πλοίου τοὺς πάντας ἀξίναις κατεμέλισαν.

Ea tempeſtate Scytharum gens crudeliſſima, Roſſi dicti, ab Euxino Ponto digreſſi in Stenum & omnes regiones, omnia monaſteria prædis agendis pervagati, etiam per inſulas circa Byzantium excurrerunt, ſupellectilem omnem deprædantes & argentum, homines autem, quos ceperant, necantes: præterea Patriarchæ monaſteria barbarico furore & impetu incurſantes, omni ſupellectili, quam invenerant, direpta, viginti atque duos ex fidiſſimis ejus captos uno in navigii trochantere ſecuribus percuſſerunt univerſos.

Καὶ

Καὶ γὰρ οὐ μόνον τὸ ἔθνος τοῦτο, τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν τῆς προτέρας ἀσεβείας ἠλλάξατο, ἀλλά γε δὴ καὶ τὸ παρὰ πολλοῖς πολλάκις θρυλλούμενον καὶ εἰς ὠμότητα καὶ μιαιφονίαν πάντας δευτέρους ταττόμενον τοῦτο δὴ τὸ καλούμενον τὸ Ῥώς, οἱ δὴ καὶ κατὰ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχῆς τοὺς περὶ αὐτῶν δουλωσάμενοι, κἀκεῖθεν ὑπέρογκα φρονηματισθέντες χεῖρας ἀντῆραν. ἀλλ' ὅμως νῦν καὶ οὗτοι τὴν τῶν Χριστιανῶν καθαρὰν καὶ ἀκίβδηλον θρησκείαν τῆς Ἑλληνικῆς καὶ ἀθέου δόξης, ἐν ᾗ κατείχοντο πρότερον, ἀντηλλάξαντο, ἐν ὑπηκόων ἑαυτοὺς καὶ προξένων τάξει ἀντὶ τῆς πρὸ μικροῦ καθ' ἡμῶν λεηλασίας, καὶ τοῦ μεγάλου τολμήματος ἀγαπητῶς ἐγκαταστήσαντες. Καὶ ἐπὶ τοσοῦτον αὐτοὺς ὁ τῆς πίστεως πόθος καὶ ζῆλος ἀνέφλεξεν (Παῦλος πάλιν βοᾷ, εὐλογητὸς ὁ Θεὸς εἰς τοὺς αἰῶνας) ὥστε καὶ ἐπίσκοπον καὶ ποιμένα δέξασθαι, καὶ τὰ τῶν Χριστιανῶν θρησκεύματα διὰ πολλῆς σπουδῆς καὶ ἐπιμελείας ἀσπάζεσθαι. Τούτων οὖν οὕτω τῇ τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ χάριτι, τοῦ πάντας ἀνθρώπους θέλοντος σωθῆναι καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, τῶν παλαιῶν αὐτοῖς δοξασμάτων

At non ſolum gens iſta fidem in Chriſtum cum priſtina impietate commutavit, verum etiam populus apud multos ſæpe ſermonibus & fama celebratus, & tum ob ſanguinis humani ſitim omnes alios populos poſt ſe relinquens, Roſſi, inquam, qui poſtquam vicinas in circuitu gentes ſub jugum miſerunt, atque ob eam cauſam ſuperbia elati, magnifice de ſe ſentientes, contra Romanum imperium manus ſuſtulerunt, nunc tamen & ipſi Chriſtianorum puram & incorruptam religionem cum pagana & impia ſuperſtitione, qua antea tenebantur, commutarunt, atque veluti obſequentes amicoſque ſeſe gerunt, cum paulo ante nos latrociniis ſuis exagitarunt, magnumque facinus aggreſſi ſunt. Et adeo eos fidei deſiderium amorque incendit, (*Paulus* hic iterum exclamat: Benedictus ſit Deus in ſecula,) ut etiam & Epiſcopum & paſtorem ſuſceperint, cultusque Chriſtianos multis ſtudiis & magna cura complectantur. Hi cum eum in modum gratia miſericordis Dei, qui omnes homines ſervari vult, & ad co-

Digitized by Google

μετατιθεμένων καὶ τὴν εἰλικρινὴν των Χριϛιανῶν πίϛιν ἐκείνων ἀλλασσομένων ἐι διανοϛάιη καὶ ἡ ὑμετέρα ἀδελφότης συμπροθυμηθῆναι καὶ συγκατεργάσασθαι ἐις τὴν ἐκκοπὴν καὶ καῦσιν τῶν παραφυάδων ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριϛῷ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἡμῶν πεποιθότες ἐσμὲν αὐτοῦ, επὶ πλέον ἔτι μᾶλλον ὅτι τὸ ποίμνιον, αὐξηθήσεται καὶ πληρωθήσεται τὸ εἰρημένον, ὅτι ἐιδήσουσί με πάντες ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου αὐτῶν.

gnitionem veritatis pervenire, priſcos ſuos errores depoſuerunt, & eorum in locum ſinceram Chriſtianorum fidem ſuſceperunt, ſi veſtra fraternitas ſimul ſeſe excitet ad rem communi ſtudio juvandam, excidendosque & exurendos ſtolones, in Domino Jeſu Chriſto vero Deo noſtro, confidimus, fore, ut grex ejus longe adhuc magis creſcat, & ut impleatur, quod dictum eſt: Cognoſcent me omnes inde a parvo ad magnum.

Eruditiſſimæ ſunt commentationes, quibus hoc monumentum & declaratur, & illuſtratur.

DE APPARENTIIS ANNULI SATURNI Commentatio, Autore GODOFREDO HEINSIO, *in Acad. Lipſienſi Mathem. P. P. O. & Acad. Imper. Scient. Petropolitanæ Membro honorario.*

Lipſiæ, apud Jo. Chriſt. Langenhemium, 1744, 4.
Plag. 11, Tab. æn. 3.

Inter miranda Syſtematis noſtri planetarii phænomena, quæ nobis teleſcopiorum ope recentioribus temporibus apparuerunt, Annulum, quo Saturnus cingitur, forma ſingulari, atque apparentiarum viciſſitudine, inprimis ſeſe commendare, conſtat. Hinc eſt, quod plurimæ a celeberrimis recentioribus Aſtronomis, *Hugenio*, *Hevelio*, *Hockio*, *Flamſteedio*, *Caſſino*, *Maraldo*, aliisque, circa eum inſtitutæ ſint obſervationes, quibus figura ejus, poſitio, varietates lucis, atque umbræ in Saturnum projectæ, aliaque, ad cogitionem ejus, præſertim phyſicam, pertinentia, ſunt determinata. Incitare poterant hæc Aſtronomos, ut de omnibus his apparentiis ad leges certas reducen-

Digitized by Google

ducendis, atque theoriæ geometricæ, ſicut alia phænomena cœleſtia, ſubjiciendis, cogitarent; ſed profecto dictu mirum, egregiam adeo materiam ita neglectam jacuiſſe, ut non niſi generalia quædam circa ſeriem apparentiarum *Hugenio* & *Gregorio* determinata exſtent, ſolusque Cel. *Maraldus* in *Comm. Ac. Pariſ. A. 1715* & *1716* ex obſervationibus poſitionem lineæ nodorum aſſignare conatus fuerit. Hoc igitur opus feliciſſime executus eſt Cel. *Heinſius*, Matheſeos apud nos Profeſſor meritiſſimus, qui cum jam aliis ſpeciminibus, quantum in Aſtronomia valeat, oſtenderit, inutile exiſtimamus, judicare, quid æqui harum rerum judices de theoria, in præſenti Tractatu tradita, ſibi promittere debeant.

Præmittit primum Cel. Autor fundamenti loco ſuppoſita quædam, quibus tota hæc theoria innititur. Qua ratione annulus Saturnum cingat, & cum eo moveatur, ſatis conſtat. Dimenſionem ejus aſſumit ſecundum *Hugenium* talem, ut ſemidiameter annuli ſit ad ſemidiametrum Saturni = 9 : 4; ejusque latitudo æqualis intervallo inter marginem interiorem, ipſamque Saturni ſuperficiem. Inclinationem conſtantem plani ejus ad Saturni orbitam ſtatuit cum *Maraldo* = 30°, lineamque nodorum iſtius plani & orbitæ initio A. 1744 per 20° 8′ ♍ & ♓ transeuntem. Exinde, ponendo cum *Caſſino* nodum orbitæ Saturni & Eclipticæ adſcendentem ad init. A. 1744 in 21°. 55′. ♋, & inclinationem ad Eclipticam = 2°. 30′. 36″, prodeunt nodi annuli & Eclipticæ in 16°. 36′. 30″ ♍ & ♓, & inclinatio ad Eclipticam = 31°. 23′. 17″. Ex his elementis facile patet, inveniri poſſe poſitionem plani annuli reſpectu Eclipticæ pro quovis loco Saturni in ſua orbita, ita ut hujus orbitæ rationem haberi opus non ſit; dum nempe in plano Eclipticæ definitur recta (lineæ nodorum parallela), in qua ſecatur a plano annuli, per quam & centrum Saturni ductum planum poſitionem annuli determinat.

His poſitis, pergit Cel. Autor ad explicandas apparentias, quæ, pro varia poſitione cum annuli, tum terræ, debent conſequi. Quod primo ad planum annuli attinet, habet annulus vel eum ſitum, ut interſectio illius cum Ecliptica alicubi

terram

Digitized by Google

terram in orbita ſua attendat, quo fiet, ut ante, quam terra illam lineam attigerit, una annuli ſuperficies, poſtea autem altera, conſpiciatur; vel interſectio illa cadit ita, ut terra, durante motu annuo, ad eam non pertingat, unde ſemper unam tantum annuli ſuperficiem adſpiciet. Exinde etiam pendet apparentia annuli ipſius, reſpectu figuræ, quam quidem patet fore linearem, (ob craſſitiem annuli non ſenſibilem,) ſi terra in interſectionem illam perveniat, ellipticam autem, ſi extra illam ubicunque verſetur, ita ut pro minori, vel majori, Ellipſeos dilatatione Saturnus vel brachiis,vel anſis, inſtructus conſpiciatur. Porro alia apparentiæ viciſſitudo oritur ab illuminatione annuli a Sole. Si enim interſectio plani annuli & Eclipticæ cadat in ipſam lineam nodorum, utraque ejus ſuperficies tantum ab uno Solis hemisphærio illuſtratur, idque valde oblique, marginis autem craſſities eſt inſenſibilis, unde, ubicunque terra ſtatuatur, annulus plane videri nequit. Dein, recedente annulo a nodo adſcendente, borealis ſuperficies illuminari incipit, auſtralis autem prorſus in tenebris verſatur, donec in nodo deſcendente contrarium incipiat. Attamen, etſi annulus jam a nodo aliquantum remotus ſit, tamen per aliquot dies non conſpicitur; unde colligere licet, requiri certam Solis elevationem ſupra planum annuli, ut in conſpectum prodire poſſit, quam Cel. Autor *terminum ſufficientis illuminationis* appellat. Denique, combinando has conditiones illuminationis cum motu terræ, alia adhuc apparentiarum ſeries emergit. Quodſi enim terra attendat alicubi interſectionem illam plani annuli cum Ecliptica, brachia continuo minuentur, & paulo ante hoc tempus conſpectum effugient; unde patet, certam requiri elevationem oculi ſuper plano annuli, ut brachia, ſufficientem luminis copiam reflectendo, fiant ſenſibilia, quæ *terminus ſufficientis elevationis oculi* a Cel. Autore dicitur; tunc igitur Saturnus phaſin rotundam adſciſcet, eamque retinebit, etiamſi terra rectam illam prætergreſſa ſit, cum ſuperficies annuli obſcura tunc & obverſa ſaltem faſciam obſcuram in Saturni diſco repræſentet, donec ſecunda vice per rectam illam tranſierit.

Terra,

Digitized by Google

Terra, atque poſt aliquod tempus brachia iterum appareant, & per reliquum tempus, quatuordecim circiter annorum, perpetuo conſpiciantur.

En præcipua phænomena annuli Saturni, quæ ſub certis conditionibus, quas expoſuimus, conſequi debent. Cum vero Aſtronomi ſit, non ſolum generatim conditiones phænomenorum indicare, ſed & inprimis calculo eas definire atque prædicere; hoc in ſequentibus aggreditur Cel. Autor. Qua in re ad duo potiſſimum capita reſpicit; dum vel Saturnus in ea orbitæ parte verſatur, ut annulus aliquando diſparere poſſit, vel in ea, ut ſemper appareat. Quod itaque ad prius attinet, primo docet definire tempus, quo planum annuli per centrum Solis tranſit, quodque patet idem eſſe cum tempore, quo Saturnus in alterutro nodo annuli & orbitæ e Sole videtur; unde, ad anomaliam veram nodi adſcendentis $= 8^s. 21^o. 2'$, facile ex Tab. Aſtron. per interpolationem inveniri poteſt. Ita e. g. prodeunt tranſitus 1744 d. 15 Jul. 1760 d. 5 Maji, 1773 d. 30 Dec. &c. Dein accedit ad Problema alterum, quo appulſus Terræ ad planum annuli definiendus eſt. Hoc Problema facile expediri poteſt, ſi inclinatio orbitæ Saturni ad Eclipticam negligatur, & hic in plano Eclipticæ moveri ſupponatur; nulla enim re opus eſſet, quam ut ex Ephemeridibus excerperetur longitudo Saturni geocentrica, quæ ſit eadem cum loco nodi orbitæ & annuli. Cum vero rigor aſtronomicus talia fingere haud permittat, inprimis ſi obſervationes annuli adhibendæ ſint ad ejus theoriam perficiendam; in ſequentibus accuratius diſquirit Cel. Autor de inveniendis locis in orbitis Terræ & Saturni, quibus ſecatur utraque a plano annuli producto; quæ *loca harmonica* appellat. Ante omnia igitur formulam generalem condit, qua relatio mutua inter duo iſta loca definitur, qualescunque ſint orbitæ, quæ nempe continet æquationem inter angulos cum lineis nodorum & diſtantias a Sole; dein eam applicat ad varias orbitarum hypotheſes. Primo itaque ſumit orbitas circulares & Soli concentricas, quo caſu fit ſolutio valde ſimplex; ex eaque prodeunt limites, intra quos Saturnus a nodo remotus eſſe debet, ut planum annuli orbitam Terræ

 ſecare,

ſecare, ſeu annulus diſparere, poſſit, utrinque $= 6^{\circ}. 16'$. cui angulo ad utramque partem ſumto reſpondet motus medius Saturni unius anni & 9 dierum. Dein, poſita orbita Saturni vera, & Terræ orbita circulari excentrica, rem aggreditur; denique idem expedire docet poſita Terræ orbita vera elliptica; ita ut pro quovis loco Saturni in orbita aſſumto reperiri poſſit locus Terræ harmonicus. Comparatis inter ſe hypotheſibus iſtis, circularis concentrica multum a veritate aberrare tunc inprimis deprehenditur, cum Saturnus prope limites poſſibilitatis diſparitionis annuli hæret. Ceterum ex poſtrema hypotheſi prodeunt hi limites, intra quos Saturnus a nodo diſtare debet, ſeu anomaliæ veræ; pro nodo deſcendente $2^{s}. 14^{\circ}. 44'$ & $27^{\circ}. 12'$, pro adſcendente $8^{s}. 14^{\circ}. 45'$ & $27^{\circ}. 26'$. Exhibetur etiam ſpeciminis loco Tabula, in qua pro variis anomaliis Saturni prope nodum adſcendentem, quæ ultra 30′ a ſe invicem non diſtant, ex Tab. *Caſſini* computatæ ſunt, anomaliæ Terræ harmonicæ. Inventis itaque locis Saturni & Terræ harmonicis, reſtat, ut determinetur tempus, quo, Saturno in loco quodam exiſtente, Terra ſimul in locum harmonicum perveniat, quoque tranſitus Terræ per planum annuli productum contingit; quod quomodo ope Tabularum aſtronomicarum, adhibendo methodum interpolandi, expediri poſſit, perſpicue docetur.

Quamvis autem inventa ſint hoc modo momenta, quibus planum annuli vel per Solem, vel per Terram, tranſit; tamen ex ſuperioribus patet, diſparentiam annuli contingere jam ante & adhuc poſt utrumque tempus; unde opus eſt, invenire ſufficientem elevationem tam Solis, quam Terræ, ſuper plano annuli. Primo igitur docet Cel. Autor, pro quavis Saturni elongatione a nodo annuli invenire elevationem Solis ſuper plano annuli, & vice verſa. Terminum ſufficientis illuminationis invenit *Maraldus* $= 8'$, unde prodit elongatio Saturni a nodo $= 16'$, cui reſpondet motus medius 8 dierum fere, quibus hac ex cauſa diſparere poteſt annulus ante, vel poſt, tranſitum plani per centrum Solis. Oſtendit autem Cel. Autor, fieri non poſſe, ut in eodem tranſitu tam diſparitio, quam apparitio annuli e Terra conſpiciatur, ac exinde nodus

annuli

annuli, & elongatio Saturni ab eo, in termino ſufficientis illuminationis, per obſervationes definiantur. Ex cognita elevatione Solis ſuper plano annuli facile etiam determinatur apparentia annuli ex Sole. Quod nunc ſecundo ad elevationem Terræ ſuper plano annuli attinet, eam pariter pro data elongatione Saturni geocentrica a nodo annuli & Eclipticæ inveniendi modus docetur; unde & pendet determinatio ellipſeos, quam annulus referet. Ut autem reperiatur ea elevatio, quæ terminum ſufficientis elevationis oculi (ut ſupra diximus) conſtituit, ad obſervationes recurrere neceſſe eſt. De qua cum huc usque nondum certe inter Aſtronomos conſtiterit, eaque vulgo unius gradus & amplius ſit credita; ejus exacta determinatio primum Cel. Autori noſtro debetur. Is enim, cum ſub finem A. 1743 ejusmodi apparentiam futuram prædixiſſet, hac de re obſervationes, quoties licuit, Petropoli inſtituit, uſus tubo *Gregoriano* optimæ notæ, ſpeculo 37 pollicum inſtructo, & objecta 110 vicibus augente. Igitur d. 8 Dec., quo Terra erat annuli plano proxima, & $34\frac{1}{2}'$ ſuper eo elevata, brachia adhuc conſpexit, ſed tam exigua, ut non niſi tenuiſſimarum linearum ſpeciem præ ſe ferrent, & ob debilitatem luminis difficulter conſpicua eſſent. Cum autem propinquitas Lunæ apud Saturnum tempore obſervationis brachia paulo debiliora effeciſſe videri poſſet; terminum ſufficientis elevationis oculi vero quam proxime $= 30'$ ſtatuere non dubitat Cel. Autor. Hunc porro terminum etiam adhibere docet ad nodos annuli & Eclipticæ, ex obſervata apparitione, vel diſparitione, quadam annuli circa congreſſum cum Terra, & cognita inclinatione ejus ad Eclipticam, definiendos; quæ quidem methodus exactior eſt ea, qua Aſtronomi vulgo utuntur, quæque obſervatione annuli circa tranſitum plani per Solem nititur. Ex cognito nunc tempore congreſſus plani annuli cum Terra facile invenietur, adhibita interpolatione, tempus, quo Terra ad terminum ſufficientis elevationis pertingit, ſeu momentum diſparitionis, vel apparitionis, annuli. Atque ſic omnia abſoluta ſunt, quæ ad hujus phænomeni exactam cogitationem deſiderari poſſunt; quem in finem adjecta adhuc eſt methodus ſchema conſtruendi, cujus ope ordo phænomeno-

 rum

Digitized by Google

rum apparitionis & diſparitionis perſpicue ante oculos ponitur.

Quæ in præcedentibus de apparentia annuli exhibita, atque ad eum inprimis caſum applicata fuerunt, quo annulus diſparere poteſt, ea generatim locum habent, in quacunque orbitæ parte Saturnus verſetur. His igitur addit tantum Cel. Autor conſiderationem umbræ, quam & pars annuli anterior in diſcum Saturni, & globus Saturni in partem annuli poſteriorem, projiciunt. Utramque patet pendere ex apparentia tam e Sole, quam e Terra, easque definiendi modus docetur, & Tabulæ hunc in finem neceſſariæ adjiciuntur. Ex his omnibus tandem conſequitur ſolutio completa Problematis: Ad datum tempus apparentiam Saturni cum annulo & umbris e Terra prædicere; quo ipſo huic theoriæ finis imponitur. Adjecit adhuc quædam de craſſitie annuli, quam *Hugenius* aliique ſtatuunt ſenſibilem, eo quod in tranſitu plani ejus tam per Solem, quam per Terram, faſcia obſcura in diſco Saturni appareat; ita tamen comparatam, ut lumen debilius, quam reliquæ annuli ſuperficies, reflectat. Sed monet Noſter, nulla eſſe argumenta, quæ hanc hypotheſin ſuadeant, quin potius præſtet, craſſitiem illam ſtatuere inſenſibilem. Nam in tranſitu per Solem ſuperficies obſcura annuli, in tranſitu vero per Terram umbra annuli, in diſcum Saturni projecta, hanc faſciam nigram producere poſſunt. Utrumque ceſſaret, ſi planum annuli tam per Solem, quam per Terram, ſimul tranſiret; qui ergo caſus hac de re decidere poſſet, etſi fatendum ſit, eum eſſe adeo rarum, ut vix ſperari poſſit. Sic itaque brevem ideam effinximus Tractatus hujus, in quo unum ex elegantiſſimis Aſtronomiæ capitibus perſpicue & ſolide dilucidatur, quod & ita comparatum eſt, ut theoria de eo tradita ad aliud etiam phænomenon cœleſte, nimirum ad apparentias orbitarum Satellitum Jovis & Saturni, paucis mutatis, facile applicari poſſit. Hoc autem maxime in votis habemus, habebuntque omnes, qui ſcientiis favent, ut Cel. Autor egregios ingenii ſui fructus orbi literario porro impertiri, iisque ſcientias, inprimis Aſtronomiam, ornare atque locupletare, pergat.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS RUDOLPHI KIESLINGII, S. S. *Theol. D. & Prof. P. O. in Academia Lipſienſi, Exercitationes theologico-hiſtoricæ, quibus D. JO. CHRYS. TROMBELLII, Ab. Bon. Diſſ. duæ, VII & VIII, Tomi II Partis prioris de cultu reliquiarum, modeſte diluuntur.*

Lipſiæ, ex officina Clanneri, 1746, 4.

Alph. 1 plag. 19.

Ut pergeret Venerabilis Autor in ſtadio, quod fuerat ingreſſus, feliciter decurrendo, cum orbe literario *tertium* nuper communicavit *Volumen* Exercitationum Anti-*Trombellianarum*, quibus ſpecioſa, incerta, & ludicra, cœtus Pontificii de cultu reliquiarum argumenta produntur. Omnem hujus rei rationem in ſola ſuperſtitione, & plus quam ſervili obſequio, quod Pontificis Romani & monachorum illi præſtant mandatis, conſiſtere putat, cujus religionis ſpecie, mirum eſt, ſummos etiam Principes, & viros alioqui doctos ac ſapientes, adeo ſe capi paſſos, ut nullo modo ad rectiorem viam reduci poſſint. Ut vero ſobria de reliquiis, earumque variis generibus, tradatur ſententia, in Exercitatione ſtatim *prima* ex *Dominico Macro Melitenſi* nominis explicat rationem, ubi ſcriptum legitur, quod reliquia ſignificet id, quod remanet, detracta majori parte; hinc, quia principalior & nobilior hominis pars anima habetur, ideo corpus humanum reliquia dicitur, utpote quod humi remanet & relinquitur. Ampliori quidem Pontificii reliquiarum nomen complectuntur denominatione, dum non ſolum ad corporis exuvias illud adhibent, ſed ad eas quoque res transferunt, quæ ad cultum atque amictum corporis pertinent. Ex eo nunc diverſa reliquiarum genera exiſtunt. Corporis reliquias primo tractaverat Rev. Abbas Bononienſis, atque de vero iis ſtatuendo pretio ex Smyrnenſis cœtus collectione oſſium *Polycarpi* certi quidpiam afferre ſtuduerat; quam tamen cauſam haud ſatis bene egit, quandoquidem nihil aliud Epiſtolæ Smyrnenſium verba ſibi volunt, quam quod oſſa *Po-* Pag. 3.

Digitized by Google

lycarpi, ut decet Chriſtianos, depoſita fuerint in ſepulcro.
Pag. 5. Pari ratione ceteræ confutantur fabellæ, quæ de ſanguine *Stephani* Protomartyris circumferuntur, ut nullam plane ſibi, quod ad originem primam cultus reliquiarum, an-
10. tiquitatem Chriſtianorum puriorem conſentientem habeat Vener. *Trombellus*. *Secunda* Exercitatio de corporis humani exuviis pio cultu non mactandis præcipit, ubi reliquiæ *Joannis* Baptiſtæ, cujus quidem conſtat a diſcipulis integrum corpus elatum, & terræ man-
14. datum, fuiſſe, a Pontificiis oſtendi ſolitæ, modeſte ridentur. Præterea demonſtratur, nullas plane corporis partes ſuperſtites cultu adorationis debere affici, cum non ſolum profanis gentibus hæc conſuetudo debeatur, ſed ipſe Chriſtus doceat, per caput jurare non licere; atque adeo multo minus partem capitis, ut dentes & crines, adorare liceat, ſiquidem juramentum ad genus quoddam adorationis & cultus ſacri referendum ſit. Porro nec mandatum, nec promiſſum, ha-
19. bemus divinum, quod pro reliquiarum cultu militet. *Subſequens* Commentatio in varia reliquiarum prodigia, fontium ortus, ſanguinis & lactis fluxus, oſſiumque fragrantiam, quæ ex aliquorum Sanctorum cadaveribus per ſummum miraculum poſt multa etiam Secula effluxiſſe a *Trombellio* perhibetur, accurate inquirit, ubi male intellecta antiquitatis monumenta autoritati ſuæ reſtituuntur, vel cauſæ hujus rei naturales in medium afferuntur. Exempli loco adducimus *Baſilii* teſtimonium, quo de fonte ad ſepulcrum S. *Julittæ* aliquid præcipitur, ubi dextre Autor noſter de baptiſterio hunc fontem explicandum cenſet, duabus præcipue
22. cauſis permotus, quarum altera a loco, quem indicat *Baſilius*, altera vero a Chriſtianorum conſuetudine, baptiſteria circa ſepulcra Sanctorum collocandi, deſumta eſt. Deinde etiam commode monetur, ex fonte ad ſepulcrum *Julittæ* nullam ſanctitatem reliquiarum conſequi, & *Baſilium*, *Chryſoſtomum*, *Gregorium Nazianzenum* & *Nyſſenum*, aliosque veteres Autores, quando laudes Martyrum extollant, oratorum id more facere. *Gregorii Turonenſis* locus de cor-

poris

poris S. *Andreæ* miraculoſo unguento, ex ipſius judicio *Du-* Pag. 28.
pinii, plane rejicitur, nec aliter de reliquis prodigiis exi-
ſtimatur, quæ ſuis Autoribus relinquuntur. Copioſius idem
argumentum in *ſequenti* pertractatur Exercitatione, quæ mi- 30.
racula reliquiarum *divina*, & illarum prodigia *naturalia*
& *artificialia*, ſeu *fictitia*, recte diſtincteque exhibet. Mira-
cula in hoc genere divina nulla fere habemus comperta, ſi
ab *Eliſæi* recedas oſſibus, in vitam hominem mortuum le-
viſſimo contactu revocantibus. Hujus vero generis prodi-
gia non ſunt in reliquiis Pontificiorum, ut facile omnes,
qui præjudicatis opinionibus vacui ſunt, intelligunt. Ex ipſa
miraculorum vera ratione hæc ab Autore refelluntur, & in- 38.
gens miraculorum hujusmodi fictitiorum turba recenſetur.
Non dubitat ad profanorum hominum origines hæc prodi-
giorum figmenta redigere, quæ ipſi acutiores Philoſophi de-
ridebant, licet non impedirent, quo minus hæc rei publicæ 45.
ſuſtentacula conſtarent. Idem in cauſa eſſe, cur miracula ſua
publice privatimque venditent, in coetu Pontificiorum, aſſeritur.
Auri ſcilicet ſacra fames monachorum, & reipublicæ eccleſiaſti-
cæ turbandæ ſtudium, alunt hæc prodigiorum monſtra. *Sexta* Ex-
ercitatio cultum, veſtibus Apoſtolorum & Sanctorum miraculoſis 47.
delatum, improbat, & dictum *Act. XX, 12*, ab omni macula vindi-
cat, oſtendendo, res miraculoſas, per *Pauli* ſudaria geſtas, poten-
tiæ divinæ ſoli tribui, & ſpe miracula patrandi, quam Chriſtus
Apoſtolis dederat, reliquias deſtitui, nec conſequentiam inde
formari poſſe, quod eadem, quæ *Pauli* ſudariis, aliorum
Sanctorum reliquiis effici miracula debeant. In eodem cam- 77.
po emetiendo contra Adverſarium diſputat Autor noſter do-
ctiſſimus de imbecillitate hominum, quondam tactu veſtium
ſanatorum, quam tolerabat Chriſtus, & diſcipulorum ejus co-
hors. Non acceſſiſſe huic rei juſſum divinum, Autor oſtendit,
hoc etiam addens, non contactum veſtium, ſed fidem atque fi-
duciam ſanandorum, ſalutis cauſam fuiſſe, quod vel illuſtre
hæmorrhouſæ exemplum *Matth. VIII, 22*, doceat. Quanquam &
hoc urgeri poſſet, quod frigidum videatur, in hoc diſceptan-
di genere a rebus, quæ minime referendæ ſunt in numerum
reliquiarum, cujusmodi veſtimenta ſanctorum viventium
erant,

Digitized by Google

erant, ad reliquias argumentari. Hinc progreditur Noſter ad ſuperſtitioſam ſupellectilis, qua uſi dicuntur Sancti, venerationem
Pag. 63. explodendam, quæ non magis convenire cum ſana ratione videtur, quam ſi quis literas & tabulas ſanctiores lapideas & chartaceas adorandas ſibi ſumeret. Omnis enim, quæ his ſacrarum literarum documentis debetur, veneratio non ex externo, ſed interno, profluit argumento. In hac palæſtra Canon XIV Concilii Carthaginienſis, quem mirifice in rem ſuam *Trombellius* detorſerat, ingenue explicatur, ut nullus dubitationi locus ſit, quin hominum ſuperſtitionem ille compeſcuerit. Quod ad *Auguſtini* teſtimonium de cœca muliere, ope florum ad ca-
69. tacumbas *Stephani* ſanata, attinet, illud ſine cauſæ ſuæ diſpendio admittit Autor, ita tamen, ut moneat, Arianorum rabiem, tunc temporis piorum veritatis teſtium, male ab ipſis habitorum, miraculis Deum vindicaſſe, nec tamen ideo viliſſimum quodpiam inſtrumentum, quo Deo uſus fuit ad ſumma
71. patranda facinora, adorandum & colendum eſſe. *Octava* Exercitatio Hebræos ab omni reliquiarum cultu religioſo abſolvit, quos in partes ſuas trahere Rev. Abbas voluit, ut firmiſſimum inde rerum ſuarum firmamentum nanciſceretur. Digreſſus hic inſtituitur ad orandam cauſam *Stephani Act. VII, 16*, qui diſtributive dixit, Patriarcharum quosdam Sichemum, alios Hebronem, eſſe transportatos, duplicemque aſſeritur fuiſſe emtionem ſepulcralem, ab *Abrahamo* alteram, alteram a *Jacobo*, confectam. Quod vero ad deportationem iſtam omnem ſpectat, nihil hic Pontificii habent, quo cultum ſuum juvent, cum inter omnes conſtet, exuvias Patriarcharum monumentis ipſorum, ex hæreditate paterna relictis, fuiſſe inditas. Quod vero a glorioſo animarum, a corpore ſeparatarum, ſtatu ad reliquiarum cultum concludant Pontificii, in eo parum hos accurate agere, evincitur, & quædam ex Conſtitutio-
80. nibus Apoſtolicis diluuntur dubitationes. *Eliæ* pallium, quo palliat *Trombellius* errores ſuos, nulla patravit miracula ex ſe, ſed Deus *Eliæ*, qui ab *Eliſæo* ardenter invocabatur. Sub calcem hujus diſceptationis ex fimo *Jobi*, & *Chryſoſtomi* auro, reliquiarum cultus exulare jubetur. In *ſubſequenti* Commentatione de reliquiarum translatione, & ſuperſtitione inde oriun-

Digitized by Google

oriunda, agitur, ubi *Auguſtini* primo, contra Donatiſtas diſpu- Pag. 86.
tantis, autoritas vindicatur, qui in mutilato a *Trombellio* loco minime omnium de reliquiis, ſed de baptiſmo parvulorum, ſermonem fecit, deque eo ita argumentatus fuerat: Quod univerſa tenet eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non, niſi autoritate Apoſtolica, traditum 89.
rectiſſime creditur. Hic argumentandi nervus quam parum cum Rev. Abbatis ſcopis ſolutis atque relictis conſentiat, reliqua confirmant Autoris noſtri teſtimonia, ex quibus etiam apparet, S. *Ignatium* ab Antiochenis ex conſuetudine civili, apud Græcos & Latinos uſitata, honoratum, & illius oſſa a Roma- 91.
nis in memoriam tanti doctoris ad ſuas ſedes evocata; ſolennem vero reliquiarum deportationem temporibus *Conſtantini M.* in ſuperſtitionem abiiſſe, *Fleurius* jam dudum demonſtravit. *Decima* Exercitatio Proteſtantium argumenta, reliquiarum cultui oppoſita, adverſus Pontificiorum ratiunculas confirmat. Affirmatur hic, veteres Chriſtianos ſanctorum corpo- 96.
rum translationibus non indulſiſſe, magnamque committi immunitatem in hac corporum effoſſione, deportatione, imminutione, & diſperſione, ubi eleganter Poetæ verba poſſunt applicari: *Effodiuntur opes, irritamenta malorum.* Sed, ne quid habeat, quod recte Abbas excipiat, in Exercitatione *ſubſequenti* rationes, ad muniendam reliquiarum translationem allatæ, enervantur. Primum argumentum ab honore & pietate erga Deum petierat Rev. Abbas, quod quam invalidum ſit, S. Ven. Autor ex eo declarat, quia exinde ſequitur, actiones noſtras, 99.
voluntati divinæ non conformes, nihilo minus eſſe pias & probas. Secundo loco, amorem in ſanctos hoc poſtulare, Præſul Bononienſis monuerat, quin & emolumenta, ex reliquiis exſpectanda domi militiæque, hunc cultum exigere, nobis perſuaſum iverat, quæ tamen omnia in hac & *ſequenti* Commentatione curate recenſentur, & penitus evertuntur. Singularem quoque *Chryſoſtomi* locum, quo peſſime *Trombellius* ad confirmandum, dæmonas ope reliquiarum fugari poſſe, uſus fuerat, Noſter hic optime vindicavit. Coronidis loco dilemma 106.
additur, contra Adverſarium Ven. conſtructum, quod hujus eſt ſententiæ: Reliquiæ Sanctorum habent facultatem, miracula faciendi, vel ex ſe ipſis, vel ex aliis. Ex ſe ipſæ hanc pote- 112.

 ſtatem

Digitized by Google

ſtatem non habent, quia eſt divinum opus; nec a Deo, qui nullo in loco Scripturæ S. hanc virtutem reliquiis Sanctorum promiſit, & cui ſoli hoc munus competit. Ergo firmiſſime concluditur,
Pag. 114. quod nulla hujusmodi facultate gaudeant. *Decima tertia* Exercitatio rejicit *Trombellii* ſententiam de reliquiis Sanctorum, apud Pontificios rerum publicarum & urbium pignoribus & præſidiis, ubi origo hujus rei turpiſſime ex profanarum gentium ſcitis religioſis recte adſtruitur, & *Chryſoſtomi* atque *Theodoreti*, ſine forte non malo editæ, commentationes de reliquiis Sanctorum levitatis accuſantur, licet id tantum egerint iſti Patres, ut caverent, ne humilem & levem profana plebs de Mar-
117. tyribus foveret opinionem. Tunc parum ſolida Rev. Abbatis argumenta enervantur, quæ ex interitu urbis Hieroſolymitanæ & Conſtantinopolitanæ, ob neglectum Sanctorum cultum facto, collegerat. Hinc in *ſequenti* Exercitatione Pontificii, novam, per reliquias animum ſanctificandi, & peccata delendi, rationem docentes, refutantur. In ea quoque hæreſi promovenda
120. & confirmanda totus eſt *Trombellius*, contendens, nos & membra noſtra, quin & res inanimes, loca ſcilicet & templa, ſanctificari per reliquias. Ut vero falſiſſimum eſt, peccata per reliquias tolli; ita vitio vertendum Rev. Abbati, quod, latebras quærendo, a vera ſanctificationis notione receſſerit, & per illam incitamentum ad ſanctitatis ſtudium intelligat, quia nempe, conſpectis Sanctorum reliquiis, ad eorum exempla ſequenda exſtimulemur. Non ita recte judicari, Noſter copioſe & accurate docet, habilitatem reliquiis conceſſam nullam eſſe, ſive
124. mediatam, ſive immediatam, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, ſive activam, ſive paſſivam, philoſophice & theologice evincens. Poſt ea legimus Commentationem, ex Hiſtoria ſacra repetitam, in qua Concilii Nicæni ſecundi Canon de altaribus Sanctorum reliquiis adaugendis infirmatur, & Conciliorum autoritas, in rebus fidei decidendis, dijudicatur; quam diſquiſitio peculiaris
130. excipit, in qua bina teſtimonia divina a frivola miſſarum, ſuper Martyrum cadavera celebratarum, ſententia vindicantur. Erudite hic confirmatur, locum *Act. II*, 42, agere de ſacra Cœna, ſecun-
135. dum Chriſti inſtitutum ab Apoſtolis celebrata, in altero autem, *Joannis* ſcilicet teſtimonio, *Apoc. VI*, 9, animas, ſub altari viſas, id tantum innuere, quod pie defuncti Martyres, poſt exitum e vita

vita feliciſſimum, in Chriſti vivant commercio, ibique tutiſſi- Pag. 140.
ma fruantur quiete. Et quid tum? Animæ Sanctorum fuerunt viſæ ſub altari, ergo ipſorum reliquiæ ibidem ſunt reponendæ? Nonne duæ ſunt hominum partes, quarum diverſa eſt conditio poſt exutam mortalitatem? *Poſtremæ* Exercitationes *duæ* hujus *Partis* de ædiculis Pontificiorum ſuperſtitioſis, & vaniſ- 144.
ſima, reliquias appenſas geſtandi, conſuetudine, agunt, remque 149.
omnem, ut ex profanis moribus aſſumtam, ac doctrinæ puriori contrariam, damnandam eſſe, præcipiunt. Pergit nunc Autor ad refellendam *Trombellii* Diſſertationem VIII. In *altera* igitur hujus *Voluminis Sectione ſeptendecim* Autoris noſtri Exercitationes leguntur, ex ordine, ſecundum ſeriem Capitum, Rev. Abbatis ſententias pertractantes. *Prima Joſiæ* in Prophetarum reliquias commendat pietatem, quas non eruendas e monu- 153.
mentis, ſed in his conſervandas, conſultum duxit, repugnans Pontificiis, qui terræ mandatas quisquilias & ſordes rapiunt, & ſecum circumferunt. Nec ſtatuendum eſt, *Joſiam* immanitatem in reliquias commiſiſſe, comburendo oſſa ſacerdotum in altari, quandoquidem id factum eſt ad polluendum altare Betheliticum, quod nulla re magis, ex ſcitis Hebræorum, defœdatur, quam cineribus & rebus humandis. Elegans dein ſiſtitur Exerci- 155.
tatio *ſecunda*, in qua in cauſas inquiritur, ob quas de- 158.
mortuum *Moſis* corpus Iſraelitarum oculis eſt ereptum. Sub initio vero, multum habere veriſimilitudinis Cel. *Heumanni* ſententiam, oſtenditur, qua brevi poſt mortem *Moſes* in vitam revocatus, & in æternas beatorum ſedes allectus a Deo, dicitur. Sed quæſtio de ſepulcro *Moſis* occultato hic eſt expedita inprimis. Vulgaris & trita opinio præmittitur, qua ſtatuitur, ob metuendum exinde divinum cultum corpus *Moſis* Iſraelitarum oculis fuiſſe ſubtractum. Recte autem Ven. Autor obſervat, Hebræos tam inauditum facinus nunquam fuiſſe commiſſuros, ſiquidem nec de alio Patriarchali corpore, in Palæſtinam ſubvecto, tale quod atrociſſimum crimen conſtaret. Id inprimis in cauſa erat, ne Iſraelitæ contra mandatum divinum corpus *Moſis* in ſanctam ſecum deportarent terram, quam nec 160.
vivus, nec mortuus, *Moſes* ingredi debebat. Hinc etiam factum, ut in campeſtribus terræ Moabiticæ agris ſepulturæ traderetur. Porro aliena ſepultura *Moſi* ob levitatem ſuam erat perferen-

Digitized by Google

da, quæ ex moribus Hebræorum non exiguæ ducebatur igno-
miniæ. Qua judicata cauſa, *Trombellii* ruit ratio, de ſepulcris
Moſaicis reliquiis allata. *Subſequens* Diſputatio inſtituitur in
Trombellium, ut Phariſaica religio, in exſtruendis Sanctorum mo-
Pag. 163. numentis apud Pontificios rediviva, demonſtretur. Quia Phari-
ſæi ſepulcra Prophetarum exornabant, exinde colligit Rev. Ab-
bas, veneratione digna eſſe corpora mortuorum Sanctorum, cum
tamen nihil aliud exinde colligi queat, quam quod triſtiſſimum
hoc rerum a majoribus geſtarum ſit teſtimonium, isque honor
ſit civilis, non adoratio religioſa. Hac tamen via Pon-
tificiis Phariſaicam & adſcititiam ſanctitatem, inſatiabilem
avaritiam, & truculentum erga veritatis propugnatores animum,
Autor objicere aggreditur. Fictam atque imaginariam
168. cathedræ *Jacobi* venerationem, a *Trombellio* ex *Euſebio*
171. productam, apprime diſcuſſit Noſter in *quarta* Exercita-
tione, demonſtrando, nihil aliud ſibi velle hunc Auto-
rem, quam docere, ſuperſtitem fuiſſe ſellam *Jacobi*, & tan-
quam antiquitatis monumentum monſtrari. *Cyrilli Hieroſolymi-*
tani autoritas, qua inſitam reliquiis virtutem ſtatuere videtur,
in *ſequenti* Exercitatione profertur, & bene monetur, quod,
ſi genuina ſint verba, inſolenter uſurpata inveniantur, ita tamen,
ut per ἔγκειται δύναμις *paſſivam* intelligat *Cyrillus* facultatem,
qua caro noſtra capax ſit recipiendæ virtutis divinæ, ex qua
ſpes reſurrectionis carnis noſtræ, ab hæreticis oppugna-
ta, ſed a *Cyrillo* in *Catecheſi* propugnata, eluceat. Poſt hæc
179. in *ſexta* Exercitatione S. *Antonii* de mandando terræ cor-
182. pore ſuo demortuo deſiderium, a *Trombellio* male in partes
ſuas raptum, ſcite vindicatur. *Septima* & *octava* Diſceptatio
186. confirmat argumentum Proteſtantium, a cultu ſerpentis ænei
depromtum, ſymbolicam Dei venerationem rejicit, & alias, con-
190. tra Pontificios allatas, argumentationes munit. Prætermittere hic non
poſſumus, quod Ven. Autor noſter ſuſpicetur, incolas tribus Judæ, a be-
ſtiis 2 *Reg.* XVII, 26, poſt exordium decem tribuum divexatas, hunc ſer-
pentem exſtruxiſſe in ſimilitudinem *Moſaici*, ut calamitatem ferinam
195. averruncarent a ſuis limitibus. *Nona* Commentatio ridiculum aſino,
Chriſti vectori, cultum a Pontificiis tributum, exponit, &, quantum
dignitati Chriſti adverſetur, filium Dei ſub pullo aſinino coli, demon-
199. ſtrat. *Decima* Exercitatio argumenta, a vanitate & ſuperſtitione con-
tra cultum reliquiarum deducta, novis argumentis munit. *Subſequens*
duodecima autem, lubricum eſſe Epiſcopi Romani judicium in digno-
ſcendis

Digitized by Google

ſcendis reliquiis, oſtendit, atque ex lepidiſſimis narrationibus demonſtrat, quam ſæpe error fuerit commiſſus, ut Sanctorum rejectorum ordo triplex, *excanonizatorum* ſcilicet, *prohibitorum*, & *expunctorum*, conſtitui poſſet. In *duodecima* Commentatione Sanctorum reliquiis denegatur Pag. 211.
incrementum, ſeu multiplicatio, ad quam palliandam tres *Trombellius* adduxerat cauſas, quæ hic refelluntur, uti in *ſequenti* diſputatiuncula 216.
quatuor rationes, quibus ritus aliquis ſe nobis probare fertur, ſcilicet antiquitas, continuatio, univerſalitas, & cauſæ præſtantes, ob quas introductus is eſt, diligenter examinantur, & falſitatis vanitatisque arguuntur. *Decima quarta* Exercitatio ſuperſtitioſam reliquiarum circumductionem, quam proceſſionem Pontificii vocitant, im- 219.
probat, ita, ut nec in veterum Chriſtianorum moribus, qui nihil horum præter illuſtres exequias, & ſplendidas corporum ad humandum translationes, habuerunt inſtitutum, nec in Hebræorum ritibus, qui nullam, niſi quæ in feſto tabernaculorum agebatur, proceſſionem norant, Pontificiorum illi plane diſſimilem, ſed in ſacris profanarum gentium, origines ejus rei inveniri queant. In *ſequenti* Commentatione 231.
varia ſuperſtitionis genera recenſentur, quæ in religioſis oſculis, in reliquiis Sanctorum figendis, occurrunt, & profana ejus rei incrementa enarrantur. In poſtremis *duabus* Exercitationibus ſuffitus, Sanctorum reliquiis delatus, improbatur, & cultus earum relativus rejicitur. Te- 233.
ſtimonia antiqua, ex *Conſtitutionibus Apoſtolicis*, *Tertulliano*, & *Arnobio*, excitata, & a *Trombellio* depravata, optime reſtituuntur, ut unicuique appareat, primævos Chriſtianos thura atque aromata ad idolorum cultum non emiſſe, ſed horum uſum præparandis & condiendis defunctorum corporibus reſervaſſe, qui pie & honeſte fiebat; nihil vero cogitaſſe de reliquiis, ſuffitu & thure colendis, quod commode tamen fieri poſſe, *Trombellius* exiſtimet, quia nec Deo in N. T. amplius thura 238.
offerenda placeant, nec verendum ſit, ne in thurificatorum notam in- 238.
curramus, quod veteres Chriſtiani in exercendo hoc genere cultus externi metuebant. Quam imbecillis denique, ultimo loco vindicata, de cultu reliquiarum relativo, ſit ſententia, qua non reliquiæ, ſed Sancti invocati & adorati dicuntur, multis S. Ven. Autor declarat, atque ſic huic *Volumini*, quod omnibus laudibus eſt mactandum, finem imponit. Optamus, ut brevi totum abſolvat opus, cujus unicum adhuc *Volumen* exſpectatur, prioribus illis eleganti, quod ſperamus, tractandi ratione ſimillimum futurum.

CHRISTIANI L. B. DE WOLFF UBERIOR DECLARATIO Moniti de libro, qui anno ſuperiori Hagæ Comitum, ſub titulo: La Decouverte de la verité & le Monde detrompé à l'egard de la Philoſophie & de la Religion, *prodiit, inſerti Actis Anni ſuperioris Menſe Sept. P. I pag. 523 ſeq.*

Cum anno ſuperiori in Novellis Hagienſibus mihi attribueretur approbatio libri, quem nunquam videram, immo nec vidi in hunc uſque diem; poſtquam impreſſus fuit, ſtatim publicum monendum eſſe duxi,

duxi, falſum eſſe, quod librum tum approbaverim, qui neque MStus, neque impreſſus, mihi unquam fuit exhibitus, ut meam de eo ſententiam dicerem. Narravi præterea, qua commendatione ſubſcriptionem a me impetraverit Autor, cum mihi exhiberet catalogum, cui nomen ſuum dederant, præter multos Principes ac primariæ dignitatis Viros, eruditi complures. Quoniam vero librum nondum conſcripſerat Autor, qui tantummodo Philoſophiæ mentionem faciebat, de religione autem prorſus ſilebat; ideo nullum quoque ſubſcriptionis pretium determinabat, nec, ubi liber prodiit, deſideravit, ut ſubſcriptioni ſatisfieret. Enimvero, dum hiſce diebus ad me perfertur *Tomi XXXVI Pars ſecunda* Diarii Gallici, quod Amſtelodami ſub titulo: *Bibliotheque raiſonnée* editur, & in quo *pag. 368* & ſeq. liber iſte recenſetur; non modo vidi, in titulo ad approbationem meam provocari, verum etiam *pag. 384* hinc inferri, quod is ſub auſpiciis meis prodierit. Quoniam hanc diffamationem ferre non debeo; ad tuendam famam meam monitum anni ſuperioris uberius declarandum eſſe duxi. Quodſi Autor librum ſuum judicio meo ſubjeciſſet ante, quam eundem prelo commiſiſſet: quod utique facere debebat, ſi a me approbatum dicere vellet; ipſum ſtatim titulum improbaſſem, cum ne per ſomnium quidem in mentem meam venire poſſit inſulſa opinio, quaſi nemo adhuc viderit veritatem, nihilque a mente mea magis alienum ſit, quam in numerum impoſtorum referre eos, qui, a vero aberrantes, errores quosdam defendunt. Immo, cum vitam in eo conſumam, ut veritates etiam dudum agnitas in ſyſtema redigam, quo diſtinctius explicatæ, ac vi demonſtrationis inter ſe connexæ, intimius perſpiciantur, ſupremum inter impoſtores locum mihi vindicarem, ſi ſaltem titulum libri approbarem. Ecquis vero fuerit, qui tantam mihi inſaniam tribuere auſit? Sed, miſſo titulo, veniamus ad contenta, prouti in Diario narrantur; librum enim ipſum, quemadmodum dixi, nec vidi, nec videre aveo, cum tempus mihi pretioſius ſit, quam ut peſſime id collocem. Autor contumeliis nefandis lacerat Philoſophos atque Theologos, ſe ipſum ſupra omnes extollens. De negotiis publicis, præſertim huius temporis, ſibi judicium ſumit, &, ſe Politicos omnes longo intervallo poſt ſe relinquere, profitetur. Omne acerbitatis ſuæ virus evomit adverſus *Carteſium* ac inprimis *Newtonum*, quorum notiones de creatione mundi & motu planetarum, nec non de lumine & coloribus, impugnat. Peſſime traducit, quicquid de exiſtentia Dei, & natura & attributis ipſius, nec non de natura & immortalitate animæ, tradiderunt Philoſophi ac Theologi, nec præter Theologos alios dari Diabolos, contendit. Negat, dari iſtiusmodi Paradiſum, ſeu locum beatorum, tale infernum, quale Theologi docent. Negat efficaciam Sacramentorum, meritum ac divinitatem Chriſti, & myſterium Trinitatis, naturæ, rationi, ſacræ Scripturæ, & experientiæ, contrariam pronuntiat. Blaſphemam vocat diſtinctionem ejus, quod eſt ſupra & quod eſt contra rationem, ac, indicium malæ cauſæ eandem eſſe, dicit. Nec minus rejicit omnia miracula, etiam a Chriſto patrata, ſaltem quatenus ab ho-

Digitized by Google

ab hominibus patrata feruntur. *Leibnitii* argumentum pro exiſtentia Dei, ab exiſtentia mundi petitum, puram principii petitionem vocat. Immo ipſa Scriptura ſacra nullius apud ipſum autoritatis eſt, quam de natura rerum non aliter loqui aſſerit, quam ſecundum ideas, quas ſibi vulgus fingit. Prophetas impoſtores & blaſphematores vocare non erubeſcit. Doctrinam quidem Apoſtolorum eſſe bonam, ſed eos per falſa miracula impoſuiſſe populo, ut fidem ei conciliarent, & adverſus inſultus Judæorum ſe munirent. Nolumus plura in medium proferre, cum ex iis, quæ attulimus, abunde pateat, quanta ſit hominis inſania, quam impotens animus. Ecquis vero ſibi perſuadere poterit, qui vel obiter libros meos inſpexit, me talia approbare, quæ e diametro repugnant doctrinis meis, ac meo ſcribendi mori? Ego nunquam probavi, nec etiamnum probo, ut alium refutaturus, vel impugnaturus, verbis in alterum injuriis utatur. In refutatione abſtinendum eſſe a verbis, demonſtro §. *1056*. Logicæ, quæ contumeliam, vel injuriam, redolent, inprimis ubi refutandum erroris convincere ſtudes, & commendo omnium maxime, ut quis veritatem demonſtret, cum eo ipſo contraria ſententia ſit refutata, §. *1035* Logicæ. Immo eadem jam docui ac inculcavi in Logica, Germanice conſcripta ante annos triginta quatuor, quæ, in ſermonem Batavum una cum ceteris ſcriptis Germanicis, idiomate patrio ante complures annos a me editis, translata, Amſtelodami edita fuit. Hanc etiam rationem reddo, cur de refutandis erroribus in ſcriptis meis parum ſim ſollicitus, ſed omnes potius ingenii nervos eo intendam, ut veritas in aprico collocetur, *Not.* §. *cit.* In *Parte ſexta Juris naturæ* §. *595* demonſtro, non licere per contemtum, aliorum ad nominis gloriam contendere, §. *906*, refutatorem a conviciis abſtinere debere, nec libertatem philoſophandi, ſeu ſentiendi, tollere obligationem eruditorum ac hominum omnium promiſcue, §. *911*. Eruditum etiam, qua eruditum, obligari ad exemplum bonum aliis præbendum, §. *882*, & niſi faciat, gravius peccare aliis, §. *883*. Neminem eruditorum alterius famæ ac laudi, ſive meritæ, ſive immeritæ, detrahere debere, §. *893*, ut alia taceam. Qui ſcripta mea perlegerit, is diffiteri non poterit, me neminem nominatim perſtringere, ſed aliorum famæ omni modo parcere. Multo minus autem reperiet, quod virorum, quorum eximia in ſcientiam ſunt merita, famam laceſſere ſtudeam. Quamvis non omnia mihi probentur, quæ a *Carteſio* dicta ſunt, eum tamen maximi facio, &, me multa eidem debere, lubens profiteor. Teſtem appello Epiſtolam dedicatoriam ad *Tomum ſecundum* Theologiæ naturalis, in quo Syſtema Theologiæ naturalis ex notione entis perfectiſſimi deduxi, emendatis iis, quæ circa demonſtrationem *Carteſii* de exiſtentia Dei deſiderarunt eruditi, ut taceam loca alia, in ſcriptis meis obvia, ubi de *Carteſii* meritis dicendi occaſio erat. Quanti faciam *Newtonum*, non ignotum eſſe poteſt iis, qui ſcripta mea legerunt. Nec ſine indignatione lego, ſi quis meritis ejus ſummis detrahere auſit. Ad exempla *Carteſii*, *Newtoni*, & *Leibnitii*, provocare ſoleo, eruditis modeſtiam commendaturus. Immo Scholaſticos laudo, quod rationibus inter ſe certent, non conviciis, nec eorum ac *Ariſtotelis* contemtum

tum

Digitized by Google

tum æquo animo fero. Quam æquum me iis præbeam, abunde docent exempla definitionum obſcurarum, quas in Ontologia dederunt, ad diſtinctas, quas in earum locum ſubſtitui, reductarum. Cognitionis naturæ mathematicæ, quam *Newtonus* in eximio opere Principiorum Philoſophiæ naturalis Mathematicorum inſigniter promovit, ſpecimen maxime illuſtre agnoſco ea, quæ de Syſtemate mundi tradidit. Vid. *Notam* ad §. 16 *Diſc. prælim. Logic. præmiſſ.* Theoriam de luminis heterogeneitate & coloribus ipſe defendo in Phyſica, etſi in explicandis coloribus fixis corporum paulo aliter procedam. Theoriam de fluxu & refluxu maris ibidem ceteris hypotheſibus præfero. Longe aliter igitur de iis judico, quam perverſæ mentis *Hatzfeldus*. In *Parte prima Theologiæ naturalis* ipſemet exiſtentiam Dei ex contingente exiſtentia mundi demonſtro. Diſtinctionem eorum, quæ ſunt ſupra, & eorum, quæ ſunt contra rationem, probo §. 454 *Part. I Theol. nat.* nec impoſſibilia eſſe, quæ ſunt ſupra rationem, §. 456 evinco. Et hinc §. 462 deduco, myſteria non contradicere principiis rationis, ac, in revelatione divina myſteria contineri debere, oſtendo §. 463. Quomodo Deus facultatem patrandi miracula homini, vel angelo, concedere poſſit, intelligibili modo explico §. 472. Quæ de Deo & attributis divinis ex principiis rationis demonſtro, ea cum Scriptura ſacra convenire, ubivis evinco, ut ex conſenſu rationis cum Scriptura tanto evidentius pateat hujus veritas. Non admitto, Scripturam loqui ad captum vulgi, multo minus eam loqui ſecundum ideas, quas ſibi vulgus fingit; ſed in eadem Deo tribui membra corporis humani in ſignificatu quodam generali, qui attributo cuidam divino & uſui illius membri communis eſt, §. 103 demonſtro. In *Parte* autem *ſecunda Theologiæ naturalis* prolixe admodum declaro, quomodo Deo ſenſus, imaginatio, & affectus, per eminentiam tribuantur. Quam profundus ſit Scripturæ ſenſus, & quomodo indagari poſſit, aliquot ſpeciminibus probo in *Horis ſubſecivis Marburgenſibus*. Etſi multa ſcripſerim, nihil tamen in iis deprehendetur, quod faveat profanitati: quæ etiam ratio eſt, ut Inquiſitores, cum Opera mea philoſophica Veronæ recuderentur, in cenſura, ſingulis Voluminibus præfixa, atteſtati ſint, nihil in iis contineri, quod ſit contra fidem Catholicam. Immo non ignoro, Theologos haud paucos confiteri, ex ſcriptis meis firmiſſima præſidia peti poſſe adverſus eos, qui religionem revelatam impugnant. Quam æquum me præbeam Theologis, ſi ſententia quædam philoſophica ſententiæ Theologorum repugnare videtur, vel ex eo judicari poteſt, quod de *Galilæo*, ob defenſum Syſtema terræ motæ a Curia Romana damnato, annotavi ad §. 165 citati antea Diſcurſus, & de inſtituto Patrum Religioſorum quoad communionem bonorum *Not.* §. 31 *Part. II Jur. nat.* De factis vero Regum ac Principum & Miniſtrorum, quorum conſiliis utuntur, nunquam mihi judicium ſumſi, nec unquam ſumam, quippe qui a dogmatis ad exempla, præſertim hujus temporis, nunquam deſcendo. Hactenus dicta qui perpendit, is facile agnoſcet, quo jure *Hatzfeldus* affirmare poſſit, me librum ipſius inſulſum, in alios maxime injurium, atque impium, approbaſſe, & num fidem ullam mereatur, qui aſſerit, eum ſub auſpiciis meis prodiiſſe.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXLVI.

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SACRES ET Eccleſiaſtiques, &c.

id eſt,

HISTORIA GENERALIS AUTORUM SACRORUM & eccleſiaſticorum, complectens illorum vitas, catalogum, examen criticum, judicia, chronologiam, analyſin, & recenſionem diverſarum editionum, operum ipſorum, &c. Autore R. P. REMIGIO CEILLERIO, *Benedictino.*

Tomus XII.

Pariſiis, apud Paulum du Mesnil, 1744, 4 maj.

Alph. 4 plag. 4½.

Recenſionem operum *Auguſtini*, in *ſuperiori Volumine* cœptam, Rever. *Ceillerius* in præſenti pertexit, ſubjiciens notitiam Conciliorum, illa tempeſtate habitorum. *Articulo I* enarrantur libri, comprehenſi *Tomo X*. Agitur ergo *Par.* 1 de libris *de meritis peccatorum, illorumque remiſſione*, ſive *de baptiſmo infantum*. Inſcripſit hos *Marcellino*, ut dubia, a Pelagianis mota, ſolveret. In recentioribus editionibus titulus eſt: *de Baptiſmo infantum*, quoniam hic certiſſimum eſt indicium peccati congeniti. *Paragr.* 2 ſermo eſt de libro *de ſpiritu & litera*. Occupatur hic *Auguſtinus* in explicatione loci *1 Cor. III, 6: Litera occidit, ſpiritus autem* &c. ut dubia, a *Marcellino* occaſione prioris libri objecta, expediret. Scriptus videtur A. 412. *Par.* 3 diſſeritur de libro *de natura & gratia con-*

tra Pelagium. Compoſuit hunc inductus precibus *Timaſii* & *Jacobi*, qui quondam diſcipuli *Pelagii* fuerant, & illius laqueis ſe expedire præoptabant. *Par. 4* de libro *de perfectione juſtitiæ hominis* ſingularia proferuntur. Non tam eſt liber, quam Epiſtola. *Poſſidius* in catalogo pro legitimo *Auguſtini* fœtu agnoſcit, ſub cujus etiam nomine citatur a *Fulgentio* & *Proſpero*. Prodiit circa finem A. 415. *Par. 5* inſcriptus eſt *de libris de actis Pelagii.* Errores Pelagiani in Concilio *Hierloſoymitano* & *Dioſpolitano* examinati & condemnati erant. In illis quæ geſta erant, literis conſignata acceperat *Auguſtinus* vel a *Joanne* Hieroſolymitano, vel *Innocentio*, Romano Epiſcopo, ſuper quibus ſententiam ſuam expromſit ſub finem A. 416, vel initium A. 417. *Par. 6* eſt de libris *de gratia Jeſu Chriſti & de peccato originali.* Hæreſi Pelagiana cum autoribus ſuis Romæ per *Innocentium* & *Zoſimum* condemnata, libros hos divulgavit A. 418. *Par. 7* exponit de libris *de matrimonio & concupiſcentia*. *Pelagius* ac *Cæleſtinus Auguſtinum*, peccatum originale propugnantem, criminati erant, ac ſi matrimonium condemnaret. Docet igitur, matrimonium eſſe bonum, & concupiſcentiam vetitam per illud non excitari, ſed potius reprimi. *Par. 8 de IV Libris* agit *de anima*, deque illius *origine*. Directi ſunt adverſus *Victorem*, qui contra *Auguſtinum* de animæ ortu quædam monuerat, adhæc errorum aliquot Pelagianorum & aliorum ſe ſuſpectum reddiderat. Hunc igitur in præſenti libello ſub finem A. 419, vel initium A. 420, eſt aggreſſus. *Par. 9* perſequitur *IV Libros ad Bonifacium contra Pelagianos*. Pelagiani binas Epiſtolas Romam miſerant, ut ibi factionem ſuam confirmarent. Has Pontifex per *Alypium* ad *Auguſtinum* perferendas curaverat, ut de illis judicium ferret. Quare hic, ut vim hoſtium veritatis infringeret, & rectius ſentientes ab erroribus præcaveret, libros hos circa A. 420 *Bonifacio* deſtinavit. *Par. 10* deſtinatus eſt *VI Libris contra Julianum*. *Julianus* hic ob non vulgares animi dotes ac doctrinam ad dignitatem eccleſiaſticam evectus erat; ſed illa, ubi factioni Pelagianæ acceſſerat, & a vitæ ſanctimonia deflexerat, excidit. Hic libellis aliquot *Auguſtinum* laceſſiverat, qui ejus vafritiem ac vanitatem circa A. 421 depexam dedit. *Par. 11* de libro *de gratia & libero*

arbi-

Digitized by Google

arbitrio varia nos docet. Ad *Valentinum* & alios religioſos in monaſterio Adrumetino circa A. 426 & 427 eſt datus, ut lites, ſuper utroque argumento exortæ, componerentur. *Par.* 12 agitur de libro *de correctione & gratia.* Hic ſuperiorem proxime excepit, ubi cognoverat Autor, illius beneficio lites ſopitas eſſe. Nimirum, quoniam religioſorum unus objectionem contra illum formaverat, hæc in novo hoc libro enodatur. *Par.* 13 de libris *de prædeſtinatione ſanctorum, & dono perſeverantiæ*, exponitur. Huic doctrinæ ex Maſſilienſibus nonnulli dubia obmoverant, quæ e medio tolluntur. *Par.* 14 de opere imperfecto *contra Julianum* nos docet Autor. Hic VIII Libris multa cum ſuperbia *Auguſtinum* & *Alypium* perſtrinxerat, quorum quinque *Alypius* Roma ad Hipponenſem demiſerat, rogitans eum, ut eosdem refelleret. Antiſtes, videns hominis levitatem & inanes verborum ſtrepitus, initio vix a ſe impetrare potuerat, ut in eosdem calamum ſtringeret, ſed veritus, ne minus exercitati, illos legentes, in errorem inducerentur, in illis refutandis ad finem uſque vitæ ſe occupavit. Appellatur opus imperfectum, quoniam reliqui Libri ad ipſum delati non ſunt. *Par.* 16 *de operibus ipſius perditis* inſcriptus eſt. *Auguſtinus* ipſe in *Retractationum libris*, pariterque *Poſſidius*, horum librorum mentionem faciunt, qui non amplius ſuperſunt. *Par.* 17 ordine exponit Autor ſententiam *Auguſtini* de præcipuis Chriſtianæ religionis dogmatibus. Nimirum per omnia ipſius opera divagatur, &, quid de graviſſimis & momentoſiſſimis capitibus religionis ſenſerit, propriis ejusdem verbis, Gallice redditis, declarat. *Par.* 18 ſiſtit *judicium de ſcriptis Auguſtini, & diverſas illorum editiones* enumerat. Ut ſanum de illis judicium ferri poſſit, in ſuas claſſes dividenda eſſe cenſet Autor. In libris, quos contra Philoſophos paganos conſignavit, mirabilem quandam præſtantiam animadverti judicat, ſive quis caſtimoniam & ſtili elegantiam, ſive ratiociniorum & cogitationum pondus, ſive evidentiam ſolutionum, quibus difficultates luculentius longe, quam ante ipſum a quoquam eſt factum, expedit, reſpiciat. Libri, quos de vera compoſuit religione, ſingularem illius prorſus amorem ingenerant, & averſionem ab omnibus fictis, quas

Digitized by Google

debellat, religionibus. Ex Epiſtolis elucet egregium ingenium, vaſta ſcientiarum amplitudo, eloquentia nativa, prudentia conſummata, zelus vivus & ardens pro eccleſiæ ſalute, amor veritatis conſtans, ſolida pietas, propenſio in omnes, modeſtia, qua nemini facile cedat. Commentarii ejus in Scripturam S. eo tendunt, ut illius rectus ſenſus eruatur, & lector ad pietatem incendatur. Exiſtimatio ipſius in hoc doctrinæ ſacræ genere erat tanta, ut præcipui illius temporis Epiſcopi ab eo difficiliorum locorum illuſtrationem ſibi expeterent. Ab ipſis Conciliis *Numidiæ* & *Carthaginienſi* mandabatur ei, ut integrum Commentarium in S. Scripturam conficeret. In explicatione V. T. ad allegorias ſæpe quidem delabitur, ſed fit illud, ubi ſenſum literalem ante declaraverat, vel ſenſus literalis ita clarus eſt, ut explicatione non indigeat, vel ubi illum alibi explanavit, vel is non ita facile indagari poterat. Scripta ipſius moralia optimis præceptis, quibus virtutis ſtudium, & peccati fuga, inculcatur, ſunt referta. Doctrinam de gratia, licet ſpinoſis quæſtionibus ſit obſita, eam tamen in modum tractavit, ut veritatis ſtudioſo ſe facile commendet. Hinc ad recenſionem editionum omnium operum *Auguſtini*, tum ſingularium, tum integrorum, ſe recipit. Integrorum Operum prima editio eſt illa, quam paravit *Jo. Amerbachius*, qui, quicquid ſciptorum *Auguſtini* in Bibliothecis Italiæ, Galliæ, & Germaniæ, conquirere potuit, ſollicite collegit. Illa, IX. diſtincta Voluminibus, prodiit Baſileæ ab A. 1504 ad 1506, in qua tamen quædam ſcriptorum *Auguſtini* deſiderantur. Integriorem dedit *Eraſmus*, quæ ex officina *Erobenii* Baſileæ A. 1529 luci eſt data. Integerrima & præſtantiſſima eſt illa, quam procurarunt Sodales Benedictini Congregationis S. *Mauri*, adornatam ad Codices MStos omnes, quotquot haberi potuerunt, & omnes antiquas editiones, lectionibus variantibus, ſecundum certos canones criticos ad examen revocatis. Prodiit Pariſiis apud *Fr. Muguetum* ab A. 1677 ad 1700 XI Tomis. Ipſa illa repetita eſt Antverpiæ, vel potius Amſtelodami, A. 1700, eadem forma, totidemque *Tomis*. In *decimo* habetur analyſis libri *de correctione & gratia*,

gratia, qui ab *Antonio Arnaldo* juſſu *Harlæi* omiſſus erat. Additus eſt *Tomus XII*, cui titulus: *Appendix Operum S. Auguſtini*. *Jo. Clericus* in Notis paſſim non optime de *Auguſtino* ſenſerat; quare in ipſum *Robertus Jenkius* & *Ludovicus Antonius Muratorius* ſtricturas duxerunt. Sequitur jam in Opere *Ceilleriano* Caput *de Conciliis*, cujus *Artic.* I *de Conciliis Carthaginienſi*, *Milevitano*, & quod in urbe *Ptolomaide* eſt habitum, commemorat. Moris erat in Africa, quovis anno Concilium aliquod generale ex omnibus provinciis convocare, ſed A. 401. duo congregabantur, alterum d. 16 Jun. alterum d. 13 Sept. In priori actum eſt de ſupplendo defectu miniſtrorum eccleſiæ, abolendo profanorum Deorum cultu in Africa, maxime in locis ad maritimam oram ſitis, de eccleſiis judicio civili eximendis, feſtis diebus paganis interdicendis. In poſteriori ſtatutum eſt, Donatiſtas in poſterum majori cum manſuetudine tractari debere, quo illa allecti ad eccleſiæ conſortium redirent. Concilium *Milevitanum* celebratum eſt A. 402 d. 27 Aug. in quo ſancitum eſt, ut Epiſcopi omnes & deputati præſentes, concordiæ teſtandæ ergo, confirmarent Canones Conciliorum Hipponenſis & Carthaginienſis, quos etiam ſua manu ſubſignarunt. A. 403 d. 25 Aug. aliud *Carthagine* eſt indictum, in quo decretum fuit, Donatiſtas in eccleſiæ ſocietatem recipiendos, ſi quidem redire non abnuerent; propterea ſcriptum eſt magiſtratibus, ut id Donatiſtarum antiſtitibus ſignificarent, quo una cum Catholicis in unum coirent, & de modo reconciliationis agerent. In Conciliis *Carthaginienſibus* A. 404 & 405 pariter deliberatum eſt, qua ratione pax eccleſiæ, ſublata diſſenſione Donatiſtica, reſtitui queat. In illis, quæ inde ab A. 407 ad 410 ſunt convocata, non memorabile quid eſt geſtum. *Ptolemaidenſe* non tam Concilium, quam conventus Epiſcopi & Presbyterorum ſuorum, fuit. *Andronico*, Præfecto Pentapolitano, A. 411 ſacris eſt interdictum, quod tyrannidem exercuiſſet, multiſque criminibus contra Deum & homines ſe obſtrinxiſſet. *Articulus II.* de *Concilio Romano ſub Papa Innocentio I & Concilio Cirtenſi* exponit. In Concilio *Romano*, habito A. 401 ſedente *Innocentio*, varii Canones ſunt conditi, qui exhibentur. *Cirtenſe* A. 418 in cauſa Donatiſtarum,

rum, quibuscum de rebus, religionem ſpectantibus, differuerunt, eſt inſtitutum. *Articulus III* de *Concilio Bracarenſi* differit. In Collectione Conciliorum *Labbeana* conſpiciuntur acta Concilii *Bracarenſis*, A. 411, uti fertur, convocati, quæ ipſa repetit *Harduinus*, ſed addit obſervationem aliquam *Jo. Baptiſtæ Perezii*, Canonici Toletani, illa νοθείας poſtulantis, quod ipſum etiam eſt judicium *Aguirrii*, eccleſiæ Romanæ purpurati, quorum ſententiæ calculum addit Noſter, poſt Seculum demum XII protruſa eſſe. *Artic. IV* de *Conciliis contra Pelagianos* agit. *Pelagius* & *Cœleſtinus*, quod ante clanculum fecerant, nunc publice doctrinam de gratia & labe congenita aggrediebantur, & ſpeciatim hic omni contentione nitebatur, quo Presbyter ordinaretur. *Aurelius* igitur Epiſcopus, a quibusdam veræ doctrinæ ſtudioſis exſtimulatus, adverſus ipſum Concilium coegit, in quo comparere eſt juſſus. In illo quæ actitata ſunt, ad nos non integra pervenerunt. *Auguſtinus* & *Mercator* partem tantum aliquam ſcripto ſunt complexi. *Hieroſolymitanum* A. 414 ſub finem Junii initium ſuum habuit, indictum a *Joanne* Epiſcopo, in quo cauſa *Pelagii* in examen miſſa, & ſententia *Auguſtini* contra illum confirmata eſt. Eadem de cauſa Concilia *Dioſpolitanum* A. 415 d. 20 Dec. *Carthaginienſe* A. 416 menſe Jun. *Milevitanum* eodem anno circa menſem Septembrem, *Carthaginienſia* A. 417 d. 12 Mart. & A. 418 d. 1 Maji, ſunt celebrata. Tandem *Artic. VI Concilium Carthaginienſe in cauſa Apiarii* deſcribit. *Apiarius*, Presbyter Siccenſis, ob vitam male actam loco erat motus per *Urbanum* Epiſcopum; quare ille ad judicium Pontificis Romani *Zoſimi* provocavit, qui legatos tres in Africam miſit, ut cauſa *Apiarii* cognoſceretur. Actum igitur in hoc Concilio de eo eſt, num provocationes ad ſedem Romanam locum habere poſſint. Ipſa hæc cauſa eſt continuata *Carthagine* in Concilio, congregato A. 419 d. 25 Maji, cum interea temporis *Zoſimus* viventium numero exemtus eſſet, & legati, ipſo mortuo, in Africa remanſiſſent. Annexa eſt fini *Voluminis* hujus Epiſtola, ad *Ceillerum* directa, de ſenſu verborum *Auguſtini Confeſſ. Lib. X Cap. 31: Ebrietas longe eſt a me: miſereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam ſurrepit*

ſervo

Digitized by Google

ſervo tuo: miſereberis, ut longe fiat a me. Index materiarum Volumen claudit.

DELLA INFALLIBILITA' E DELL' AUTORITA' DEL Romano Pontefice ſopra i Concili Ecumenici, riſtretto di un' Opera ſopra lo ſteſſo argumento di F. G. A. ORSI, dell' Ord. de' Pred. S. D. S. C. D. I.

id eſt,

EX REV. P. ORSII LIBRIS DE INFALLIBILITATE & autoritate Pontificis Romani ſupra Concilia Oecumenica Epitome.

Tomi II.

Romæ, e typographeo Pagliarinorum, 1741, 8.

Tom. I plag. 17, Tom. II plag. 14.

Scopus libri in eo verſatur, ut repellantur argumenta librorum, qui, Alpibus ſuperatis, Italiam pervagantur. Hi enim in cauſa ſunt, ut reverentiam Itali in dies imminuant, quam Pontifici Romano majores ipſorum præſtiterunt. Scripti apparent libri illi Italico ſermone. Rev. Autor ipſis tribuit perſpicuitatem, elegantiam, brevitatem, ac facultatem & vim in animos hominum irrependi. Eam ob rationem ipſe ex Opere ſuo majori Latino hoc compendioſum opus, ut libellis illis obdat peſſulum, exſtruxit. Appellantur hi vulgo *Pretenſioni Oltramontane*. Conſtitutum jam fuerat Editori *Obſervationum literariarum* Veronenſium, epitomen ejusmodi condere. Nec tamen ejus recenſione ac conſilio contentus eſſe videtur Autor, qui Præfationem adornavit. Præmiſit idem indicem ſcriptorum *Orſii Tomo primo.* Uterque vero *Tomus* complectitur *Libros VII* ac breviaria duo. *Libro primo* exponitur de Romanorum Pontificum autoritate in controverſiis decidendis, quæ agitatæ ſunt in Conciliis eccleſiæ œcumenicis. *Secundo* diſſeritur de privilegio, errorem excludente. Id ſuperſtruitur autoritati, qua Pontifices ferun- Tom. II pag. 194.

feruntur confirmaſſe Concilia œcumenica, ac opinioni illi, quæ dictitat, neceſſarium eſſe in orbe Chriſtiano fontem quendam
Pag. 244. & originem eccleſiaſticæ jurisdictionis. Additur id etiam *Libro III*, controverſias bene multas a Pontificibus Romanis ſine ullis Conciliis œcumenicis fuiſſe diremtas. Hæc eſt *Tomi prioris* ſumma. *Poſterior* continet *Libros* reliquos. *Quarto* demonſtratum ivit Epitomator, Pontificem Romanum eſſe ex-
Tom. II tra erroris aleam collocatum, eo quod Chriſtus de eccleſia
pag. 3. ſic tradidit: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Non omittit id *Pauli* de eccleſia teſtimonium, quo hæc vo-
5. catur columna & firmamentum veritatis. Ipſe credit, *Petro*, id eſt, Romanis Pontificibus, eccleſiam Chriſtianam veluti fundamento eſſe ſuperſtructam, ſiquidem *Petrus*, prouti teſtantur non pauci, ex conſtantia & firmitate fidei reportavit no-
6. men *Petri*. Teſtes inter illos laudantur *Ambroſius*, S. *Leo*, S. *Proſper*, S. *Eucherius*, S. *Petrus Chryſologus*, S. *Cyrillus Alexandrinus*, *Hincmarus Rhemenſis*. Sunt, qui *Petrum* vocarunt lapidem fundamenti eccleſiæ. Inter hos refert Autor *Hilarium*, *Baſilium*, *Epiphanium*, *Hieronymum*, *Leonem*, *Cy-*
7. *rillum*, aliosque. Hos vero fuiſſe peræque infallibiles, ipſe haud contendit. Nec rationem habet diverſitatis opinionum, quæ in Patrum ſcriptis dominatur. At id ipſum non erat deſtinationi ipſius proprium. In eo enim occupatus eſt, ut *Orſii* expoſitionem copioſam in compendium contrahat. *Li-*
93. *bro quinto* expenduntur decreta Concilii Piſani, ac decreta ſeſſionis quartæ ac quintæ Conſtantienſis ediſſeruntur, ac eorum ſententiæ occurritur, qui poteſtatem Pontificiam Concilio-
168. rum Oecumenicorum poteſtati ſubmittunt. *Libro ſexto* docetur, pondus nullum additamentis decretorum Synodi Conſtantienſis ac Baſileenſis ineſſe, ſententiamque, illis adverſantem, inniti decretis *Eugenii IV*, Synodi Florentinæ, ac quintæ La-
250. teranenſis. *Liber ſeptimus* exhibet formam monarchiæ eccleſiaſticæ, ac ſuccinctam tractationem de Romani Pontificis ſupra decreta & Canones eccleſiæ autoritate. In calce
283. operis præſto ſunt duæ compendioſæ expoſitiones, quibus & infallibilitas Pontificis Romani, & ejus in Concilia Oecumenica

Digitized by Google

nica poteſtas, pertractatur per modum ſuccinctæ repetitionis. Congruit compendium cum Opere *Orſii* majore. Stilus eſt brevitate, perſpicuitate, & elegantia, commendabilis. De argumento libri, ac rationibus, inibi expoſitis, jam non eſt, quod copioſe moneamus.

THEOLOGIA PRIMORUM CHRISTIANORUM dogmatica, ex monumentis Patrum eccleſiaſticis collecta, Autore JOANNE CHRISTOPHORO HARENBERGIO.

Brunſuici, 1746, 4.

Plag. 12.

Solent ſæpius de eo Chriſtiani eſſe ſolliciti, quænam fuerit doctrina, quæ dogmata, eccleſiæ primæ, ac a laboribus Apoſtolorum adhuc calentis. Eandem ſollicitudinem S. Rev. Autor, Eccleſiæ Scheningenſis prope Brunſuicum Præpoſitus; ad hanc tractationem attulit. In limine ſtatim, quid notionis de eccleſia primi Chriſtiani foverint, expromſit. De libris canonicis ſacris, quot & quales in eccleſia prima exſtiterunt, ita commentatus fuit, ut fide *Melitonis*, *Origenis*, *Hieronymi*, *Euſebii*, *Ruffini*, *Innocentii I*, Concilii Laodiceni, *Auguſtini*, & aliorum, nitatur; ut, illud *Joannis* de tribus in cœlo teſtibus *1 Jo. V, 7*, genuinum eſſe, oſtendat; ut doceat, eos, qui ævo Apoſtolico ac ætate ſubſecuta libris Chriſtianorum ſacris vel fidem detrahere, vel eos truncare, vel eis novos libros ſupponere, pretium operæ fore exiſtimaverint, aut civitatis Chriſtianæ fuiſſe expertes, aut ab hac faſtiditos & ejectos, Pag. 12. omnes vero ad unum de origine & fide librorum utriusque Inſtrumenti divinorum judices fuiſſe ineptos. Oſtendit idem porro, quo ſtudio olim Apoſtoli ſcripta ſua contra omnem fraudem præmuniverint, qua fide cœtus ſacri avthenticas Apoſtolorum literas cuſtodiverint, 15. & qua diligentia cœtus civitatis Chriſtianæ continuo omnia ad amuſſim Codicis ſacri exegerint. *Stephanus Baluzius* in *Notis ad Agobardi Opera pag. 9* dilucide: *Itaque ſic perſuaſum erat, nullius momenti eſſe regulas eccleſiaſticas, niſi conſonarent ſanctis Scripturis. Quo*

 fiebat,

Digitized by Google

fiebat, ut, quoties Romani Pontifices ad Synodos mitterent Epiſtolas in cauſa fidei, Epiſcopi congregati examinarent, an Epiſtolæ illæ congruerent ſacris Scripturis. Ad has ſuos remiſerunt *Polycarpus*, *Clemens Romanus*, *Ignatius*, *Clemens Alexandrinus*, univerſi Patres primi. De *Helleniſtis* breviter diſ-
Pag. 17. ſerit. De origine translationis V. Teſt., a LXX adornatæ, parce exponit. Lectionem Codicis ſacri Chriſtianis ſingulis patuiſſe, docet. Affert illam P. *Georgii Ambianatis*, Minoritæ
19. Capucini, Pariſiis apud ſuos Theologi, qui *Tertullianum* Pariſiis A. 1646 fol. edidit, querelam, quæ legitur in *Notis* ibi ad *Scorpiacum Cap. 12 pag. 456 Tom. I: Nunc vix etiam in ſacris Scripturæ audiuntur. Vix decurtata unius Capituli verba delibantur.* Addit, *Gregorium VII* & *Innocentium III* fuiſſe primos, qui noluerint, ſacras literas in vernaculo ſermone legi ab univerſis Chriſtianis. *Menardum* tamen A. 1479 alios que ea ætate commendaſſe omnibus ſacri Codicis lectionem, monet. Exponit originem nævorum exegeticorum, quibus
21. Patrum nonnullorum ſcripta laborant. Laudat tamen medullam fidei Patrum, eorum merita, conſtantiam, & vitam divi-
24. nam. Quid *traditionum* nomine ipſi deſignaverint, indicat. Adjungit ceteris ſtudium Patrum, in orthodoxia conſervanda collocatum. Differit de compendioſis libellis, quibus
26. nomen διδαχῆς Ἀποστόλων, διδασκαλίας τῶν Ἀποστόλων, adhæſit. De Symbolo Apoſtolico exponit ſuccincte. *Emanuelis a Schelſtrate diſciplinam arcani* ſub judicium vocat. Laudat
30. autorem *Teſtamentorum XII Patriarcharum*, ratus, e ſcriptis hæreticorum & Sibyllinis oraculis micas doctrinæ Chriſtianæ paſſim elucere. Recenſet Patres trium Seculorum
32. priorum, quorum adhuc exſtant monumenta. *Origenis* de Deo trino fidem prædicat, ſecutus indubie teſtimonium *Socratis H. E. VI, 13*, & *Georgii Bulli* in *Defenſione fidei Nicænæ pag. 127*. Indicat teſtimonia Pontificiorum, Reformatorum,
35. ac noſtratium Theologorum, de nævis ac nonnullis erratis Patrum, ad ſumma fidei capita haud referendis. Quanto ſtudio Chriſtiani doctores ſectarum omnium ad pronuntiata
37. primorum Chriſtianorum confugere ſoleant, ſignificat. Exponit

Digitized by Google

ponit horum ſententiam de Deo uno ac trino, de utraque Chriſti natura, de humanitatis Chriſti ſtatu utroque, de ejus ad inferos deſcenſu, de divinitate Spiritus ſancti, de gratiæ Dei ac redemtionis Chriſti univerſalitate, de inaudita olim inter *latriam*, *duliam*, & *hyperduliam*, diſtinctione. Oſtendit Pag. 51.
idem, cultum imaginum a Chriſtianis primis fuiſſe alienum, ortum quippe a Carpocratianis & Gnoſticis. Nonnihil inte- 53.
xit de ſtatua Hæmorrhouſæ Paneadenſi, quam putat *Hadrianum* Imperatorem exhibuiſſe. Imaginem Chriſti hominis in conventibus Chriſtianorum Seculo IV ineunte jam exſtitiſſe, largitur, inductus teſtimonio *Lactantii*, ac ſuffragio *Stephani Baluzii*. Crucis ſignum Seculo jam II in eis adhibitum eſſe 54.
citra ullum cultum adorationis, vel honoris, comprobat ex *Tertulliani Apologet. Cap. 16*, *Minucio Felice Cap. 12 §. 5*, & Autore *ad Nationes I, 12*, qui obtrectationem exterorum repulerint. Oſtendit, *Mariam* Deiparam ad finem usque Seculi XII creditam fuiſſe in peccati inſiti labe & conceptam & natam, teſtem laudans *Antonium Lampridium de Superſtitione vitanda Cap. 24 pag. 181 ſeq.* qui librum ſuum Mediolani ac Venetiis A. 1740, 4, evulgavit. Angelis primos Chriſtianos nullum cultum exhibuiſſe religioſum, docet ex *Origene contra Celſum Lib. I pag. 10, Lib. V pag. 239, Lib. VIII pag. 386, Euſebio Præp. Evang. VII, 15*, ac *Demonſtr. Evang. Lib. III pag. 106 ſeq.* Cultum illum ab hæreticis eſſe profectum, tradit ex *Tertulliano de Præſcript. hæret. Cap. 33, Epiphanio Hær. 21 Sect.* 55.
4, Auguſtino de Hær. 39, ac *Prædeſtinato de Hæreſ. Lib. I Hær. 39.* Reliquiis Martyrum primos Chriſtianos nullum detuliſſe cultum religioſum, docet. Id ipſum copioſe demonſtravit *Chriſt. Kortholtus* in *Pagano obtrectatore Cap. 8 §. 2 pag. 369 ſeq.* Noſter de peccato originis, ejusque autoribus, de baptiſmo infantum & adultorum, de confirmatione baptiſmali, de ſacra Cœna, de figura panis conſecrandi ac calicis, de unico Chriſti ſacrificio, de arca eleemoſynaria, de oblatione corporis 69.
Chriſti repræſentativa, de invocatione Spiritus ſancti euchariſtica, de conventibus Chriſtianorum, de euchariſtia parvulorum, de templis, ac de eccleſia, ex mente primorum Chri-

 ſtiano-

Pag. 77. ſtianorum, differit. Inſerit nonnihil de origine diœceſeos eccleſiarum, Archiepiſcorum, plebis poteſtate in eccleſia, de conjugio Clericorum, de electione Epiſcoporum & Presbyterorum, de judice controverſiarum theologicarum, de ſucceſſione & doctrinali & perſonali, ac de modo agendi con-
86. tra hæreticos uſque ad *Auguſtinum*. Laudat *Lactantii* pro-
91. nuntiatum de præſtantia & viribus religionis Chriſtianæ flex-
93. anima & vorticordia. Prædicat innocentiam & amorem mutuum primorum Chriſtianorum. Subjungit tandem pauca de priſci orbis theogoniis, ac *Sanchoniathonis* fide, cujus apud *Euſebium* exſtat Phœnicia vetus theogonia. Collegii Carolini Brunſuicenſis uſibus Cel. Autor hanc ſuam Commentationem ita conſecravit, ut ejus florem & incrementa proſperrima ſummis laudibus evehat & extollat.

APOLOGIA PER LA VITA DI S. FILIPPO NERI, &c. id eſt,

APOLOGIA CAJETANI VULPII, PRESBYTERI Patavini, pro vita S. Philippi Nerii, ſcripta per P. P. ANTONIUM GALLONIUM & PETRUM JACOBUM BACCIUM, Congreg. Orator. contra inſultus & accuſationes cujusdam Academici Inthronati.

Patavii, apud Joſephum Cominum, 1740, 8.

Plag. 4.

Academico cuidam viſum erat in libro, *degli ſtudi delle Donne* (*de ſtudiis fœminarum*) inſcripto, liberius ſentire de vita *Philippi Nerii*, a Duumviris, Congregationis Oratorii ſodalibus, conſcripta. Tradunt conſortes hujus ſocietatis, *Phi-*
6. *lippum Nerium* ſcripſiſſe regulas Congregationis Oratorii. Inthronatus originem harum ad *Philippi* diſcipulum, P. *Petrum Conſolinium*, retulit, qui eas A. 1612, annis 17 poſt *Nerii* obitum, literis conſignarit. Haud refragatur Noſter, ratus, *Conſolinium* regulas dilataſſe ac ſcripſiſſe, quas vivus *Nerius* ſuis injunxerit obſervandas. Inthronatus ægre fert, in *Gal-*

loniana

loniana ac *Bacciana Nerii* vita legi, hunc reliquiſſe hæredibus Pag. 9.
non niſi horologium, quinquaginta Scutatorum pretio æquale.
Addiderat idem nonnihil, initiis Congregationis adverſum, 16.
quod per ipſas *Nerii* literas, A. 1581, 15 Jul. ſcriptas, labefactatur. Putarat idem, *Nerium* fruſtra appellatum fuiſſe a
Duumviris *fundatorem archifraternitatis S. Trinitatis Conva-* 19.
leſcentium & Peregrinorum. Opponit Antagoniſtæ Rev. *Vulpius* literas *Urbani VIII* bullatas, ac P. *Dominicum Sonzonium, Nerii* biographum, *Cap. 33.* Inthronato viſum fuerat, heroicam *Nerii* paupertatem oppugnare, ac meminiſſe horologii, de quo diximus. Noſter contra reſpondet ad objectiones ſingulas, laudatque *Gallonii* vitam S. *Philippi Nerii*, Romæ A. 1600,
4, editam, ejusdemque librum *de Cruciatibus Martyrum.* 37.
Italico ſermone prodiit poſterior liber A 1591, 4, Romæ, ſub titulo: *Trattato degli ſtrumenti e delle varie maniere di Martirio uſate da' Gentili contra i Criſtiani, deſcritte e intagliate in rame da* Antonio Tempeſta, *opera di* Antonio Gallonio, *Romano.* Poſtea, ſcilicet A. 1594, 4, idem liber veſte Latina indutus apparuit ſub hoc indice: *De S.S. Martyrum Cruciatibus* Antonii Gallonii, *Rom. Congregationis Oratorii Presbyteri, liber, quo potiſſimum inſtrumenta & modi, quibus iidem Chriſti Martyres olim torquebantur, accuratiſſime tabellis expreſſi deſcribuntur.* Romæ, 1594, 4. Scripſit idem ediditque Ro-
mæ A. 1591, 4, libellum, cui eſt inſcriptio: *Iſtoria delle ſante* 38.
Vergini Romane, con varie Annotazioni, e con alcune Vite brevi de' Santi parenti loro; e de' glorioſi Martiri Papia e Mauro, ſoldati Romani. Præerat *Gallonius* tunc virginum nonnullarum ſacrarum vitæ dirigendæ ad nutum *Philippi Nerii*, quas exemplis illis exhortari, & ad virtutem animare, conabatur. Exſtat ejusdem *Gallonii* liber, ibidem A. 1604, 4, editus, cui hic præfixus eſt titulus: *Apologeticus liber* Antonii Gallonii, *Congregationis Oratorii Presbyteri, pro aſſertis in Annal. Eccleſ. de Monachatu S. Gregorii Papæ adverſus D. Conſtantinum Bellottum, Monachum Caſſinatem. Cui accedit Reſponſio de iisdem ad alium ejusdem Ordinis Monachum.* Scripſit idem vitam *Philippi Nerii*, Florentini, qui primus Congregationem Ora-

torii Romæ fundavit, defuncti A. 1595, 8 Cal. Jun. poſtquam Card. *Cæſarem Baronium* & *Thomam Bozium*, Eugubinum, educaverat, ac ad hiſtoriam materiemque eccleſiaſticam ſcri-
Pag. 39. bendam olim inflammarat. Vitæ illi ſubſcripſerunt in ſignum veritatis ac approbationis ſex curiæ Romanæ Patres purpurati, & quatuor ad id delegati viri docti. Moguntiæ liber prodiit A. 1602, 8, ac Neapoli A. 1608, 8. Inſeruerunt eum *Actis Sanctorum Bollandianis* Jeſuitæ *Tom. VI Menſis Maji pag. 463.* Eſt in manibus *Baccii* vitæ *Neriana* editio, cui inſcriptio
43. hæc fuit præfixa: *Vita del B. Filippo Neri, Fiorentino, fondatore della Congregazione dell' Oratorio, raccolta da' Proceſſi fatti per la ſua Canonizzazione, da Pietro Jacomo Bacci, Aretino, Prete della medeſima Congregazione.* In Roma, 1622, 4. *Vulpius*, ut ad eam redeamus, apologiam *Nerii*, ejusque encomiaſtarum, ea mente ſcripſit, a qua ipſe teſtatur vitium omne
56. prorſus abfuiſſe. Ipſe ſic fere ſub finem tractationis: *In primo luogo io confeſſo coram Deo & ſancto Philippo Nerio d' aver intrapreſa queſta picciola, e qualunque ella ſiaſi fatiga ed Apologia, non coacte, cioè non eccitato o ſtimolato da alcuno, ſed ſpontanee ſecundum Deum, cioè per puro zelo dell' onor di Dio, e del ſuo gran Santo Filippo Neri, di cui mi glorio d' eſſere ſtato ſin da fanciullo diſtinto veneratore.* Quousque Inthronati argumenta vel firma, vel hebetia, ſint, vel etiam a Pl. Rev. Antagoniſta pro viribus debilitata, id in præſens nolumus definire, ne alterutri præter morem noſtrum videamur moleſti.

Hiſtoriſcher Müntzbeluſtigungen XIVter Theil, ꝛc.

id eſt,

HISTORICARUM IN NUMIS DELICIARUM Pars XIV, A. 1742 per hebdomades ſingulas evulgatarum a JOANNE DAVIDE KOELERO.

Noribergæ, impenſis B. Chriſtophori Weigelii, ſenioris, chalcographi viduæ, 1742, 4.

Alph. 2 plag. 19.

Creſcit

Creſcit eundo opus, approbatione publica ſuoque Autore dignum. Exhibentur hic demuo LXIII Numi ætatis variæ, quibus ſplendorem conciliat Commentarius adjectus. Præfationis vicem ſuſtinet continuata plenioris Thalerorum deſcriptionis recenſio. Arduum ſane argumentum Cel. Vir aggreſſus fuit, dum Unciales, ſeu Thaleros, juſſu & jure Comitum & Baronum Imperii Romano-Germanici percuſſos, ordine ſuſcepit enumerandos. Præſtitit tamen id, quod pollicitatus fuerat, fidemque liberavit. Inprimis monuit, jus cudendi numum Comitibus illis Dominisque nobilibus tribuendum haud eſſe ex ſtatus immediati amplitudine, ſed profluere potius ex Imperatorum indulgentia. Regale illud jus Comites Mansfeldici, Schwarzburgici, ortique ex eis Blanckenburgici, Hennebergici, Kevernburgenſes, Orlamundani, Schauenburgici, Stolbergenſes, Lobdeburgenſes, Arnshaugienſes, Dominique Salzenſes, jam Seculo XII & XIII adhibuerunt, id quod ex bracteatis eorum numis luculente intelligitur. *Jo. Chriſtianus Lünigius* in *Theſauro Juris Comitum & Baronum Romano-Germanici Imperii* hoc jus ne attigit quidem. Nondum conſtat, quinam Comites Nobilesque Domini fuerint primi, quibus id juris Imperatores impertierunt. Nullum certe huc usque privilegium Imperatorium fuit productum, quod illo *Friderici II* privilegio excellit antiquitate, quo *Henricus* ſenior & junior, Domini & Advocati *de Plauen*, ab illo ad portum Naonis A. 1232 fuerunt illuſtrati. Id enim indulget eis jus illud, *ut quærere & fodere aurum & argentum aliaque metalla, & aureos, groſſos, & denarios, monetare, poſſint.* In recenſendis Thaleris Autor ordinem alphabeticum ſecutus fuit, nominatim deſignans Batenburgicorum Dominorum Thaleros, Comitum Bentheimenſium, & Bergenſium, ſeu Herenbergenſium, nec non eos, qui a Dominis Brederodenſibus cuſi fuerunt. Adjicit hiſce Cel. Vir recenſionem Thalerorum, qui referendi ſunt ad Barones *de Burchmikhling* & *Wilhelmsdorf*, ad Comites Dietrichſteinenſes proſapiæ Weichſelſtadienſis, ad Barones *de Ehrenfels*, & ad Comites Erpacenſes, quorum unicus ad A. 1623 exſtat Thalerus. Porro ad liberorum *de*

Fugger

Digitized by Google

Fugger Baronum Thaleros progréditur Autor enumerandos.
Meminit deinde Thaleros Comitum Fürſtenbergicorum, Co-
mitum *de Glaz*, Comitum *de Gronsfeld*, qui ex familia *Bron-
chorſtiorum* prodierunt, *Frauubergerorum*, Comitum *in Hag*,
quorum genus A. 1567 intercidit, Comitum *Hanovienſium*
progeniei utriusque & Münzenbergicæ & Lichtenbergicæ, A.
1736 in *Joanne Reinhardo II* exſtinctorum, Comitum *de
Hatzfeld* familiæ tum Wildenbergicæ, tum Gleichenſis, Comi-
tum *de Helffenſtein*, A. 1627 demortuorum, Comitum *de Ho-
henlohe*, Comitum *de Honſtein*, Comitum *de Horn* & *Friſiæ*
Orientalis. Juvat recoluiſſe memoriam Thalerorum, quos
Maria, hæres Jeverenſis, percutiendos curavit. Recenſuimus
hanc Uncialium claſſem, ut cum Cel. Autore eos, qui eam
augere & illuſtrare norunt, ad lucem hiſtoriæ affundendam
excitemus. Indici præmiſſa eſt Numismatum biga. Prius Me-
tallionem exhibet, quo *Anna*, Imperatrix Ruſſiæ, in antica ſeſe
offert; ejusque natalis, imperii auſpicium, ac obitus, qui
A. 1740, 17 Oct. contigit, in poſtica apparet. Adjicitur ei
typus Numismatis, *Joannem Hugonem de Orsbeck*, Electorem
Trevirenſem, repræſentantis. Hæc ad Præfationem. Ut
propius ad tractationem Deliciarum accedamus, res ipſa po-
ſtulat. Scenam aperit Thalerus *Franciſci II*, Ducis Saxo-
Lauenburgici, emortualis, ad A. 1619. Lauenburgicas terras
Henrici Leonis fuiſſe patrimonium, easque *Bernhardum*, Comi-
Pag. 7. tem Anhaltinum, injuſſu Imperatoris invaſiſſe, Cel. Vir ibi
oſtendit. Thalerus alter, isque rarior, eſt *Gaſtonis*, Ducis
Aurelianenſis, qua Principis Dombenſis. Quæ de Principa-
tu Dombenſi adjunguntur, lectori ſunt admodum jucunda.
17. *Chriſtiani III*, Regis Daniæ, Numiſma ſymbolicum refert an-
num 1541, ac Symbolum Regium in antica: *Unica ſpes mea
Chriſtus*. Quarto loco apparet ectypon ſemuncialis *Annæ
Mariæ Ludovicæ*, Principis ſupremæ Dombarum, ad A. 1673.
33. Ipſa exſtitit domus Burboniæ Montpenſierenſis hæres extre-
ma. Quintum occupat locum Ducatus mnemonicus *Eberhar-
di Ludovici*, Ducis Wirtebergenſis, ad A. 1723, teſtis ſacra-
menti, a Comitatus Montisbellicardenſis incolis recepti. Quid
Comes

TAB.VI a.

Fig.I. F



Fig.III

Digitized by Google

Digitized by Google

Comes *de Sponeck* & Baro *de Speranza* in contrarium fuerint moliti per Galliarum Regem, copioſe ſatis diſſeruit Autor. *Sexto* idem repræſentat ornatiſſimum *Ferdinandi III* Imperatoris Thalerum, A. 1657 percuſſum. Monet pauca de Thaleris Imperatorum recte ſeligendis ac locandis, & ultima vitæ *Ferdinandi* illius adjungit. *Septimo* exhibet *Caroli XI*, Regis Suecorum, Numiſma, quo Comitia, Holmiæ A. 1682 celebrata, memorantur. *Octavo* offert Numiſma, quo *Iſaacus Newtonus* illuſtratur, A. 1726 percuſſum. In antica eminet imago cubitalis ſimulacri, ſiniſtram exhibens ſpectandam, & repræſentans *Iſaacum* hunc capite operto & capillo brevi. In poſtica apparet Philoſophia inſtar fœminæ, cujus caput eſt alatum, ac dextra tabulam porrigit, cui corporum cœleſtium ordo inſcriptus. Addidit pro more Autor deſcriptioni numi vitam *Newtoni*, ac in ea faculas maculasque ejusdem libere expoſuit. *Nono* offert ſe Numiſma, *Mariæ II*, Reginæ Angliæ, A. 1694 defunctæ, index. *Decimus* Numus eſt mnemonicus, repræſentans ad A. 1738 *Fridericum Magnum*, Comitem Solmenſem Laubacenſem, A. 1738, 17 Aug. defunctum. Rarior eſt Numus *undecimus*, qui *Edmundum Godfrey*, pacis judicem Londinenſem, A. 1678 interemtum, exhibet. *Duodecimus* eſt ſymbolum pacis, quam A. 1693 *Chriſtianus V*, Rex Daniæ, cum Sereniſſima Domo Brunſuico-Luneburgica munitionis Raceburgi cauſa fecit. Numus 13 exhibet *Fridericum IV*, Danorum Regem, A. 1713 Suecicas copias ad Tonningam ad exilia ducentem. Thalerus *Jacobi Erneſti*, Comitis Lichtenſteinenſis, Epiſcopi Olomucenſis, ad A. 1740 percuſſus, qui memoretur, haud eſt indignus. Illuſtravit eum Cel. Autor inter alia de Lichtenſteinenſium genere & Epiſcopis Olomucenſibus commemoratione. Numus 15 oſtendit mutationem, quam fulgur A. 1676, 28 Jul. in numeris horologii externis effecit. Juvat legiſſe, fulgure ferrum in argentum, & argentum in aurum, fuiſſe converſum. Provocat, expoſitis ejusmodi prodigiis, ad Philoſophiam *Wolfianam*, cui inſultat per ſales, aceto tinctos. Exhibet inde tres Hungaricos numos: numum rariorem argenteum *Ludovici*, Regis Hungarorum, primi; numum

Marginalia: Pag. 41. — 49. — 65. — 81. — 89. — 97. — 105. — 113. — 120. — TAB. VI Fig. 1, 2, 3.

Digitized by Google

mum rariorem ejusmodi filiæ ejus, *Mariæ*, ibidem Reginæ; & *Mariæ Thereſiæ* Ducatum Hungaricum, ad A. 1741. Operæ pretium fuerit, ſignificaſſe, Autorem hic reſpondiſſe M. *Carolo Andreæ Belio*, qui in Commentatione hiſtorico-critica ſatis docte ediſſeruerat, *Mariam*, Hungariæ Reginam, eamque *Ludovici primi* filiam, a proceribus regni in inauguratione haud appellatum fuiſſe *Regem*. Nihil nos immiſcentes huic controverſiæ, quæ ab utraque parte fortiter validisque armis fuit diſceptata, id ſaltem fatemur, Cel. *Kœlerum* ſincere & eleganter litem ſuam peroraſſe, ac in locis *Turocii*, *Lucii*, *Raphayni de Careſinis*, & *Antonii Bonfinii*, exponendis interpretem egiſſe pariter æquum ac diligentem. Numum, in quo ipſa vocatur *Regina*, non *Rex*, cuſum fuiſſe, cum ipſa
Pag. 132. *Maria* jam *Sigismundo* nupſiſſet, ac hic in folio conſediſſet. Eadem diſtinctione adhibita, ad argumentum, e Diplomatibus deſumtum, reſpondet. Avemus audire ea & perſpicere, quæ Clariſſ. *Belius*, multum & ipſe ingenio doctrina valens, ad ſententiam ſuam vindicandam ſit in medium allaturus. Provocat nos ad alia præclarus Metallio, qui exhibet *Fridericum Henricum*,
137. Principem Arauſicanum, ejusque conjugem, *Amaliam*, e Comitibus Solmenſibus ortam, cujus accedit genealogia. *Undevigeſimo* loco apparet Numus diverſi metalli, isque unilateralis, qui inſignia ſocietatis pſychoſophicæ, quam D. *Joannes Joachimus Becherus* molitus fuit, repræſentat, ac in cauſa eſt, ut Autor vitam & maculas *Becheri* inſtabilis ac vagi di-
158. ligentia haud exigua addiderit. Succedit rarior Numus ar-
TAB. VI genteus, ad *Andream Dandalum*, Ducem Venetiarum, ſuis ab
Fig. 4. A. 1343 uſque ad 1354 præſidentem, referendus. Pietatis nos admonet Thalerus Ducis Brunſuico-Luneburgici, *Augusti*, quo extremum natalem A. 1666 memoriæ commen-
162. davit, adjecto ſymbolo: *Alles mit Bedacht*. Commentatur ad eum Autor de ejus per *Joannem Saubertum* juniorem verſione V. T. Teutonica, A. 1665 cœpta, & uſque ad *1 Sam. XVII, 12*, continuata. Vidimus olim apud *Joannem Andream Schmidium* Helmſtadii exemplar conſimile, eouſque perductum. Ceſſavit ob mortem *Auguſti* inſtitutum, cujus uſum

merito

Digitized by Google

merito prædicat Autor, idque a judiciis malignis defendit
pro more, hoc eſt, ingenue ſolideque. At vocat nos Nu-
mus, qui *Jacobum II*, Angliæ Regem, A. 1685 diademate or- Pag. 169.
natum ſiſtit. Excipit eum Thalerus rarior Comitis Sinzen-
dorfenſis, *Georgii Ludovici*, A. 1676 percuſſus. Non mi-
nus raritate commendabilis eſt Numus aureus Comitis Palati- 183.
ni Sulzbacenſis, *Chriſtiani Auguſti*, ad A. 1665. Pulchritu-
dine enitet Numiſma, quod A. 1679 percuſſum eſt & 193.
Poetæ Batavici, *Jodoci van den Vondel*, memoriam ad poſteros
transmittit. Electori Bavariæ, *Maximiliano*, Numus ſequens
ad A. 1640 ſacer eſt, Monachii ad majorem munitionem per- 209.
ducti teſtis. Succedit Numus, qui mortem *Caroli XII*, Sue-
corum Regis, exhibet, ac Moeda *Alphonſi VI*, Regis Luſita-
norum infelicis. Suecos A. 1679 ex Boruſſia celeriter re-
pulſos, indicat Numiſma mnemonicum Electoris Brandenbur- 225.
gici, *Friderici Wilhelmi Magni*. Numiſma Ducis Wirtember-
gici, *Eberhardi Ludovici*, exhibet in poſtica imperiale vexil-
lum, ab oppugnatione & caſtro Grüningen cognominatum. 233.
Adjicit ei Autor judicium de lite ſuper illo agitata, ac de
ſcripto *Weinlandi*. Numiſma ſequens ſpectat ad *Placidum de* 241.
Droſte, Abbatem Fuldenſem, ac A. 1688. Illuſtrat id Autor com-
mentatione de ejus genere ac jure, Abbatibus Fuldenſibus a
Carolo VI conceſſo, jure ſcilicet coronandi Imperatricem, ſeu
Reginam Romanorum. Progredimur ad hebdomada *32*. 249.
Suppeditat ipſa Thalerum ſepulchralem, quo conſulitur me-
moriæ *Friderici*, Ducis Sleſvico-Holſati, A. 1702 in pugna
Cliſcovienſi occiſi. Adjungit Numo ex *Samuelis Reimari*
concione funebri nonnihil, eloquentia ſalſiori imbutum. 257.
Numiſma Principum Anhaltenſium, quod illi ſuccedit, ſpe-
ctat ad A. 1569, viſendosque offert fratres tres, *Joannem*
Georgium, & *Joachimum*, ac in poſtica *Joannis* filios, *Joa-*
chimum Erneſtum & *Bernhardum*. Rariſſimus eſt Thalerus TAB. VI
urbis Luneburgi, qui juris venandi eſſe index dicitur, quod Fig. 5.
A. 1562 arctiori limite fuit determinatum. Haud pigebit 265.
lectorem legiſſe diatribam, huic numo adjectam. Lucer-
nam ipſa olet, & cedro eſt digna. Numus *35* repræſentat 273.

Carolum Wilhelmum Fridericum, Marchionem Onoldisbacenſem, A. 1741 Comitatus Sayn portione Altenkirchenſi locupletatum. Operæ pretium fuerit, lectitaſſe adjunctam de gente Saynenſi commemorationem, idque, quod illi innexum eſt,
Pag. 284. jus ſucceſſionis, Sereniſſ. Marchioni aſſertum. Numus *36* eſt Ducatus Wirciburgicus, annis 1724 ſequentibusve ad 1729 cuſus; cui accedit expoſitio de poteſtate Epiſcoporum Herbipolenſium Ducali, ac titulo *Ducis Franconiæ*, quem inde ex Seculo XV Epiſcopi adhibere conſueverunt, & qui ultra Epiſcopi terras haud procedit. Si ſingula majoris momenti monumenta, quibus hæc Sylloge XIV effulget, perſequi, lectoremque docere, tentaremus; non poſſemus, quin paginarum ſingularum huc referremus compendioſam enarrationem. Eamque ob cauſam hic moram injicimus calamo noſtro, & eos, quorum in-
385 ſeq. tereſt, ad Cel. Autoris Delicias candide meritoque remittimus, poſtquam ſignificavimus, hiſtoriam *Ludovici XIV* numiſmaticam, annisque adſtrictam, a Cel. Viro ſolerter & ſtudioſe hic fuiſſe adornatam.

JOANNIS MARTINI CHLADENII LOGICA SAcra, ſive Introductio in Theologiam ſyſtematicam.

Coburgi, in officina Ottoniana, 1745, 8.
Alph. 1 plag. 17.

Ea nunc temporis eſt indoles, ut neceſſum ſit, ſingul[illegible]on ſolum doctrinæ Chriſtianæ majores partes, ſed minutiſſimos quoque articulos, tanta ſollicitudine comprobare, quantam ætas noſtra, a credulitate procul ſejuncta, requirit. Elapſis jamjam Seculis fere ubique locorum alia ratione ad populum, alia ad eruditos, de dogmatibus theologicis antiſtites diſſeruerunt. Eo fine collecta fuerunt Syſtemata theologica, ut ii, qui ad dubitandum proniores, aut in ſententias contrarias eſſent procliviores, a veritate non recederent, ſed potius interventu acroamatici ac ſubtilioris, ſuoque ingenio accommodatioris, doctrinarum generis ab erroribus aut arcerentur, aut revocarentur. Quorum hominum cum ingens ac

varia

Digitized by Google

varia fuerit multitudo, ac nova veluti ſeges ſeculis ſingulis, immo in dies, ſuccreverit; moles ſyſtematum, ſenſim paulatimque aucta, novam adjecit eis, qui ad dignitatem doctoris adſpirant, curam, eamque geminam, unam in eis, quæ per majores prudentiſſime ſunt conſtituta, recte intelligendis ac vindicandis poſitam, alteram in capitibus illis, ad poſteros citra corruptelas propagandis, ac neceſſario incremento auctis, tradendis excubantem. Curæ autem huic ſatisfaciet nemo, niſi præſidiis doctrinæ Logicæ ſatis inſtructus. Philoſophis quibusdam id referimus acceptum, quod doctrinæ Logicæ ab impedimentis ſupervacuis liberatæ, ac novis inventis; partim neceſſariis, partim ad veritatem dijudicandam aptis, auctæ ſunt ac locupletatæ. Progreſſi poſtea fuerunt alii ad methodum mathematicam, ſeu potius logicam, Theologiæ ipſi revelatæ inferendam. Qui graviſſimum tantæ rei perficiendæ onus ſubierunt, ceterique, qui *uſum Philoſophiæ, in Theologia* ſe prodentem, deſcripſerunt, id ſumſere pro certo ac explorato, doctrinas logicas, quibus huc uſque fruimur, ſufficere non ſolum ſyſtemati philoſophico, ſed etiam theologico, & conſtituendo, & explicando. Noſter vero dudum ſuſpicatus fuit, diverſam eſſe ſyſtematis, tum philoſophici, tum theologici, rationem; neque ea, quæ in hoc traduntur, omnia ad eas notionum & propoſitionum ſpecies referri poſſe, quas Philoſophi, in ſui ſyſtematis uſum, hactenus tradiderunt. Meminit ipſe primo, in ſacris literis reperiri ſententias, myſteriis imbutas, ac ſupra rationis regionem collocatas. Deinde, illud ſyſtemati theologico proprium eſſe, animadvertit, quod in hoc ſingula dogmata ad certa Codicis ſacri teſtimonia, tanquam ad ſuum principium, referantur. Quid de hoc demonſtrationis genere in logicis doctrinis vulgo auditur? Et quid porro? In ſyſtemate Philoſophico veritates non niſi univerſales traduntur. Sacer autem Codex quamplurimas continet hiſtoricas veritates, e. g. hiſtoriam Servatoris noſtri, prævaricationes & angelorum & hominum, extremum judicium. Ad ea, quæ oblique ſunt hiſtorica, ſpectant adhortationes, preces, promiſſiones,

minæ, alia. Accedit, quod de *propoſitionibus, voluntatem ſignificantibus,* non magis uſquam præcipiunt Logici. Quis vero ignorat, ſententiis hujus generis ſacrum Codicem eſſe refertiſſimum? Huc refer leges, mandata, precationes, vota, ſuſpiria, ſimilia. Vellicant tandem animum notiones *analogiæ fidei, teſtimoniorum, locorum claſſicorum, ſedis doctrinæ, puritatis,* ac *ſimplicitatis,* quæ ineſt *doctrinæ.* Hæc ſingula ſtudioſius collegit, digeſſit, ac invicem copulavit Autor. Rem varie tentanti contigit, ut in illa D. *Martini Chemnitii* incideret hypomnemata, quæ huic libello adjunxit. Veneratus illico fuit hunc viæ ducem, magis tamen in tractationis progreſſu, quam ingreſſu. Hæc *Logicæ* hujus *ſacræ* eſt origo. Uſus in eo conſiſtit, ut ſententiæ ac concluſiones theologicæ hodie vix facile empæctis, vel Philoſophiæ oſtentatoribus, aliisque hominibus, niſi recte e principiis ac debite comprobatæ ſint, approbentur: neu quis credat, ea, quæ ad vulgarem probationum formulam revocari non poſſunt, omnem omnino idoneam admittere probationem. Impugnantur veritates divinitus revelatæ multo nunc, quam olim, ſubtilioribus inſtrumentis machinisque, quarum impetum, niſi genere doctrinarum ſimili pugnes, vix queas declinare. *Solent enim,* qui acerrimo religionem Chriſtianam invadunt infeſtantque ſtudio, ſpecioſum rationis titulum ſibi obtendere ac arrogare. Solent iidem vehementer conqueri, quod ipſis videtur vis rationi inferenda eſſe, ut, quod ad credendum propoſitum eſt, id credere, ſibique perſuadere, queant. Ipſi inprimis in hiſtoria hærent geſtorum, quæ in ſacris literis ſunt præſcripta. Igitur ab ea parte revelationis cum ratione fingunt pugnam, ubi rationis & Philoſophiæ præceptum exſtat fere nullum. Impoſſibilia modo ſibi obtrudi clamitant, ubi, qui res ejusmodi, qualem eveniſſe legunt, fieri poſſit, e locis ſuis communibus intelligere ac penetrare animo non poſſunt. Verendum ſane eſt, ne brevi, qui in pectore minimum fidei gerit, is cummaxime ratione vulgo reputetur inſtructus. Suum igitur duxit Cl. Autor, cladem, ab hiſce rationis nudæ pullis cœtui ſanctiori imminentem, arcere, ac pro viri-

Digitized by Google

viribus exterminare. Eo fine anniſus eſt, ut iis, quæ a præjudicatis opinionibus pendent, obicem obderet, ac certiora ſubſtitueret falſis ac imaginariis nugivendulorum decretis. Decerpſimus hæc ex Præfatione, ne quis lectorem urgeret ſcrupulus, anquirentem, quare & quem in finem, quibusque initiis, Autor librum hunc compoſuerit. Liber ipſe complectitur *Prolegomena*, ac *Capita novem*, præterea veram de hiſtoria notionem, theoriam ſenſus interni, theoriam ſententiarum, ac paralipomena ad theoriam concluſionum & probationum. In Prolegomenis ediſſeruntur limites Logicæ philoſophicæ, habitus veritatum theologicarum ad Logicam Philoſophorum, eaque veritatibus theologicis haud ſufficiens, ſyſtematique theologico ſuſtinendo impar, *diſcrimen Logicæ philoſophicæ ac ſacræ*, ſynonymum Logicæ ſacræ, hujusque uſus, hiſtoria, ſcholion, ac ſignificatio, qua docemur, Logicam ſacram eſſe Hermenevticæ ſacræ partem. *Capiti primo* de *notionibus theologicis* inſcriptio fuit præfixa. *Capite ſecundo* de *vocibus theologicis* exponitur. *Tertium* in recenſendis *propoſitionibus theologicis* verſatur. *Quarto definitiones theologicæ* declarantur. *Quinto* de *concluſionibus theologicis* diſſeritur. *Sextum* de *veritate theologica*, *fide*, & *erroribus in Theologia*, inſcriptum eſt. *Septimo* de *locis theologicis* exponitur. *Octavo* de *ſyſtemate theologico* agitur. *Nonum* recenſet *uſum & utilitatem Philoſophiæ in Theologia ſyſtematica.* Ordo tractandi ubique eſt naturalis, ſibi conſtans, & perſpicue expreſſus. Delibabimus, ut exſtet ſpecimen, Capitis, *de locis theologicis* inſcripti, ſummam. Definit locum theologicum Autor per *tractationem continuam earum veritatum theologicarum, quæ ad* Pag. 392. *unam ſpectant notionem theologicam.* In loco theologico veritates ordine naturali tradendas eſſe, in quo ea præcedunt, quæ ad ſequentia faciunt intelligenda, monet. Requirit, ut utilitatem publicam complectatur locorum ejusmodi tractatio. Hos, docet, non ſolum dogmata, quæ omni tempore 395. in eccleſia inculcari debent, ſed varias quoque hominum opiniones,

nones, errorumque deſcriptiones ac refutationes, complecti. Notio theologica, eaque vel mediata, vel immediata, quomodo ſit inſtruenda, fuſius exponit. Sedem doctrinæ defi-
Pag. 402. nit. *Notiones vicarias* ex controverſiis originem trahere, monet, docens præterea, nullam fere eſſe notionem theologicam, quæ, una cum concluſionibus ſuis, non ſit aliquando variis modis aut multiplici errore, aut fictionibus, inquinata. Unde colligit, cuilibet loco theologico eſſe duas partes, unam dogmaticam, & alteram polemicam. Addit, in dogmatibus
406. res a formulis eſſe diſtinguendas. In rationibus immediatis formulas ſacri Codicis eſſe retinendas, ſignificat, largitus, formulas concluſionum theologicarum & notionum mediatarum
409. ab arbitrio hominum pendere. Oſtendit porro, quando & ubi forma propoſitionum logicarum ſit neceſſaria. Docet idem, omnino intereſſe, ut loci theologici, propoſitiones theologicas forma logica exhibentes, exſtent. Explicat mu-
417. tationes partis dogmaticæ & polemicæ loci theologici. *Forma doctrinæ*, hoc judice, continet mutabiles cujusque doctrinæ determinationes, ac denotat modo formam ſingulorum dogmatum, modo formam loci theologici, modo formam corporis doctrinæ. Formam doctrinæ dari, oſtendit. Formulæ dogmatis duas attribuit partes, primo formulam, deinde probationis genus. *Subſtantiam dogmatum* opponit formæ eorundem. Docet artem invenien-
421. di principium dogmatis. Propoſitiones myſticas ad formam doctrinæ pertinere, easque probari non poſſe, monet. Oſtendit earum periculum, & cum ſimplicitate fidei disconvenientiam. *G. Arnoldi* commendationem, Theologiæ myſticæ faventem, repellit & exterminat. Monſtrat modum, quo *termini metaphyſici* propoſitiones immediatas ingrediun-
428. tur, immo mediatas. A myſteriis exponendis procul eſſe jubet terminos metaphyſicos, eo quod periculum eſt, ne hinc notiones ambiguæ naſcantur. Id, quod in dogmate, mutatis licet formulis probationisque modis, idem ſemper manet,
436. *fundamentum dogmatis* cum *Chemnitio* appellat. Formam doctri-

doctrinæ ob præſtantiam collaudat, licet concedat, eam per errores mutari. Damna Theologiæ ſcholaſticæ & myſticæ enarrat. Gradum ordinis, in ſyſtemate theologico enitentem, exponit & format. Syſtematum theologicorum uſum ad concordiam eccleſiæ obſervandam prodeſſe cenſet. Pag. 461. Momenta ea, quæ Theologum reddunt ſyſtematicum, recenſet. Enumerat ſyſtematis polemici partes & artes, quibus in eo eſt opus. Inprimis & commendat rationis culturam, regulasque præſcribit morales. *Philoſophia* ex 469. ejus judicio eſt veritatum univerſalium, per rationem nobis cognitarum, ſeries. Uſui hujus in Theologia indicato ſuccedunt 477. *Martini Chemnitii de uſu & utilitate locorum theologicorum Hypomnemata*, quibus Cl. *Chladenius* ſuas addidit illuſtrationes. *Hermæ Paſtorem* genuinum intercidiſſe, *Chemnitii* eſt 495. ſententia. Formam doctrinæ, defunctis *Auguſtino* ac *Cyrillo*, nimis eſſe mutatam, *Chemnitius* queritur. *Joannis Damaſceni* libris *de orthodoxa fide* jam paleas eſſe admixtas, indicat. *Bandini Summam* intercidiſſe, negamus, qui eam manibus terimus, rati, *Petrum Lombardum* inde multa mutuatum. 505. Niſi fallimur, ex hiſce ſpeciminibus, quantum bonæ frugis huic inſit libro, jam intelligitur ſatis ſuperque.

J. T. WALZII ADDITAMENTUM AD SCHEdiaſma, in Novis Actis Anni præſentis Menſ. Sept. P. I pag. 506 ſeq. exhibitum.

Cum ante paucos dies *Septembrem Actorum* nactus, in eodem Continuationem Schediaſmatis mei *de Methodo interpolandi* curſim relegerem, deprehendi, me *pag. 524* ἀβλεψίαν quandam feſtinando commiſiſſe, quam continuo reparare viſum eſt, ne alios forſan in errorem inducat; quo facto, pauculas adhuc obſervationes, ad hanc ipſam materiam ſpectantes, ſubjungere licebit.

Error poſitus eſt in invenienda ſumma ſeriei *A*) *pag. 522* ad quemvis terminorum numerum n, poſt verba: *Tunc eadem, qua prius, ratione evincetur* &c. Nam in ſerie terminorum ϱu^{n+1}, σu^{n+2}, τu^{n+3} &c. termini geometrice progreſſionales u^{n+1}, u^{n+2}, u^{n+3} &c. non hujus ſunt indolis ac in ſerie *A*) cum

 u^{n+2},

Digitized by Google

x^{n+2}, x^{n+3}, &c. non ſint ſucceſſivæ poteſtates termini primi x^{n+1}; ad quod, aliis tunc occupatiſſimus, & ad finem properans, non ſatis attenderam.

Expediet itaque, rem paulo generalius concipere: Si nempe loco ſeriei *pag. 522* ponamus hanc: $A)\ \alpha x^{\theta} + \beta x^{\theta+\eta} + \gamma x^{\theta+2\eta} + \delta x^{\theta+3\eta} +$ &c. in infin. in qua coefficientes deducant ad differentias conſtantes ordinis μ, erit ejusdem terminus generalis, ad locum n pertinens, $x^{\theta+(n-1)\eta}\left(\alpha + \frac{n-1}{1}d' + \frac{(n-1)(n-2)}{1.\ \ 2}d'' + \dots + \frac{(n-1)(\dots)(n-\mu)d^{\mu}}{1.\ \ 2.\dots\mu}\right)$. Jam, inſiſtendo plane veſtigiis ratiocinii, *l. c.* expoſiti, hujus ſeriei in infinitum continuatæ ſumma invenietur $= \frac{\alpha x^{\theta}}{1-x^{\eta}} + \frac{d' x^{\theta+\eta}}{(1-x^{\eta})^2} + \frac{d'' x^{\theta+2\eta}}{(1-x^{\eta})^3} + \dots + \frac{d^{\mu} x^{\theta+\mu\eta}}{(1-x^{\eta})^{\mu+1}}$; hæcque in ſuperiorem illam transmutabitur, ponendo $\theta = \eta = 1$. Quodſi jam invenienda ſit ſumma hujus ſeriei $A)$ ad datum terminorum numerum n, ſit terminus, cujus index eſt n, æqualis huic, $\pi x^{\theta+(n-1)\eta}$; ſequentes itaque erunt, $\rho x^{\theta+n\eta}$, $\sigma x^{\theta+(n+1)\eta}$, $\tau x^{\theta+(n+2)\eta}$, &c. eorumque ſumma $= x^{n\eta}(\rho x^{\theta} + \sigma x^{\theta+\eta} + \tau x^{\theta+2\eta} +$ &c.) quæ ſupponitur in infinitum continuari Jam a coefficientibus ρ, σ, τ, &c. capiantur ſucceſſivi differentiarum ordines, ſitque Δ' prima primarum, Δ'' prima ſecundarum, Δ''' prima tertiarum, &c. dum perveniatur ad Δ^{μ}, quæ eſt prima ordinis μ, ultra quam per hypotheſin nullæ dantur amplius: tunc eadem ratione, qua prius, evincetur, fore $\rho x^{\theta} + \sigma x^{\theta+\eta} + \tau x^{\theta+2\eta}$ + &c. in infin. $= \frac{\rho x^{\theta}}{1-x^{\eta}} + \frac{\Delta' x^{\theta+\eta}}{(1-x^{\eta})^2} + \frac{\Delta'' x^{\theta+2\eta}}{(1-x^{\eta})^3} + \dots + \frac{\Delta^{\mu} x^{\theta+\mu\eta}}{(1-x^{\eta})^{\mu+1}}$. Cujus ſinguli termini ſi ducantur in $x^{n\eta}$, prodibit

ſumma

ſumma omnium terminorum in infinitum, ab eo, qui ordine eſt n. Quæ ſi a ſumma totius ſeriei A) ſubtrahatur, differentia exhibebit ſummam tot terminorum ejus, quot ſunt unitates in n. Sit hæc ſumma $= S$: erit itaque $S = \frac{\alpha u^{\theta}}{1-u^{\eta}} + \frac{d' u^{\theta+\eta}}{(1-u^{\eta})^2} + \frac{d'' u^{\theta+2\eta}}{(1-u^{\eta})^3} + \ldots + \frac{d^{\mu} u^{\theta+\mu\eta}}{(1-u^{\eta})^{\mu+1}} - u^{n\eta}\left(\frac{\varrho u^{\theta}}{1-u^{\eta}} + \frac{\Delta' u^{\theta+\eta}}{(1-u^{\eta})^2} + \frac{\Delta'' u^{\theta+2\eta}}{(1-u^{\eta})^3} + \ldots + \frac{\Delta^{\mu} u^{\theta+\mu\eta}}{(1-u^{\eta})^{\mu+1}}\right)$. Supra autem jam innuimus, calculum diduci & concinnari poſſe: id quod paucis, quia hic opportunum eſt, oſtendere libet. Nimirum ϱ, Δ, Δ'', Δ''', &c. exprimere oportet; quia vero eſt $\pi = \alpha + \frac{n-1}{1} d' + \frac{(n-1)(n-2)}{1.\ \ 2} d'' + \&c.. + \frac{(n-1)(\ldots)(n-\mu) d^{\mu}}{1.\ \ldots\ldots\ \mu}$, liquet, poſito $n+1$ loco n, provenire $\varrho = \alpha + \frac{n}{1} d' + \frac{n(n-1)}{1.\ \ 2} d'' + \ldots + \frac{n(n-1)(\ldots)(n-\mu+1) d^{\mu}}{1.\ \ 2\ \ldots\ldots\ \mu}$. Pari ratione Δ, Δ''.&c. dabuntur per d, d'', &c. Cum vero ſeries α, β, γ, δ, ε, &c. per hypotheſin habeat differentias conſtantes ordinis μ, illico perſpicitur, de ſingulis differentiarum non ſecus eſſe pronuntiandum. Series itaque differentiarum primarum habebit differentias conſtantes ordinis $\mu-1$; ſeries ſecundarum deducet ad differentias æquales ordinis $\mu-2$, atque ita de ceteris. Porro notandum, ſi numerus terminorum ſeriei α, β, γ, δ, ε, &c. ſit $= n$, ſeriem differentiarum primarum conſtare terminis numero $n-1$; ſecundarum, numero $n-2$; tertiarum, numero $n-3$, & ſic porro. Hinc in ſerie differentiarum primarum, cujus terminus primus eſt d', index loci τȣ Δ' erit $= n+1$; pariter in ſerie ſecundarum, cujus agmen ducit d'', index τȣ $\Delta'' = n+1$, & ſic deinceps in omnibus reliquis. Nam e. g. Δ'' tum demum locum habet, cum ponitur τ, terminus nempe, cujus index eſt $n+3$: igitur, cum numerus terminorum in ſerie ſecundarum binario deficiat a numero terminorum ſeriei primitivæ, α, β, γ, &c. palam eſt, indicem ipſius Δ'' eſſe $= n+1$, pariter

Digitized by Google

ac omnium ſubſequentium, de quibus ſimile judicium valet. His intellectis, erit, per Theorema generale, $\Delta' = d' + \frac{n}{1} d'' + \frac{n(n-1)}{1.\ 2} d''' + \frac{n(n-1)(n-2)}{1.\ 2.\ 3} d^{\text{IV}} + \ldots + \frac{n(n-1)(\ldots)(n-\mu)d^{\mu}}{1.\ 2.\ldots\ldots\ldots(\mu-1)}$;

$$\Delta'' = d'' + \frac{n}{1} d''' + \frac{n(n-1)}{1.\ 2} d^{\text{IV}} + \ldots + \frac{n(n-1)(\ldots)(n-\mu-1)d^{\mu}}{1.\ 2.\ldots\ldots(\mu-2)};$$

$$\Delta''' = d''' + \frac{n}{1} d^{\text{IV}} + \ldots + \frac{n(n-1)(\ldots)(n-\mu-2)d^{\mu}}{1.\ 2.\ldots\ldots(\mu-3)},$$ & ſic porro; tandemque $\Delta^{\mu} = d^{\mu}$ per hypotheſin. Quibus valoribus ſubſtitutis, erit ſumma ſeriei in infinitum continuatæ, & incipientis a termino, cujus locus deſignatur per $n+1$, æqualis

$$\frac{u^{\theta+n\eta}}{1-u^{\eta}}\left(\alpha + \frac{n}{1} d' + \frac{n(n-1)}{1.\ 2} d'' + \frac{n(n-1)(n-2)}{1.\ 2.\ 3} d''' + \ldots + \frac{n(n-1)(\ldots)(n-\mu+1)d^{\mu}}{1.\ 2.\ldots\ldots\mu}\right) + \frac{u^{\theta+(n+1)\eta}}{(1-u^{\eta})^2}\left(d' + \frac{n}{1} d'' + \frac{n(n-1)}{1.\ 2} d''' + \ldots + \frac{n(n-1)(\ldots)(n-\mu)d^{\mu}}{1.\ 2.\ldots\ldots(\mu-1)}\right) + \frac{u^{\theta+(n+2)\eta}}{(1-u^{\eta})^3}$$

$$\left(d'' + \frac{n}{1} d''' + \ldots + \frac{n(n-1)(\ldots)(n-\mu-1)d^{\mu}}{1.\ 2.\ldots\ldots(\mu-2)}\right) + \frac{u^{\theta+(n+3)\eta}}{(1-u^{\eta})^4}\left(d''' + \ldots + \frac{n(n-1)(\ldots)(n-\mu-2)d^{\mu}}{1.\ 2.\ldots\ldots\ldots\mu-3}\right) + \ldots + \frac{u^{\theta+(\mu+n)\eta}d^{\mu}}{(1-u^{\eta})^{\mu+1}}.$$

Hæc ſeries in priorem mutatur, ſi ponas $n=0$; tunc enim emergit ſumma omnium terminorum, a primo ad infinitum, nempe $\frac{\alpha u^{\theta}}{1-u^{\eta}} + \frac{d' u^{\theta+\eta}}{(1-u^{\eta})^2} +$ &c. ad quam principio pervenimus. Ordinatis autem terminis juxta α, d', d'', d''', &c. emerget forma ſeriei commodior, nempe $u^{n\eta}$

$\left(\frac{\alpha u^{\theta}}{1-u^{\eta}}\right.$

Digitized by Google

$$\left(\frac{\alpha u^{\theta}}{1-u^{\eta}} + d'\left(\frac{nu^{\theta}}{1-u^{\eta}} + \frac{u^{\theta+\eta}}{(1-u^{\eta})^{2}}\right) + d''\left(\frac{n(n-1)u^{\theta}}{1.\,2\,(1-u^{\eta})} + \frac{nu^{\theta+\eta}}{(1-u^{\eta})^{2}} + \frac{u^{\theta+2\eta}}{(1-u^{\eta})^{3}}\right) + d'''\left(\frac{n(n-1)(n-2)u^{\theta}}{1.\,2.\,3\,(1-u^{\eta})} + \frac{n(n-1)u^{\theta+\eta}}{1.\,2\,(1-u^{\eta})^{2}} + \frac{nu^{\theta+2\eta}}{(1-u^{\eta})^{3}} + \frac{u^{\theta+3\eta}}{(1-u^{\eta})^{4}}\right) + \&c. + d^{\mu}\left(\frac{n(n-1)(\ldots)(n-\mu+1)u^{\theta}}{1.\,2\ldots\ldots\ldots\mu\,(1-u^{\eta})} + \frac{n(n-1)(\ldots)(n-\mu)u^{\theta+\eta}}{1.\,2\ldots\ldots(\mu-1)(1-u^{\eta})^{2}} + \ldots\ldots\ldots + \frac{u^{\theta+\mu\eta}}{(1-u^{\eta})^{\mu+1}}\right)$$

Fiat jam n numerus infinitus, & ſtatuatur u unitate minor: tunc omnes hi termini in nihilum abibunt, adeoque ſumma omnium terminorum poſt infiniteſimum erit $=0$, id quod indicio eſt, ſeriem, in infinitum licet extenſam, magnitudinis tamen finitæ eſſe. Quo autem minus exercitati ſatis perſpiciant, ſi $n=\infty$, omnes terminos deſtructum iri: animadvertendum eſt, eò caſu eſſe v. g. $n(n-1)(n-2)=\infty(\infty-1)(\infty-2)=\infty^{3}$, & ſic de reliquis, cum ſit $\infty \pm q=\infty$, ſignificante q numerum finitum quemcunque. Poteſtas autem infinita fractionis $\frac{q}{q+1}$ ſive $\left(\frac{q}{q+1}\right)^{\infty}$ perinere ad ordinem $\frac{1}{\infty^{\infty}}$, adeoque valor ejusdem in infiniteſimo infinite parvorum ordine collocabitur. Cùm itaque $u^{n\eta}$, hoc eſt, quantitas ordinis $\frac{1}{\infty^{\infty}}$ in ſingulos ſeriei terminos ducatur, atque coefficientes $n(n-1)(n-2)(\ldots)$ &c. ad ſummum efficere poſſint quantitatem ordinis ∞^{μ}, exiſtente μ numero finito: facile intelligitur, maximum ſeriei terminum fore $\frac{1}{\infty^{\infty-\mu}}$, hoc eſt re vera $=0$, unde multo magis ceteri evaneſcent. Hæc igitur ſeries, ſi a priori $\frac{\alpha u^{\theta}}{1-u^{\eta}} + \frac{d'u^{\theta+\eta}}{(1-u^{\eta})^{2}}$ + &c. demátur, exhibebit S, hoc eſt, ſummam ſeriei A) a principio uſque ad terminum (incluſive), cujus index eſt n. Quam vero formam valor

Digitized by Google

lor ipſius S habiturus ſit, facillime in oculos incurrit, ut, plura hac de re exponere, non ſit neceſſe.

Cum ſeries $A)$ $\alpha u^{\theta} + \beta u^{\theta+\eta} + \gamma u^{\theta+2\eta}$ + &c. ſummationem indefinitam admittat; hæc quoque ſummabilis erit, $B)$ $\alpha u^{\theta} + \beta(u^{\theta} + u^{\theta+\eta}) + \gamma(u^{\theta} + u^{\theta+\eta} + u^{\theta+2\eta}) + \delta(u^{\theta} + u^{\theta+\eta} + u^{\theta+2\eta} + u^{\theta+3\eta})$ + &c. in inf. Nam poteſt hæc diſpeſci in partiales

$C \ldots\ldots \alpha u^{\theta} + \beta u^{\theta+\eta} + \gamma u^{\theta+2\eta} + \delta u^{\theta+3\eta}$ + &c.

$D \ldots\ldots \beta u^{\theta} + \gamma u^{\theta+\eta} + \delta u^{\theta+2\eta} + \varepsilon u^{\theta+3\eta}$ + &c.

$E \ldots\ldots \gamma u^{\theta} + \delta u^{\theta+\eta} + \varepsilon u^{\theta+2\eta} + \zeta u^{\theta+3\eta}$ + &c. quarum quælibet ſimilis eſt ipſi A; vel etiam ſummæ ſerierum verticalium immediatæ poſſunt ex Theoremate generali elici, cum α, β, γ, &c. tandem ad differentias conſtantes deducere ponantur.

Pariter erui poterit ſumma ſeriei $F)$ $\alpha u^{\theta} + \beta(u^{\theta} + 2u^{\theta+\eta}) + \gamma(u^{\theta} + 2u^{\theta+\eta} + 3u^{\theta+2\eta}) + \delta(u^{\theta} + 2u^{\theta+\eta} + 3u^{\theta+2\eta} + 4u^{\theta+3\eta})$ + &c. nec non hujus, $G)$ $\alpha u^{\theta} + \beta(u^{\theta} + 3u^{\theta+\eta}) + \gamma(u^{\theta} + 3u^{\theta+\eta} + 6u^{\theta+2\eta}) + \delta(u^{\theta} + 3u^{\theta+\eta} + 6u^{\theta+3\eta} + 10u^{\theta+3\eta})$ + &c. Atque generaliter, ſumma hujus, $H)$ $\alpha a u^{\theta} + \beta(au^{\theta} + bu^{\theta+\eta}) + \gamma(au^{\theta} + bu^{\theta+\eta} + au^{\theta+2\eta}) + \delta(au^{\theta} + bu^{\theta+\eta} + cu^{\theta+2\eta} + du^{\theta+3\eta})$ + &c. modo a, b, c, d, &c. iterum ſint ejus indolis, ut differentias alicujus ordinis pariant æquales. Namque H poteſt diſcerpi in

$I \ldots\ldots \alpha a u^{\theta} + \beta b u^{\theta+\eta} + \gamma c u^{\theta+2\eta} + \delta d u^{\theta+3\eta}$ + &c.

$K \ldots\ldots \beta a u^{\theta} + \gamma b u^{\theta+\eta} + \delta c u^{\theta+2\eta} + \varepsilon d u^{\theta+3\eta}$ + &c.

$L \ldots\ldots \gamma a u^{\theta} + \delta b u^{\theta+\eta} + \varepsilon c u^{\theta+2\eta} + \zeta d u^{\theta+3\eta}$ + &c.

quæ ſingulæ ſunt ſimiles ſeriei $A)$; vel etiam ſumma ſerierum verticalium ſtatim ex Theoremate generali elicitur.

Poteſt etiam ſeries α, β, γ, δ, &c. combinata ſupponi ordinatim

natim

Digitized by Google

natim cum pluribus geometricis progreſſionibus; e. g. detur ſeries $\alpha u + \beta(u^2 + x) + \gamma(u^3 + x^2 + z) + \delta(u^4 + x^3 + z^2 + t) +$ &c. ubi ad inveniendam ſummam nulla alia re opus eſt, quam diſſolutione ſeriei in ſuas componentes, $\alpha u + \beta u^2 + \gamma u^3 + \delta u^4 +$ &c. $+ \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 +$ &c. $+ \gamma z + \delta z^2 +$ &c. $+ \delta t +$ &c. quæ ſingulæ ſimiles ſunt ipſi *A*.)

Ex his igitur omnibus de præſtantia Methodi *Newtonianæ* judicare proclive eſt, cujus quippe opera ſummæ omnium ſerierum, quæ tandem ad differentias alicujus ordinis conſtantes deducunt, eruere licet. Hujus autem naturæ ſunt omnes omnino ſeries *Algebraicæ*, quarum termini generales deſignantur formula catholica: $a + by + cyy + dy^3 + ey^4 + \ldots + gy^m$, denotante y numerum terminorum. Quod cum ſatis quidem videatur clarum; eorum tamen in gratiam, qui in hac facultate minus provecti ſunt, hunc in modum poterit demonſtrari. Exponatur namque y ſucceſſive per 1, 2, 3, 4, ... m, & termini exinde geniti dicantur ordine *A*, *B*, *C*, *D*, ... *Q*; erunt igitur hi æquales ſeriebus verticalibus ordinatim ſubſcriptis:

(A)	(B)	(C)	(D)	(Q)
$+a$	$+a$	$+a$	$+a$	$+a$
$+b$	$+2b$	$+3b$	$+4b$	$+yb$
$+c$	$+4c$	$+9c$	$+16c$	$+yyc$
$+d$	$+8d$	$+27d$	$+64d$	$+y^3d$
$+e$	$+16e$	$+81e$	$+256e$	$+y^4e$
$+$..	$+$..	$+$...	$+$..........	$+$....
$+g$	$+2^m g$	$+3^m g$	$+4^m g$	$+y^m e$

Unde perſpicuum eſſe, ſeriem $A + B + C + D + \ldots + Q$ conflari ex ſeriebus horizontalibus ordine adſcriptis. Earum vero quælibet habet Coefficientes figuratos, prima quippe ſeriem monadum, ſecunda lateralium, tertia quadratorum, quarta cuborum, ultima denique ſeriem $1 + 2^m + 3^m + 4^m +$ &c. Omnes autem deducunt ad differentias conſtantes, & ultima quidem ad has, quarum ordo eſt m; quare etiam ſeries $A + B + C + D + \ldots + Q$ ad eaſdem deducet, atque ſumma ejus per hanc methodum omnino dabitur.

Quoniam igitur in ſerie Algebraica, cujus terminus generalis

lis eſt $a + by + cyy + \ldots + gy^m$, differentiæ ordinis m ſunt inter ſe æquales: ſequentes, ordine $m+1, m+2$, &c. omnes in nihilum abibunt; quod quidem *pag.* 525 paucis jam notavimus. Sit jam $m+1=q$, atque deſignent Q, P, O, N, M, &c. terminos ſeriei ordine retrogrado ſumtos; eritque

$$Q - qP + \frac{q(q-1)}{1.\ 2} O - \frac{q(q-1)(q-2)}{1.\ 2.\ 3} N + \frac{q(q-1)(q-2)(q-3)}{1.\ 2.\ 3.\ 4} M - \&c. = 0.$$

Numerus autem terminorum excerptorum ſemper eſt $= q+1$, ſive $= m+2$, cum ex Tabula differentiarum pateſcat, ad formandas differentias ordinis q requiri terminos $q+1$. Atque hæc eſt proprietas ſerierum Algebraicarum plane inſignis, in quam primus, ni fallimur, incidit Cel. *Moivræus*, eamque poſtea quoque protulit Cel. *Dan. Bernoullius* in *Tomo III Comment. Petrop.* longe alia methodo uſus. Superiores vero relationis ſcalas omnes locum habere, ex unciis ipſius $(1-a)^{q+n}$ deſumtas, (poſito nempe $\pi =$ numero integro affirmativo, & > 1,) ſupra itidem monuimus. Hæc igitur ſufficiant, dum promiſſis, ſub finem prioris Commentationis datis, alia occaſione ſteterimus. *Errata* quædam, in priori Commentatione admiſſa, L. B. ita corrigat, rogamus. *Pag.* 71 *lin.* 30 leg. *per boſce campos*; *pag.* 81 *lin.* 25 l. *ordinatæ*; *p.* 87 *lin.* 27 l. $\alpha A + \beta B$ *maximum vel minimum*; *pag.* 506 *lin.* 12 l. *Act. Erud. A*: 1745; *pag.* 508 *lin.* 18 l. *eliciendas*; *pag.* 511 *lin.* 4 l. $k-2l$; *pag.* 515 *lin.* 5 l. $\frac{n-1}{1} d$; *pag.* 515 *lin.* 4 l. $4(n-1) + \frac{6(n-1)(n-2)}{1.\ 2}$; *pag.* 516 *lin.* 14 l. 5150; *pag.* 517 *lin.* 32 l. $n-1$; *pag.* 518 *lin.* 9 l. *quantitatibus*; *lin.* 33 in diviſore l. 1.2; *lin.* 34 in diviſore l. 1.2; *pag.* 519 *lin.* 15 l. *generales*; *pag.* 521 *lin.* 14 loco $+$ ſcribe $\times$; *pag.* 525 *lin.* 30 l. $(\alpha+3b)^n$; *pag.* 526 *lin.* 3 l. *vocentur*, *A*, *B*, &c.

ANTIQUITATUM GRÆCARUM, PRÆCIPUE Atticarum, deſcriptio brevis.

Lugduni Batavorum, apud Ger. Corts, 1740, 8 maj. Plag. 9.

Concinnum hoc Opuſculum Autor doctiſſimus diviſit in *Partes quatuor*, quarum *prima* de religione Græcorum
Pag. 5. agit. Præmittit *Caput I* de ſitu Græciæ, Atticæ, & Athenarum. Græcia dicta eſt Ἑλλάς, & populi Ἕλληνες, ab *Hellene* quodam; antea

antea vero Γραικοὶ, a Γραικῷ, *Theſſali* filio, a Romanis Græci,
licet hoc nomen in *Homero* non reperiatur. *Atticam* olim Ἰα-
ονίαν dici ab *Ione*, qui Ebræis *Javan* eſt, filius *Japhethi*, exiſti-
mat; unde ea in ſacris literis *Javan*. Ejus urbs primaria fuit
Athenæ, Muſarum ſedes, a Rege *Amphictyone* ita appellata,
& *Minervæ* conſecrata, quam Athenienſes Ἄστυ vocarunt. *Cap.* Pag. 6.
II Dios memorat, qui pro variis terrarum orbis partibus cœ-
leſtes, terreſtres, inferi, fuerunt habiti. Inter cœle-
ſtes, ſeu Deos majores, erant *Jupiter*, *Neptunus*, *Apollo*,
Minerva, *Ceres*, *Vulcanus*, *Juno*, *Mars*, *Mercurius*, *Diana*,
Venus, *Veſta*, quibus certa munia, ut *Jovi* cœlum, *Apollini*
ſcientiarum inventionem, attribuerunt. Eorum numerum re-
centiori ætate augebant homines, inter Deos relati, Ἥρωας &
Δαίμονας dicti. Ignotos etiam Athenienſes coluerunt, quibus
aras, βωμοὺς ἀνωνύμους, exſtruxerunt. *Cap. III* occurrunt lo- 9.
ca ſacra, hoc eſt, agri, Diis conſecrati, luci, templa. Hæc,
ad morem Ægyptiorum, in locis aditioribus, aut in monti-
bus, extra urbes exſtruxerunt, orientem ſolem verſus, foribus
apertis, quorum locus ſanctior ἄδυτον, penetrale, vocaba-
tur. Præter *Dianæ*, *Junonis*, *Neptuni*, *Cereris*, *Caſtoris*, &
Pollucis, nobiliſſimum erat Ἀρτεμίσιον Epheſi. Templorum
ornamenta erant *ſimulacra*, communi nomine ἀγάλματα,
rudia primum, ex ligno & lapidibus; deinde politiora ex
ferro, ære, ebore, argento, auro, quæ, diebus feſtis ex
templi adytis educta, carpentis, ἀπήναις, per celebriora ur-
bis loca ferebantur. Dii tutelares & urbium præſides cate-
nis erant revincti, ne in obſidionibus ad hoſtes exirent. Erant
donaria, ἀναθήματα, varii generis, coronæ, veſtes, vaſa
ferrea, in quibus præcipua τρίποδες, arma, & ſpolia, ab ho- 12.
ſtibus capta. *Cap. IV* recenſet ſacrorum præfectos, inter quos
erant ſacerdotes, ἱερεῖς, & ſummus, ἀρχιερεύς. Eorum mini-
ſtri erant viri & fœminæ, ſorte ex nobiliſſimis civibus electæ,
virgines inprimis, *Minervæ*, *Cereris*, *Cybeles*, *Veneris*, ſacer-
dotes. Veſtitus erat ex byſſo & lino, & coronas gerebant
in capite. Sacerdotia evaſerunt aliquando gentilitia. *Cap. V* 14.
enarrat cultum ſacrum, qui peragebatur precibus. Qui pre-
cabatur, ori admovebat manum, quam deinde ad Deum
protendebat, quem adorabat; quod proprie προσκυνεῖν, Latine

Digitized by Google

adorare, diceretur. Sacrificia continet *Caput VI*, quorum antiquiſſima erant odoramenta, θύος, unde Latinum thus, oblationes ex primitiis frugum, deinde mactationes, θυσίαι animalium integrorum, purorum, opimorum, dictæ, bovis injugis & quinquennis, pecudum bimarum, quas Latini bidentes vocant, ut ſuis, ovis, capri, galli, anſeris. Sacrificium ex ſue, hirco, & ariete, dicebatur τριττύς: ſolenne ex centum animalibus ἑκατόμβη. Victima *Jovis* erat bos quinquennis; *Neptuni* taurus niger, aries, & verres, *Minervæ* juvenca & ovis; Deorum inferorum vacca ſterilis & nigra, itemque ovis nigra; *Æſculapii* capra & gallus. Ritus ſacrificandi animalia *Cap. VII* continetur. Victima, ſertis, vel coronis, ornata, nonnunquam cornubus inauratis, aqua pura adſpergebatur, mola ſalſa, Græcis οὐλαὶ & ὀμοχύται, ejus capiti imponebatur, pili, e fronte inter cornua evulſi, in ignem ſuper aram injiciebantur. Quo facto, caput victimæ ſecuri percutiebatur a miniſtro ſacrorum, & cultro, Gr. μάχαιρα & σφαγὶς dicto, jugulabatur. Victimæ, ſuperis Diis factæ, jugulum ſuperius vertebatur, caput retro; inferis, caput pronum in terram flectebatur. Sanguis excipiebatur vaſe, quod σφαγεῖον dicebatur. Diſſectione facta, coxæ, ad cremandum paratæ, farre conſpergebantur, & aræ, Gr. βωμὸς, impoſitæ, igne ex lignis aridis & ſciſſis adolebantur, & interdum vinum infundebatur. Sacrificia ſe-

Pag. 19. quuntur *Cap. VIII* luſtrationes, Gr. καθαρμοὶ & ἁγνισμοί. Fiebant hæ ante rem ſacram templa ingreſſuris, ante ſacrificium, ſacris initiandis, vota & preces facturis. Poſtea, qui ſe actionibus pollutos exiſtimabant, luſtrabantur poſt cædem commiſſam, poſt actum venereum, poſt funus, quo ſe polluerant. In luſtrationibus utebantur aqua, igne, ovis, &c. *Caput*

20. *IX* continet oracula & divinationes. Oracula Gr. χρησμοὶ dicuntur ἀπὸ τȣ̃ χρᾷν. Χρᾷν dicebatur Deus, qui reſponſa dabat rogantibus. Hæc oracula conſulebantur non omnibus, ſed ſtatis, diebus a viris principibus ac opulentis in rebus gravioris momenti, cum reſpublica eſſet conſtituenda, leges ferendæ, bellum hoſtibus indicendum, aut pax ſancienda, eisque conſulentes dona & ſacrificia offerebant, quibus multum dignitatis ac reverentiæ accedebat. Ad quæſtionem, an reſponſa oraculorum impoſturæ ſacerdotum & ſacrificulorum fuerint, reſpondet:

Digitized by Google

det: Totum hoc opus oraculorum fuiſſe callidorum hominum Pag. 21
inventum & commentum, & omnia ibi per fraudes eſſe per-
acta, vix credibile eſt; ſubfuiſſe tamen ſæpius fraudem & do-
lum hominum, pariter certiſſimum eſt. *Jupiter* & *Apollo* præ-
fuerunt oraculis. Alibi per interpretes reſponſa dabantur; ali-
bi a Diis ipſis ſive viva voce, ſive per ſomnia, ſive per ſor-
tes. De oraculo Dodonæo *Cap. X* agit, quod ab urbe Do- 22.
dona nomen habet, ubi non procul quercetum erat, *Jovi* ſa-
crum, & una quercus aliis altior, in qua columbæ duæ ſe-
dentes reſponſa dederunt conſulentibus. Fabulam hanc eſſe,
quisque videt, cui viri vates occaſionem dederunt, qui ex
quercu reſpondebant; unde *quercus fatidica*. Oraculum Delphi-
cum *Cap. XI* ab urbe Delphis dictum, & omnium erat ditiſſimum 24.
ex donis oblatis. Hinc proverbium: Χρήματα Ἀφήτορος. Lo-
cus, ubi oracula dabantur, Pythium vocabatur, ſacerdos Py-
thia. Quod nonnulli tradiderint, gregem caprarum huic
oraculo dediſſe originem, recenſet, & de tripode annotat,
non eſſe vocem originis Ebrææ, ſed Græcæ, &, quæ reſponſa
inde ferebantur, vera habebantur; unde proverbium: ἐκ τρί-
ποδος. Quando hoc oraculum ceſſaverit, non definitur.
Oraculum Trophonii *Cap. XII* nomen habet a *Trophonio*, & 27.
opera *Saonis* cujusdam inclaruit. Sedes ejus in antro, in quod
ritu quodam deſcendebant, & futura partim ex viſis, partim
ex auditis, cognoſcebant. Reduces inde facti erant attoniti;
unde illud: ἐκ Τροφωνίου μεμαντεύται, qui a ſacrificulis in
cellam boni genii ad ſe refocillandos ducebantur. Alia Græ-
ciæ oracula *Cap. XIII* memorat, Amphiarai, quod *Cræſus* 28.
conſuluit, & per ſomnia reſponſa dedit, cujus fons & aqua,
inde profluens, ſacra; porro Apollinis Delii, Branchidarum, &c.
Cap. XIV ſequuntur divinationes ex avium cantu & volatu; ex 29.
ſomniis; per ſacrificia; per eorum ignem; per fumum; per
vinum; per ſortes; per verſus; per virgas. Magicæ erant
per mortuos; per aquas; per gallum gallinaceum; per cri-
brum. Aliud vaticinandi genus attingit Autor, quo dæmones
loqui exiſtimabantur per hominum ventres & pectora. *Cap. XV* 31.
agit de ominibus. *Ex ſe ipſis* erant παλμοὶ, palpitationes cor-
dis, vel oculorum; βόμος, tinnitus aurium; πταρμὸς, ſter-
nutatio. *Ex rebus externis*, accidentia præter morem. *Ex*

Digitized by Google

verbis, quæ boni, aut mali, erant ominis. *Cap. XVI* agit de
Pag. feſtis diebus, aut in honorem Deorum, aut in memoriam de-
32-38. functorum, bene de patria meritorum. Præcipua feſta erant
Ἀδώνια, in honorem *Veneris* & *Adonidis*. Ἀνθεστήρια, in *Bac-
chi* honorem; Ἀπατούρια, in honorem *Bacchi* ob convivia, ob
Jovis & *Minervæ* rem ſacram, ob liberorum tonſionem, ante-
quam eorum nomina referebantur in tabulas publicas. Βραυ-
ρώνεια, quibus adoleſcentulæ, decem circiter annorum, in-
dutæ flava veſte *Dianæ* conſecrabantur. Δαφνηφόρια in ho-
norem *Apollinis* celebrabantur a Bœotiis. Ramus oleaginus
circumferebatur, in quo ſol, luna, ſtellæ, adumbrabantur.
Διονύσια in honorem *Bacchi* celebrabantur Athenis tempore
veris; rure autumno. Ἐλευσίνια ſingulis quinque annis age-
bantur; majora in honorem *Cereris*; minora in honorem
Proſerpinæ, & durabant quinque annos, quo temporis ſpatio
non erat fas, ullum apprehendere, aut libellum ſupplicem
offerre. Θεσμοφόρια *Cereri* legiferæ erant ſacra, in quibus
mulieres, legum libros in capite gerentes, Eleuſinem petebant,
jejunabant ſexto die, demiſſum animum ſignificaturæ. Ὀσχο-
φόρια a ramis ferendis. Παναθήναια in honorem *Miner-
væ* majora quinto quoque anno fiebant certaminibus, ſcilicet
equeſtri, gymnico & muſico, magna cum pompa; minora mi-
nori in eisdem certaminibus, quorum victori præmio daba-
tur vas, oleo repletum, itemque corona ex oleis. *Caput
XVII* continet ludos, quorum exercitia erant curſus, diſcus,
39. ſaltus, pugilatus, lucta. Curſus erat quadruplex, στάδιον, δίαυ-
λος, δόλιχος, ὁπλίτης. In ſtadio prior terminus carceres,
poſterior meta, dicebatur. De poſteriori curſore, qui prio-
rem conſequi volebat, uſurpabatur διώκειν: qui priorem
conſequebatur, dicebatur καταλαμβάνειν. Qui primus
perveniebat ad metam, ei a præfectis ludorum dabatur βρα-
βεῖον, præmium, quod coronæ erant, vel ex oleaſtro, vel ex
pinu, vel ex malo, vel ex apio; qui remanebat, de eo di-
cebatur ὑστερεῖν, ὑστερεῖσθαι, & καταλείπεσθαι. Diſcus *Cap.
XVIII* dicitur ab antiquo δίσκειν, pro δικεῖν, jacere, quia in ae-
41. rem, ope loramenti, projiciebatur, victorque habebatur,
qui longius eum ejaculabatur. Lacedæmonii ejus invenien-
di autores habentur. Erat autem lamina rotunda, tres, aut

qua-

quatuor, digitos craſſa, gravis aut lapide, aut ære, aut ferro. Saltus ſequitur *Cap. XIX*, qui fiebat aut manibus vacuis, aut pondera plumbea tenentibus, vel ſupra caput, vel ſupra humeros. Terminus a quo dicebatur βατὴρ, limen; ad quem τὰ ἐσκαμμένα. Unde proverbium de *hominibus, modum excedentibus*, πηδᾷν ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα. Menſura, ſive regula, dicebatur κανών. *Cap. XX* docet pugillatum, qui primum fiebat pugnis, deinde cæſtu, qui erat lorum ex corio bubulo, conſtans maſſa plumbea, ærea, ferrea, & brachiis alligabatur. Artis erat maximæ, adverſarii vitare ictum corporis flexione, nec in aerem verberare. Plagæ in facie dicebantur ὑπώπια, & is, qui in pugna inferior diſcedebat, victori manus ſubmittebat, aut humi jacens victum ſe profitebatur. Lucta *Cap. XXI* a πάλλειν, *movere*, quia in ea eſt motus perpetuus, cujus autor *Theſeus* perhibetur. Qui adverſarium ter proſtraverat, victor erat; victus voce, aut digito, id ſignificabat. *Cap. XXII* recenſet quatuor ludos ſolennes, & primo Olympicos. Hi habebantur in honorem *Jovis* Olympii ad Olympiam, Elidis oppidum, quovis quinquennio, & per quinque dies celebrabantur. Ἀλύται, ſive Elei (lictores), ordinem ſervabant, & is, qui præerat, Ἀλυτάρχης dicebatur. Certaminibus etiam mulieres intererant, & præmia reportabant. Præter certamina corporis erant etiam ingenii, eloquentiæ nimirum & poeſeos. Præmium conſtabat corona ex oleaſtro, ſtatua victori ponebatur in loco *Jovis*, & quadrigis in mœnia invehebatur. Ludi Pythii ſequuntur *Cap. XXIII*, ab urbe Πυθὼ dicti, qui primum anno nono, deinde quinto, ab Amphictyonibus celebrabantur cithara & ſaltatione. Præmium certaminis muſici erat ex auro & argento; gymnici ſertum, vel corona. Nemei ludi *Cap. XXIV* habent nomen ab oppido Nemea, tertio quoque anno acti. Certamina erant gymnica & equeſtria; præmium corona ex olea, deinde ex apio viridi. *Cap. XXVI* agit de tempore, quod in annum, menſes, dies, dividebatur. Athenienſes inchoabant annum veterem poſt hibernum ſolſtitium; novum a novilunio, ſolſtitium æſtivum ſequente. Menſes habebant duodecim, & eorum quemque in tres decadas dividebant. Ipſa hic nomina dierum recenſentur. *Partis ſecundæ*, de civilibus, *Caput I* illuſtrat

Pag. 41. 42. 43. 45. 47. 49. 51. 54.

luſtrat regium imperium, cujus reverentia fere divina fuit. Inſigne regiæ majeſtatis conſtabat ex ramo arboris, cui clavi aliquando aurei infigebantur. Supra conſpiciebatur aquila
Pag. 55. ad exemplum *Jovis*. *Cap. II* agit de Athenienſium rep. ſub Regibus. Primus eorum erat *Cecrops*, Ægyptius, a quo fit initium Hiſtoriæ & Chronologiæ; ultimus *Codrus*, qui bello
56. Dorienſi ſe devovit pro ſalute rei publicæ. *Cap. III* memorat Archontes perpetuos numero XIII, quorum primus *Medon*, ultimus *Alcmæon*. Principatus duravit 315 annos. Hos ſecuti ſunt decennales, inter quos primus fuit *Charops*; ultimus *Eryxias*. Poſt eos erant IX *Archontes*, annuum gerentes imperium, qui nominibus & muneribus differebant. Primus, a quo anni in faſtis, curabat ſacra Bacchanalia, lites propinquorum dirimebat, pupillis conſtituebat tutores. Secundus ſacra Eleuſinia curabat, & cauſas cognoſcebat. Tertius, Polemarchus, *Dianæ* & *Martis* ſacra, itemque bellum, curabat, & inter peregrinos jus dicebat. Sex reliqui Theſmothetæ leges vindicabant, & cauſas cognoſcebant. Ob diſcordiam enatam fiebat *Draconi* poteſtas, leges θεσμὸς ſcribendi, quæ
60. quia nimis ſeveræ erant, populus ad *Solonem* confugit. *Cap. IV* conſiderat ſtatum ſub *Solone*, qui fuit democratia. Is modum faciliorem æris ſolvendi alieni invenit, & populum in 4
61. tribus diviſit; deinde in 4 claſſes, ac ſenatum induxit. *Cap. V* enarrat ſtatum Athenienſium ſub *Piſiſtratro* & ejus filiis, ac tyrannis cum *Hippia*, quem populus ejecerat, finem habuit.
62. *Cap. VI* eundem ſiſtit ſub *Cliſthene*, qui ex decem tribubus ſenatum fecit 500, cui præſidebant Prytanes, qui poteſtatatem habebant, ſenatum & concionem indicendi, dimittendi, res ad ſenatum deferendi. Eorum caput vocabatur ἐπιστάτης. De ejectis e collegio erat vox ἐκφυλλοφορῆσαι. *Cap.*
64. *VII* exponitur ſtatus ſub 400 viris & 30 tyrannis. Illi, tyrannidem affectantes, expellebantur; his idem accedebat. Poſt eos erant Decemviri, qui, crudelitate uſi, movebantur, & populus curabat rem publicam. Status popularis Athena-
65. rum *Cap. VIII* poſt mortem *Alexandri M.* ab *Antipatro* fuit immutatus, & ejus ſucceſſor *Caſſander* præfecit Athenienſibus *Demetrium Phalereum*, virum benificum, qui, quoniam eorum libertati minus favebat, ejectus eſt, quam *Demetrius*

Polio-

Poliorcetes reſtituit, eamque retinuerunt uſque ad bellum *Mithridaticum*. *Cap. XI* inquirit in ſtatum Athenarum ſub Romanis, quæ ab *Sylla* deformatam libertatem recuperarunt, & ab *Adriano* beneficiis jurium ac legum, a *Valeriano* mœnium inſtaurandorum, ornatæ ſunt. Deinde a Gothis ſub *Gallieno* miſere afflictæ, A. R. S. 1455 in Turcarum poteſtatem venerunt, & nominantur *Satina*. *Cap. X* agit de concione apud Athenienſes, quæ poteſtatem habebat judicandi de actis ſenatus, leges ferendi, creandi magiſtratus, bellum decernendi, cui præſidebant proedri, epiſtata, & prytanes. Ordinariæ conciones ſingulis menſibus, extraordinariæ interventu rei gravioris, habebantur, in quibus ſi quis erat ſegnis, is a miniſtris publicis accuſabatur, qui funem, rubro colore tinctum, per forum extendebant, quo qui erant tincti, mulctabantur. Senatusconſulta, a populo per χειροτονίαν comprobata, vocabantur ψηφίσματα. *Cap. XI* ſiſtit tribunalia, & quidem Areopagum, hoc eſt, *Martis* collem, in cujus cacumine erat tribunal, coram quo λίθος ἀναιδείας & λίθος ὕβρεως conſpiciebantur. In altero ſtabat reus; in altero actor. Non procul inde erant duæ columnæ legum & templum ὕβρεως καὶ ἀναιδείας. Senatus curiæ vocabatur Ἀρειόπαγος, & ejus membra Ἀρειοπαγῖται, qui graviora delicta morte, leviora mulcta, puniebant. Judices ad pronuntiandam ſententiam in tenebris utebantur calculis. Albi abſolvebant; nigri, qui perforati erant, condemnabant. In urnam æneam, ἐλέε dictam, conjiciebantur albi; in ligneam, dictam θανάτε, nigri conjiciebantur. Si pares erant, alius a præcone in urnam ἐλέε inferebatur, calculus *Minervæ* nominatus. *Cap. XII* recenſet judicium Ephetarum. Hi judices, numero 51, ætate 50 annorum, nomen habent ἀπὸ τῦ ἐφιέναι, a *provocando*, nempe a minoribus judiciis ad hoc. *Draco* inde Argivos ejecit, & conſtituit tantum Athenienſes. *Solon* graviores cauſas retulit ad judicium Areopagiticum. Judicabant potiſſimum de cæde inconſulta. *Cap. XIII* ſiſtit judicium Heliaſticum, quod ſub dio & radiis ſolis habebatur, unde judices ἡλιασαί. Actor accuſatum vocabat in jus per κλητῆρα, & actionem, libello inſcriptam, tradebat. Reus poterat judicium a ſe declinare, aut in aliud tempus differre, vel per παραγραφήν, vel ὑπο-

μοσίαν,

Digitized by Google

μεσίαν, vel ἀντιγραφὴν, vel ἀντίληξιν. Ambo deponebant pecuniam, & jubebantur ad clepſydram dicere. Judices per calculos dabant ſuffragia, & judicabant. Capitis damnatus tradebatur undecim viris; mulctatus exactoribus. Qui litem æſtimatam ſolvere non poterat, in vincula conjiciebatur.
Pag. 76. Merces judicum pro ſingulis cauſis erat τριώβολον. *Cap. XIV* agit de judiciis & actionibus forenſibus. Judicia publica κατηγορίαι, privata δίκαι, vocabantur. Utriusque ſpecies &
77. genera recenſentur. *Cap. XV* enarrat ſupplicia & pœnas apud Athenienſes, quarum 1) ἀτιμία, infamia; 2) δουλεία, ſervitus; 3) στίγματα, notæ, ſervorum fugitivorum manibus, aut fronti, inuſtæ; 4) στήλη, pœna, facinoroſi columnæ inſcripta; 5) δεσμὸς, pœna vinculorum, quæ diverſi erat generis; 6) φυγὴ, exilium, cui certus locus non aſſignabatur; 7) ὀστρακισμὸς, oſtraciſmus, a teſtula ὄστρακον, qua civis potens, perniciosus judicatus, decem annos ab urbe abeſſe jubebatur. Patria exulum bona proſcribebantur & publicabantur; non au-
79. tem oſtraciſmo. *Cap. XVI* capitis ſupplicia denotat, in quibus erat ξίφος, gladii ſupplicium, λιθοβολία, lapidatio, κατακρημνισμὸς, præcipitatio de rupe, καταποντισμὸς, demerſio, φάρμακον, venenum, βάραθρον, dejectio in locum profundum, τυμπανισμὸς, verberatio ad necem, βρόχος, laqueus, ſeu ſuſpenſio, πῦρ, ignis, ſeu combuſtio. *Pars ter-*
81. *tia* perluſtrat res militares, & quidem *Cap. I* militiam terreſtrem. Pedites erant ὁπλῖται, gravis armaturæ, ψιλοὶ levis, & πελτασταὶ, peltam gerentes. Curribus vecti, ex curru magis, quam ex equo, pugnabant, quorum erant duo, ἡνίοχος, ſeu auriga, παραιβάτης, qui curſum moderabatur, quo tendebat. Equo uti, portentum habebatur. Ejus virtus probabatur ſonitu tintinnabuli, unde κωδωνίζειν, probare, qui cum militia eſſet attritus, figura τροχὸς, etiam τρυσίππιον, dicta, notabatur; unde proverbium ἐπιβάλλειν τρυσίππιον, hoc eſt, *excuſatum habere*. Equites habebant varia nomina pro varietate armaturæ, qui duodeviginti annos nati nomina militiæ dabant, & ejus ſacramento obſtricti accipiebant ſcutum & haſtam, faciebant ſtipendium uſque ad annum 60. Eorum manibus ſtigmata erant inuſta. Militabant antiquitus ære ſuo, deinde ſtipendio, quod non idem erat. Arma militiæ *Cap. II* erant trium

Digitized by Google

trium generum. Ad corpus tegendum erat galea, lorica,
cingulum, ocrea, clypeus, vel ſcutum. Ad arma, quæ no-
cebant, pertinebat haſta & lancea, enſis, bipennis & ſecuris,
arcus, jaculum, funda. Ad machinas oppugnandæ urbis re-
ferebantur ſcalæ, aries, lignum 100, vel 120, pedum, lami-
nis ferreis munitum, ἑλέπολις, unde lapides & miſſilia emit-
tebantur, teſtudo, agger, turres e ligno mobiles, crates vi-
mineæ ad capita tegenda, catapeltæ ad ſagittas ejaculandas.
Præfecti exercituum *Cap. III* primo erant Reges, ſummi du- Pag. 90.
ces, deinde, cum imperium eſſet penes populum, Prætores,
ad numerum X tribuum, decem, quibus addebatur undecimus,
πολέμαρχος. Habebant etiam decem ταξιάρχους ad ordi-
nem militarem inſtruendum, & pertinebant ad pedites, quem-
admodum ad equites ἵππαρχοι & φύλαρχοι. Ad partes exer-
citus, qui omnis dicebatur ϛρατία, referebantur, ut *Capite IV* 91.
memoratur, frons, latera, vel alæ, poſtrema acies, πεμπὰς
quinque militum, λόγος 24, vel 25, militum, aliquando
16 τάξις 100, vel 120 militum φάλαγξ, certus ordo
aciei, vel juſta acies, cuneus, literam Δ referens, forfex, li-
teræ V formam repræſentans, laterculus, turris, laterculus
inverſus, πλαίσιον, acies figuræ oblongæ. Ad juſſus præfe-
ctorum fiebant converſiones militum dextrorſum a fronte ad
tergum; ſiniſtrorſum a tergo ad frontem. *Cap. V* agit de ſi- 93.
gnis in exercitu. Symbolum, ore prolatum, vocabatur σύν-
θημα, teſſera; ſub oculos cadens παρασύνθημα erat nutus
capitis, plauſus manuum, inclinatio haſtæ. Σημεῖα erant ve-
xilla, antiquioribus πῦρ faces ardentes, quas qui mit-
tebant, πυρφόροι dicebantur. Deinde adhibebant con-
chas, poſtea tubas. Ad claſſicum canendum adhi-
bebant fiſtulam, tubam. Clamor primi impetus di-
cebatur ἀλαλαγμός. *Cap. VI* conſideratur præda militaris, 94.
quæ ſi pertinebat ad homines, fiebant mancipia, cum ſe re-
dimere non poſſent; ſi ad res, erant veſtes, arma, ſigna. Im-
perator ſibi ſumebat optimum; eximium quid dabat bellico-
ſis; reliqua ex æquo inter milites dividebantur. Ante vero,
quam diviſio prædæ fiebat, primitiæ ejus Diis conſecrabantur.
Præmia ſequuntur *Cap. VII* & pœnæ. Virtus præfectorum 95.
& gregariorum militum ornabatur honorum gradibus, fune-

Digitized by Google

μοσίαν,, vel ἀντιγραφὴν, vel ἀντίληξιν. Ambo deponebant pecuniam, & jubebantur ad clepſydram dicere. Judices per calculos dabant ſuffragia, & judicabant. Capitis damnatus tradebatur undecim viris; mulctatus exactoribus. Qui litem æſtimatam ſolvere non poterat, in vincula conjiciebatur.
Pag. 76. Merces judicum pro ſingulis cauſis erat τριώβολον. *Cap. XIV* agit de judiciis & actionibus forenſibus. Judicia publica κατηγορίαι, privata δίκαι, vocabantur. Utriusque ſpecies &
77. genera recenſentur. *Cap. XV* enarrat ſupplicia & pœnas apud Athenienſes, quarum 1) ἀτιμία, infamia; 2) δουλεία, ſervitus; 3) ςίγματα, notæ, ſervorum fugitivorum manibus, aut fronti, inuſtæ; 4) στήλη, pœna, facinoroſi columnæ inſcripta; 5) δεσμὸς, pœna vinculorum, quæ diverſi erat generis; 6) φυγὴ, exilium, cui certus locus non aſſignabatur; 7) ὀςρακισμὸς, oſtraciſmus, a teſtula ὄςρακον, qua civis potens, perniciosus judicatus, decem annos ab urbe abeſſe jubebatur. Patria exulum bona proſcribebantur & publicabantur; non au-
79. tem oſtraciſmo. *Cap. XVI* capitis ſupplicia denotat, in quibus erat ξίφος, gladii ſupplicium, λιθοβολία, lapidatio, κατακρημνισμὸς, præcipitatio de rupe, καταποντισμὸς, demerſio, φάρμακον, venenum, βάραθρον, dejectio in locum profundum, τυμπανισμὸς, verberatio ad necem, βρόχος, laqueus, ſeu ſuſpenſio, πῦρ, ignis, ſeu combuſtio. *Pars ter-*
81. *tia* perluſtrat res militares, & quidem *Cap. I* militiam terreſtrem. Pedites erant ὁπλῖται, gravis armaturæ, ψιλοὶ levis, & πελτασαὶ, peltam gerentes. Curribus vecti, ex curru magis, quam ex equo, pugnabant, quorum erant duo, ἡνίοχος, ſeu auriga, παραιβάτης, qui curſum moderabatur, quo tendebat. Equo uti, portentum habebatur. Ejus virtus probabatur ſonitu tintinnabuli, unde κωδωνίζειν, probare, qui cum militia eſſet attritus, figura τροχὸς, etiam τρυσίππιον, dicta, notabatur; unde proverbium ἐπιβάλλειν τρυσίππιον, hoc eſt, *excuſatum habere.* Equites habebant varia nomina pro varietate armaturæ, qui duodeviginti annos nati nomina militiæ dabant, & ejus ſacramento obſtricti accipiebant ſcutum & haſtam, faciebant ſtipendium uſque ad annum 60. Eorum manibus ſtigmata erant inuſta. Militabant antiquitus ære ſuo, deinde ſtipendio, quod non idem erat. Arma militiæ *Cap. II* erant trium

Digitized by Google

trium generum. Ad corpus tegendum erat galea, lorica, cingulum, ocrea, clypeus, vel ſcutum. Ad arma, quæ nocebant, pertinebat haſta & lancea, enſis, bipennis & ſecuris, arcus, jaculum, funda. Ad machinas oppugnandæ urbis referebantur ſcalæ, aries, lignum 100, vel 120, pedum, laminis ferreis munitum, ἑλέπολις, unde lapides & miſſilia emittebantur, teſtudo, agger, turres e ligno mobiles, crates vimineæ ad capita tegenda, catapeltæ ad ſagittas ejaculandas. Præfecti exercituum *Cap. III* primo erant Reges, ſummi duces, deinde, cum imperium eſſet penes populum, Prætores, ad numerum X tribuum, decem, quibus addebatur undecimus, πολέμαρχος. Habebant etiam decem ταξιάρχους ad ordinem militarem inſtruendum, & pertinebant ad pedites, quemadmodum ad equites ἵππαρχοι & φύλαρχοι. Ad partes exercitus, qui omnis dicebatur ϛρατία, referebantur, ut *Capite IV* memoratur, frons, latera, vel alæ, poſtrema acies, πεμπὰς quinque militum, λόγος 24, vel 25, militum, aliquando 16 τάξις 100, vel 120 militum φάλαγξ, certus ordo aciei, vel juſta acies, cuneus, literam Δ referens, forfex, literæ V formam repræſentans, laterculus, turris, laterculus inverſus, πλαίσιον, acies figuræ oblongæ. Ad juſſus præfectorum fiebant converſiones militum dextrorſum a fronte ad tergum; ſiniſtrorſum a tergo ad frontem. *Cap. V* agit de ſignis in exercitu. Symbolum, ore prolatum, vocabatur σύνθημα, teſſera; ſub oculos cadens παρασύνθημα erat nutus capitis, plauſus manuum, inclinatio haſtæ. Συμεῖα erant vexilla, antiquioribus πῦρ faces ardentes, quas qui mittebant, πυρφόροι dicebantur. Deinde adhibebant conchas, poſtea tubas. Ad claſſicum canendum adhibebant fiſtulam, tubam. Clamor primi impetus dicebatur ἀλαλαγμός. *Cap. VI* conſideratur præda militaris, quæ ſi pertinebat ad homines, fiebant mancipia, cum ſe redimere non poſſent; ſi ad res, erant veſtes, arma, ſigna. Imperator ſibi ſumebat optimum; eximium quid dabat bellicoſis; reliqua ex æquo inter milites dividebantur. Ante vero, quam diviſio prædæ fiebat, primitiæ ejus Diis conſecrabantur. Præmia ſequuntur *Cap. VII* & pœnæ. Virtus præfectorum & gregariorum militum ornabatur honorum gradibus, fune-

Pag. 90. 91. 93. 94. 95.

Digitized by Google

bribus orationibus poſt fata, coronis, columnis, & arma vi-
rorum fortium in arce collocabantur. Vulnerati Athenis ale-
bantur, & liberi occiſorum, qui robuſtiores facti, in ſpecta-
culis πανοπλίᾳ & προεδρίᾳ donabantur. Pœna transfugarum
erat capitis ſupplicium. Qui militare nolebant, aut ordines
deſerebant, in foro triduum ſedebant veſte induti muliebri,
Pag. 96. arcebantur a templis & concionibus. Militia navalis *Cap. VIII*
complectebatur naves onerarias forma rotunda, bellicas ab or-
dinibus remorum dictas. Navis pars ima vocabatur carina,
τρόπις & ϛεῖρη, media μεσόκοιλα, anterior πρώρας, poſterior
πρύμνας, ἰκρία. In prora inſigne navis. Malus navis, ἱϛός.
Funes nautici erant navis armamenta, quibus ſpeciales & certi
accedebant. Gubernator, κυβερνήτης, in puppi ſublimis ſede-
99. bat. *Cap. IX* occurrunt nautæ, liberi a remigando, aut ve-
la curabant, aut faciebant imperata alia. Remiges erant aut
100. ſupremi, aut medii, aut infimi. *Cap. X* agit de præfectis claſſium,
quorum alii nautis, alii claſſiariis militibus, præerant. *Pars quarta*
101. docet res domeſticas; in quibus *Cap. I* nuptiæ primum locum
obtinent, a quibus qui abhorrebat, male audiebat, & quibus-
dam in locis mulctabatur. *Cecrops* autor fuit matrimonii
legitimi, quod certa ætate utriusque ſexus & parentum vo-
luntate inibatur. Peregrino non licebat civem Atticam duce-
re, nec peregrinæ civi nubere Attico. Polygamia tempore ne-
ceſſitatis non erat prohibita. Sponſus ſponſæ, fidei loco &
amoris, dabat munus, ἀῤῥαβὼν: ſponſa ſponſo dotem, quæ,
ſoluto matrimonio, ſponſæ reddebatur. *Solon* dotes ſuſtulit
103. ex matrimonio. *Cap. II* deſcribit ritus nuptiarum. Sponſus
ſponſam ducebat in ædes ſuas; vehebantur vehiculo, & amicus
aſſidens dicebatur παράνυμφος & πάροχος. Præcedebant
faces geſtantes, tibicines, & citharœdi, & inter vehendum ca-
nebatur canticum; in ædibus ſe oblectabant ὑμεναίῳ & ſalta-
tione. Ante epulum, γάμον, ſacrificia peragebantur. Con-
vivæ ſe lavabant, & mutabant veſtes. Sponſi & ſponſæ ve-
ſtes erant tinctæ & ornatæ, capita coronis ornata ex herbis
& floribus. Sponſi domus janua piſtillo erat ornata, puella
cribrum, ſponſa vas figulinum hordeo plenum, ferebat. In
convivio comparebat puer, qui præter glandes ſportam cum
panibus geſtabat, canens: ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. Poſt
com-

convivium ducebantur in thalamum, in quo lectus genialis erat ſtratus, & una comedebant malum cydonium. Cornicis gravi cantu ſuper tecto disjunctio fieri poterat. Sponſa ſe abluebat aqua calida prius, quam ſponſus zonam ſponſæ ſolvebat. Divortium ſequitur *Cap. III.* Si vir dimittebat uxorem, Pag. 105.
dicebatur ἀποπέμπειν, nec reddebat dotem; ſin uxor a viro diſcedebat, vocabatur id ἀπολείπειν. Ipſa ſcribebat injuriarum libellum, & prius appellare debebat *Archontem. Cap. IV* 106.
agit de adulteriis. Adulter, in ipſo facto deprehenſus, lege *Solonis* interfici poterat. Uxorem, in adulterio deprehenſam, qui retinebat, ἄτιμος habebatur. Divites adulterii pœnam apud Athenienſes redimebant pecunia, μοιχάγρια dicta; pauperes pœnam turpem ſubibant, quæ ῥαφανίδωσις & παρατιλμὸς dicebatur. *Cap. V* recenſet liberorum nativitatem & 107.
educationem. Domus puerperæ, quæ maſculum in lucem edebat, olea coronabatur; quæ fœmellam, lana, apud Athenienſes. Infans recens natus abluebatur aqua calida; apud Spartanos vino. Lotos faſciis involvebant, oleo ungebant, involutos collocabant in vannis, in clypeis apud Spartanos, quos ſi educare nolebant, exponebant in ciſtula, apponentes aliquando annulos, monilia, gemmas, quæ ſingula γνωρίσματα dicebantur. Apud Spartanos expoſitio infantum erat prohibita. Apud Lacedæmonios partus diſtorti abjiciebantur in locum, Ἀποθέτας dictum. Apud Athenienſes infantes tabulis publicis inſcribebantur. Cum infante quinque dierum circa focum curſus fiebat. Puerpera dona accipiebat a propinquis. Decimo die infans nomine inſigniebatur, & convivium habebatur. Quadrageſimus dies feſtus erat puerperarum. Matres, etiam primi ordinis, infantes ſuo lacte nutriebant, quo deficiente, nutrix adhibebatur. Hic differentiam facit Autor inter τροφὸν & τιτθήν. Mammam præbere θηλάζειν vocabatur. Moroſioribus & ejulantibus infantibus ſpongia melle tincta dabatur. Nonnunquam adhibebant manducum, ſive terriculamentum, μορμολύκειον. Puellarum adoleſcentium opera erat lanificium, cui apud illuſtriores accedebant muſica ac literæ. Pueri in familiis ſplendidis tradebantur pædagogis domeſticis. Imbuebantur apud Græcos, exceptis Lacedæmoniis, literis, palæſtra, muſica, non-

Pag. 110. nulli etiam pingendi arte. *Cap. VI* perpendit literas. Erat γραμ-
ματικὴ ars recte legendi & ſcribendi. Accedebat Φιλολογία,
hoc eſt, doctrina hiſtoriarum, poeſeos. Præterea Philoſophia
adjungebatur. Hinc Gymnaſia & Scholæ publicæ. Athenis Aca-
111. demiæ, Lyceum, & κυνοσαργές. Alia aliis in locis. *Cap. VII* occur-
rit Muſica, cujus ſoni erant ſeptem ſecundum ſeptem planetas;
præcipui erant quatuor, Phrygius, modus religioſus, Lydius, que-
rulus; Doricus, bellicoſus, Ionicus, floridus; quibus aliqui addunt
Æolicum, ſimplicem. Ad bellum excitans ὄρθιος dictus eſt. Cete-
rum Muſica conſtabat ſono oris, vel inſtrumentis; quæ erant
ἐμπνευστα, ſpiritu inflabantur; ἔντατα, chordis & fidibus. *Cap.*
112. *VIII* agit de cithara, qua cantabant res geſtas heroum, & amores.
Fides antiquitus conſtabant lino; deinde chordis ex inteſtinis
ovium. Chordæ olim erant tres, τρίχορδος, perfectior cithara
ſeptem chordarum ἑπτάχορδος, quas pulſabant plectro, aut ſolis
113. digitis. *Cap. IX* tibiæ uſus erat in ſacris Deorum, feſtis diebus, lu-
dis, conviviis, funeribus, & luctu. Eæ conſtabant oſſibus cervo-
rum, hinnulorum, aſinorum, elephantis, arundine, buxo, & loto.
Sonus earum erat gravis. Fiſtula, σύριγξ, ſono erat tenui ac ſub-
114. tili. *Cap. X* artem pingendi recenſet, quæ primo rudis, ut picto-
res animalibus adſcriberent: hic eſt bos, equus, arbor; poſtea
cultior, in numerum artium liberalium referebatur, cui ingenui
Græcorum pueri operam navabant. Picturæ delineatio voca-
batur ὑποτύπωσις, ὑπογραφὴ, σκιαγραφία: perfectio εἰκών. In-
ſtrumenta erant pulpitum, quo innitebantur tabulæ, ampullæ, ſive
115. arculæ, pigmentorum, cera, colores, flores. *Cap. II* memorat ci-
bos, quorum præcipuus erat panis, ἄρτος, ſub cinere, vel in fur-
no, coctus; μάζα) genus cibi, vel panis vulgaris, ex aqua, fa-
rina, ſale, addito interdum oleo; ἄλφιτον, polenta; θρίον ex
oriza, caſeo, ovis, melle, & involvebatur foliis ficulneis; μυτ-
τωτὸν, intritum, ex tritis caſeo, allio, ovis. Habebant varia pla-
centarum genera. Carne animalium veſcebantur aſſis, raro
elixis. Lacedæmoniorum adoleſcentes itidem veſcebantur car-
ne; viri & ſeniores jure nigro; pauperes locuſtis & extremis
foliorum partibus. Piſces, anguillæ coctæ cum betis, ha-
bebantur in deliciis, comedebant ſalſamentum, τάριχος, cervi-
ces & ventres piſcium. Salis uſus erat in omni genere. Bella-
ria

Digitized by Google

ria in menſis ſecundis erant poma, amygdala, nuces, ficus, perſicæ. *Cap. XII* oſtendit potum, qui erat aqua, cui accedebat vinum, quo viri, mulieres, virgines, utebantur. Id aſſervabant Pag. 117.
in vaſis fictilibus, eratque laudatiſſimum μαρεώτης, de quo *Homerus*. Miſcebant vinum aqua, luxus cauſa, unguento mixtum bibebant, deinde ex poculis, quæ erant fictilia, lignea, vitrea, ænea, aurea, & argentea; alia a forma, alia a materia, alia aliunde, nomen ſortiebantur. Ebrietatis vitium erat probro. *Cap. XIII*
tempus notat cibum capiendi, & conviviorum genera. Mane 119.
ſumebant ἄριςον, meridie fuit δεῖπνον, veſperi δόρπον. Facta nominum commutatione, ἄριςον dicebatur prandium, δόρπος, merenda, δεῖπνον, cœna. Convivia ſolenniora erant ἔρανος e ſymbolis convivarum, γάμος, epulum nuptiarum, εἰλαπίνη ob aliam cauſam. Ritus conviviorum exponuntur *Cap. XIV*, inter quos
erat ad menſas aſſidere, deinde in lectis accumbere. Menſæ, τρά- 120.
πεζαι, erant quadratæ. Ad eas in lectis terni cubabant. Primus ad lecti caput, ſecundus vertebat occiput ad umbilicum primi, interjecto pulvino, & pedes porrigebat ad dorſum tertii, & ſic deinceps tertius. Convivarum numerus erat tres, vel quinque, poſtea novem, & plures. Accumbentibus dabatur portio carnum; unde illud convivium δαίς. Vinum a pueris in pocula fundebatur, quorum primum Jovi, alterum Heroibus, ſive Semideis, tertium Jovi Σωτῆρι, ſacrabatur. Tandem finiebatur convivium poculo ἀγαθοῦ δαίμονος, h. e. *Bacchi*, vini autoris. Cantica & ſaltationes adhibebantur, quibus peractis, erat itio domum, Gr. γίνεσθαι ἐκ δείπνου, vel ἀναλύειν ἐκ συμποσίου. Ve-
ſtitus Græcorum ſequitur *Cap. XV*. Viri antiquitus nudo ca- 122.
pite incedebant, deinde pileis; mulieres tegebant caput, idque ornabant Athenienſes aureis cicadis, ad indicandum, ſe eſſe αὐτόχθονες ex antiquis & nobilibus. Luxurioſæ fœminæ in capite gerebant faſciam altiorem, ςεφάνην ὑψηλήν. Ex auribus
dependebant, inaures, ornabant cervicem monili. *Cap. XVI* 123.
agit de tegumentis corporis, inter quæ tunica erat, viris & fœminis uſitata. Opulentæ mulieres habebant partem tunicæ ab humeris uſque ad manus non conſutam, ſed fibulis aureis & argenteis adſtrictam, etiam ἔγκυκλον χιτώνιον. Exterior virorum veſtis erat pallium, ut toga apud Romanos. Læna, χλαῖνα,

 erat

erat veſtis, qua ſe a frigore defendebant. Penulam, Φαινόλην & Φαιλόνην, veſtem fere rotundam, ſine manicis, habebant, frigoris & pluviæ cauſa. Λῆδος & ληδάριον veſtis erat, utrique ſexui communis. Lacerna conſtabat pellibus caprinis. Τρίβων & τριβώνιον pallium erat Philoſophorum, & hominum tenuioris ſortis. Επωμὶς, veſtis mulieris brevior, humeris injecta. Πέπλος erat exterior, uti etiam ζῶςρον. Ετολὴ, veſtis oblonga, talaris. Κατωνάκη, veſtis ſervilis, etiam aliorum, unicam habens manicam ad uſum faciliorem tunicæ & pallii. Βαίτη & διφθέρα, veſtis paſtoralis ex pellibus; ejus amiculum puellarum & ſervorum vocabatur ἐγκόμβωμα. Χλαμὺς, veſtis militaris ſuper tunicam, loricam, cet. Χλανὶς, veſtis tenuis. Συμμετρία, veſtis talaris: Θέριςρον, vel Θερίςριον, veſtis æſtiva. Στρόφιον, zona teres, ſeu faſcia mamillaris. Ψέλλιον, armilla, brachiorum & manuum

Pag. 125. ornamenta in mulieribus. Tegumenta pedum *Cap. XVII* vocantur ὑποδήματα, culceamenta, ſeu ſoleæ, quæ loris, ſeu funiculis, pedum plantis ſubligabantur. Communia viris & fœminis dicebantur διάβαθρα. Σάνδαλα, ſive σανδάλια, heroinis propria, habebant fœminæ locupletes, & luxui deditæ. Calcei domeſtici vocabantur βλαῦται: κονίποδες erant tenues: περιβαρίδες erant ingenuarum & nobilium. Κρηπίδες, unde crepidæ, erant quibusdam militare geſtamen. Αρβύλαι, genus calceamenti non operoſi. Περσικαὶ mulierum & meretricum calcei, coloris albi; rubri erant calcei Laconici ἀμυκλαΐδες. Ruſticorum, καρβατῖναι, comicorum ἐμβάται, tragicorum ἐμβάδες, κόθορνοι, utrique pedi conformes. De ritu in moribundis, funeris, & ſepulturæ,

126. *Cap. XVIII.* Mori θέσκειν & ἀποθνήσκειν proprie dicitur. Hoc mali ominis verbum emolliebant aliis, cum de mortuis dicebant, eos dormire, diſcedere, vixiſſe, fuiſſe, paſſos quid eſſe. Unus ex capillis moribundi reſectus Diis inferis dicabatur, indicio, eum eſſe morti devotum. Ad *Mercurium*, animarum ducem ad inferos, fundebant preces, quæ ἐξιτήριοι εὐχαὶ dicebantur. Propinqui adſtantes moribundo ultimum vale dicebant, verba ex ejus ore excipiebant. Dum moriebatur, æra pulſabantur ad cacodæmonem avertendum, ne animam in tartara auferet. Ritus erga mortuos ante exequias *Cap. XIX* deſcri-

127. buntur. Quando exſpiraverat, oculi, os, claudebantur, & facies velamento

Digitized by Google

ſamento tegebatur, membra rite collocabantur, & cadaver aqua calida ablutum ungebatur, veſte involvebatur, pretioſiori ornabatur, quæ plerumque erat albo colore, ſertis item & corollis. Cadaver in aditu ædium ita collocabatur, quod περιτίθεσθαι vocabant, ut pedes verſus januam eſſent directi. Obolus, δανάκη, in os defuncti dabatur, qui eſſet naulus *Charonti* debitus, pro transvectione animæ, etiam placenta melle condita, ad Cerberum mitigandum. Omnes hi ritus verbo συγκομίζειν & συγκομιδὴ dicebantur. Ante ædium fores vas erat aqua plenum, qua polluti contactu cadaveris ſe abluebant. Ante ſolis Pag. 129.
ortum, ut *Cap. XX* narratur, Athenienſes efferebant funus, quod ἐκφέρειν & ἐκκομίζειν dicitur; ſed alii Græci de die, non de noctu, licet tædæ accenderentur. Juvenes ſepeliebantur, albeſcente cœlo. Cadaver primum ſine feretro, deinde ei impoſitum, a veſpillonibus efferebatur. Scutum imponebatur funeribus virorum, in militia inſignium, inprimis apud Lacedæmonios. Funus comitabantur amici, propinqui, viri, & fœminæ. Quibus- 130.
dam locis propinqui tantum & cognati; ex lege *Solonis* mulieribus non licuit, nondum 60 annos natis. Luctus *Cap. XXI* explanatur. Lugentes domi in locis ſolitariis ſe continebant, ab epulis alieni, lugubri veſte ex panno craſſiori nigri coloris induti, humi ſe in pulvere & luto volvebant, præſertim, qui gravius lugebant, cineres in caput ſpargebant, comam vellebant, tondebant, cum eſſet promiſſa; pectus manibus feriebant, genasque ſolebant lacerare. Capite velato in publicum, urgente neceſſitate, prodibant, vox lugubris erat ἒ, ἒ. Apud Romanos erant præficæ, apud Græcos ἔξαρχοι θρήνων, qui cantu lugubri præeuntes aliis triſtitiam ciebant. Dum funus procedebat, cantus dicebantur ὀλοφυρμοὶ, dum cremabatur, 131.
ἰάλεμοι, ad tumulum χοαὶ & ἄλιναι. Tibiæ adhibebantur triſtitiæ cauſa. *Cap. XXII* memorat ſepulturam, & cadaverum combuſtionem. Olim cadavera ſepeliebantur. *Hercules* autor fertur moris, corpora comburendi, qui deinde in omni Græcia invaluit. Lignorum congeries dicebatur πυρὰ, in quam animalia diverſa, unguenta, & odores, injiciebantur, veſtes mortuorum, arma militum. Dum rogus ardebat, amici libabant, & manes invocabant; cujus ignem, vino

vino infuſo, exſtinguebant. Cineres & oſſa propinqui legebant, quæ vino abluta oleo condiebantur, & in urnis cum
135. cineribus ponebantur, quæ ligneæ erant, lapideæ, argenteæ, aureæ. De monumentis & ſepulcris *Cap. XXIII* refert Autor doctiſſimus, quod ea fuerint extra urbes, juxta vias publicas, ne cives, contactu cadaverum, polluerentur, aut eis fœtor noceret. Intra urbem ſi quis conſpicuo humabatur loco, id erat beneficium, quo viri de republica meriti afficiebantur. *Lycurgus* circa templum condendi mortuos veniam conceſſit Lacedæmoniis. Sepulcra vulgaria erant cavernæ, ὑπόγαια, poſtea monumenta ex lapidibus in honorem virorum illuſtrium. Quæ tantum ex terra fiebant, χώματα vocabantur. Ornamenta erant columnæ lapideæ, quibus Epigrammata inſcribebantur, imagines in memoriam defunctorum. Aliquando exſtruebantut monumenta honoraria, κενοτάφια & κενήρια, in quibus nec cadaver, nec oſſa, nec cineres. Aliis honoribus, qui fiebant defunctis, *Cap. XXIV* finitur egregium hoc opuſculum. Ad hos referebantur ludi funebres, poſt exequias convivium in ædibus propinqui, περίδειπνον, νεκρόδειπνον, & τάφος, dictum. Quod de menſa decidebat, deferebatur ad ſepulcrum, quo manes veſcerentur. Inter epulas antiquitus non erat confabulatio, ſed poſtea ſermo fiebat de laudibus defuncti. De homine nequam emanavit in vulgus proverbium: ὐκ ἐπαινεθείης, ὐδ' ἐν περιδείπνῳ. In antris ſubterraneis lampades ardebant. Tumulus conſperſus amaranto, roſa, myrto, præcipue apio. Unde proverbium de eo, qui *ægrotabat ſine ſpe ſalutis*, δεῖσθαι σελίνου. Sacrificia ex nigris ovibus, nigris juvencis & ſterilibus, quarum primi pili dicabantur, Gr. ἀπαρχαί. Libaminibus, quæ erant ex ſanguine, aqua, vino, lacte, melle inprimis, mortis ſymbolo, manes placari exiſtimabantur. In ſepulcrum pueri puer aquam effundebat; in virginis, virgo; in mariti, mulier, quæ ἐγχυτρίστρια dicebatur. Manibus hæc ſacra fiebant nono die, &, poſt ſepulturam, triceſimo, eaque iterabantur quotannis. Hæc officia, defunctis præſtita, nominabantur apud Græcos ὅσια, δίκαια, νομιζόμενα, ut apud Romanos juſta. Honore funeris carebant apud Athenienſes patriæ proditores, & ſacrilegi.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

INDEX AUTORUM, quorum Libri, aut Inventa, hoc Volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantes.*

Anonymi id, quod in religione trahit momentum præcipuum, lumini rationis ſacrique Codicis congruenter demonſtratum. 178

Baccius (*Petr. Jac.*) *vid.* Gallonius.

Bremond (*Antonini*) *de Guzmana ſtirpe S. Dominici, fundatoris familiæ fratrum Prædicatorum, hiſtorica demonſtratio.* 495

Ceillerii (*Remigii*) *Hiſtoria generalis Autorum ſacrorum & eccleſiaſticorum.* Tomus XII. 673

Cennii (*Cajetani*) *de Antiquitate Eccleſiæ Hiſpanæ Diſſertationes, in duos Tomos diſtributæ.* 451

Chladenii (*Jo. Mart.*) *Logica ſacra, ſive Introductio in Theologiam ſyſtematicam.* 692

Chryſandri (*Wilh. Chriſt. Juſti*) *Diſſ. de Sapientia Dei in connubio Joſephi & Mariæ admiranda.* 361

Gallonii (*Ant.*) *& Petri Jac. Baccii Apologia Cajetani Vulpii, Presbyteri Patavini, pro vita S. Philippi Nerii.* 684

Georgii (*Dominici*) *Vita Nicolai V, Pontificis Maximi.* 258

Harenbergii (*Jo. Chriſtoph.*) *Theologia primorum Chriſtianorum dogmatica, ex monumentis Patrum eccleſiaſticis collecta.* 681

Heumanni (*Chriſt. Aug.*) *Diſſertationum Sylloge.* Tomi I Pars III. 137

De Hœckdorf (*Jonæ Thomæ*) *Solida Meletemata in doctrinas veritati conformes, quæ in L. B. de Puſendorf libro de Habitu*

bita Chriſtianæ religionis ad rempublicam civilem deprehenduntur. 185

Hoffmanni (*Caroli Gottlob*) *Memoria ſecularis funeris & ſepulchri D. Martini Lutheri.* 573

Kieslingii (*Jo. Rud.*) *Exercitationes theologico - hiſtoricæ, quibus D. Jo. Chryſ. Trombellii Diſſ. duæ, VII & VIII, Tomi II Partis prioris de cultu reliquiarum, modeſte diluuntur.* 661

Krebſii (*Jo. Tobiæ*) *de Uſu & præſtantia Romanæ Hiſtoriæ in N. Teſtamenti interpretatione libellus.* 368

Lampridii (*Ant.*) *de Superſtitione vitanda, ſive Cenſura voti ſanguinarii, in honorem immaculatæ conceptionis Deiparæ emiſſi, a Lamindo Pritanio antea oppugnati, atque a Candido Parthenotimo, Theologo Siculo, incaſſum vindicati.* 3

Lilienthalii (*Mich.*) *Index univerſalis omnium Autorum, libros N. Teſtamenti recenſentium.* 353

De Longueval (*Jac.*) *Hiſtoria Eccleſiæ Gallicanæ.* Tomus VII & VIII. 146

Michaelis (*Chriſtiani Bened.*) *Reſponſum in Chriſtiani Wilh. Chriſtlibii compendiariam expoſitionem Judaicarum in Chriſtum & Chriſtianus obtrectationum.* 561

Miſcellanea Groningana. Tomus III. 287

Orſii (*J. A.*) *ex libris ſuis de infallibilitate & autoritate Pontificis Romani ſupra Concilia Oecumenica Epitome.* Tomi II. 679

Prokopowicz (*Theophanis*) *Miſcellanea ſacra.* 554

Le Quien (*Mich.*) *Oriens Chriſtianus, in quatuor Patriarchatus digeſtus.* Tomi III. 289

Reinhardi (*Laur.*) *Introductio in hiſtoriam præcipuorum dogmatum Eccleſiæ Evangelicæ.* 559

Sannazarii (*Act. Sync.*) *de Partu Virginis Libri tres, Etruſco carmine redditi a Comite* Jo. Barthol. Gеſaregio. 233

A Schelſtrate (*Eman.*) *de Diſciplina arcani, contra Diſputationem Erneſti Tentzelii, Diſſ. apologetica.* 494

Schuberti (*Jo. Ern.*) *de Veritate religionis Chriſtianæ ſolida tractatio.* 550

Todeſchini (*Emmenegilli*) *Diſſ. de S. Alberto, Confeſſore Bergomenſi,*

Digitized by Google

gomenſi, Cremonæ denato, tertio Ordini S. Dominici adjudicando. 464
Torellii (*Joſephi*) *Animadverſiones in Hebraicum Exodi librum, & in Græcam LXX interpretationem.* 347
Trivellati (*M. Ant.*) *Diſſ. de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento & Sacrificio.* 182
Trombelli (*Jo. Chryſoſt.*) *de Cultu Sanctorum Diſſertationes decem.* Tomi I Pars I. 340
Valdeſii (*Ferdin.*) *Epiſtola, ſive Appendix ad librum Ant. Lampridii de Superſtitione vitanda.* 10
Vernetii (*Jo.*) *Tractatus de Veritate religionis Chriſtianæ, excerptus ex Diſſertationibus Latinis Jo. Alphonſi Turretini.* Partes VI. 585
Zornii (*Petri*) *Hiſtoria Bibliorum pictorum, ex antiquitatibus Hebræorum & Chriſtianorum illuſtrata.* 351

II. *Libri Juridici.*

Ægidii (*Petri*) *Inſtitutionum Caji Summarium.* 500
Briſſonii (*Barnabæ*) *de Verborum, quæ ad Jus civile pertinent, ſignificatione Opus præſtantiſſimum, locupletatum ſtudio* Jo. Gottlieb Heineccii, *cum Præfatione* Juſti Henningii Bœhmeri. 527
De Cocceji (*Henr.*) *Grotius illuſtratus, cum Obſervationibus* Samuelis de Cocceji. Tomus II. 639
Heineccii (*Jo. Gottlieb*) *Elementa Juris Cambialis.* 563
Kahlii (*Lud. Mart.*) *Commentatio Juris publici de juſtis repreſſaliarum limitibus, tum a gentibus, tum a Statibus S. R. I. G. obſervandis.* 641
Maffæi (*Scipionis*) *de Uſuris pecuniariis Libri tres.* 445
Meermann (*Gerardi*) *Specimen Animadverſionum criticarum in Caji, JCti, Inſtitutiones.* 499
Ungeri (*Jo. Frid.*) *Electa Matheſeos forenſis.* Partes II. 543

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Anonymi Commentarii, Hiſtoriam naturalem corporum, in lapides converſorum, illuſtrantes. 67

Digitized by Google

Anonymi de Ambigue prolatis in judicium criminationibus Conſultationes phyſico-medicæ nonnullæ. 228

Berkeley (*Georgii*) *Diſquiſitio virtutum aquæ picis liquidæ.* 466

Commentarii Academiæ Regiæ, ad excolendam Chirurgiam inſtitutæ. Tomus I. 11

Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ, ad annos 1732 & 1733. Tomus VI. 597. 647

Le Dran (*Henr. Franc.*) *Tractatus de Operationibus chirurgicis.* 262

Guiſardi *Diſſertatio practica de Morbis venereis.* 328

Ingram (*Dale*) *Exercitatio de Cauſa & ſede Podagræ.* 502

Kaau (*Abrah.*) *Perſpiratio dicta Hippocrati per univerſum corpus, anatomice illuſtrata.* 158

Kæſtneri (*Chriſtiani Wilh.*) *Bibliotheca medica.* 620

Krameri (*Jo. Ge. Henr.*) *Tentamen botanicum emendatum & auctum.* 127

Krügeri (*Jo. Gottlob.*) *Phyſices Pars ſecunda.* 168

Molinellii (*Petri Pauli*) *ad publicam Chirurgicarum operationum in cadaveribus oſtenſionem Oratio.* 165

Platneri (*Jo. Zach.*) *Inſtitutiones Chirurgiæ rationalis, tum medicæ, tum manualis* 400

De Reaumur *Commentationes, ad illuſtrandam Inſectorum hiſtoriam pertinentes.* Tomus V. 114

Trumphii (*Jo. Conr.*) *Hiſtoria naturalis urbis Verdæ.* 504

Wintringhami (*Cliftoni*) *Diſquiſitio exiguitatis vaſorum humani corporis.* 618

IV. *Libri Mathematici.*

Commentarii Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ, ad annos 1732 & 1733. Tomus VI. 597. 647

Euleri (*Leonh.*) *Theoria motuum Planetarum & Cometarum.* 27

Methodus inveniendi Lineas curvas, maximi minimive proprietate gaudentes. 71

Digitized by Google

Euleri (*Leonh.*) *Animadverſio ad libri præcedentis* §. *83* & *ſeq. de Curvis elaſticis.* 92

Novæ & correctæ Tabulæ ad loca Lunæ computanda. 131

Solutio Problematis Catoptrici, in Nov. Actis Erud. A. 1745 Menſ. Sept. P. I pag. 523 propoſiti. 230

Heinſii (*Godofr.*) *de Apparentiis Annuli Saturni Commentatio.* 654

Kæſtneri (*Abrah. Gotthelf*) *Methodus inveniendi pro Curvis, quæ radios, ex dato puncto emanantes, poſt binas reflexiones in idem colligunt, æquationes inter radium primum incidentem & perpendiculum in tangentem.* 617

Marinonii (*Jo. Jac.*) *de Aſtronomica Specula, domeſtico & organico apparatu Aſtronomico, Libri duo.* 241

Oechlitz (*Chriſt. Frid.*) *Solutio Problematis Optico-Analytici, in Nov. Act. Erud. A. 1745 Menſ. Sept. P. I pag. 523 propoſiti.* 134

Robins (*Benjam.*) *Principia nova rei tormentariæ, ex Anglico ſermone in Germanicum translata, pluribusque annotationibus aucta.* 266

Ungeri (*Jo. Frid.*) *Electa Matheſeos forenſis.* Partes II. 545

Walzii (*Jo. Theoph.*) *Continuatio Schediaſmatis de Methodo interpolandi.* 506

Additamenta ad Schediaſma, in Novis Actis Anni 1746 Menſ. Sept. P. I pag. 506 ſeq. exhibitum. 697

V. *Libri Hiſtorici, Geographici, &c.*

Ancherſen (*Jo. Petri*) *Breviarium Antiquitatum Romanarum Cellario-Freyerianum ſuppletum & recognitum.* 564

Anonymi Elogium Polinacii, Patris purpurati. 426

Hiſtoriæ Hungaricæ literariæ antiqui, medii, atque recentioris, ævi Lineamenta. 469

Hiſtoria rei maritimæ, ejusque navalis, generatim deſcripta. Tomus I. 627

Antiquitatum Græcarum, præcipue Atticarum, deſcriptio brevis. 704

Digitized by Google

Ariſii (*Franciſci*) *Cremona literata.* Tomus III. 337
Breithaupti (*Chriſtiani*) *Elogium, piis manibus Hermanni von der Hardt conſecratum.* 476
Cazzaiti (*Marci Ant.*) *Geographia, per modum Dialogi ſcripta.* 187
Evers (*Joach. Diet.*) *Memoriarum Hamburgenſium Volumen octavum.* 382
Fabrucci (*Steph. Mariæ*) *Piſanæ Academiæ prima ætas, quatuor Diſſertationibus illuſtrata.* 398
Fleſſæ (*Jo. Adami*) *Faſciculus Commentationum varii argumenti, præcipue hiſtorici ac literarii.* 468
Georgii (*Dominici*) *Vita Nicolai V, Pontificis Maximi.* 258
Ikenii (*Conr.*) *Oratio de illuſtri Bremenſium ſchola, magnorum ingeniorum alma atque fœcunda matre.* 189
Livii (*T.*) *Hiſtoriæ & Supplementa, a Jo. Freinshemio continuata, ex ed.* J. B. L. Crevier. 145
Melæ (*Pomp.*) *de Situ orbis Libri tres, ad veterum exemplarium fidem caſtigati.* 156
van Papendrecht (*Cornelii Pauli*) *Analecta Belgica, in ſex Partes diviſa.* Volumina III. 481
Reimanni (*Jac. Frid.*) *ſuæ ipſius vitæ deſcriptio, ejusdem ad mortem continuata, notisque inſtructa, a* Frid. Henr. Theunio. 472
Scriptores Hiſtoriæ Romanæ Latini veteres, qui exſtant, omnes, variis Notis illuſtrati a Carolo Henr. de Klettenberg & Wildeck, *ex ed.* Bennon. Caſp. Haurifii. Tomus II 385
Soldani (*Fidelis*) *Hiſtoria Monaſterii S. Michaelis de Paſſiniano.* Tomus I. 533

VI. *Libri Miſcellanei.*

Ancherſen (*Jo. Petri*) *Breviarium Antiquitatum Romanarum Cellario-Freyerianum ſuppletum & recognitum.* 564
Anonymi Muſei Capitolini Tomus primus, complectens imagines Virorum illuſtrium. 1
— *Cogitata politica de fiſci reditibus & commercio.* Tomi II. 235

Ano-

Digitized by Google

Anonymi Sculpturæ & picturæ ſacræ, ex Cœmeteriis Romanis extractæ. 433

Florenus aureus antiquus, illuſtratus Commentatione Academici Etruſci. 449

Antiquitatum Græcarum, præcipue Atticarum, deſcriptio brevis. 704

Arigoni (*Honorii*) *Numiſmata quædam cujuscunque formæ & metalli, ex Muſeo ſuo.* 97

Ballarini (*Simonis*) *Animadverſiones in Muſeum Florentinum Ant. Franc. Gorii.* 208

Becelli (*Jul. Caſ.*) *An oporteat eos, qui noſtra ætate ſcribunt, Italicum boni ſeculi ſermonem adhibere, Dialogi V.* 539

Carpzovii (*Jo. Ben.*) *Obſervationum philologicarum in Palæphatum περὶ Ἀπίςων periculum.* 238

Chladenii (*Jo. Mart.*) *Logica ſacra.* 692

Commentarii Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ ad annos 1732 & 1733. Tomus VI. 597, 647

Cruſii (*Chriſtiani Aug.*) *Epitome veritatum rationis neceſſariarum, quatenus opponuntur contingentibus.* 371

Elſneri (*Jac.*) *Schediaſma criticum, quo Autores, aliaque antiquitatis monumenta, emendantur, vindicantur, & exponuntur.* 41

Feithii (*Everb.*) *Antiquitatum Homericarum Libri IV. Editio nova.* 236

Fleſſæ (*Jo. Adami*) *Faſciculus Commentationum varii argumenti, præcipue hiſtorici ac literarii.* 468

Funccii (*Jo. Nic.*) *de imminenti Latinæ linguæ ſenectute Tractatus.* 172

Geſneri (*Jo. Matthiæ*) *Enchiridion, ſive prudentia privata ac civilis T. Pompeji. Attici, M. & Q. Ciceronum, &c.* 571

Gorii (*Ant. Franc.*) *Muſeum Florentinum, exhibens antiqua Numiſmata maximi moduli, quæ in Regio theſauro magni Ducis Etruriæ aſſervantur.* Volumina III. 193

Obſervationes in quatuor veterum Chriſtianorum monumenta, quæ exhibent nati Domini præſepe. 234

Grimm (*Jo. Frid.*) *Libellus de Ellipſibus Latinis.* 284

Gru-

Digitized by Google

Gruberi (*Jo. Dan.*) *Commercii Epiſtolici Leibnitiani Tomus prodromus.* Partes II. 35

Heſychii *Lexicon, cum Notis variorum, ex recenſ.* Jo. Alberti. Tomus I. 575

Heumanni (*Chriſtoph. Aug.*) *Diſſertationum Sylloge.* Tomi I Pars III. 137

Hiſtoria & Commentarii Academiæ Regiæ Inſcriptionum & elegantiorum literarum. Tomus VII. 62
Tomus VIII. 110
Tomus IX. 152
Tomus X. 212

Homeri *Odyſſea, Græce & Latine, Batrachomyomachia, Hymni, & Epigrammata, Homero vulgo adſcripta, ex edit.* Sam. Clarke. Volumina II. 49

Kæſtneri (*Chriſtiani Wilh.*) *Bibliotheca medica.* 620

Kœleri (*Jo. Dav.*) *Hiſtoricarum e numis deliciarum* Pars XIII. 542
Pars XIV. 686

Leichii (*Jo. Henr.*) *de Diptychis veterum, & de Diptycho Eminentiſſimi Quirini, S. R. E. Cardinalis, Diatribe.* 139
Sepulcralia Carmina ex Anthologia MSta Græcorum Epigrammatum delecta, cum verſione Latina & Notis. 318

Lilienthalii (*Mich*) *Index univerſalis omnium Autorum, libros N. Teſtamenti recenſentium.* 355

Menckenii (*Frid. Otton.*) *Obſervationum Latinæ linguæ liber.* 422

Miſcellanea Groningana. Tomus III. 287
Lipſienſia Nova. Voluminis III Pars IV. 331
Voluminis IV Pars I. 429

Mureti (*M. Ant.*) *Operum Tomi tres.* 142

Maffæi (*Scipionis*) *de Uſuris pecuniariis Libri tres.* 443

Pallavicini (*Steph. Bened.*) *Opera.* Tomi IV. 631

Petronii (*T. Arbitri*) *Satyricon, ex ed.* Petri Burmanni. *Editio altera.* Tomi II. 623

Quirini

Quirini (*Angeli Mariæ*) *Decas Epiſtolarum, quas ipſe, ſub prelo ſudante Franciſci Barbari Epiſtolarum collectione, in lucem emiſit.* 54

ad Rev. Patrem D. Renum L' Anean, Superiorem generalem Congregationis S. Mauri, Epiſtola. ibid.

Reimari (*Herm. Sam.*) *Epiſtola ad Cardinalem Ang. Mar. Quirinum, qua ad Nic. Carminii Falconis editionem trium ultimorum Librorum Dionis animadverſiones nonnullæ exhibentur.* 321

Riccii (*Angeli Mariæ*) *Diſſertationes Homericæ.* Volumina III. 248

Sannazarii (*Act. Synceri*) *de Partu Virginis Libri tres, Etruſco carmine redditi a Comite* Jo. Barthol. Geſaregio. 233

Taglini (*Caroli*) *Norma ſtudendi Philoſophiæ cum commodo.* 498

Trilleri (*Dan. Wilb.*) *Obſervationum criticarum in varios Græcos & Latinos Autores Libri IV.* 276

Heſychianarum emendationum Specimen novum. ibid.

Valdeſii (*Ferdin.*) *Epiſtolæ.* 10

Vonck (*Cornel. Valerii*) *Specimen criticum in varios Autores.* 215

Vulpii (*Jo. Ant.*) *Carminum Libri quinque. Editio altera.* 175

Waltheri (*Jo. Ludolphi*) *Lexicon diplomaticum.* Pars I. 315

De Wolff (*Chriſtiani*) *Uberior declaratio moniti de libro, qui anno ſuperiori Hagæ Comitum, ſub titulo: La Decouverte de la verité &c. prodiit.* 669

Zambaldii (*Pauli*) *Obſervationes criticæ in linguam Latinam hodiernam.* 540

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

Abbonis, *Floriacenſis Abbatis, vita & fatum funeſtum.* 147

Abſceſſus *in pulmonibus deſcriptus.* 26
Abſceſſuum *circa anum curatio.* 20
Academiæ *Chirurgorum Pariſienſis conatus deſcripti.* 12 ſeq.
Piſanæ prima ætas illuſtrata. 398 ſeq.
Ægyptiorum *circumciſionis origo.* 222
Æliani *loca emendata.* 43. 45 ſeq. 46.279.280.281.283
Æquationes *locales pro ſuperficiebus.* 600
quæ nullam radicem rationalem habent. 607
altiorum graduum quasnam radices habeant? 615
reciprocæ quid? 616
Æquationis *Riccatianæ conſtructio.* 616
Ad Æſchyli *Agamemnonem Notæ Caſauboni promiſſæ.* 111
Agellii (*Ant.*) *vita & ſcripta.* 338
Agnes *Henrici III mater, ab adulterii ſuſpicione liberata.* 568
Alberti (*Jo.*) *in Heſychium merita.* 576 ſeq.
Albertus I *Brandeburgicus an ludis equeſtribus invictus fuerit?* 568
S. Albertus *tertio Ordini S. Dominici adjudicatus.* 462 ſeq.
Alciphronis *locus emendatus.* 46
Alexander *M. in numis antiquis.* 197
Algarottii (*Franc.*) *Comitis in Opera Pallavicini merita.* 633 ſeq.
Altarium, *vero Deo ſacratorum, antiquitates illuſtratæ.* 62
Amſtelii *ditionis jus illuſtratum.* 490
Anaximandri *Philoſophia deſcripta.* 212
Anckelmanni (*Bern.*) *vita.* 384
Anevryſmatis *aortæ exemplum memorabile.* 650
Pro Anguli *ſectione formula generalis.* 512.615
Ani *præcluſi curatio.* 20
ſphincteris læſiones quid efficiant? ibid.
In Annæ, *Caroli VIII*, R. *Galliæ, ſororis, laudem Carmen editum.* 113 ſeq.
Anthologiæ *MStæ Carmina ſepulcralia edita & emendata.* 318 ſeq.
Antiphronis *locus emendatus.* 278 ſeq.
Antonii *Carmen adverſus gentes emendatum & explicatum.* 216 ſeq.
Apis, *mellificæ muſcæ, induſtria & mores deſcripti.* 119 ſeq.

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolii (*Mich.*) *locus emendatus.* 278
Aqua *urbis Verdenſis commendata.* 505
Aquæ *picis liquidæ confectio.* 457
uſus ibid.
Arateorum *verſus reſtitutus.* 333
Archilochi *vita & ſcripta.* 212. 213
Areſii (*Pauli*) *vita & ſcripta.* 339
Arigoniani *Muſei Numiſmata edita.* 97 ſeq.
Ariſii (*Deſiderii*) *vita & ſcripta.* 338
(*Franc.*) *vita & ſcripta.* ibid.
Ariſtæneti *locus emendatus.* 45. 277
Ariſtidis *loca illuſtrata.* 44
Ariſtoxeni *vita & ſcripta.* 213
Arriani *locus emendatus.* 46
Arteriæ *exhalantes ubique in corpore.* 163
omnes exhalant & reſorbent. ibid.
Aſellii (*Caſp.*) *vita & ſcripta.* 338
Aſtronomicus *apparatus Marinonii deſcriptus.* 244 ſeq.
Athalarici, *Regis Gothici, Edictum de eligendo Papa illuſtratum.* 137 ſeq.
Athenæi *loca emendata.* 46 282
Atrebatenſium *hæreticorum hiſtoria.* 147 ſeq.
Atticæ *antiquitates in compendio deſcriptæ.* 704 ſeq.
Attractionis *Cometarum effectus.* 34
Auguſtini *ſcripta recenſita.* 673 ſeq.
Autores *veteres Græci & Latini emendati.* 277 ſeq.
Axungia *in acetabulo collecta evocata ſectione.* 417
Ab Aytta (*Viglii*) *vita.* 479 ſeq.

B.

Barbari (*Franciſci*) *vita illuſtrata.* 60
ad Gentilem Epiſtola edita. ibid.
Baronii (*Theodori*) *vita & ſcripta.* 340
Bartoli *a Saxo ferrato vita.* 399
A S. Bavone (*Gratianus*) *refutatis.* 43
Belgii *hiſtoria variis opuſculis illuſtrata.* 481 ſeq.
Beſii (*Car. Andr.*) *cum Kœlero controverſia.* 690
S. Bernhardi *vita & ſcripta.* 151
Bibliorum *pictorum antiquitas illuſtrata.* 357 ſeq.
Bibliothecæ *Vaticanæ præfecti Cardinales recenſiti.* 60

Digitized by Google

Bignonii (*Hieron.*) *elogium.* 64
De Blumio (*Henr. Jul.*) *ſingularia.* 36
Boivinii (*Jo.*) *junioris, elogium.* 65
Bœcleri (*Jo. Henr.*) *infortunatus in Academia Upſalienſi caſus deſcriptus.* 36
Boineburgii *& Conringii Epiſtolæ mutuæ editæ.* 35
mors quando contigerit? 40
De Boiſſy (*Jo. Bapt. Thiauderii*) *elogium.* 65
De Bonis (*Homoboni*) *vita & ſcripta.* 339
Boſelli (*Petri Ant.*) *vita & ſcripta.* 340
Bottæ (*Thomæ Mariæ*) *vita & ſcripta.* ibid.
De Bourcheny (*Jo. Petri Moreti*) *elogium.* 65
Bredanum *Necrologium ex MSto editum.* 491
Bremenſis *ſcholæ notitia literaria.* 189
viri docti recenſiti, 190
Breſſiani (*Joſephi*) *vita & ſcripta.* 339
(*Joſ. Mariæ*) *vita & ſcripta.* ibid.
Briſſonii (*Barn.*) *de Formulis Romanis opus auctius editum.* 527 ſeq.
Briſſonii (*Barn.*) *de Formulis Romanis opus ſub judicium vocatum.* 529 ſeq.
Britonis (*Guil.*) *vita & ſcripta.* 113
A Buren (*Dan.*) *Epiſtola ad Melanchthonem edita.* 288
Burmanni (*Petri*) *editio Petronii denuo edita.* 625 ſeq.
Butardi (*Franc.*) *elogium.* 65

C

Cabbalæ *origo inveſtigata.* 154
Cæſaris (*C. Jul.*) *libri emendati.* 333
locus explicatus. 423
Caji *Inſtitutiones Juris explicatæ & emendatæ.* 500 ſeq.
Calculi *quomodo ad veſicam adhæreſcant?* 20 ſeq.
parvi quomodo ex veſica expellendi? 264
ſigna quæ? 265
curandi rationis duo genera. 419
Calliſthenis *vita & ſcripta.* 111
Cambiale *Jus in Compendio traditum.* 563 ſeq.
Du Cambout (*Henr. Caroli*) *elogium.* 154
Campanæ (*Lucretiæ Vidalengæ*) *vita & ſcripta.* 339
Canneti (*Petri*) *vita & ſcripta.* 340

Capel-

Digitized by Google

Capellani, *Poetæ Galli, vita, ab ipſo deſcripta.* 39

Capitolini (*Jul.*) *locus emendatus.* 282

In Capitolio *ſtatuæ virorum illuſtrium conſpicuæ.* 1 ſeq.

Capræ (*Alexandri*) *vita & ſcripta.* 338

Capredoni (*Hieron.*) *vita & ſcripta.* 339

Carenæ (*Cæſaris*) *vita & ſcripta.* 338

Caries, *cum anevryſmate conjuncta, unde?* 650

Caſauboni *ad Æſchyli Agamemnonem Notæ promiſſæ.* 111

Caſſiodori *Chronicon cum numis editum.* 389

Le Cat *nova calculum curandi ratio.* 419

Catonis *Diſticha moralia emendata.* 225

De Caumartin (*Jo. Franc. Pauli Fabri*) *elogium.* 154

Cauſæ *finales in Phyſica utiliſſimæ.* 88

In Cazzaiti (*M. Ant.*) *Geographia quædam notata.* 187 ſeq.

Cerebrum *lædi poteſt ſine periculo.* 18

De Cherbury (*Herberti*) *de religione veterum gentilium liber Notis illuſtratus.* 432

Chilacmeni (*Manaritani*) *vita & ſcripta.* 339

Chirurgi *officium ad operationes perficiendas quale?* 263

Chirurgica *ars quomodo perficienda?* 12

— *neglecta.* 165. 401

— *ejus Profeſſor Bononiæ conſtitutus.* 401

— *cognitio Medicinam juvat.* ibid.

— *an imperfecta ſine manualibus operationibus?* 406

Chirurgorum *Academiæ Pariſienſis conatus deſcripti.* 12 ſeq.

Chriſti *reſurrectio demonſtrata.* 429 ſeq.

Chriſtianæ *veritates lumini rationis convenienter demonſtratæ.* 185 ſeq.

— *religionis ad rempublicam habitus demonſtratus.* 185 ſeq.

— *veritas demonſtrata.* 550 ſeq. 588 ſeq.

Chriſtianorum *primorum quæ fuerit Theologia dogmatica?* 681 ſeq.

Chriſtus *decori ſtudioſus.* 331

Ciceronis *loca nonnulla emendata.* 47 ſeq. 278

Circumciſionis *Ægyptiorum origo veſtigata.* 222

Ciſtophori *antiqui varii collecti.* 201 ſeq.

Clarkiorum, *patris & filii, in Homeri*

Digitized by Google

Homeri Odyſſeam merita. 49 ſeq.
Clemens *XII, P.M. Inſcriptione a Cardinale Quirinio honeſtatus.* 60
Clementis *XII, P. M. marmora antiqua in Capitolium transferendi, ſtudium laudatum.* 1 ſeq.
— *virtutes celebratæ.* 60
Cœmeteriorum *Romanorum ſculpturæ & picturæ collectæ.* 433 ſeq.
Cogroſſi (*Caroli Franc.*) *vita & ſcripta.* 338
Collationis *legum Moſaicarum & Romanarum libellus emendatus.* 220 ſeq.
— *verbum illuſtratum.* 422 ſeq.
Cometa *anni 1680 num antiquis jam viſus?* 213
Cometarum *theoria ope Analyſeos perfecta.* 28 ſeq.
— *reverſio.* 34
— *effectus in ſyſtema planetarium.* ibid.
Concilia *veteris Eccleſiæ deſcripta.* 677 ſeq.
Concilii *Florentini hiſtoria illuſtrata.* 201
Concilium *Rhemenſe deſcriptum.* 146
Connubium *Joſephi & Mariæ maxime admirandum.* 360 ſeq.
Conob. *in nummis quid notet?* 138
Conqueſtoris (*Guil.*) *monumentum explicatum.* 114
Conradus *Urſpergenſis inter plagiarios relatus.* 40 ſeq.
Conringii (*Herm.*) *& Boineburgii Epiſtolæ mutuæ editæ.* 35
Conſtructio *formulæ cujusdam differentialis.* 614
Contingere, *verbum, illuſtratum.* 423
Contrafiſſuræ *exemplum.* 411
Corda *villoſa inventa.* 648
Cordis *auricularum uſus.* 649
Corippus *Africanus emendatus.* 218 ſeq.
Coteſianum *Problema.* 614
In Cranio *interdum depreſſio naturalis.* 412
Cremonenſis (*Gherardi*) *vita & ſcripta.* 339
Cremonenſium *doctorum virorum vitæ.* 337 ſeq.
Cremonini (*Cæſaris*) *vita & ſcripta.* 338
Crevierii (*J. B. L.*) *in Livium merita.* 145 ſeq.
Cuperi (*Gisb.*) *Epiſtolæ ad Almeloveenium editæ.* 334. 438
Curtii *locus emendatus.* 278
Curvæ *maximi minimive proprietate gaudentes.* 71. 610
— *elaſticæ determinatæ ex natura maximi & minimi.* 89

Curvæ

Digitized by Google

Curvæ, *quæ radios, ex dato puncto incidentes, poſt duplam reflexionem iterum in illud colligunt, determinatæ.* 134. 230. 617
cujusvis ordinis per quot puncta deſcribi poſſint? 515
tautochronæ inveſtigatæ. 600
Curvarum *quadratura.* 613

D

Deæ *matres quæ fuerint?* 65
Decorum *a Chriſto obſervatum.* 331
Dei *exiſtentia & attributa demonſtrata.* 380. 550 ſeq.
Delapſa *in aſperam arteriam & ſtomachum quomodo educenda?* 22
Demetrii *Phalerei vita.* 111
Diaconus (*Paul.*) *cum numis editus.* 388 ſeq.
Dictatus *an Gregorio VII recte tribuantur?* 570
Diogenis *Laertii loca varia illuſtrata.* 45. 279
Dionis *Chryſoſtomi loca illuſtrata.* 47
Caſſii nova editio a Reimaro parata. 322 ſeq.
loca nonnulla emendata. 323 ſeq.
Diophantæa *Problemata per numeros integros ſoluta.* 613
In Diplomatibus *antiquæ ſcriptionis compendia notata.* 216 ſeq.
Diptychorum *antiquitas illuſtrata.* 140 ſeq.
Diptychum *Cardinalis Quirini explicatum.* 140 ſeq.
Diſciplina *arcani in veteri eccleſia quæ fuerit?* 494
Domini *notio apud Romanos quæ?* 430
S. Dominicus *ſtirpi Guzmanæ aſſertus.* 495 ſeq.
Le Dran (*Henr. Franc.*) *laudatus.* 262 ſeq.

E

Ebræi, *ad quos Pauli Epiſtola exſtat, qui ſint?* 429
Eccleſiæ *orientalis hierarchia illuſtrata.* 289 ſeq.
Græcæ vindiciæ. 555 ſeq.
Evangelicæ dogmata hiſtorice tractata. 559 ſeq.
Edzardi (*Sebaſt.*) *vita.* 383
Efferre, *vocis, variæ ſignificationes.* 424
Elaſticæ *Curvæ nova methodo detectæ.* 89
Ellipſium *Latinarum varia genera.* 284 ſeq.
Elſneri (*Jac.*) *in Autores veteres merita laudata.* 41 ſeq.
Empedoclis *vita & ſcripta.* 212
Ennii *locus illuſtratus.* 278

Entis

Entis *criteria explicata.* 374 ſeq.

Epigrammata *antiqua edita & emendata.* 317 ſeq.

— *Græca explicata.* 431

Evander (*Chriſtoph.*) *quis fuerit?* 570

Euchariſtiæ *Sacramentum ex principiis Pontificiorum explicatum.* 183 ſeq.

Eventus *bonus in numis antiquis.* 397

Everſii (*Joach. Diet.*) *vita.* 382

Euhemeri *vita & ſcripta.* 110

Euripidis *Tragœdiæ cum Racinianis comparatæ.* 111. 213

De Euripidis *Medea & Andromache judicium.* 111 ſeq.

Eutropii *locus emendatus.* 227

Eutropius *cum numis editus.* 388

Exfoliatio *cranii quomodo & evitanda & acceleranda?* 17

Eximere, *verbi, variæ ſignificationes.* 424 ſeq.

Exodi *textus Hebraicus præter meritum LXXvirali verſioni poſthabitus.* 347 ſeq.

Exorcizandi *obſeſſas a dæmone modus ſingularis.* 40

Fabri (*Baſilii*) *Theſaurus locupletatus.* 422 ſeq.

Fabricii (*Jo.*) *ad Boineburgium Epiſtolæ editæ.* 39

Fabricii (*Jo. Alb.*) *vita.* 384

Falconis (*Nic. Carmin.*) *Notæ ad Dionem Caſſium ſub judicium vocatæ.* 322 ſeq.

Faſti *Conſulares locupletati.* 334. 432

Feithii (*Everh.*) *Antiquitates Homericæ denuo & auctiores editæ.* 237

Fiſtulæ *in perinæo curatio.* 24

Florenus *aureus antiquus illuſtratus.* 449 ſeq.

De Floribus (*Auguſtini Romani*) *vita & ſcripta.* 338

Florus (*L. An.*) *cum numis editus.* 387

Fluidorum *reſiſtentia qualis?* 271

Fœtus *quomodo exſpiret & inſpiret?* 164

— *cur nullum cum matre nexum habeat?* 647

Folliculi *cutanei, eorumque humores, deſcripti.* 160

Formulæ *Juris Romani collectæ.* 533

— *Cateſianæ conſtructio.* 614

Fraguierii (*Claud. Franc.*) *elogium.* 65

Francorum *Regum ſucceſſio illuſtrata.* 132 ſeq.

Frobenii (*Jo.*) *Epiſtola ad Lutherum edita.* 287

Froſſardi (*Jo.*) *vita.* 215

Fulberti

Digitized by Google

Fulberti, *Epiſcopi Carnotenſis, vita.* 147
callum ſecandi ratio. 25
ad eam pertinentes figuræ laudata. 27

G

Galli (*Vincent.*) *vita & ſcripta.* 340
Galliæ *hiſtoria eccleſiaſtica deſcripta.* 146 ſeq.
Gandavenſis *reipublica quæ olim forma fuerit?* 463
Ganglii *permagni & tandem lethalis exemplum.* 413
Gangrænæ *cauſa & curatio.* 497 ſeq.
Garengeot *notatus.* 26
Geographia *per Dialogum expoſita.* 187
Georgii *Friderici Caroli, Marggravii Brandenb. vita.* 568
Gerberti, *qui poſtea Sylveſter II, vita & res geſtæ.* 146 ſeq.
Geſneri (*Jo. Matthiæ*) *liber novus promiſſus.* 191 ſeq.
Gilloti *Epiſtola ad Scaligerum edita.* 288
Glabri (*Radulphi*) *vita & ſcripta.* 113
Globi *e tormento ejecto velocitas.* 268
motus in aere. 271 ſeq.
Gordianus *Imp. in numo antiquo.* 214
Gorii (*Ant. Franc.*) *in Muſeum Florentinum merita laudata.* 193
Muſeum Florentinum ſub judicium vocatum. 208 ſeq.
Græcæ *eccleſiæ orthodoxia aſſerta.* 555 ſeq.
antiquitates in compendio deſcripta. 704 ſeq.
Grandi (*Guidonis*) *vita & ſcripta.* 339
Gregorii *VII, P. M. geſta deſcripta.* 149
dictatus an ab eo profecti? 570
Gronovii (*Jac.*) *& Hottingeri Epiſtolæ mutuæ editæ.* 38
(*Abrah.*) *in Pomponium Melam merita.* 156
Grotius (*Hugo*) *cum Voſſio patre comparatus.* 37
ejus Jus belli & pacis Commentario illuſtratum. 637 ſeq.
Gruteri (*Jo. Dan.*) *in Epiſtolas Leibnitii & aliorum merita.* 35 ſeq.
Gualterii (*Phil. Ant.*) *elogium.* 65
Guarguanti (*Horatii*) *vita & ſcripta.* 339
Guido, *frater Delphini Viennenſis, an una cum Magiſtro Ordinis Templariorum combuſtus fuerit?* 114

 Æ Guz-

Digitized by Google

E Guzmanna ſtirpe ortus S. Dominicus. 495

H

Hadrianus *Imp. in numis antiquis.* 200

Hæmorrhagiæ *uterinæ in gravidis curatio.* 19

Hamburgenſis *urbis hiſtoria illuſtrata.* 383 ſeq.

Von der Hardt (*Hermanni*) *vita & ſcripta.* 476 ſeq.

Hatzfeldius *de libro ſuo ſceleſto notatus.* 670 ſeq.

Hegeſippi *locus illuſtratus.* 48

Heineccii (*Jo. Gottlieb*) *Opera conjunctim edendi inſtitutum.* 334 ſeq.

Helgaldi, *Floriacenſis monachi, vita.* 215

Heliodori *locus emendatus.* 46

Heraclidis *Pontici vita & ſcripta.* 213

Hercules *an Muſagetæ nomine dignus?* 65

Herniæ *immobilis cauſa peculiaris.* 26

Herniarum, *quæ cum gangræna conjunctæ ſunt, curatio.* 18

nova genera. 26

Herodoti *locus illuſtratus.* 44

Heſychii *edendi leges propoſita.* 95

loca emendata. 282. 283 ſeq.

Heſychii *locupletiſſima editio curata.* 576 ſeq.

Heſychius, *Lexici autor, quis fuerit?* 576 ſeq.

Hevinus *laudatus.* 22

Hierarchia *eccleſiæ orientalis illuſtrata.* 289 ſeq.

Hildeberti, *Cenomanenſis Epiſcopi, vita deſcripta.* 150

Hippocratis πνεῦμα quid? 164

Sub Hippolithi *a Lapide nomine quis lateat?* 40

Hipponactis *vita & ſcripta.* 213

Hiſpanæ *eccleſiæ ortus & incrementa deſcripta.* 454 ſeq.

Canonum Codex antiquus editus. ibid.

Hiſtoriæ *Romanæ in N. Teſt. interpretatione uſus.* 369

Auguſtæ Scriptores cum numis editi. 389 ſeq.

Hœflichii (*Ge. Chriſtoph.*) *vita.* 570

De Hollander (*Joannis*) *Commentarii de tumultibus adverſus Carolum V editi.* 432 ſeq.

Homeri *loca quædam emendata, aut explicata.* 49 ſeq. 249

vita. 251

theologia quæ fuerit? 257

locus quidam a vitio obſcuritatis defenſus. 256

Homero

Digitized by Google

Homero *an ταυτολογίας vitium recte impingatur?* 253
Homerus *in numo antiquo.* 102
variis Diſſertationibus illuſtratus. 249 ſeq.
an recte Heroum ſtaturas valde proceras effinxerit? 253
De Homicidio, *in partu commiſſo, quomodo judicandum?* 230. 231
Hopperi (*Joach.*) *vita.* 485 ſeq.
Horatius *Italice redditus.* 633
Hornii (*Ge.*) *vita.* 569
Hottingeri *& Gronavii Epiſtolæ mutuæ editæ.* 38
Hübneri (*Jo.*) *vita.* 384
Humorum *in corpore vitia quomodo corrigenda?* 13 ſeq.
coagulum quomodo fieri poſſit? 503
Hungariæ *Hiſtoria literaria illuſtrata.* 469 ſeq.
Huſtetus *notatus.* 21
Hydrocelen *curandi nova ratio.* 421
Hymni *quadrageſimales Græcorum illuſtrati.* 56
Hymnographi *Græcorum illuſtres recenſiti.* 57 ſeq.
Hyperborei *an certa quædam gens dicta?* 66 ſeq.

I

Jeſus *recens natus in tribus monumentis antiquis.* 234
Imaginatio *matris nihil nocet partui.* 648
Inflammatio *quid, & quomodo curanda?* 406
diligenter obſervanda in vulneribus. 410
Inhalatio *expoſita.* 162
Inſcriptio *Thyatirena illuſtrata.* 48
antiqua ſepulcralis illuſtrata. 440
Inſcriptiones *antiquæ Muratorii emendatæ.* 321
Inſcriptionum *antiquarum opus a Furmontio promiſſum.* 64
Interpretationis *grammaticæ in Jure Romano uſus varius.* 528 ſeq.
Interuſurium *Leibnitianum quale?* 546
Joachimus *I Brandenburgicus magicarum artium immerito accuſatus.* 469
De Joanne *Caſimiro, Principe Poloniæ, varia.* 39
Jornandis *Hiſtoria cum numis edita.* 389
Iſelii (*Jac. Chriſtoph.*) *liber de Canone N. Teſt. editus.* 288
Iſidori *locus emendatus.* 278
Iſoperimetricum *Problema ſolutum.* 71. 610
Italicum *boni ſeculi ſermonem an adhibere in ſcriptis oporteat?* 539 ſeq.
Judæorum *preces pœnitentia-*

 les

. *lus an ſint in Chriſtum injurioſæ?* 562
Juliani *Imp. laudes celebratæ.* 63
Ivonis *vita & ſcripta.* 131
Jupiter *καταιβάτης in antiquo numo.* 108
Juris *Civilis cum Jure naturæ convenientia demonſtrata.* 637 ſeq.
Juſtini *locus emendatus.* 226
— *Martyris locus emendatus.* 279
Juſtinus *cum numis editus.* 390

K

Kaau (*Abrab.*) *laudatus.* 158
— *notatus.* 164 ſeq.
Kæſtnerus (*Chriſt. Wilh.*) *laudatus.* 622
De Klettenberg (*Caroli Henr.*) *in Hiſtoricos Romanos veteres merita.* 390 ſeq.
Kœleri (*Jo. Dav.*) *cum Belio controverſia.* 690
Krameri *Tabulæ Botanicæ tyronibus non utiles.* 131
Krügerus (*Jo. Gottlob*) *laudatus.* 171

L

Labieni (*Titi*) *vita deſcripta.* 212
Labii *leporini curatio.* 23 ſeq.
Lapidum *origo explicata.* 68
A Laſco (*Joannis*) *libri recenſiti.* 288
Latina *lingua obſervationibus illuſtrata.* 422 ſeq.
Latinæ *linguæ novus Theſaurus promiſſus.* 191 ſeq.
— *voces rariores collectæ.* 333
— *linguæ ſtudium quomodo noſtra ætate tractandum?* 540 ſeq.
In Lectis *apertis recumbendi mos antiquus.* 334
Legati (*Laur.*) *vita & ſcripta.* 339
Leonis *IX, P. M. vita deſcripta.* 148
Libræ *Romanæ ratio explicata.* 112
Van der Linden (*Henr. Antonidis*) *Epiſtola ad Altingium edita.* 287
Linea *breviſſima in ſuperficie curva determinata.* 602
Lini *vita & ſcripta.* 213
Literarum *elegantiorum vindiciæ ab exemplis ſapientiſſimorum Romanorum.* 571 ſeq.
Lithotomiæ *hiſtoria.* 415 ſeq.
Liturgia *eccleſiæ Hiſpanæ deſcripta.* 463 ſeq.
Livii *Fragmentum pro ſuppoſititio habendum.* 153
— *loca explicata.* 432. 569
In Livium *merita Crevierii.* 145 ſeq.

Livius

Digitized by Google

Livius *cum Dionyſio Halic. in comparationem adductus.* 112
Logicæ *in Theologia uſus.* 692 ſeq.
Lotus *a crimine oblatarum ad ſtuprum filiarum defenſus.* 139
Louberii (*Simonis*) *elogium.* 65
Luciani *loca varia emendata, aut explicata.* 42. 47
Luem *veneream curandi methodus.* 19
Lues *venerea parent, non ſemper nocet proli.* 328
Monſpelienſis quæ? 329 ſeq.
Luis *venereæ duo ſingularia ſymptomata.* 19
Lunæ *motus emendatus.* 131
Lunulæ *quadrabiles curvilineæ inveſtigatæ.* 612
Lunus *Deus in antiquo numo.* 107 ſeq.
Lutheri *funus & ſepulcrum deſcriptum.* 573
Lyſimachus *in numo antiquo.* 198

M

Mangiurica *literatura illuſtrata.* 650 ſeq.
Manichæorum *ſecta deſcripta.* 147
Marcellinus (*Ammian.*) *cum numis editus.* 390
Mariæ *& Joſephi connubium admirandum.* 360
De B. Mariæ *immaculata conceptione ſententia an ſit ſanguine tuenda?* 4 ſeq.
Marinonii (*Jo. Jac.*) *Aſtronomicus apparatus deſcriptus.* 244
Maritimæ *rei antiquitates illuſtratæ.* 629 ſeq.
Maronitarum *hiſtoria illuſtrata.* 309
Marſyæ, *Muſici, vita.* 213
S. Martialis *Apoſtolis adſcriptus.* 147
Matheſis *rebus forenſibus applicata.* 545 ſeq.
Mattæ (*Caroli Felicis*) *vita & ſcripta.* 338
Mauritii (*Erici*) *ad Boineburgium Epiſtola edita.* 39
Maxima *& minima in Curvis.* 71
Medici *Scriptores recenſiti.* 622 ſeq.
Melæ (*Pomp.*) *editio, A. 1719 Iſcæ edita, deſcripta.* 155 ſeq.
In Melam (*Pomp.*) *merita Abrah. Gronovii.* 154 ſeq.
Melii (*Jo. Pauli*) *vita & ſcripta.* 339
Mercurii *motus a Cometa perturbatus.* 34
Mercurius *contra quæ mala venena nihil valeat?* 21
Meridianam *lineam determinandi methodus.* 244
Meridiem *obſervandi methodus.* 598 ſeq.

Meſſala (*M. Valer. Corvinus*) *cum numis editus.* 387
Metaphyſicæ *veritates explicatæ.* 372 ſeq.
Micrometri *conſtructio optima.* 245
De Miraculis *reliquiarum judicium.* 663 ſeq.
Miſſum *facere*, *formula*, *quid notet?* 210
Molinellius (*Petr. Paul.*) *laudatus.* 168
Monaſterii *Paſſinianenſis hiſtoria deſcripta.* 535 ſeq
Monaſteriorum *Hiſpaniæ origo & inſtituta.* 462
Moneta *an ſit e re publica?* 235 ſeq.
Monogramma *Chriſti in gemma antiqua.* 431
Monzambarii *ſcriptum valde laudatum.* 39
— *ſub nomine quis lateat?* ibid.
Morhofii *de itinere ſuo relatio.* 39 ſeq.
Motus *Planetarum & Cometarum analytice conſideratus.* 28
— *oſcillatorius laminæ elaſticæ.* 91. 92
— *projectorum ex idea minimi deductus.* 91
— *in aere reſiſtente.* 273
— *globi ex tormento egreſſi.* 268
Motus *oſcillatorius corporum filo flexili connexorum.* 610
Motuum *theoria explicata.* 380 ſeq.
Mundi *natura generatim explicata.* 380
De Mundi *pluralitate veterum Philoſophorum ſententiæ.* 145
Muratorii *Inſcriptiones antiquæ emendatæ.* 321
Mureti *operum nova editio publicata.* 143 ſeq.
Muſæi *loca quædam emendata.* 240
De Muſca *cervaria obſervatio ſingularis.* 117
Muſcæ, *a D. Marco appellatæ, geneſis.* 116
— *pſeudo-erucarum quales?* 117 ſeq.
— *tettigæ, Gallis cingalæ, natura indagata.* 118 ſeq.
— *mellificæ, apis, natura deſcripta.* 119 ſeq.
Muſcarum *quadripennium natura explicata.* 115 ſeq.
— *bipennium natura indagata.* 116
Muſconii (*Pauli*) *vita & ſcripta.* 340
Muſei *Capitolini ſtatuæ deſcripta.* 1 ſeq.
— *Arigoniani Numiſmata edita.* 97 ſeq.
Muſei *Florentini numi præſtantiores collecti.* 193 ſeq.

Muta-

Mutatio *corporum in quibus partibus fiat?* 619

N

De Nangis (*Guil.*) *vita & ſcripta.* 113
Navigandi *artis antiquitates veſtigatæ.* 629 ſeq.
Nazarii (*Jo. Pauli*) *vita & ſcripta.* 339
Nepotis *locus explicatus.* 333
S. Nerii (*Phil.*) *vita vindicata.* 684 ſeq.
De la Neufville (*Jac. Quienii*) *elogium.* 65
Neutoniana *methodus interpolandi explicata.* 506 ſeq.
Nicolai *V. P. M. vita deſcripta.* 258
in literas & literatos favor. 261 ſeq.
S. Norberti *vita & miracula deſcripta.* 152
De Novellis (*Hieronymi*) *vita & ſcripta.* 339
Numerorum *figuratorum formula generalis.* 514
primorum proprietates variæ. 609
Numi *rariores ad Alexandrum M. relati.* 197
Scriptores Hiſtoriæ Romanæ illuſtrantes. 386 ſeq.
rariores varii deſcripti. 542 ſeq. 688 ſeq.
Numiſmata *antiqua rariora ex Muſeo Arigonio publicata.* 97 ſeq.
Numiſmata *antiqua maximi moduli Muſei Florentini collecta.* 193 ſeq.
Numus *Ægienſium præclarus deſcriptus.* 102
Panis illuſtratus. 104
Tyriorum rarior deſcriptus. 105
Philippi ſenioris rarior illuſtratus. 106
Gordiani Imp. rarior. 214
Nutritio *quomodo fiat?* 618

O

Orphei *vita & ſcripta.* 215
Ophthalmiæ *curatio.* 409
Orientis *Patriarchatus illuſtratus.* 289 ſeq.

P

Palæphatus *emendatus.* 238
Pallavicini (*Steph. Bened.*) *vita & epitaphium.* 631 ſeq.
De Pallavicini *Hiſtoria Concilii Tridentini judicium.* 36 ſeq.
Pallii *ſacri antiqua & nova diſciplina.* 461
Pan *in numo antiquo.* 104
Panætii *vita & ſcripta.* 212
Parabola *non eſt vera projectoria corporum in aere.* 273
Partus *cæſarei hiſtoria & exempla nova.* 24 ſeq.
Paſſerini (*Petri Mariæ*) *vita & ſcripta.* 340
Paſſinianenſis *monaſterii hiſtoria deſcripta.* 535 ſeq.

Patriar-

Patrriarchatus *Orientis deſcripti & illuſtrati.* 289 ſeq.
Paulini *Nolani locus emendatus.* 224
Pauſaniæ *locus reſtitutus.* 45
Peccata *clamantia quæ ſint?* 137
Perſpiratio *per quas partes fiat?* 159 ſeq.
Petitus *Chirurgus non primus obſervavit, quid ſenſuum abolitio in capitis vulneribus indicet?* 15
inventor novi elevatorii. 17
Petrefactorum *materia explicata.* 68 ſeq.
varia genera recenſita. 70
In Petronium *merita Petri Burmanni.* 625 ſeq.
De la Peyronie *edidit Tomum I Commentariorum Acad. Reg. Chirurg. Pariſ.* 12
Phædri *locus emendatus.* 280
Philammonis *vita & ſcripta.* 213
Philelphi (*Franc.*) *vita & mores deſcripti.* 215
Philoſophiæ *cum fructu ſtudendi ratio.* 498 ſeq.
Phrynidis, *Muſici, vita.* 213
Phylarchi *vita & ſcripta.* 110
Phyſices *potiora capita ſolide explicata.* 168 ſeq.
Picenardi (*Octaviani*) *vita & ſcripta.* 339
Picturæ *in rebus ſacris antiquitas illuſtrata.* 358 ſeq.
ſacra Cœmeteriorum Romanorum collecta. 433 ſeq.
Pili *quid?* 161
Piſanæ *Academiæ prima ætas illuſtrata.* 398 ſeq.
Piſani (*Homoboni*) *vita & ſcripta.* 339
Plagarum *cœli in ſepeliendis mortuis ſuperſtitioſa olim obſervatio.* 333
Plagii *literarii exemplum.* 40 ſeq.
Planetarum *nova theoria analytica.* 27 ſeq.
Plantæ *quot modis propagentur?* 130
Plantarum *vires quomodo inveniendæ?* 131
Platinæ (*Barthol.*) *vita & ſcripta.* 338
Platnerus (*Jo. Zach.*) *laudatus.* 400. 420
Platonis *ſtatua ex Seneca loco illuſtrata.* 3
locus illuſtratus. 48
Plinii *Epiſtolarum locus emendatus.* 225
Plutarchi *de Muſica Dialogus emendatus.* 212
De Plutarchi *libro de Muſica notitia literaria.* 110

R

De Raymondis (*Jo. Bapt.*) *vita & ſcripta.* 339

Rede-

Rederaſci (*Franc.*) *vita & ſcripta.* 338
Reimanni (*Jac. Frid.*) *vita & ſcripta.* 473 ſeq.
Reimari (*Herm. Sam.*) *Notarum ad Dionem Caſſium ſpecimina.* 322 ſeq.
Reiskii (*Jo. Jac.*) *in Petronio Burmanni conatus præpoſteri.* 625 ſeq.
Religionis *Chriſtianæ veritates lumini rationis convenienter demonſtratæ.* 180 ſeq. 185 ſeq.
— *ad rempublicam habitus demonſtratus.* 185 ſeq.
Reliquiarum *cultus reprehenſus.* 661 ſeq.
Repreſſaliarum *doctrina ex Jure publico & Hiſtoria illuſtrata.* 641 ſeq.
Reſiſtentia *fluidorum, ſpeciatim aeris.* 271
Reſolventium *medicinarum experimenta.* 17
Reſpirationis *doctrina explicata.* 169 ſeq.
Reſpondere *in judicio quid notet?* 425
Revelationis *neceſſitas & criteria.* 582
Rex *an vocata Maria Hungariæ in numis?* 690
Riccatiana *æquatio.* 616
Riccius (*Ang. Maria*) *leviter notatus.* 257 ſeq.
Rigordi, *Hiſtorici Galliæ, vita & ſcripta.* 113
Robinſii (*Benj.*) *errores notati.* 269
Rodolphini (*Lud.*) *vita & ſcripta.* 339
Romanæ *Hiſtoriæ in N. Teſt. interpretatione uſus.* 369 ſeq.
— *urbis antiquitates illuſtratæ.* 565 ſeq.
Rufus (*Sext.*) *cum numis editus.* 388
Ruſſorum *prima expeditio Conſtantinopolitana illuſtrata.* 652 ſeq.

S

Salluſtius *cum numis editus.* 390
Salmaſii (*Cl.*) *Epiſtola edita.* 37
Sanctorum *cultus aſſertus.* 341 ſeq.
De Sanguine *in ventrem effuſo obſervationes.* 16
De Sanguinis *circulo novæ cogitationes.* 648 ſeq.
Sannazarii (*Act. Sync.*) *de Partu virginis Carmen in linguam Etruſcam translatum.* 234 ſeq.
Sarcoceles *cauſæ.* 414

Digitized by Google

Saturni *annulus, ejusque apparentia.* 654 ſeq.
Scaleæ (*Deſiderii*) *vita & ſcripta.* 338
De Sciopii (*Caſp.*) *libris ſingularia.* 37
Sciopius (*Caſp.*) *inter doctos impoſtores relatus.* 40
Scriptionis *antiquæ, in Diplomatibus obviæ, compendia notata.* 316 ſeq.
Scripturæ S. *loca explicata, aut illuſtrata:*
Gen. *XVII, 23.* 223
XX, 10. 353
XXI, 21. 223
XL, 19. 360
XLIII. 222
XLIX, 5. 352
Exod. *III, 5.* 346
XII, 36. 445
41. 353
XIV, 25. 351
XIX, 8. 352
XXI, 7. 448
XXII, 21. ibid.
25. 446
XXVII, 18. 351
Levit. *XIX, 34.* 448
XXV, 15, 16. 446
19. 448
29. ibid.
36, 37. 446
Num. *III, 49.* 447
XIX, 11. 429
13. ibid.
Deut. *IV, 5.* 448
V, 31. ibid.
VI, 3. 447
XV, 2. 445
6, 7. 446
22. 448
XVIII, 12. ibid.
15. 366
XXII, 19. 445
XXIII, 19. 446. 447. 448
XXIV, 10. 445
19, 20. 448
XXVI, 5. 48
XXVIII, 12. 446
44. ibid.
Joſ. *V, 13.* 346
1 Sam. *II, 20.* 445
1 Reg. *VI, 3.* 332
XI, 1. 222
2 Reg. *IV, 1.* 446. 448
7. 448
VIII, 26. 587
XVII, 26. 668
2 Par. *VI, 23.* 446
XXI, XXII. 587
Neh. *V, 5.* 448
Job. *XXXIII, 23, 24.* 343
Pſ. *I.* 287
II. 288
XV, 5. 446
XVI, 9, 10. 429

Pſ. *XLI.*

Digitized by Google

Pſ. *XLI.* 139
XLV, 14. 180
LXXXVIII, 23. 445
CVIII, 11. 446
Prov. *XIII, 10.* 181
XIX, 17. 446
XXII, 7. ibid.
XXVIII, 8. 446. 447
Eccleſ. *VIII, 15.* 446
XXIX, 4. ibid.
Eſ. *VII, 13, 14.* 365. 367
15-17. 365
IX, 6. 346
XXIV, 2. 446
XXXVI, 16. 287
XLIV, 11. ibid.
LVIII, 6. 446. 448
Jer. *IX, 25.* 223
XV, 1. 557
10. 445. 446
12-14. 342
Ezech. *XVIII, 4.* 446
12. 445. 446. 448
16. 446
17. 447
XXII, 12. ibid.
25. 448
Dan. *V, 5.* 358
IX, 26. 430
X, 21. 243
Amos, *III, 8.* 448
VIII, 5. ibid.
Mich. *II, 3.* 565
Hagg. *I, 9.* 447
Tob. *XII, 12.* 342
1 Macc. *III, 48.* 558
2 Macc. *XII.* 184
XV, 12. 342. 557
2 Eſr. *V, 2.* 446
Matth. *I.* 362
16. 363
18. 362. 363. 364
20. 362
25. ibid.
V, 34. 447
48. 358
VIII, 22. 663
XII, 32. 184
XVI, 20. 366
XVIII, 27. 445
XXI, 12. 332
XXV, 31. 446
XXVI, 39. 365
XXVIII, 20. 342
Marc. *X, 42.* 430
XI, 15. 332
XII, 34. 181
Luc. *II, 4, 5.* 363. 365
22. 362
33. 363
41. ibid.
48. ibid.
51. ibid.
III, 23. 364
IV, 18. 556
22. 364
VI, 32. 446
35. 447
IX, 17. 446

Luc. *IX*, 21, 22. 366
23. 446
Jo. *I*, 46. 364
V, 2. 332
4. 288
VI, 42. 364
VII, 37 *ſeq.* 331
X, 22. 331
23. 332
XIV, 31. 365
XIX, 15. 430
23. 360
Act. *II*, 23. 365
42. 666
III, 2. 332
10, 11. ibid.
IV, 28. 365
V, 12. 332
XVII, 11. 181
XVIII, 19. 297
XIX. 296
1. 297
XX, 12. 663
XXV, 11. 371
Rom. *XII*, 2. 332
1 Cor. *III.* 184
6. 673
X, 15, 16. 181
XI, 8-15. 331
2 Cor. *IV*, 18. 180
V, 16, 17. 223
VI, 17 *ſeq.* 180
Eph. *I*, 21. 430
IV, 22-24. 223
Phil. *I*, 19. 288
II, 15. ibid.
30. ibid.
Col. *I*, 15. 430
II, 18. 347
1 Theſſ. *V*, 21. 181
2 Theſſ. *II*, 15. 557
2 Tim. *II*, 9. 280
III, 2. 331
Tit. *III*, 1. 430
1 Pet. *II*, 17. 430
III, 4. 180
V, 13. 301
2 Pet. *I*, 15. 344
20. 21. 224
III, 15, 16. 560
1 Jo. *V*, 7. 681
Ebr. *XI*, 35. 370
Jac. *V*, 12. 447
Apoc. *I*, 5. 430
8. 431
11. ibid.
V, 8-10. 344
VI, 9. 666
10. 344. 557
VII, 15. 344
VIII, 3. 343. 557
4. 343
XV, 7. 557
XIX, 10. 347
XXI, 6. 431
XXII, 9. 347
13. 431
18, 19. 560

Scul-

Digitized by Google

Sculpturæ *ſacræ Cæmeteriorum Romanorum collectæ.* 433 ſeq.
Sectio *anguli per formulam generalem.* 511. 615
Sectione *coni data invenire conum, e quo ſecari poſſit.* 602
Sementii (*Joſ. Hier.*) *vita & ſcripta.* 339
Seminis *emiſſio quomodo impediatur?* 21
Senecæ *locus emendatus.* 281
Senſationis *fundamenta in corpore quæ?* 619
In Sepeliendis *mortuis plagæ cœli olim obſervatæ.* 333
Septuagintaviralis *verſio Exodi præter meritum textui Hebraico prælata.* 347 ſeq.
Serierum *variarum ſummæ.* 508. 517. 609. 697
termini generales inveſtigati. 511
Series *recurrentes quæ?* 525
Serpens *in numis antiquis quid notet?* 199
Severus *Imp. in numis antiquis.* 205
Chriſtianorum ſacris per Gnoſticos initiatus. 430 ſeq.
Siberus (*Urb. Godofr.*) *a Cardinale Quirini notatus.* 56
Sicci (*Alexandri*) *vita & ſcripta.* 338
Silii *Italici locus emendatus.* 224 ſeq.
Sillem (*Garlib.*) *vita.* 383
Socratis *ſtatua ex Ciceronis loco illuſtrata.* 5
Solſtitii *æſtiva obſervatio.* 598
A Sorexina (*Jo. Franc.*) *vita & ſcripta.* 340
De Souzy (*Mich. Peletierii*) *elogium.* 64
Spanhemii (*Ez.*) *ad librum Herberti de Cherbury Notæ editæ.* 432
Spinellorum *familia illuſtrata.* 539
Spirituum *natura explicata.* 381
Statuæ *virorum illuſtrium in Capitolio conſpicuæ.* 1 ſeq.
Steinbergiorum *genealogia illuſtrata.* 542
Steſichori *vita & ſcripta.* 213
Stockflethi (*Dan.*) *vita.* 383
Stœberi (*Eliæ*) *in Feithii Antiquitates Homericas merita.* 237
De Studitis (*Theodoro & Joſepho*) *ſingularia.* 57 ſeq.
Suffuſionis *ſedes & natura.* 417 ſeq.

Superficies *ad æquationes locales reductæ.* 600

T

Taciti *loca emendata.* 46

Taſſii (*Jo. Bapt.*) *Commentarii ſui temporis editi.* 487

Tatii (*Achillis*) *loca quædam emendata.* 240

Taurus *in numis antiquis quid notet?* 199

Tavtochronæ *nova methodo inveſtigatæ.* 600

Teleſcopiorum *in plano Meridiani mobilium uſus.* 244

— *fixorum uſus.* 247

Tentzelius (*Wilh. Ern.*) *refutatus.* 494

Terpandri *vita & ſcripta.* 213

In N. Teſtamentum *Commentarii variorum recenſiti.* 354 ſeq.

Thaleri, *juſſu Comitum & Baronum I. R. G. percuſſi.* 687 ſeq.

— *rariores deſcripti.* 688 ſeq.

Thaletis *vita & philoſophia deſcripta.* 212

Theologia *primorum Chriſtianorum dogmatica quæ fuerit?* 681 ſeq.

Theologiæ *in ſyſtema redigendæ vera methodus.* 693 ſeq.

Theorematis *binomialis formula, quæ abrumpitur pro exponente poſitivo & negativo.* 506

Thraſylli, *Aſtrologi, vita.* 212

Timothei *vita & ſcripta.* 213

Tipularum *natura explicata.* 115 ſeq.

Torellius (*Joſeph.*) *refutatus.* 347 ſeq.

Tormentaria *res emendata.* 266 ſeq.

Tragœdiam *an conſtare quinque actibus neceſſe ſit?* 111

Trebellii *Pollionis locus emendatus.* 282

Trepani *uſus in caſibus dubiis oſtenſus.* 15

Trepanum *quando repetitis viribus adhiberi poſſit?* 16

Triduum *Aſtronomicum Martinonii.* 248

Trigonometria *ſphærica nova methodo tractata.* 601

Trillerus (*Dan. Wilh.*) *laudatus.* 276 ſeq.

Trombelli (*Jo. Chryſ.*) *refutatus.* 661 ſeq.

Tumor *ingens perioſtii femoris.* 17

Tumoris *ſcirrhoſi venerei ſuper aſpera arteria curatio.* 19

Tumo-

Digitized by Google

Tumoris *cyſtici exemplum memorabile.* 413
ex naturalibus propendentis curatio. 420
Tumorum *veſiculæ felleæ a bile retenta cognitio & curatio.* 14
Turriani (*Janelli*) *vita & ſcripta.* 340
Tyriorum *numus rarior deſcriptus.* 105
Tyrtæi *vita & ſcripta.* 111

V

Valcarengi (*Pauli*) *vita & ſcripta.* 340
Valerii *Flacci locus emendatus.* 227
Vaticinia *caſu vera.* 139
Vellejus (*C. Paterc.*) *cum numis editus.* 387
De Veneno *dato quomodo judicandum?* 229 ſeq.
Venetorum *Epiſcoporum, qui Franciſci Barbari ætate floruerunt, merita deſcripta.* 55 ſeq.
Verdæ *urbis hiſtoria naturalis illuſtrata.* 503 ſeq.
Victor (*S. Aurel.*) *cum numis editus.* 388
Vidæ (*M. Hieron.*) *vita & ſcripta.* 339
Viglii *ab Aytta vita.* 479 ſeq.
Epiſtola edita. 483
Virgilii *locus emendatus.* 280
Ultrajectenſium *Præpoſitorum & Decanorum catalogus.* 489
Ungues *quid?* 161
Ungulæ *cylindrorum inveſtigatæ.* 599
Voces *Latinæ rariores collectæ.* 333
Voigtii (*Godofr.*) *vita.* 384
Vonck (*Cornel. Valerius*) *laudatus.* 215 ſeq.
De Vorburgii *Opere hiſtorico judicium.* 37
Voſſius (*Iſ.*) *inter atheos relatus.* 38
De Voto *ſanguinario in honorem immaculatæ conceptionis Mariæ controverſia.* 3 ſeq. 11
Urſini (*Fulv.*) *in delineandis imaginibus antiquis fides notata.* 208 ſeq.
Uſuræ *pecuniariæ moralitas explicata.* 443 ſeq.
Vulnera *cerebelli non ſemper lethalia.* 411
ductus Stenoniani ſanata. 412
Vulpii (*Hieronymi*) *Carmina edita.* 175 ſeq.
Vulpiorum (*Jo. Ant.*) *ſenioris & ju-*

Digitized by Google

& junioris, Carmina edita. 175 ſeq.

W

Weitbrechtus (*Jo.*) *laudatus.* 648 ſeq.

Winckleri (*Jo. Frid.*) *vita.* 383

Wolffii (*Chriſt.*) *vindiciæ famæ ſuæ adverſus Hatzfeldium.* 669 ſeq.

X

Xenephonti *varia vitia objecta.* 67

Xenophontis *loca emendata & illuſtrata.* 44

Z

Zelus *quid?* 138

Zenonis *ſtatua ex Platone & Diogene Laertio illuſtrata.* 3

Zoili *Homeromaſtiges an fuerint duo?* 111

Errores operarum hi ſunt emendandi: *Pag. 136 lin. 18* pro $\int p \frac{dz}{p^2+1}$ leg. $p\int \frac{dz}{p^2+1}$; *pag. 145 lin. ult.* pro *Creverias* leg. *Creverius*; *pag. 157 lin. 12* pro *1171* leg. *1671*; *pag. 181 lin. 24* pro *Murc.* leg. *Marc.*; *pag. 571 lin. ult.* pro *Megni* leg. *Magni.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google